L. 9. 34.

L. 9. 34

Digitized by Google

CONTROVERSIARUM
SCHOLASTICO-POLEMICO-HISTORICO-CRITICARUM,
AUCTORE
LIBERIO a JESU
CARMELITA DISCALCEATO, THEOLOGO EXIMIO, COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE PRÆFECTO,

TOMUS SEPTIMUS ex poſthumis

Complectens Tractatum

DE CONSILIIS EVANGELICIS,
SEU
DE STATU PERFECTIONIS NOVÆ LEGIS,
Atque Defenſionem
STATUS RELIGIOSI
QUOAD SUBSTANTIAM IN LEGE VETERI, SEU SCRIPTA
ADVERSUS P. FRANCISCUM GALIANI SPUCHÆ,

Una cum Appendice Anonimi,

Qua Ludovici Antonii Muratorii dicteria in Carmelitarum Ordinem, Sanctiſſimoſque ejuſdem Familiæ Inſtauratores perperam lata ſatis manifeſte injuriæ, ac falſitatis evincuntur,

FAUSTISSIMIS SUB AUSPICIIS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

CAROLI FRANCISCI DURINI

S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI, ET ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI S. PAPIENSIS ECCLESIÆ.



MEDIOLANI MDCCLIV.

Ex Typographia Petri Franciſci Malateſtæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS.

CUm primùm auſpicatiſſimus illuxit dies, quo fauſtas inter, feſtaſque geſtientis animi ſignificationes Te, EMINENTISSIME PRINCEPS, Sacro Cardinalium Collegio cooptatum novit Mediolanenſis Civitas, ſtatim inceſſit animum cogitatio Tibi Volumen hocce nuncupandi, non ſolùm ut qualecunque obſervantiæ meæ obſequium Tibi ſiſterem, atque præconceptam animi lætitiam publico comprobarem teſtimonio, verùm etiam ut fulgorem, & majeſtatem nominis Tui præferens, commendatiùs inde, ſpectatiuſque prodiret. Enim verò ecquis non geſtiet Te Mecœnatem habere, quem, vel ipſa florente ætate, ad perfectiorem probitatis, atque juſtitiæ imaginem præclare excultum ita mirata eſt Roma, ut ſpei optimæ plena, Pontificiæ Majeſtatis jura Tibi credere, atque ſive Beneventi, ſive Spoleti, ſive Firmi Moderatorem conſtituere non dubitaverit? Nec ſpem fefellit eventum: His nam-

Digitized by Google

que muneribus adeo præclare functus es, ut Firmenſes Cives inter plauſus, atque acclamationes nobile gentilitium tuum Stemma, ſculptum marmore, ad perennem nominis Tui commendationem, & famam, publico in Foro poſitum, ſacraverint æternitati.

Verùm hæc quamvis grandia, magnoque digna viro, minima tamen videntur, ſi ea ſpectare velimus, quibus, ad altiora evectus, omnium admirationem meritiſſimò Tibi conciliaſti. Quanta enim cum laude apud Melitenſes Quæſitoris munia peregiſti? In Te ad unum omnes mirabantur abſolutiſſimum virtutis exemplar, nec illud quidem recens efformatum, ſed longiore uſu jam ante probatum; mirabantur doctrinam, ac pietatem, morum comitatem, in rebus pertractandis induſtriam, ceteraque excelſi animi ornamenta, quæ non tantùm cumulatiſſimum Tibi gloriæ plauſum compararunt, ſed ad bene de omnibus merendum Te natum perſpicue teſtantur.

Et ſane ſplendidam hanc benemerendi indolem, feliciore omine, conſpectam, compertamque habuit Helvetia, cum Virum tot Majorum gloria clarum, honorumque inſignibus clariorem, Pontificium Legatum, & quidem longe optimum, nacti ſunt, qui difficillima quæque exactæ prudentiæ lege, virilique conſtantia ita abſolvit, ut BENEDICTUS XIV. maximum noſtri Seculi decus, honorificentiſſimam Galliarum Legationem nemini, quam CAROLO FRANCISCO DURINO concredere optimum duxerit. Quantis porro ſunt digna præconiis, quibus efferenda laudibus, atque encomiis, quæ aſperrimis, iiſque plane luctuoſis temporibus, quibus Sancta Eccleſia immenſis agitatur motibus, atque concutitur, proſpere compleviſti, PRINCEPS EMINENTISSIME? Audax nimium foret, qui Provinciam hanc ſuſciperet percurrendam, brevique elogio perſtringere tuam infracti animi fortitudinem, atque in rerum ſtatu quam arctiſſimo prudentiam, dexteritatem, eamque vigilantiam, quibus Te Miniſtrum comprobaſti ad ampliſſima quæque mirifice inſtitutum. Ne tamen ea omnia, quæ Seculis quibuslibet laudanda referri poſſent, prætermitti injurie videantur, dicam cum Bernardo (*) Te jure iis accen-

(*) *Lib. 4. de Conſid. cap. 4.*

cenſendum Legatis, *quorum ſermo ædificatio, quorum vita juſtitia, quorum præſentia grata, quorum memoria in benedictione.*

Quod ſi perfecte adeo demandata quæque munia objiſti, EMINENTISSIME PRINCEPS, quam meritò ſibi plaudit Papienſis Eccleſia, dum Te Epiſcopum, Superis faventibus, aſſecuta eſt. Suo jam decore virens, florenſque nitore, majoribus in dies acceſſionibus ſperat augeri, atque refulgere beatiùs. Jam nunc ſibi gratulatur Præſulem habere nobilitate conſpicuum, ſine faſtu gravem, alloquio perhumanum, prudentem conſilio, cujus dignitas, ac majeſtas, præclaraque quàquà verſum beneficentia, & rerum geſtarum gloria ſecundiora quæque omina pollicentur.

Hæc porro, quæ Eccleſiæ Tuæ felicitatem, atque delitias faciunt, Teque omnibus ſpectabilem reddunt, ea plane ſunt, PRINCEPS EMINENTISSIME, quæ jure ſuo quodammodo poſtulare videntur obſequium, ſtudium, meamque in Te obſervantiam; quod aptiùs nullo tempore præſtare poſſe viſum eſt, quam Liberianum hoc opus exhibendo, Teque Mecœnatem auſpicando, ut hinc operi ſplendor, firmiſſimum itidem mihi obveniat patrocinium, quod nunquam fidentiùs ſperavi

EMINENTIÆ VESTRÆ

Humillimus, Obſequentiſſimus, Addictiſſimuſque Famulus
Joannes Franciſcus à Tritio.

FA-

FACULTAS, ET APPROBATIO ORDINIS.

J. ✠ M.

FR. SYMPHORIANUS A S. ANDREA PRÆPOSITUS GENERALIS

Fratrum Carmelit. Diſcalceat. Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejuſdem S. Montis Prior.

TEnore præſentium facultatem impertimur, quantùm ad Nos attinet, P. Fr. Joanni Franciſco a S. Maria Magdalena Congregationis Noſtræ Sacerdoti Profeſſo, ut typis mandet Libros, quibus titulus *Opera P. Fr. Liberii a Jeſu Carmelitæ Diſcalceati*, a ſupradicto Patre concinnatos, & a duobus Theologis e Noſtris recognitos, & commendatos. Datum Placentiæ in Conventu Noſtro S. Thereſiæ die 13. Septembris 1741.

Fr. Symphorianus a S. Andrea Generalis.

L. ✠ S.

Fr. Clemens a Paſſione Secretarius.

APPROBATIO R. AD. P. GABRIELIS MARIÆ ORD. DISC. S. AUGUSTINI.

IN hoc ſeptimo Tomo P. Liberii a Jeſu Carmelitæ Diſcalceati inſcripto: *De Conſiliis Evangelicis*: nec non: *Defenſio Status Religioſi quoad ſubſtantiam in Lege veteri &c, una cum Appendice Anonimi &c.*, quem a Rmo P. Hermenegildo Todeſchini Sacræ Theologiæ Magiſtro, & Mediolani contra hæreticam pravitatem Generali Inquiſitore juſſus accuratè perlegi, ea, quæ attinent ad Conſilia Evangelica, nec non ad defenſionem Status Monaſtici, religioſiſſimum Auctorem mirum in modum commendant, eumque in hoc opere id eructaſſe, quo plenus erat, Evangelicam videlicet Obedientiam, Paupertatem, Caſtitatem, Humilitatem, omnem denique Monaſticæ vitæ perfectionem planè demonſtrant, & hinc etiam lethalia in Heterodoxos tela ad eorum profligandos errores, hinc ſaniora regularis diſciplinæ documenta ad Religioſorum Ordinum decus, & incrementum, hinc demum ſanctiora Ortodoxæ Fidei dogmata ad Fidelium omnium ædificationem prodeunt, ac nova ſuper Eccleſiam irradiatione diffunduntur; quæ verò ſpectant ad Appendicem Anonimi non niſi juſtiſſimam Inclyti Ordinis Carmelitarum, Sanctorumque ejuſdem Inſtauratorum ſapiunt defenſionem. Opus itaque undequaque digniſſimum cenſeo, ut typorum impreſſione publicæ fiat utilitatis. In quorum fidem &c.

Mediolani ex Conventu SS. Coſmæ, & Damiani die vigeſima ſecunda Octobris 1753.

F. Gabriel Maria a S. Dominico Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini Sacræ Theologiæ Prælector.

Die 18. Novembris 1753.

Attenta ſupradicta Approbatione

IMPRIMATUR.

Fr. Hermenegildus Todeſchini O. P. Sacræ Theologiæ Magiſter Inquiſitor Generalis Mediolani.

J. A. Viſmara Pœn. Major pro Emo, & Rmo D. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Excellentiſſimo Senatu.

ELEN-

ELENCHUS CONTROVERSIARUM TRACTATUS NONI.

DE CONSILIIS EVANGELICIS &c.

Numerus paginæ columnam indicat.

CONTROVERSIA I. An ſtatus Religioſus extiterit ſub primordiis legis novæ col. 1
Hæreticorum argumentis fit ſatis 9
CONTROV. II. An Chriſtiana perfectio pro ſtatu viæ viribus gratiæ poſſit aſſequi 22
Acatholicorum argumentis fit ſatis 33
CONTROV. III. An in via Chriſtianæ vitæ perfectio ſtatum habeat impeccabilitatis, & augmenti 43
§. I. Perfectio vitæ Chriſtianæ non habet in via terminum augmenti 45
Hæreticorum momenta evertuntur 48
§. II. Perfectio vitæ Chriſtianæ nuſquam in via acquirit impeccabilitatem 52
Solvuntur Hæreticorum argumenta 59
§. III. Perfectio vitæ Chriſtianæ in via ſemel habita amitti poteſt 74
Solvuntur Hæreticorum argumenta 77
CONTROV. IV. An Chriſtianæ vitæ perfectio in charitate conſiſtat 81
Hæreticorum argumenta diſſolvuntur 85
CONTROV. V. An dentur conſilia a præceptis diſcreta 93
Solvuntur argumenta Acatholicorum 110
CONTROVERSIA VI. An liceat votum in lege nova 127
Solvuntur argumenta Acatholicorum. 132
CONTROVERSIA VII. An liceat votum de rebus non præceptis ad cultum Dei ordinatum. 136
Solvuntur argumenta. 140
CONTROV. VIII. An de rebus præceptis poſſit dari votum: Ubi de voto Baptizatorum. 149
Solvuntur utriuſque partis argumenta. 153
CONTROV. IX. An votum obliget in conſcientia coram Deo. 158
Solvuntur argumenta. 163
CONTROV. X. An ſtatus Epiſcopalis ſit ſtatus perfectionis acquirendæ. 166
Solvuntur argumenta Beguinorum. 174
Defenditur votum de non Ambiendo. 181
Explicatur votum de non Ambiendo. 191
Oſtenditur officium Curati non eſſe ſtatum perfectionis. 199
CONTROV. XI An Monachatus ſit ſtatus acquirendæ perfectionis. 207
Hæreticorum argumentis fit ſatis. 213
CONTROV. XII. An Profeſſio Monachalis tribus ſolemnibus votis firmata ſit laudabilis, Deoque accepta. 242

PRIMA CONTROVERSIÆ PARS.

Conſilium, & votum continentiæ propugnatur. 243
§. I. PROB. I. Catholica veritas, atque ab Hæreticis votum Virginitatis B.V.M. vindicatur. 244
§. II. Diſſolvitur præcipua Calvini objectio adverſus Deiparæ votum, & propugnatur Matrimonium Mariam inter, & Joſeph. 248
§. III. Argumenta adverſus ſtabilitam veritatem diſſolvuntur. 257
§. IV. Solvitur quinta objectio, & Mariana virginitas defenditur. 262
§. V. Specialis diſſolvitur objectio adverſus præcedentem reſolutionem. 269
§. VI. PROB. II. Licere votum caſtitatis. 276
§. VII. Acatholicorum objectio adverſus præcedentem doctrinam diſſolvitur. 279
§. VIII. Alia ſubduntur momenta ad præcedentem evertendam ſolutionem. 284
§. IX. PROB. III. votum perpetuæ caſtitatis licere, atque obligare. 288
§. X. Acatholicorum argumentum adverſus præcitatum Apoſtoli textum diſſolvitur. 291
§. XI. Ultimo probatur concluſio ex Conciliis, & Patribus. 297
§. XII. Argumenta Acatholicorum ex Patribus emendicata diſſolvuntur. 301
§. XIII. Alia refelluntur Hæreticorum momenta, & declaratur Religioſam Profeſſionem nullum reddere ex natura ſua ſubſequens matrimonium. 309
§. XIV. Argumenta inſtituta contra modum, quo Monaſtica vota ſubſequens diſſolvunt matrimonium, refelluntur. 322
§. XV. Innuuntur reliquæ Novatorum objectiones adverſus catholicam veritatem. 329

PARS

De Paupertatis voto.

§. I. An paupertas omnibus ſit ad ſalutem neceſſaria. 334
§. II. Pſeudo-Apoſtolicorum diſſolvuntur momenta. 337
§. III. An honeſtum ſit, licitum, atque meritorium paupertatem vovere. 341
§. IV. Solvitur primum argumentum, & dilucidatur, num Chriſtus emiſerit vota? 351
§. V. Solvuntur reliqua Acatholicorum argumenta. 357
§. VI. An Monachi teneantur manibus laborare. 362
§. VII. Statuitur Catholica veritas. 370
§. VIII. Acatholicorum argumentis ſit ſatis. 376
§. IX. An Regularibus liceat ex mendicatione vivere. 384
§. X. Momenta adverſus Chriſti mendicationem refelluntur. 391
§. XI. Altera catholicæ veritatis probatio. 396
§. XII. Acatholicorum argumenta ex veteri Teſtamento aſſumpta diſſolvuntur. 404
§. XIII. Argumentis Acatholicorum ex novo Teſtamento ſit ſatis. 408
§. XIV. Argumenta Beguardorum adverſus paupertatem Regularium poſſidentium in communi refelluntur. 417

PARS TERTIA.

§. I. De voto Monaſticæ Obedientiæ. 422
§. II. Quædam Acatholicorum argumenta diſſolvuntur. 429
§. III. APPENDIX ad Obedientiæ votum. 446
An obtemperandum ſit Conſtitutioni InnocentiXII. de Diſciplina regulari quoad vitæ communis obſervantiam. Ibid.
§. IV. Solvuntur objecta. 460
CONTROV. XIII. An juniores ad Monaſticum Inſtitutum ſint admittendi. 471
Argumentis Acatholicorum ſit ſatis. 478
CONTROV. XIV. An Tonſuræ, habituſque Monaſtici uſus ſit ſuperſtitioſus. 491
Hæreticorum momentis ſit ſatis. 500
CONTROV. XV. An Monachatus ad Hierarchiam aliqua ratione pertineat. 506
Oppoſita diſſolvuntur argumenta. 512

DEFENSIO STATUS RELIGIOSI

Quoad ſubſtantiam in lege veteri, ſeu ſcripta adverſus P. Franciſcum Galiani Spuchæ, una cum Appendice Anonimi, qua Ludovici Antonii Muratorii dicteria in Carmelitarum Ordinem, Sanctiſſimoſque ejuſdem Familiæ Inſtauratores perperam lata ſatis manifeſte injuriæ, ac falſitatis evincuntur.

DISPUTATIO UNICA.

De ſupererogatoriis votis in lege veteri.

CONTROV. I. An in veteri lege fuerit promiſſio Regni Cœlorum. 539
Solvuntur nonnullæ inſtantiæ in oppoſitum. 543
CONTROV. II. An in veteri lege aliqui caſtitatem voverint. 549
Adverſantium argumenta refelluntur. 563
CONTROV. III. An aliqui Synagogæ tempore obedientiam, & paupertatem medio voto profeſſi ſint. 584
Adverſantium momentis ſit ſatis. 601
CONTROV. IV. An ſtatus Religioſus fuerit in veteri lege. 608
Argumenta ex D. Thoma excerpta diſſolvuntur. 618
Novis roboratur momentis noſtra Concluſio. 641
Diſſolvuntur argumenta. 651
Peculiaria Galiani momenta refelluntur. col. 664
Reliqua Galiani argumenta ex monumentis Breviarii deſumpta refelluntur. 676

DUPLEX POLEMICA ADDITIO.

ADDITIO I. An lex vetus fuerit bona. 681
Hæreticorum argumenta refelluntur. 685
ADDITIO II. An lex vetus in ſtatu legis novæ vim habent obligandi. 692
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 696

APPENDIX.

Qua Ludoviei Antonii Muratorii dicteria in Carmelitarum Ordinem, Sactiſſimoſque ejuſdem Familiæ Inſtauratores perperam lata ſatis manifeſte injuriæ, ac falſitatis evincuntur. 704

TRACTATUS NONUS.

DE CONSILIIS EVANGELICIS,

SEU

DE STATU PERFECTIONIS NOVÆ LEGIS.

ALia inter momenta, quibus lex nova veteri ſupereminet, dubio-procul ſunt Conſilia Evangelica, quæ ſolemnibus votis ſuſcepta ſtatum perfectionis conſtituunt, quæ communi nuncupatione dicitur Status Religioſus. De hoc impræſentiarum agendum eſt, diſquirendo ejuſdem antiquitatem, quidditatem, atque proprietates, cum adverſus hæc plurimas viperino ore blaſphemias evomant Novatores, priorum Seculorum hæreticis fœderati.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN STATUS RELIGIOSUS EXTITERIT SUB PRIMORDIIS LEGIS NOVÆ.

1 SI Nationes omnes ad commendationem ſplendoris, & nobilitatis plurimi ſemper fecere familiæ vetuſtatem, ut plane evincunt antiqua Generis ſtemmata, fumoſæ Proavorum imagines, ferruginea arma, diſcerptaque vexilla, quibus Magnatum exornantur domus; nil inde mirum ſi duro labore omnes Regularium familiæ, ut originis ſuæ commendent, ac tueantur antiquitatem, nervis omnibus contendant, atque elaborent. Verùm non eſt e re noſtra de cujuslibet Religionis fonte exquirere, ſed ſub communi Monachatus nomine antiquitatem adverſus fidei hoſtes propugnare; hi namque, cum ſanctitatis, atque doctrinæ ſplendorem ex eo diffuſum ſuſtinere haud valeant, ejus originis nobilitatem canino mordent dente; ſi tamen ſub Chriſto natus, ſub Apoſtolis enutritus, ab eorum diſcipulis propagatus habeatur, profectò cœleſtis eſt inſtitutio, atque a ſupremo numine directio.

2 Itaque toto niſu contendunt Hæretici verum Religioſum ſtatum nequaquam a Chriſto fuiſſe; novum hominum, quinimmo Diaboli inventum proclamant: ſic habes ex 44. propoſitione Wicleſi a Conſtantienſi Concilio execrata -- Omnes Religiones, *ſic impius ille*, indifferenter introductæ ſunt „ a Diabolo -- Magdeburgenſes *Cent.* 5. *cap.* 6. de Origine Monachatus audacter ſcribere non erubuerunt -- Cœpit Monachatus partim obſcuratione doctrinæ de juſtificatio- „ ne, & veris cultibus Dei, partim ex prava A „ æmulatione Eſſenorum -- Dixerant tamen anteriori Centuria *cap.* 6. Eremitas ſolitudinem adjiſſe, ut perſecutionis pericula effugerent, & ibidem tradunt cœpiſſe Seculo IV. Monaſticen inſtitutionem. Melancthon in Apologia pro *art.* 27. Confeſſionis Auguſtanæ docet Seculo IV., & V. quoſdam extitiſſe Monachos, ſed longe alios ab iis, qui nunc ſunt; quod itidem affirmat Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap* 13. -- Ne quis longi tem- „ poris præſcriptione defendat Monachatum, B „ qualis hodie eſt, notandum eſt fuiſſe olim „ in Monaſteriis longe aliud vivendi inſtitu- „ tum -- quod reperit §. 10. ea propter tria ſunt, quibus Heterodoxi Monachatus originem inficiunt, tempus videlicet inceptionis, modum inceptionis, identitatem rei inceptæ; quare e re catholica eſt ab erroribus eam expurgare, oſtendendo Monachatum ante IV. Seculum inſtitutum, non quidem ex errore, vel fortuitò, ſed divino ſpiritu afflante, atque in eadem eſſentiali identitate C perſeverare. Attamen ut res clareſcat, innuatur oportet, quibus nominibus uſi ſunt Veteres de Monachis loquentes.

Monachi quibus nuncupati nominibus.

Pro re nata Philo in libro, quem *De Vita in contemplatione poſita*, ſeu *De Supplicibus* inſcripſit, habet -- Inſtitutum autem „ hujus Philoſophiæ mox apparet ex ipſis „ appellationibus: vocantur enim Thera- „ peutæ, Therapeutridesque, hoc eſt, Cu- „ ratores, & Curatrices, ſive Cultores, & „ Cultrices vero nomine -- Hi porro legis D novæ Monachos fuiſſe abunde probat Euſebius *lib.* 2. *Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 16., qui relata diſciplina, atque vivendi ratione eorum, quorum in laudato libro meminit Philo, ſubdit -- Ceterum ea ſolùm in præſentia nobis „ ad commemorandum videntur neceſſaria, „ quibus expreſſæ, & illuſtres eccleſiaſticæ „ inſtitutionis formulæ perſpicue ante oculos „ ponantur. Quod ſi ea, quæ dicta ſunt, „ cuiquam videantur illius vivendi rationis, „ quæ ex Evangelio inſtituitur, non eſſe E „ propria, ſed poſſe aliis præter eos, quos „ commemoravimus convenire, illis ſaltem „ vocibus, quas idem author poſtea recen- „ ſet, ſit tandem perſuaſus, ea quibus (mo- „ do æquus rerum æſtimator ſit) teſtimo- „ nium de iſta re certum, & indubitatum „ accipiet &c. -- Itaque ſub primordiis Eccleſiæ Contemplativi, Supplices, Philoſophi, quos omnes eodem vocabulo Therapeutas dicebat Philo, idem referebant ac Monachi

nomen. Porro quanti facienda ſit hujuſce Auctoris ſententia, legere eſt apud Photium *in Biblioth. Cod.* 105., & apud Hieronymum *in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt.*, ubi aſſerit ipſum *locutum eſſe cum Apoſtolo Petro, ejuſque habuiſſe amicitias*.

Aſcetæ quoque vocabantur Monachi, ideſt Pugiles, eo quod in ſpiritualibus quotidie exercebantur; eaque propter S. Baſilius ſermones de Monaſticis rebus Aſceticos inſcripſit. Nec Monachi nomen ſub ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio ignotum diceris, cum S. Dionyſius Areopagita Apoſtolis ſuppar de Eccleſiaſtica Hierarchia *cap. 6. p.* 1. habeat -- Porro initiandorum omnium excel„lentior, ac ſublimior ordo, Monachorum „eſt ſancta diſtinctio.... Unde Sancti præ„ceptores noſtri divinis eos appellationibus „ſunt proſecuti, partim Therapeutas, ideſt „cultores a ſincero Dei famulatu, atque „cultu, partim Monachos ab individua, & „ſingulari vita appellantes -- Ut vis tamen Areopagita Monachos eos appellet, qui ſolitariè vivebant, non hoc tamen ita intelligi debet, ut Monachi ſolummodo dicantur hi, qui Eremiticam vitam profitebantur; nam Caſſianus *Coll.* 18. *cap.* 5. prædictum nomen etiam Cœnobitis appoſuit -- Qui paulatim „tempore procedente ſegregati a creden„tium turbis, ab eo quod a conjugiis abſti„nerent, & a parentum ſe conſortio, mun„dique iſtius converſatione ſecernerent, „monachi, ſive monazontes a ſingularis, „ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt; „unde conſequens fuit ex communione con„ſortii Cœnobitæ, cellæque ac diverſoria „eorum cœnobia vocarentur -- Promiſcuè itaque tum qui ſolitariè, tum qui in communi vivebant, Monachos dictos legimus; nunc verò qui rerum divinarum Contemplationi inſimul inſiſtunt, & actioni, Regulares, & Religioſi dicuntur; Regulares ea quadam vivendi regula a lege præſcripta, Religioſi a virtute Religionis, quæ debitum Dei cultum reſpicit, cuique quammaxime addicti ſunt.

Regulares, & Religioſi unde dicti.

3 Dicit Valeſius in notis ad Hiſtoriam Euſebii Therapeutas, quorum meminit Philo, non jam Monachos Chriſtianæ fidei cultores, ſed Judæos fuiſſe; de his namque affirmat Philo Suæ ſectæ, utique Hebraicæ, libros pertractaſſe, quod de Chriſtianis cenſendum haud eſt; hoſque Therapeutas hymnos Deo cecinisse deſcribit, cum tunc temporis hymnodia non eſſet, ſolitos quoque fuiſſe bis ſingulis diebus orare, contra Chriſtianorum morem pluries precandi, ùt horâ tertiâ, ſextâ &c. Et ſane de Chriſtianis, hiſque Monachis a Marco in Alexandria conſtitutis in libro *De Vita Contemplativa* quonam pacto agere poterat, cum librum Cajo Caligulæ nuncupaverit, & aliàs certum ſit imperante Caligula nondum Alexandriam Marcum pereziſſe? Aliud argumenti pondus additur, ex quo Philo fœminas in eadem vivendi ratione ſimul cum viris vixiſſe aſſerat; inauditum planè apud chriſtianos Monachos.

RESP. Hebraicæ Sectæ libri nunc quoque a Chriſtianis evolvuntur; nonne laudabile eſt Prophetarum libros, Moyſis, aliorumque

ſacrorum Scriptorum opera pertractare, &
A ſcripturæ ſacræ lectionem cum oratione interpolare? Hæc porro quandoque per hymnos fiebat, de quibus dicit Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Implemini Spiritu Sancto loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, hymnis &c.*, videlicet ſpirituales laudes Deo offerre. Unde hymnorum nomine divinæ laudes optimè uſurpantur. Ad has bis quotidie convenire Therapeutas dicis Philo, ſed non negat frequentiùs oraſſe. Falsò dein aſſeritur laudatum librum Cajo dicaſſe, immo oppoſitum evincitur, cum Cajo fuerit ipſe inviſus, teſte Joſepho *lib.* 18. *Antiquitatum cap.* 10. Nulla demum ratione probatur fœminas ſimul cum
B viris habitaſſe, Philo ſiquidem ſi ad concionem mulieres accedentes, medio pariete ſegregatas a viris, deſcribit, ut fœmineo pudori conſuleretur, haud potuit affirmare ſimul in Monaſterio cohabitaſſe.

Therapeutæ non fuere Judæi.

Ceterum res clareſcet ex ipſomet Euſebio laudato loco -- Quod ſi quis adeo obſti„nato animo ſit, ut hiſce etiam refragari „voluerit, ſit tamen evidentioribus argu„mentis (quæ apud nullos alios præterquam „ſolos Chriſtianos, Religionis Evangelicæ „profeſſores reperiuntur) obſecutus, de „contumacia, & incredula mentis ſententia „tandem deſiſtat -- Cumque retuliſſet ex
C Philone, quæ Therapeutæ peragebant ſtudia nempe, vigilias, jejunia, eaque omnia, quæ Monachorum inſtituto mire aptantur, ſubdit -- Iſta Philonis tam perſpicua, tamque „rata teſtimonia de noſtræ Religionis viris „ſolùm tradita eſſe pro certo arbitramur -- His quoad nomen prælibatis.

Dicendum eſt ſub primordiis legis gratiæ verum extitiſſe Monachatum, ſeu Statum Religioſum.

4 PROB. I. Monachatus, ſeu Status Religioſus fuit a Chriſto inſtitutus, & a fidelibus adoptatus: ergo extitit ſub primordiis novæ legis. Antecedens quoad primum in
D aperto eſt; conſtat namque Chriſtum Dominum docuiſſe excellentiam perfectionis in obſervantia Conſiliorum, & quidem caſtitatem verbis illis relatis Matth. 19. v. 12. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum*, voluntariam paupertatem ibid. v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, obedientiam, *& veni, ſequere me*. Perfecta porro Chriſti ſequela expoſtulat, ut diſcipulus amplius aliò abire non poſſit, quod abſque voto utique nequit contingere. Quod autem impræſentiarum notandum occurrit hujuſmodi conſilia Chriſtum laudaſſe, non jam relate ad diverſa Perſona-
E rum genera, ſed ſingularem ſpectando perſonam; hinc eſt, quod paupertatem inſimul, & obedientiam conjunxit: *Vade, & vende ... & veni, ſequere me*, ſupponens utique Caſtitatis profeſſionem, ſine qua nec perfecta paupertas, nec obedientiæ vinculum perdurare queunt; lex namque conjugii utrumque impedit; ea propter dicitur Luc. 10. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, & cap. 9. v. 23. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum,*

Status Religioſus a Chriſto inſtitutus.

&

& tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

In hiſce verbis monaſticam vitam a Chriſto inſtitutam agnovit S. Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis in reſp. Interrogationis 6. -- Illud autem, ſi quis vult poſt me „ venire, abneget ſemetipſum, quomodo „ unquam conſequi poterit is, qui rebus ſit „ hiuiuſmodi diſtentus? Siquidem oportet, „ ut nos ipſos primum abnegemus, & cru- „ cem ſuſtollamus, ac tum demum illum „ ſequamur. Nihil eſt autem aliud ſui ipſius „ abnegatio, niſi ſumma rerum omnium vitæ „ ſuperioris oblivio, atque in ſuis ipſius vo- „ luntatibus receſſio, quam in vita communi „ aſſequi longe eſt difficillimum -- Idem affirmat *in Ser. de Abdicatione rerum* ad illa Matth. verba cap. 11. *Venite ad me omnes* -- Illud „ certè planum eſt, ea hortari nos, ut qua „ quidem depoſitâ ſupervacanearum divitia- „ rum ſarcinâ, eâque in egenes diſtri- „ buta .... crucem geſtaturi ad Monacho- „ rum vitam accedamus --

Abſolute porro rei alicujus auctor dicitur, qui eidem præſtat eſſentiam: eſſentia verò Status Religioſi ſita eſt in profeſſione trium Conſiliorum unâ cum ſui ipſius traditione, quæ verbis illis innuitur: *Sequere me*: *Abneget ſemetipſum*: unde & jure & meritò Chryſoſtomus *hom.* 17. ad Populum Antiochenum, laudatis Monachis, ſubdit -- Tanti „ eſt Philoſophia a Chriſto introducta -- & S. Baſilius *in Conſtit. Monaſtic. cap.* 23. agens de Obedientia inquit -- Hanc is, qui ſecun- „ dùm Deum vere eſt Monachus, Antiſtiti „ ſuo præſtet oportet; ſiquidem, ut jam dixi- „ mus, Chriſtus diſcipulos in hoc elegit, qui „ hoc vitæ inſtitutum æmularentur, ut per „ eos formam relinqueret eandem ſecuturæ „ poſteritati --

Eſſentia Status Religioſi.

Hæc quoad primum: quoad alterum declaratur. Communis Patrum ſententia propugnat Apoſtolos Religioſum Statum ſubſtantialiter acceptum adoptaſſe, eumque cum Apoſtolatus, & Epiſcopatus gradu conjunxiſſe; quod ſatis innuitur *Matth.* 19. Auditâ enim ab ore Chriſti Evangelicorum Conſiliorum excellentiâ reſponderunt per os Petri Apoſtoli: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; ad quæ attendens S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. habet -- Apoſtoli „ autem intelliguntur voviſſe pertinentia ad „ perfectionis ſtatum, quando Chriſtum, re- „ lictis omnibus, ſunt ſecuti -- Veritatem hanc didicit Angelicus a Patribus; hos inter eſt S. Baſilius, qui *in Conſtit. Monaſtic. cap.* 19. ſcripſerat -- Hi, *ſcilicet Religioſi*, li- „ beratoris noſtri, ejuſque vitæ, dum inter „ nos verſaretur, inſtitutorum, veri, perfe- „ ctique imitatores exiſtunt. Quemadmodum „ enim ille, coacto diſcipulorum choro, „ communia cuncta, ſeque communem Apo- „ ſtolis præbuit: item hi quoque Antiſtiti ſuo „ obtemperantes, qui modo vitæ ſuæ præ- „ ſcripta recte conſervant, genus vivendi „ Apoſtolorum, ac Domini imitantur -- Chryſoſtomus, qui *hom.* 17. *in Matth.* adhortans Monachos ad perfectionem, Chriſtum loquentem refert -- Vis, o Monache, eſſe „ diſcipulus meus, immo vis diſcipulorum „ meorum eſſe diſcipulus? fac hoc, quod

Apoſtoli Religioſum Statum amplexati.

A „ fecit Petrus, quod fecit Jacobus, & Joan- „ nes -- Epiphanius *Hær.* 18. ad ea verba *Sunt Eunuchi* -- Quinam igitur hi fuerint, „ quam generoſi Apoſtoli, & Monaſticam vi- „ tam degentes? -- Auguſtinus *lib.* 17. *de Civit. Dei cap.* 24. -- Dixerant enim potentes illi, „ *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus* „ *te*. Hoc votum potentiſſimi voverant. Sed „ unde hoc illis, niſi ab illo, de quo hic „ continuò dictum eſt, dans votum voventi? -- S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum -- „ Heu me miſerum qualemcumque Mona- „ chum, cur adhuc vivo videre ad id deve- „ niſſe Ordinem noſtrum, *Monaſticum nempe*, „ Ordinem ſcilicet, qui primus fuit in Ec- „ cleſia, immo a quo cœpit Eccleſia, cujus „ Apoſtoli inſtitutores, cujus hi, quos Pau- „ lus tam ſæpe Sanctos appellat, inchoatores „ extiterunt --

B

Euſebius *lib.* 1. *demonſtrat. Evangel. cap.* 8. duos refert inſtitutos fuiſſe Ordines a Domino, unum univerſis fidelibus communem, alterum Monachorum proprium, quem ſic deſcribit -- Alter quidem naturam no- „ ſtram, & communem hominum vitæ ra- „ tionem excedens, non nuptias, non ſobo- „ lem, non ſubſtantiam, non opum faculta- „ tem requirens; totus autem prorſus a com- „ muni, & conſueta cunctorum hominum „ vita abhorrens, & ſolùm divino cultui ex „ immenſo rerum cœleſtium amore addi- „ ctus -- Idem docet antiquus Auctor Simon Logotetes, qui in ſuo Chronico, relatis quibuſdam Patribus, habet -- Ecce quomodo „ hi Patres in duo genera vitæ ajunt diſtri- „ buiſſe Chriſtum res humanas, in ſecula- „ rem, & in cœleſtem, in Evangelicam, & „ Apoſtolicam -- Compertum igitur unicuique eſt, qualiter Chriſtus Monaſticam vitam inſtituerit, & quidem non doctrinaliter ſolùm, ſed practice, quatenus Apoſtolos voluit, ut Religioſam vitam ducerent; quoniam verò erant inſimul primi Eccleſiæ Paſtores, atque Evangelii promulgatores, noluit eos Monaſteriorum ſeptis ligare, aut concavis montium rupibus includere: & quidem ſecundùm hanc, aliaſque circumſtantias non inficias imus alios a Chriſto, atque ab Apoſtolis fuiſſe Monachatus inſtitutores, atque reſtauratores; ceterum ſubſtantia, ſeu eſſentia Status Religioſi cum Epiſcopali gradu mire coadunatur, immo hujuſcemodi unio apte deſervit ad conſummationem Status Epiſcopalis. Doctrinam noſtram habes a Concilio Meldenſi *can.* 9. -- Sacrum quoque Mo- „ naſticum Ordinem a Deo inſpiratum, & „ ab ipſis Apoſtolis fundatum --

Ordo unus comunis, peculiaris alter.

C

D

E

His plane corruunt deliramenta Marci Antonii de Dominis *lib.* 2. *de Repub. Eccleſiaſtica cap.* 12. *n.* 2. ubi ait -- Inſtitutum „ Monachorum Chriſtianorum (mittamus „ Eliam, & Eliſeum, immo & Joan. Bapti- „ ſtam, qui ad Synagogam pertinebant) „ privato hominum ſtudio, privataque pie- „ tate, ac devotione, non ulla publica in- „ ſtitutione emerſit -- Subdens -- Chriſtus „ ad Monachatum neminem vocavit: Apo- „ ſtoli Monachum nullum fecerunt: Epiſco- „ pi, & Eccleſia vetus nemini unquam præ- „ ſcripſerunt. Quid igitur? Ex vita Apo-

„ ſtolica qualem & Apoſtoli prælertim Paulus, & fideles primitivæ Eccleſiæ Hieroſolymis magno fervore ſpiritus duxerunt, „ privati homines, privato ſtudio, exempla „ ſumpſerunt -- Corruunt inquam. Etenim ſi Chriſtus, ut ſuperius innuimus, conſilia tradidit, quibus Monaſtica vita quoad ſubſtantiam concluditur, nempe Conſilium Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quomodo privato hominum ſtudio Monachatum inſtitutum affirmare audebis? Si Apoſtoli hujuſmodi vivendi genus adoptarunt, cur Chriſtum Inſtitutorem renuit admittere Apoſtata? Res tamen ex dicendis clareſcet.

5 PROB. II. Prima Eccleſiæ Secula, fatentibus ultro Heterodoxis, ad primordia legis gratiæ ſpectant, atque veræ antiquitatis jura ſibi vendicant: atqui tribus primis Seculis veri extiterunt Monachi: ergo verus Monachatus initium agnovit ſub nova lege.

Monachatus antiqua inſtitutio.

Min. declaratur, & quidem præteritâ Philonis ſententiâ, de qua ſuperius, habemus Euſebium *lib. 2. Eccleſiaſt. Hiſt. cap.* 16., qui Philoni concinit -- Jam verò cum eorum vi„ vendi rationem, qui apud nos Aſceiæ, „ ideſt Monachi, Religioſique, virtutis ſtu„ dio, & exercitationi maxime dediti, ap„ pellati ſunt, quam accuratiſſime percen„ ſeat &c. -- Sozomenus *lib. 1. Hiſt. cap.* 12., ubi deſcriptâ Monachorum vitâ habet -- „ Hanc præclaram vivendi rationem primus, „ uti quidam memorant, inſtituit Propheta „ Elias, & Joannes Baptiſta. Philo porro „ Pytagoreus tradit Hebræorum faciiè præ„ ſtantiſſimos undique in locum ad Lacum * „ Mariam in colle ſitum coactos, ſe pio, ac „ ſevero vitæ generi dicaſſe, quorum domi„ cilia, victus rationem, & inſtitutionem „ vitæ talem perhibet, qualem nos etiam „ hoc tempore a Monachis in Ægypto ob„ ſervatam videmus -- S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum in Philone aſſerit his accenſendum eſſe Philonem, hacque de re ſubdit rationem, videlicet -- „ Quia librum de primâ Marci Evangeliſtæ „ apud Alexandriam ſcribens Eccleſiâ, in „ noſtrorum laude verſatus eſt, non ſolùm „ eos ibi, ſed in multis quoque Provinciis „ memorans, & habitacula eorum dicens „ Monaſteria -- Ecce quam bene firmatam habemus veritatem de Monachatus exiſtentia ſub temporibus Apoſtolorum. Verùm ulteriora prumamus.

** Epiphanius hær. 29. Naream legit.*

S. Dionyſius Areopagita *lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia* ſæpenumero Monachorum meminit, & potiſſimùm *cap.* 10. agens de Miſteriis Monaſticæ Conſecrationis, habet -- „ Sacerdos quidem ſtat ante divinum altare, „ precationem. quæ Monachos attingit, re„ citans, ac pronuncians &c. -- & *cap.* 12. -- „ Sin autem ſacris Monachis, ſanctoque po„ pulo annumeratus erat &c. -- Porro opera S. Dionyſii Areopagitæ, diſcipuli S. Pauli, ipſi fore adjudicanda egregie propugnat Natalis Alex. Seculo I. *diſſert.* 22. Unde perperam Lutherani, & Calviniani illa reprobant, ut Dionyſio afficta; ceterum ad rem noſtram non urget eorum conatus; nam Laurentius Valla, unus ex oppoſitoribus Apollinario Hierapolitano Epiſcopo ea adſcribit, alii verò Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo, qui Seculo II. floruere, ut teſtatur Euſebius in Chronico; ea propter nobis concedere debent tali ætate viguiſſe Monachatum.

Joannes Caſſianus *Coll.* 18. *cap.* 5. ſcribit -- Itaque Cœnobitarom diſciplina a tem„ pore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exor„ dium -- Hinc explicat, quomodo id factum ſit, frigeſcente videlicet primorum Fidelium pietatis fervore, qui in communi vivebant, aliqui perſtiterunt in eadem vitæ ratione, atque ab aliis diſcreti cellulas ſibi ædificaverunt, opera perfectionis operibus addentes -- Iſtud ergo ſolùm fuit antiquiſſimum „ Monachorum genus, quod non modo tem„ pore, ſed gratiâ primum eſt; quodque per „ annos plurimos ſolùm inviolabile uſque ad „ Abbatis Pauli, vel Antonii duravit ætatem. „ Cujus etiam nunc adhuc in diſtrictis Cœ„ nobiis cernimus reſidere veſtigia --

S. Auguſtinus *in Pſal.* 132. ad illa verba: *Ecce quam bonum, & quam jucundum &c.* explicat Monachatus exordium ab uſu primorum Fidelium; quam doctrinam adoptatus eſt S. Iſidorus *lib. 7. Ethimolog. cap.* 13. -- „ Anachoritæ Eliam, atque Joannem Bapti„ ſtam, qui ſolitarie vixerunt, Cœnobitæ „ Apoſtolos imitantur -- & *lib. 2. De Eccleſiaſtic. Officiis cap.* 15. -- Primum Monacho„ rum genus eſt Cœnobitarum, more San„ ctorum illorum, qui temporibus Apoſto„ lorum in Jeroſolymis, venditâ, ac diſtri„ butâ omni ſua ſubſtantiâ indigentibus, ha„ bitabant in ſancta communione vitæ. Eo„ rum igitur inſtitutione Monaſteria ſum„ pſere principia --

6 PROB. III. S. Antonius Abbas, ut ex Chronico S. Hieronymi notatur, floruit definente Seculo III., & IV. inchoato; ſed prævie ad ipſum Monachi extiterunt; ipſe namque cum Monaſticum vellet ſuſcipere inſtitutum, ſenem quandam adiit, qui a longo tempore Monaſticen profitebatur; ita refert in vita S. Antonii S. Athanaſius, qui ibidem plurima Monachorum Monaſteria in agris conſtituta deſcribit; ergo Seculo III. Monachatus habebatur.

Ante Seculum IV. Monachi extitere.

Nec Centuriatores argumenti vim eludunt contendentes, aut ab Athanaſio minime deſcripta fuiſſe D. Antonii geſta, aut eadem non eſſe, ſed interpolata: ceterum præter Athanaſium, & Hieronymum *in Athanaſio* Socrates *lib. 4. cap.* 18. de Sancti Ammonis Monachi obitu ſcribens de mendacio illos redarguit -- Hujus Ammonis animam „ poſt mortem ab Angelis in cœlum ſubla„ tam, Antonius, qui eiſdem vixit tempo„ ribus, vidit: quemadmodum ab Athana„ ſio Alexandriæ Epiſcopo in ejus vita com„ memoratum eſt -- & Ruffinus *lib. 1. cap.* 8. -- Sane quoniam tanti viri Antonii fecimus „ mentionem, de virtutibus ejus, atque „ inſtitutis . . . volentem me aliqua expone„ re, ille libellus excluſit, qui ab Athanaſio „ ſcriptus, etiam latino ſermone editus eſt -- Ex quibus compertum eſt Antonii vitam meritò Athanaſio adjudicandam; hanc porro fuiſſe interpolatam nullo evincitur momento, adeoque impræſentiarum ulterius immorandum non eſt.

Antonii vita ab Athanaſio Græce ſcripta, ab Evagrio latine reddita eſt.

Ter-

Tertullianus librum ſcripſit de Virginibus velandis, & quidem de his, quæ Deo ſacræ erant; ſiquidem apte ibidem Virgines Mundi diſcriminantur a Virginibus Dei, & de his habet -- O ſacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt, quid pejus aliquis perſecutor feciſſet, ſi hoc a Virgine electum cognoviſſet? -- & infra -- Nupſiti Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam -- Hoc autem abſque voto non contingit; ſed Tertullianus Seculo II. floruit; ergo ante IV. Seculum de Monachatu ſermo recurrit. Quod itidem comprobatur ex S. Eutychiano Papa apud Ivonem in decretis *lib.* 3., qui nonnulla circa Abbatiſſas, ſua abutentes poteſtate in dando velamine Sanctimonialibus, præſcripſit. Vixit autem Pontifex circa annum 275.

HÆRETICORUM ARGUMENTIS FIT SATIS.

7 OBJIC. I. Status Monaſticus, qui ſub exordio naſcentis Eccleſiæ extitit, nil aliud fuit, quam communis omnium Fidelium ſtatus; ſed hic non conſtituebatur per eſſentialia Monachatus; ſiquidem illos inter Fideles plurimi erant dubio procul uxorati, aliàs ex redargutione Petri ad Ananſam, qui pretium agri venditi fraudaverat, in aperto eſt ipſos non fuiſſe paupertatis voto ligatos: de mendacio enim ipſum redargutus ait Act. 5. *Nonne manens tibi manebat?* quaſi diceret: Dominus eras, atque agrum tibi retinere poteras. Major habetur ex Patribus: Hieronymus namque de Scriptoribus Eccleſiaſticis *in Philone*, ait -- Ex quo apparet talem primam Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur -- Similia habet *in Marco*, S. Iſidorus fere eadem docet *lib.* 2. *de Officiis Eccleſiaſt. cap.* 15., & Chryſoſtomus *hom.* 11. *in Acta* refert Monachos ſic vivere, ut olim Jeroſolymis vivebant Fideles: idem colligitur ex S. Auguſtino *in Pſal.* 132. ad illa verba: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.*

Nonnulli ultro majorem adoptant, negant tamen minorem exiſtimantes primitivæ Eccleſiæ Fideles, de quibus in Actis legitur cap. 4. v. 32. *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*, per ſubſtantialia vota verum perfectionis ſtatum ſortitos fuiſſe, quod iiſdem plane probant momentis; etenim mendacium Ananſæ, niſi voto fuiſſet adſtrictus, tantæ nequaquam cenſeretur gravitatis, utpote nemini injurioſum, ut terribili adeo pœnâ potuerit, debueritque puniri; & verba illa: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate*, ſatis innuunt haud fuiſſe ad paupertatem obligatum, antequam illam voviſſet, atque una cum aliis communem ſervare vitam ſtatuiſſet. Plurima Patrum teſtimonia veritatem hanc palam faciunt: S. Baſilius *Serm.* 1. *de Inſtitut. Monach.* de Ananſa ſic loquitur -- Humanæ gloriæ cupiditate inductus, quicquam in bonis habebat, per profeſſionem Deo conſacravit, quo videlicet egregio iſtiuſmodi facto hominum de ſe admirationem excitaret, de pretio autem callide &c. -- Chryſoſtomus *hom.* 12. *in Acta* -- Quare hoc feciſti? Voluiſti habere? Oportebat initio habere, & non promittere. Nunc autem poſtquam conſecraſti, majus ſacrilegium commiſiſti -- S. Hieronymus *Epiſt.* 8. *ad Demetriadem* -- Ananſas, & Saphira diſpenſatores timidi, immo duplici corde, & ideo condemnati, quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua, & non ejus, cui ſemel ea voverant, partemque ſibi jam alienæ ſubſtantiæ reſervarunt -- S. Gregorius *lib.* 1. *Epiſt.* 33. *ad Venantium* -- Ananſas pecunias Deo voverat, quas poſt diabolica victus perſuaſione ſubtraxit -- S. Fulgentius *Epiſt. de debito Conjug. cap.* 8. -- Quam ſit malum, quamque ſolicite fugiendum, ſi quis de hoc, quod Deo voverit, retinere, aut rapere aliquid mortifera prævaricatione pertentet, exemplo ſunt Ananſas, & Saphira -- Similia habes apud S. Athanaſium *Serm. de paſſione, & Cruce*, Nazianzenum *in Carmine de Virginitate*, & apud Commentatores Actorum Apoſtolorum, utpotequi Ananſam ſacrilegum appellant.

Sub primordiis naſcentis Eccleſiæ Monachalem formam ſervaſſe Fideles tum illæ eædem evincunt Patrum auctoritates, quæ ab Adverſantibus referuntur, tum aliæ, quæ ſuperaddi poſſent, quatenus aſſerunt talem fuiſſe tunc Fidelium vitam, qualis erat ſuorum temporum vivendi ratio; ſed ſub temporibus S. Baſilii, Auguſtini, Hieronymi, Iſidori Monachatus tria ſubſtantialia vota ſervabat; ergo eaſdem ſervabat leges multitudo illa, cujus erat cor unum, & anima una. Sufficiat nobis auctoritas Abbatis Pyammonis apud Caſſianum *Collat.* 8. *cap.* 5. -- Cœnobitarum diſciplina a tempore Apoſtolicæ prædicationis ſumpſit exordium. Nam talis erat Jeroſolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in actibus Apoſtolorum deſcribitur . . . Talis erat tunc omnis Eccleſia, qualis nunc per paucos in Cœnobiis invenire difficile eſt -- Voluit namque Deus ſub Eccleſiæ initio perfectum Chriſtianæ perfectionis proferre exemplar, quod futura ſecula introſpicerent. *Vivendi ratio primorum Fidelium.*

Crediderim tamen non omnes, & ſingulos Fideles illud vivendi genus adoptaſſe, ea propter univerſales illæ propoſitiones: *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat &c.* intelligendæ ſunt pro communiori parte juxta morem Scripturæ, quæ omni multitudini, quæ in pluribus adinveniuntur, accomodat. Et ſane ſatis apte dici poteſt idem Jeroſolymis eveniſſe, quod Alexandriæ ſub Marco: ibidem namque plerique erant cultores ſtatus perfectionis, alii verò communem Chriſtianæ Religionis ſemitam tantummodo ſectantes. Hujuſcemodi diſcrimen innuere videntur Philo, Euſebius, atque Sozomenus. Verùm quidquid de tota Fidelium multitudine dicatur, nobis ſat eſt Apoſtolos Monaſticæ vitæ ſubſtantialia obſervaſſe, quod apud Patres indubium eſt. Illi porro per univerſum terrarum Orbem diſperſi hocce vivendi genus & prædicaverunt, & inſti-

Inſtituerunt; quod clare evincitur ex Liturgia S. Jacobi Apoſtoli, atque primi Jeroſolymorum Epiſcopi, ex qua plura excerpſit S. Cyrillus Jeroſolymitanus Antiſtes, ut legere eſt apud Baronium *ad annum* 63. *n.* 17., quamque ut genuinam agnovit Sixtus Senenſis *lib.* 2. *Bibliotheca Sanctæ verbo Jacobus*, utpotequam ut veram, germanamque adoptaverit Proclus Epiſcopus CP. eâque uſum ſit Concilium Trullanum *Can.* 32. adverſus Hæreticos, qui vino ſolummodo in Miſſa utebantur. Porro in laudata Liturgia, quæ refertur *in Bibliot. PP. tom.* 12. orandum eſſe dicitur -- „ Pro iis, qui in Virginitate, & Caſtitate in „ Monaſteriis, ac venerando Connubio de„ gunt. Pro Sanctis Patribus, & fratribus, „ qui in montibus, ſpeluncis, & foramini„ bus terræ decertant, Dominum oremus -- His in aperto eſt ſub illis temporibus Monaſteria extitiſſe, quæ magis, magiſque incrementa ſumpſere.

8 DICES. Eâ tempeſtate, qua Paulus prædicabat, nullus extitit Monachus, ut Chryſoſtomus aperte teſtatur *hom.* 25. *in Epiſt. ad Heb.* -- Neque veſtigium tunc Monachi „ erat, ſed omnia ad Seculares loquebatur -- ergo perperam aſtruitur Apoſtolorum ævo Monachatum extitiſſe.

RESP. Chryſoſtomus clare novit ſub Eccleſiæ primordiis, vivente adhuc Paulo, Monachos fuiſſe: habet namque *hom.* 1. *in Marc.*, quæ legitur *Tom.* 2. *editionis Baſileenſis* -- Sicut Sacerdotum Principes ſunt Apo„ ſtoli, ita Monachorum Princeps Joannes „ Baptiſta -- & *hom.* 17. *in Matth.* -- Vis o „ Monache, eſſe diſcipulus meus? fac quod „ fecit Petrus, Jacobus, & Joannes -- & alibi ſæpe idem reperit; ea propter laudato loco loquitur de Eccleſia Corinthiorum, ſecus de omnibus: explicat namque S. Doctor illud 1. ad Corinth. 5. *Si quis frater nominetur in vobis*, atque dicit de omnibus baptizatis fore intelligendum, quia in illis regionibus Monachatus non erat; ceterum ipſummet Paulum ſtatum habuiſſe votivæ perfectionis habemus ex Auguſtino *lib.* 17. *de Civit. Dei cap.* 4.

Paulus votivam perfectionem professus.

9 INSTABIS. Non eſt ab Apoſtolis repetendum, quod poſt ipſos inſtitutum eſt; ſed Monachatus pluribus Seculis poſt Apoſtolos exordium habuit, teſte S. Hieronymo *Epiſt.* 22. *ad Euſtochium cap.* 15. -- Hujus vitæ „ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & ut „ ad ſuperiora aſcendam, Princeps Joannes „ Baptiſta -- immo advertas oportet, ad ſylvas nonnullos declinaſſe non jam virtutis amore, ſed timore compulſos, ut Tyrannorum effugerent perſecutionem.

Attamen in ipſa luce cæcutiunt Hæretici. Si Hieronymus hujuſce vitæ Principem agnovit Præcurſorem, quomodo ſub Paulo primò efloruit? Equidem, ut ex Evangelio conſtat, dilectos habuit Joannes diſcipulos ſui inſtituti imitatores, unde S. Thomas *in Matth. cap.* 9., habet -- Diſcipuli Joannis „ jejunabant exemplo Magiſtri ſui, qui ma„ gnæ fuit auſteritatis -- & Sophronius *Ser. de laboribus Petri, & Pauli*, ſcribit -- An„ dreas cœlibem ducens vitam, Præcurſoris „ Domini factus eſt diſcipulus -- Quare & jure & meritò dicendum eſt S. Hieronymum non loqui abſolute de primo auctore Monaſtici ſtatus, ſed quoad vitam Anachoreticam; ibi enim triplex Monachorum genus deſcribit, primum Cœnobitarum, Anachoretarum ſecundum, eorum ſcilicet, qui ſoli in Eremis vivunt, tertium Remoboth, nempe illorum, qui ſine Præſide, & regula vivebant; Anachoretarum auctorem facit Paulum, illuſtratorem Antonium; eandem plane diſtinctionem apud Ægyptios extitiſſe deſcribit Caſſianus *Collat.* 18. *cap.* 4. Uterque tamen advertit Anachoretas a Cœnobitis exortos: etenim ſubdit Hieronymus -- Qui & de Cœ„ nobiis exeuntes excepto pane, & ſale ad „ deſerta nihil ferunt amplius -- Alter verò -- „ Qui prius in Cœnobiis inſtituti, jamque „ in activa converſatione perfecti, ſolitudi„ nis elegere ſecreta -- Hoc quovis tempore in Eccleſia ſolemne fuit, ut nullus permitteretur Anachoreticum proſequi inſtitutum, niſi prævie in Cœnobiis probe inſtructus; Concilium CP. III. *Can.* 46. decernit, ut per tres annos prius in Monaſtica diſciplina exerceretur, atque per Epiſcopi examen exquireretur aptitudo, antequam aliquis ad eremiticam vitam tranſiret: S. Sabas decem annorum ſpatium prærequirebat, & S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *lib.* 2. *De Divinis Officiis cap.* 15. triginta annorum; nec abs re, nam Anachoretica inſtitutio ſummum pœnitentiæ rigorem, perfectam rerum omnium abdicationem, atque contemplationis ſpiritum expoſtulat.

Triplex Monachorũ genus.

10 URGEBIS. Cœnobitica vivendi ratio, ut laudati Patres deſcribunt, in eo verſatur, ut plures intra Monaſterii clauſtra ſub obedientia Prælati inſimul degant; ſed hoc primis rei Chriſtianæ Seculis non fuit invenire, Tyrannorum ſævitie omnia impediente, devaſtante, atque comburente; ergo.

RESP. Hujuſmodi argumenti vis apte aliis quoque Catholicæ Religionis ritibus accomodatur, puta Conciliis, Sacrificiorum celebrationi, frequentiæ templorum, orantium cœtui, prædicationi, aliiſque publicis pietatis officiis; ea propter ſicut fervens Fidelium charitas, vel tunc temporis, laudata exercebat opera, ut Eccleſiaſtica referunt monumenta, ita potuit Monachorum fervor ſuum propagare genus, atque præcipuas frequentare obſervantias. Privatas domus, cryptas, ſpeluncas adibant primi, ut communes Religionis ritus ſervarent, eaſdem cur adire non potuere Monachi, ut ſua perfectionis teſtimonia Deo offerrent? & eò potiſſimum quia frequentius primis illis temporibus ſecretiora montium, pluribus diſerta cavernulis eligebant. De Alexandrinis Monachis ex Philone refert Euſebius *lib.* 2. *Eccleſiaſt. Hiſtoriæ cap.* 16. in locis ſolitariis, & hortis a populi conſpectu remotis domicilia ſua collocaſſe. S. Martinus Turonenſis, teſte Severo Sulpitio in ejuſdem vita *cap.* 7. -- Duo„ bus fere extra civitatem millibus Mona„ ſterium ſibi ſtatuit ... Plerique ſaxo ſu„ perjecti montis cavato receptacula ſibi fe„ cerant. Diſcipuli verò octoginta erant -- Epiphanius *Tract. De Expoſitione Fidei Catholica*

Ad secretiora loca confugiebant Monachi.

ſicæ remotioribus in locis tradit fuiſſe Monaſteria : non ergo difficile admodum fuit Tyrannidis exundationem effugere in ſecretioribus locis, & per diverſa, & diſtincta concava latitantibus. Nonne Centuriatores Paulum, alioſque Solitarios viros carpunt, quaſi quod pro evitanda perſecutione ad Eremum convolaverint ? Ipſiſmet igitur ultro fatentibus Hæreticis remota loca apta erant, ne pervia perſecutoribus forent Monachorum receptacula. Verùm ſicut ceſſante perſecutione communis Religionis ritus in dies propagari cœperunt, atque publice celebrari, ita Monachorum inſtitutum adeo crevit, ut populoſi facti ſint montes; unde de ſolo Antonio ſcribit Soxomenus *lib.* 1. *Eccleſiaſt. Hiſt. cap.* 13. -- Quamplurimos habuit diſcipulos, „ viros certe ſpectatiſſimos; quorum alii in „ Ægypto, & Lybia, alii in Palæſtina, Sy- „ ria, & Arabia magnâ gloriâ fuere -- & S. Hieronymus fatetur in unico Thebaidis circuitu decem millia Monachorum, & Monialium viginti millia adinveniſſe. Hine S. Joannes Chryſoſtomus *hom.* 18. *in Matth.* dicere potuit -- Ægyptus innumeris Mona- „ chorum, ac Virginum diſtinguitur, ac il- „ luſtratur habitaculis -- & alibi ſibi complacet, quod ævo ſuo Eccleſia plures haberet Virgines, & Viduas, quam uxoratas : ſub Baſilio nongenta Monachorum millia uno tempore militabant, Ordines ceteri ſub illis initiis in ſummo obſervantiæ ſpiritu, velut vitis fructifera, dilatati ſunt, utique ut ſoli Deo placerent, non jam ut Tyrannorum ſevitiem declinarent.

11 OBJIC. II Seminaria præparatoria ad Eccleſiaſticos Ordines nuſquam credita fuere Religioſorum Monaſteria; atqui ea, quæ primitus Religioſorum nuncupabantur Monaſteria, non alia erant a Seminariis Eccleſiaſtici Ordinis, ut in aperto eſt ex S. Auguſtino *Epiſt.* 76. *ad Aurelium*, & 81. *ad Monachos Inſulæ Caprariæ*; ergo primitus non dabatur verus Monachatus.

Monachi ſeculo abrenunciarent, ut Deo ſervirent.

RESP. Falli, & fallere vult Calvinus. Dubio-procul veteres illi Anachoretæ, & Monachi ad ſolitudinem declinaverunt, ut ſeculo abrenunciarent, atque Deo famularentur, ea pietatis opera peragentes, quæ propriæ animæ profectum ſpectabant. Hinc Euſebius *lib.* 1. *Demonſtrat. Evangelicæ cap.* 8. de Monachorum Inſtituto, habet -- Et ſoli „ divino cultui ex immenſo rerum cœleſtium „ amore addictus -- S. Baſilius *De Inſtit. Monachorum* explicat, cur aliqui ad ſolitudinem accederent -- Qui a communi cum ceteria „ vivendi more receſſerunt, aolmumque „ ſiunt ad divinius quoddam vitæ genus co- „ lunt, & exercent -- S. Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Eliodorum* -- O Deſertum Chriſti floribus „ vernans ! O Solitudo, in qua illi naſcun- „ tur lapides, de quibus in Apocalypſi civi- „ tas magni Regis extruitur ! O Eremus „ familiariùs Deo gaudens ! -- Excellentiora profert S. Auguſtinus *lib.* 8. *Confeſſ. cap.* 6., iidem S. Ambroſius *Epiſt.* 82., & S. Athanaſius *in Præf. ad vitam S. Antonii*, ex quibus compertum fit Monachorum Collegia haud fuiſſe Seminaria Eccleſiaſtici Ordinis.

Monaſteria haud fuere Clericorum Collegia.

Equidem Sanctiſſimi viri Baſilius, Chryſoſtomus,

A

Hieronymus, Gregorius, aliique ex Monachia ad Epiſcopalia aſſumpti, ſatius ducebant perpetuò in Monaſteriis vitam gerere, quam ad Eccleſiaſticos gradus aſcendere; hinc Chryſoſtomum ad Epiſcopatum evocatum, ne Monaſticum desereret inſtitutum, totis viribus contendiſſe novimus, quod & Baſilius fecit; Hieronymus *Epiſt. ad Pammachium* enarrat, ſe taliter Monaſticam vitam adoptaſſe, ut non niſi invitus fuerit a Paulino in Presbyterum conſecratus; Gregorius ad Leandrum ſcribens deflet ſe ad Pontificatum aſſumptum, cum unice in votis haberet perſeverandi in Monachatu; S. Athanaſius Dracontium Monachum Epiſcopatum refugientem

B

inflectere ſtudet exemplo Serapionis, Apollonii, Aghatonis, aliorumque, qui ad Paſtoralem gradum aſſumpti in eodem Monaſticæ vitæ rigore perſeverarunt : non ergo in Clauſtris educabantur Monachi, ut ad Eccleſiaſticos gradus promoverentur; quod clare evincitur ex laudata Epiſtola Auguſtini ad Monachos Inſulæ Caprariæ : ibi namque eiſdem ſuaſor eſt, ut perpetuò in ſuo perſiſtant propoſito, egreſſuri tamen ad inſerviendum Eccleſiæ, cum neceſſitas urgeat -- Vos „ autem fratres exhortamur in Domino, ut „ propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & uſque „ in finem perſevereis, ac ſi quam operam

C

„ veſtram Mater Eccleſia deſideraverit, nec „ elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente „ deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtempe- „ retis Deo, cum manſuetudine portantes „ eum, qui vos regit -- & *in Epiſt.* 76. reprehendit eligere ad Clericales gradus Monachos deſertores Monaſteriorum, quaſi quod malus Monachus foret melior bono Clerico -- „ Nimis dolendum, ſi ad tam ruinoſam ſu- „ perbiam Monachos ſurrigamus, & tam „ gravi contumelia Clericos dignos puta- „ mus, in quorum numero ſumus, cum „ aliquando etiam bonus Monachus vix bo- „ num Clericum faciat -- Perperam igitur

D

aſſeritur Religioſorum Monaſteria fuiſſe Eccleſiaſtici Ordinis Seminaria, ſed id tantummodo colligitur, ſtatum Religioſæ profeſſionis cum Epiſcopali ſtatu compati poſſe, & in uſu fore aſſumendi Monachos ad hujuſmodi munia. Qua de re aptum habemus teſtimonium apud Severum Sulpitium in vita S. Martini *cap.* 7. -- Plures ex his poſtea Epiſcopos „ vidimus. Quæ enim eſſet Civitas, aut „ Eccleſia, quæ non ſe de Martini Monaſte- „ rio cuperet habere Sacerdotes ? -- Taliter itaque proficere debebant Monachi in Clauſtris, quod ad ſtatum Epiſcopalem, qui perfectorum eſt, poſſent aſſumi, quod innuebat

E

S. Hieronymus *Epiſt.* 4. *ad Ruſtic.* -- Ita ergo „ age, & vive in Monaſterio, ut Clericus „ eſſe merearis --

12 DICES. Monachatus ortus eſt ex Collegiis Clericorum in communi viventium; ſed hæc ad Eccleſiaſticos gradus ordinata erant, atque primò ab Auguſtino inſtituta; ergo Monachatus primis temporibus non niſi cœtus erat promovendorum ad Clericalia munia; eſtque recentior communi Clericorum vitâ ab Auguſtino inſtitutâ.

Inſtantia hujuſmodi tria innuit plurimâ eruditione referta, quæque a quibuſdam fuſe evol-

evolvuntur; primum eſt communem Monachorum vitam a Clericalibus Collegiis exortam; hinc diſſidium, qui nam antiquior ſtatus, Regularis ne, an Clericalis; alterum eſt, num S. Auguſtinus ſicut Clericorum Collegia, Ita & Monaſteria inſtituerit? Tertium denique, an Seminaria Clericorum inſtitutorem habuerint Auguſtinum? Egregie laborandum foret, ut veritas innoteſceret; ceterum e re mea non eſt hujuſmodi provinciam excurrere; ſi enim unam partem præ alia propugnarem, in ſuſpicionem devenirem, quare ea impræſentiarum referam, quæ ad revincendos Hæreticos neceſſaria videntur. Itaque prævie ad Seminaria a D. Auguſtino inſtituta veros extitiſſe Monachos invicte probant, quæ ſuperiùs retulimus, quibus conſtat a temporibus Apoſtolorum extitiſſe Monachatum, atque ab iiſdem emanaſſe; indubium eſt Baſilium, Epiphanium, Chryſoſtomum præluſiſſe Auguſtino, & tamen haud inficias ire poſſumus ſub hiſce temporibus Monachos floruiſſe, ut obvia eorum teſtimonia evincunt, quibus addere operæ pretium eſt auctoritates Socratis *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 18., ubi de priſcis Monachis affirmat, quod -- propter diſciplinam Monaſticam, tum propter Apoſtolicam vivendi formam, quam colebant, valde fuere eximii -- S. Ambroſii *Epiſt.* 82. -- In Eccleſia Vercellenſi duo pariter videntur exigi ab Epiſcopo Monaſterii, continentia, & diſciplina Eccleſiæ. Hæc primus in Occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate poſitus, inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate . . . Hæc duo in attentione Chriſtianorum devotione præſentiora eſſe, quis ambigat, Clericorum officia, & inſtituta Monachorum -- S. Auguſtini *lib.* 8. *Confeſſ. cap.* 6. -- Erat enim Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra Urbis Mœnia ſub Ambroſio nutritore -- Porro Monaſterium hocce florebat ante Auguſtini converſionem. Quid plura? Tot ſunt hac ſuper re momenta, ut S. Vincentius Ferrerius *Ser. de S. Dominico* aſſerere non dubitaverit -- Dicunt Clerici, quod ipſi fuerunt, antequam Religioſi; quod non eſt: nam non fuerunt Clerici uſque in diem cœnæ, & tamen prius fuerunt Religioſi, ſcilicet Apoſtoli, qui prædicta voverunt -- quando ſcilicet omnia reliquerunt propter Chriſtum, ut probat S. Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3.

Monachi ante Auguſtini ævum.

Num Auguſtinus Monachorum Cœnobia inſtituerit, varie ab Auctoribus opinatum eſt. Affirmativam ſententiam propugnant P. Magiſter Joannes Marquez *lib. De Origine Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini*; ſicut & P. Euſtachius a S. Ubaldo *Quodlibeto* 1., & 2., nec non *in Appendice ad Quodlibetum de Monachatu S. Auguſtini*, aliique plurimi, eamque ab objectis vindicant. Et ſane cum *Epiſt.* 109. quibuſdam Sanctimonialibus regulam ſcripſerit, ſatis innuitur Monachorum Monaſteriis adjutrices manus ſaltem admoviſſe.

S. Auguſtinum denique Clericorum Collegia ſub quadam communi, ac regulari vivendi forma inſtituiſſe inficiatur Annibal Canalis *Decad. Relig.* contendens S. Cyprianum Regulares Clericos in unum congregaſſe Carthaginis, S. Polycarpum Joniæ, S. Creſcentium apud Galatas; cui adſtipulatur Platus *lib.* 2. *de Religione cap.* 25., ubi Syrum Papiæ, Gaudentium Novariæ, Vercellis Euſebium inſtitutores deſcribit; idem aperte denegat Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 6., qui non jam ab Auguſtino, ſed ab Apoſtolis communem vivendi regulam Clericis traditam refert, atque propugnat ex Bulla, ſeu ex Sententia Pii IV. relata a Navarra *Comment.* 4. *de Regular. n.* 7., & 8. occaſione diſſidii de jure Præcedentiæ Benedictinos inter, & Canonicos Regulares -- Comperto ſatis per eos (*ſcilicet Cardinales*) ex compluribus litteris Apoſtolicis, diverſiſque aliis documentis, rationibus, & probationibus, quod ipſi Canonici fuerunt, & ſunt de illis Clericis a Sancto Auguſtino, quinimmo a Sanctis Apoſtolis inſtitutis &c. -- Oberit etiam *Can. Scimus* 12. *q.* 1. ex Urbano I., qui ante Auguſtinum floruit, ubi vitæ communis Clericorum ſermo habetur. Maxima tamen Auguſtino laus jure, ac meritò debetur, cum dubio-procul ejus ſtudio aucta, & dilatata fuerint Clericorum Seminaria, ſicut etiam quoad perfectionem reſtaurata, quæ collapſa erat communis in Clericis vivendi ratio.

13 OBJIC. III. Quamvis Auguſtini ævo fuerit Monachatus, præſens tamen recens plane eſt, proindeque abominabilis, utpotequi a primo prorſus diſſimilis; quod evincere contendit Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 13. §. 8. 10. 14., & 15. ea referens, quæ Auguſtinus habet *lib. de moribus Eccleſiæ*, & alibi ſæpe; hinc perperam aſſumens, quæ laudatus Doctor ſcribit apud veteres Monachos ſolemne fuiſſe, videlicet, totos ſe ad charitatem accomodaſſe, noſtrates criminatur velut degeneres, quippe charitatis violatores; & primò quidem, quia in propriis Eccleſiis conveniunt erigentes altare contra altare; ſecundò, quia ſicut olim Corinthii damnabiliter dicebant: Ego ſum Pauli, Ego ſum Cephæ &c., ita impræſentiarum dicunt Monachi: Ego ſum Benedectinus, Ego Dominicanus &c.; tertiò, quia minimis licèt ceremoniis quamplurimum deferunt, & ad ſuperſtitionem uſque eligunt cibum, & potum, cum Monachi ab Auguſtino exſcripti liberum ciborum permitterent uſum, in eo potiſſimum intenti, ut chariſmata meliora æmularentur -- Itaque, *ſic impius ille*, quot ſunt hodie Monaſteria, tot eſſe dico Schiſmaticorum conventicula -- Placet alia duo ex *cit. lib. Inſtit.* propriis hæretici verbis ſubdere, prænotando longe aliud olim fuiſſe in Monaſteriis vivendi inſtitutum; humi cubabant Monachi, potus erat aqua, cibus panis, herbæ, & radices, ab omni delitiarum genere, corporiſque cultu alieni -- In moribus quanta ſit diſparitas, quid attinet ſingillatim exponere? Hoc conſtat nullum eſſe hominum ordinem magis omni vitiorum turpitudine inquinatum. Nuſquam magis fervent factiones, odia &c. In paucis quidem Cœnobiis pudice vivitur, ſi

„ pudi-

„ pudicitia vocanda eſt, ubi eatenus repri- „ mitur libido, ne palam ſit infamia -- Hinc concludit ſordidiſſimus homo, quod vix reperitur Monaſterium, quod non lupanar ſit potius, quam caſtitatis ſacrarium.

Calvinus revincitur.

RESP. Nil novi adverſus nos afferunt Novatores. Virus illud per os Calvini, Lutheri, Melancthonis evomit Satanas, quod Manichæi, aliique ejuſdem furfuris homines antiquis objiciebant Monachis. Noſtrum Monachatum a veteri nequaquam diſcriminari eadem evincunt momenta, quæ Calvinus adoptat, caput nempe 31. de moribus Eccleſiæ, quod §. 10. recitat; ibi ſiquidem S. Auguſtinus palam facit ſummam illius profeſſionis, & ſtatus perfectionem ſuam fuiſſe in Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vinculo, itidem in jejuniis, orationibus, & vigiliis, cum hoc diſcrimine, quod prima eſſentialia cenſentur ad Statum Religioſum, alia verò accidentalia: illud porro indubium eſt Monachorum cœtus ad unum omnes prædicta profiteri. In aperto namque eſt neminem Monachis acceuſeri, qui tria vota non emittat, ſicut nullum eſt invenire Inſtitutum, quod quædam jejunia, vigilias, preceſque non præſcribat, ut evidentiſſima inductione patet. Fuit etiam antiquitus inter Monachos diverſitas in habitu, victu, ſolitudine, atque hujuſmodi accidentalibus, ut, aliis omiſſis, deſcribit S. Epiphanius *lib. 3. tom. 2. contra Hæreſes cap. ultimo, De compendiaria vera doctrina de Fide Cathol. Eccl.*--

Accidentale diſcrimen antiquitus inter Monachos.

„ Quidam verò ex ſolitariam vitam degentibus in ipſa Eccleſia, habitant in Civitatibus, aliqui verò in Monaſteriis deſident, & procul ſecedunt . . . Sunt præterea aliæ præminentes vitæ converſationes, quæ in eadem Sancta Catholica Eccleſia ſervantur, eorum, inquam, qui ab omnibus carnibus abſtinent, quadrupedibuſque, & volatilibus, ac piſcibus, ovo item, & caſeo, & alia diverſæ vitæ inſtituta; nam unuſquiſque ſecundùm proprium laborem accipit mercedem. Et quidem ſane abſtinent ab omnibus his; aliqui verò a quadrupedibus ſolùm, volatilibus verò, & reliquis veſcuntur; alii verò a volucribus abſtinent, utuntur autem ovis, & piſcibus; alii neque ovis veſcuntur, alii piſcibus ſolis; alii etiam a piſcibus abſtinent, caſeo verò veſcuntur . . . jam verò adhuc alii etiam a pane abſtinent . . . multi verò etiam humi dormiunt. Alii neque calceamenta induunt, alii ſaccum geſtant occultum . . . plerique verò in pſalmodiis, & aſſiduis Orationibus, lectionibuſque Sacrarum Scripturarum, & ſeceſſibus exercentur -- Varietas autem hujuſmodi Eccleſiam mire exornat, dicente Pſalmiſta Pſal. 44. *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* De diſcrimine Eremitas inter, & Cœnobitas ſermonem habet S. Hieronymus ad Euſtochium, S. Iſidorus *lib. 2. de Officiis cap. 15.*, Caſſianus *Collat.* 18. *cap.* 4. Hinc ad primam Calvinianam illationem dicimus materialem templorum diverſitatem haud ſolvere Chriſti unitatem; alias diſtinctio Parochiarum, Diœceſum, Provinciarum everteret fidei unitatem, communemque Eccleſiæ charitatem. Diſſenſio formalis, videlicet in principiis doctrinæ, in dogmatibus eam diſſolvit, ac ſchiſma facit. Chriſtum quidem diviſerunt Hæretici, diviſit Calvinus, & cum fratribus noluit habitare, dum aliam fidem ſibi finxit.

Qua diverſitas officiat unitati.

Monachi in propriis Eccleſiis ſacra peragebant.

Verùm enim verò perperam dicit Hæreticus antiquos Monachos proprias non habuiſſe Eccleſias, & ſeparatim a turbis Sacramenta non ſumpſiſſe, atque Dei verbum non percepiſſe: Eremitæ namque procul omnino ab Urbibus, & a populi frequentia vivebant, itidem Cœnobitis rara admodum erant Monaſteria in Oppidis conſita; proindeque in privatis eorundem Eccleſiis divina perſolvebant. Hac de re habemus momentum apud Epiphanium *in Epiſt. ad Joannem Epiſcopum Jeroſolymorum*, in qua refert, qualiter Paulinianum S. Hieronymi Fratrem inauguraverit Sacerdotem, ut Monachis in Bethlemitico Cœnobio degentibus Sacramenta miniſtraret, ex quo laudatus Hieronymus licèt Sacerdotio inſignitus ob humilitatem id peragere renuebat. Similiter D. Auguſtinus *lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap.* 31. refert qualiter ſtatis temporibus in unum conveniebant ad audiendum Dei verbum, & Caſſianus *Collat.* 8. *cap.* 15. deſcribit ſpiritualia Monachorum exercitia, quæ in ſejunctis eorundem Conventibus habebantur.

Altera Calvini illatio falsò itidem innititur principio: non enim Corinthiorum ſchiſma in eo verſabatur, quod diverſus Patres, & Magiſtros haberent, ſed in eo quod virtutem ſacræ regenerationis a Miniſtri probitate pendere arbitrabantur, contendentes perfectius Baptiſma a perfectiori Miniſtro ſuſcipi, hinc alii aliis adhærebant; quod ſatis apte colligitur ex ratione, quam ſubdit Apoſtolus: *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Proſequens dein oſtendere Apoſtolos eſſe mere Dei Miniſtros; adeoque Dominum viros elegiſſe indoctos. Prædictam hæreſim reprobant Monachi, Fidei articulos, Dei, & Eccleſiæ mandata invicte propugnant, Apoſtolicam Sedem reverentur, Clericis, & populo communicant, his, quæ omnibus Chriſtifidelibus communia ſunt, per proprias Regulas perfectiora ſuperaddunt; & licèt in quibuſdam inter ſe Religiones diſcriminentur, quælibet tamen eas, quas approbavit Eccleſia, fatetur eſſe bonas, quamvis una præ alia meliora elegiſſe Sanctitatis media recognoſcat; quod ſi quandoque aliqua æmulationis contentio ſuboriatur, hæc eſt ſalvâ fide, & charitate. Itaque ſicut nullum eſt ſchiſma, ex quo Chriſtiani alii dicantur Galli, Hiſpani alii, Germani, Itali, etſi diverſas poſitivas leges civiles, vel Eccleſiaſticas habeant; ita perperam Monachis affingitur ſchiſma, ex quo ex his alii dicantur Benedictini, alii Dominicani ob peculiares vivendi formas.

Nullū ſchiſma inter Monachos.

Tertia illatio undique mendaciis ſcatet: mendacium eſt veteres Monachos minima non adoptaſſe, aut cibos non habuiſſe delectos; putidum mendacium eſt noſtrates majora non ſervare præcepta, aut charitatem parvipendere. Adeat Calvinus ipſum Auguſtinum, quem laudat, videlicet *lib. 1. De mori-*

moribus Eccleſiæ cap. 31., *&* 33. ibique compertum habebit, quæ perfecta vivendi ratio, quæ jejunia, quæ perfectionis momenta vigerent; leget quidem ſuperſtitioſum ciborum delectum reprobatum, diſcet indulgentiam ab ipſomet deſcriptam infirmis, non jam bene valentibus conceſſam; adeat hinc Regulas, & præſcotium Monachorum Conſtitutiones, & eadem plane mirabitur, jejunia nempe, ſolitudinem, publicas preces, orationis ſtudium, aliaque, quæ ab Hæretico deſiderari poſſent; adinveniet ab omnibus, & ſingulis Ordinibus reſpici tanquam finem charitatem, præſuppoſitâ divinorum præceptorum obſervantiâ; utque brevius rem totam abſolvam, quidquid in antiquis Patribus admiratus eſt Chriſtianus Orbis, a recentioribus reſtauratum conſpiciet.

Hæreticorum ſtudium adverſus Monachos.

Quoad ultimum, in quo totus eſt Calvinus, ſicut & Novatores, Religioſorum crimina oratoriâ ampliatione evulgando, triplicem D. Auguſtini propoſitionem placet afferre; prima docet Hæreticos ſtudioſe operam dare, ut alicujus Monachi crimen detegant, ut omnes inde deturpent; ſic *Epiſt.* 137. -- Ad quid enim aliud ſedent iſti, &
„ quid aliud captant, niſi ut quiſquis Epi-
„ ſcopus, vel Clericus Monachus, vel San-
„ ctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe cre-
„ dant, jactent, contendant, ſed non omnes
„ poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi,
„ cum aliqua maritata invenitur adultera,
„ nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant
„ matres ſuas; cum autem de aliquibus, qui
„ ſanctom nomen profitentur, aliquid cri-
„ minis, vel falſi ſonuerit, vel veri patue-
„ rit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de
„ omnibus hoc credatur --

Docet altera non niſi inſipienter reprobari hominum cœtum, ex quo mali quandoque bonis commiſceantur; ſic enim habet Pſal. 132. ad illa verba: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*—
„ Veruntamen chariſſimi ſunt, & qui Mo-
„ nachi falſi ſunt, & nos novimus tales; ſed
„ non perit Fraternitas pia propter eos,
„ qui profitentur, quod non ſunt; tam ſunt
„ enim Monachi falſi, quam & Clerici falſi,
„ & Fideles falſi. Omnia iſta tria genera,
„ Fratres mei, quæ aliquando vobis com-
„ mendavimus, ut puto non ſemel, habent
„ bonos ſuos, habent malos ſuos. De tribus
„ enim iſtis generibus dictum eſt, duo in
„ agro, unus aſſumetur, & unus relinque-
„ tur --

Tertia docet Eccleſiam totis viribus incumbere, ut devios ad ſemitas juſtitiæ ducat; alloquens enim S. Doctor Manichæos *lib. de moribus Eccleſiæ cap.* 34., habet --
„ Nunc vos illud admoneo, ut aliquando
„ Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis,
„ vituperando mores hominum, quos & ipſa
„ condemnat, & quos quotidie tanquam ma-
„ los filios corrigere ſtudet -- Ita deſinant

Acatholici Monachis maledicere, Religioſorum mores execrando, quos regularis diſciplina condemnat, & tanquam malos filios caſtigat, ut in aperto eſt per uſum exhortationum, atque quotidianæ correctionis, paſtoralium viſitationum, & hujuſmodi. Non

Religioſi mali reprobati, & caſtigati.

inficias imus quoſdam non emendari, atque A in peccatis ſordeſcere; verum hac ſuper re egregie dicebat laudatus Auguſtinus *Epiſt.* 137. verſus finem -- Quantumlibet vigilet diſci-
„ plina domus meæ, homo ſum, & inter
„ homines vivo, nec mihi arrogare audeo,
„ ut domus mea ſit melior, quam Arca Noe,
„ ubi tamen inter octo homines reprobus
„ unus inventus eſt, aut melior quam do-
„ mus Abrahæ &c. Simpliciter autem fateor
„ coram Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper ani-
„ mam meam, ex quo Deo ſervire cœpi,
„ quomodo difficile ſum expertus meliores,
„ quam qui in Monaſteriis profecerunt, ita
„ non ſum expertus pejores, quam qui in
B „ Monaſteriis ceciderunt, ita ut hinc arbi-
„ trer in Apocalypſi ſcriptum: Juſtus juſtior
„ fiet, & ſordidus ſordeſcat adhuc -- Quod

inde evenit, quia obcæcantur, divinæ gratiæ refugientes lumen.

Illud tamen indubium eſt, eam peccandi licentiam, quam evulgat Calvinus, haud eſſe in Clauſtris; non enim obcæcati tolerantur; ſiquidem ſi emendari renuunt, vel tanquam membrum putre abſcinduntur, vel Apoſtatæ efficiuntur, & ad Acatholicorum caſtra tranſeunt, apud quos, ut benevole recipiantur, mendaciter iniqua adverſus Religioſum Statum evomunt, unde Monachi C omnes ejuſdem furfuris cenſentur ab Hæreticis. Ultro fatemur ſub temporibus Calvini, & Lutheri plures a Monaſtico Statu turpiter defeciſſe, ſed Calvinum, & Lutherum ſeductores agnoſcunt. Aſt Religioſorum decus non eſt imminutum. Suſcitavit Dominus ſanctiſſimos viros, & mulieres juxta cor ſuum, ut vel novos inſtituerent ordines, vel collapſos perfectiſſime reſtaurarent, quod univerſo, qua late patet, orbi notum eſt.

Exquirere tamen juvat a Calvino, ſi tanti facit antiquam Monachalis Status diſciplinam, ſi illa noſtrorum temporum adeo a recto aberrat, cur zelans zelum legis non D ſtuduit Monachos juxta veterum exemplar excitare? Sed quid a prævaricatore, qui reformationis ſpecie Eccleſiam conatus eſt evertere, foret ſperandum? Dicamus ergo Calviniſtis, quod poſt enarratam ſanctiſſimam Monachorum vitam Manichæis dicebat Auguſtinus *lib. de moribus Eccleſiæ cap.* 31. --
„ Hæc Manichæi reprehendite, ſi poteſtis.
„ Nolite cæcis hominibus, & diſcernere in-
„ validis noſtra oſtentare zizania -- Hinc ad

hujuſce ævi Monachos converſus concludat, verbis *Epiſt.* 137. relatis -- Quapro-
„ pter etſi contriſtamur de aliquibus purga-
„ mentis, conſolamur tamen etiam de plu-
E „ ribus ornamentis. Nolite ergo propter
„ amurcam, quâ oculi veſtri offenduntur,
„ torcularia deteſtari, unde Apotechæ Do-
„ minicæ fructu olei luminoſioris implen-
„ tur --

14 OBJIC. IV. Monachatus, qui anteactæ vitæ noxas delet, qui eum innocentiæ ſtatum tribuit, quem regenerationis lavacrum donat, qui præſtat, ut Monachus de patratis ante Monaſticam vitam non ſit redditurus rationem, quique in eum conſtituit ſtatum, ut ſi quis ſtatim a ſuſcepta Monaſticæ vitæ ratione decedat, in cœlum

alcen-

aſcendat, Monachatus, inquam, hujuſcemodi alius plane eſt ab eo, qui talibus non eſt inſignitus privilegiis; atqui Monachatus noſter hiſce omnibus fruitur privilegiis, ut pleno ore Scholaſtici proclamant, ſecus antiquus, cum de prædictis altum apud Patres habeatur ſilentium; ergo.

RESP. Neg. min. quoad utramque partem; quoad primam rejicitur ad mentem Novatorum: ſupponit namque, quod Pontificii Theologi in eam confluant ſententiam, quod Religioſa Profeſſio quoad dimiſſionem pœnæ, & culpæ *ex opere operato* Baptiſmati æquipolleat, cum Catholici ad unum omnes doceant quidem Baptiſma gratiam conferre, omnemque pœnam delere, ſecus Monaſticam Profeſſionem; id unum propugnant, quod poſito ſtatu gratiæ, atque ſuppoſitâ per contritionem, vel confeſſionem criminum relaxatione, actus ille ſuperexcellens *ex opere operantis* totum deleat temporalis pœnæ reatum; ſi enim eleemoſyna a juſto elargita pro tali reatu ex parte ſatisfacit, cur rerum omnium abdicatio, & abſoluta Deo conſecratio reatum ex toto non extinguet? Sic argumentatur Angelicus 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 3.

Quid præſtet Religioſa Profeſſio.

Negatur ſimiliter minor propoſitio quoad partem alteram; Patres ſiquidem docent per opera ex charitate facta debitam culpæ pœnam deleri, & quidem majorem, quo ea ſunt excellentiora, quo ſenſu S. Hieronymus *Epiſt.* 25. de Bleſilla ſcribit, ſecundo quodammodo ſe baptiſmo laviſſe, quando ante quatuor menſes in Monaſterio ſe recludere propoſuerat; S. Bernardus *Tract. de præcepto, & diſpenſatione cap.* 17. interrogatus, cur Religioſa Profeſſio dicatur baptiſmus, repoſuit, quia cum Chriſto crucifigitur Religioſus, & ſibi, & mundo moritur. Hinc comperium fit Profeſſionem ex ſola operantis diſpoſitione reatum pœnæ delere, & hoc ſenſiſſe Patres, quod perperam negant Novatores.

Quid ſenſerint Patres de Religioſa Profeſſione.

15 OBJIC. V. Monachatus voto adſtrictus eſſentialiter ab eo diſcriminatur, qui voto non ligatur; ſed diſcrimen hocce adinvenitur antiquum inter, & novum Monachorum inſtitutum: habemus enim ex Athanaſio ad Dracontium Eremicolas nullo adſtrictos fuiſſe vinculo — Multi quoque ex Epi„ſcopis matrimonia non inierunt. Mona„chi contra liberorum parentes facti ſunt. „quemadmodum viciſſim Epiſcopos filiorum „Patres, & Monachos generis poteſtatem „non quæſiviſſe animadvertas -- ergo.

RESP. Abutuntur Athanaſio Hæretici; laudato ſiquidem loco de Monachorum voto altum ſilentium; id unum explicat aliquos inveniri ſive inter Monachos, ſive inter Præſules, qui prave vivunt; ceterum alibi, puta *de exhortatione ad Monachos* aperte docet conjugale vinculum fore monaſticæ vitæ impedimentum; & quidem conſone ad S. Cyprianum *Epiſt.* 11., in qua Virginem Deo ſacram, medio voto, inceſtuoſam nuncupat, ſi carnaliter delinquat, ſicut adultera eſt, quæ cum altero jacet viro, eamque ab Eccleſiæ prohibet ingreſſu, & ni pœniteat, graviſſime a Deo puniendam declamat.

Vota in antiquis Monachis.

15 Pleraque omitto, quæ adverſus Monachos, relate ad veteres, evomunt Hæretici, antiqua videlicet Monaſteria fuiſſe habitacula doctiſſimorum virorum, noſtra verò fucorum fore latibula, illa gymnaſia pietatis, hæc (nempe Benedictina) Seminaria ſcholarum ad pueros erudiendos, Benedictum Regna potius, quam Cœnobia reliquiſſe poſteris. Hujuſcemodi namque calumniæ evaneſcunt, tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Tot enim eruditionis, doctrinæque volumina a Religioſis prodiere, ut de mendacio ſatis arguant Hæreticos; qui verò Puerorum in Monaſteriis educationem irrident, a ſana eruditione ſe longe abeſſe ſatis oſtendunt. In iiſdem ſiquidem Cœnobiis a tempore S. Baſilii recipiebantur pueri, ut videre eſt in Regulis fuſiùs diſputatis. *Interrog.* 19. — Cum Do„minus dicat: Sinite parvulos venire ad „me, & Apoſtolus eum laudet, qui ab in„fantia ſacras litteras didiciſſet, prorſus ad „eos, qui ad nos accedunt, admittendos, „nullum ætatis tempus non eſſe idoneum „judicamus, vel ipſius adeo teneræ, atque „ineuntis, ut videlicet, qui orbati paren„tibus ſint, eos noſtra ſponte ipſi aſſuma„mus, & exemplo Job parentes pupillorum „ſimus. Qui autem ſub parentibus ſint, „eos ab ipſis ad nos adductos multis adhi„bitis teſtibus recipiamus . . . Non ii tamen „propterea ad reliquum fratrum corpus ag„gregandi, aut cum his ſimul cenſendi „ſunt, ne videlicet, ſi illi propoſitum ſuum „minus fuerint aſſecuti, eorum poſtea pro„bra in omnes promiſcuè pietatis ſectatores „redundent, ſed educandi illi ſunt cum „omni charitate, non ſecus ac ſi communes „totius Fratrum collegii filii eſſent — & proſequitur tum hunc morem recipiendi pueros commendando, tum tempus decernendo, quo *admittenda eſt Virginitatis profeſſio*. Cur igitur laudabilem hanc, & vetuſtate venerabilem conſuetudinem malè carpunt Novatores? Extant ſimiliter ampla, & quæ regiam ſapiunt magnificentiam Monaſteria; verùm hoc non Monachorum vitio verti debet, ſed Principum potius commendanda pietas, atque liberalitas, qui non jam in profanos, ſed in pios uſus theſauros expendere ſatius judicarunt.

Pueri antiquitus in Monaſteriis educati.

CONTROVERSIA II.

AN CHRISTIANA PERFECTIO PRO STATU VIÆ VIRIBUS GRATIÆ POSSIT ASSEQUI.

16 Haud poſſumus abſque confuſione Religioſi Status naturam proſequi, aut falſa Acatholicorum dogmata adverſus novæ legis perfectionem evellere, niſi termini, quibus res tota innititur, elucidentur, ſtatus nempe, & perfectio. Quoniam verò Apoſtolicæ Sedis judicio inconcuſſa eſt D. Thomæ doctrina, ipſâ præeunte ad utriuſque vocabuli elucidationem deſcendimus.

17 Sta-

17 Status igitur juxta Angelicum Doctorem 2. 2. *q.* 183. *art.* 1. -- Significat quan- „ dam poſitionis differentiam ſecundùm mo- „ dum ſuæ naturæ, quaſi in quadam immo- „ bilitate; eſt enim naturale homini, ut „ caput ejus in ſuperiora tendat, & pedes „ in terra firmentur &c. Membra media „ convenienti ordine diſponantur, quod qui- „ dem non accidit, ſi homo jaceat, vel ſe- „ deat, vel accumbat, ſed ſolùm quando „ erectus ſtat, nec rurſus ſtare dicitur, ſi „ moveatur, ſed quando quieſcit -- ex qua doctrina ſatis innuitur duo neceſſaria fore od conſtituendam rationem ſtatus, de quo impræſentiarum, rei nempe perfectionem quaſi conſummatam in ſuo genere, & linea, & quandam inſimul in eâ immobilitatem, & quietem. De primo occurrit exemplum in naturalibus, tunc enim vivens ſtatum conſecotum fuiſſe dicitur, cum ad terminum incrementi pervenit, qui conſummatam quandam perfectionem in ſuo genere importat; alterum ipſum ſtatus nomen declarat; quæ enim in perpetuo ſunt motu, haud dicuntur ſtatum habere. Status itaque quietem, & immutabilitatem quandam expoſcit -- Unde & circa homines ea, quæ de facili „ circa eos variantur, & extrinſeca ſunt, „ non conſtituunt ſtatum, puta, quod ali- „ quis ſit Dives vel Pauper, in dignitate „ conſtitutus, vel plebejus, vel ſi qoid aliud „ eſt hujuſmodi -- ſic laudatus Doctor *cit. loco*. Status ſub hac intelligentia, ſi homini aptetur, dicitur moralis, & quandam involvit obligationem ex gravi, & permanenti cauſa exortam, prout quis ſui, vel alieni juris eſt in ſpiritualibus, vel politicis, proindeque ſtatus ad libertatem pertinet, vel ſervitutem.

Status dicit immobilitatē, & quietem.

18 Reqoiritur igitur aliqua obligatio; ſtatus ſiquidem moralis moralem exigit firmitatem, quæ ſine obligatiooe ſubſiſtere nequaquam valet: & ratio in aperto eſt; quia ſtatus non jam præciſe actum, vel exercitium dicit, ſed jus quoddam, modumque vivendi; ea propter haud cenſetur quis habere ſtatum ſervitutis, qui aliquando alteri obſequitur, ſed qui ex peculiari debito; debet itidem ex permanenti cauſa oriri; obligatio namque non habens permanentiam nequit eſſe conditio pro firmitate ſtatus neceſſaria; dicitur demum prout quis ſui, vel alieni eſt juris: etenim omnis moralis ſtatus verſatur circa perſonam, quæ vel ſui juris eſt, ideſt, libera, vel juris alterius; quoniam verò jus ſuum, & alienum ſervitutem facit, & libertatem, ideo abſolute dicitur, quod ſtatus ad libertatem, vel ſervitutem pertinet. Hocce in ſpiritualibus compertum ſit; damus communiter duplicem ſtatum, ſcilicet gratiæ, & peccati, ſtatus peccati perperam dicitur libertatis; etenim fractis legum vinculis vult ſibi vivere peccator, quod innuebat Jeremias 2. v. 30. *Rupiſti vincula, fregiſti jugum, dixiſti non ſerviam*: cumque peccatum gratiam auferat ad reſurgendum neceſſariam, demeritorie ex natura ſua immobilem cauſam dicit. Status gratiæ eſt quidem libertatis a peccato, ſed eſt ſervitutis ob legis obligationem, cui ſubditur, immo vult ſubdi juxta illud ad Rom. 6. v. 18. *Liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*, quæ ſervitus nobiliſſima eſt; facit enim amicos Dei: Joan. 15. v. 15. *Jam non dicam vos ſervos; vos autem dixi amicos*: Porro gratia ſanctificans ex ſuis intrinſecis firma eſt, & ſtabilis.

Quæ in motu ſunt, ſtatum non habent.

Status aliut gratiæ, aliu peccati.

In politicis datur ſtatus Virginum, Viduarum, Conjugatorum: duo primi ad libertatem ſpectant; & quia libertas in naturali jure, quod immobile eſt, fundatur, cauſam importat permanentem, hujuſcemodi ſtatum conſtituentem; alter ſervitutem involvit, dicens conjugale vinculum omnino indiſſolubile.

Diverſitas ſtatus in naturalibus.

Laici, Clerici, Monachi ſtatum conſtituunt. Primus relate ad ſequentes cenſetur libertatis, reliqui ſervitutis ob ſubordinationem ad peculiaria onera, & hi cauſam habent permanentem; Clericus namque inauguratur per aliquid indelebile, atque per Sacramentum invariabile; Monachus autem votis adſtringitur, quæ ad obitum uſque firma perſeverant. Sub hiſce quaſi generibus ſtatus alii peculiares adinveniuntur, qui ſuas ſpeciales cauſas permanentes ſortiuntur; propterea jure optimo ſtatus ordinem dicit ad obligationem, vel eam habendi, ut in ſtatu ſervitutis, vel eâ carendi, ut in ſtatu libertatis. Haud inficias imus poſſe quempiam ab uno ad alium ſtatum tranſire, puta a ſtatu Virginali ad Conjugalem; eaque propter dicimus ſtatum quemcunque non omnimodam, ſed aliqualem importare immobilitatem.

19 Status ſervitutis juſtitiæ, & libertatis a peccato, & ſtatus libertatis peccati, & ſervitutis ad Diabolum (qui tunc eſt, cum quis ex habitu inclinatur ad malum, ſicuti alter adinvenitur, quando quis ex habitu ad bonum tendit) humano acquiritur ſtudio, ut habet Apoſtolus ad Rom. 6. v. 16. *Cui exhibetis vos ſervos ad obediendum; ſervi ejus eſtis, cui obediſtis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam*. Quoniam verò in omni humano rerum ſtudio invenire eſt principium, medium, & terminum, ideo conſequens eſt ſtatum ſpiritualis ſervitutis, & libertatis ſecundum tria diſcriminari, videlicet ſecundùm principium, ad quod ſtatus incipientium ſpectat, & medium, ad quod proficentium, & terminum ad quod perfectorum, ut explicat S. Thom. *laud. loco art.* 4.

Status rerum tria dicit.

20 Moralem dilucidavimus ſtatum, præſcindendo a ſtatu vitæ Chriſtianæ, & non Chriſtianæ; impræſentiarum, ut propius ad rem noſtram accedamus, brevi calamo evolvendum ſupereſt, quid ſit ſtatus Chriſtianæ vitæ. Compertum eſt in Eccleſia aliquid haberi commune cum cœtibus infidelium, politiam, nempe, ad pacis, bonorumque temporalium conſervationem ordinatam, & de ſtatu hominis Chriſtiani quantum ad hoc non recurrit ſermo, ſicut neque ſecundum Eccleſiaſticam hierarchiam; & licèt Eccleſia in militantem dividatur, & triumphantem, de illa tantummodo nunc agimus: hæc igitur importat ſtatum viæ in æternam beatitudinem tendentis, mediâ fide, boniſque operibus, atque in idem redit cum

ſtatu

Digitized by Google

ſtatu Chriſtianæ vitæ, qui in eo conſiſtit, ut quædam ſit profeſſio, moduſque tendendi ad acquirendum cœleſtis remunerationis bravium. Status hujuſcemodi maximam habet firmitatem, cum & fundetur ſupra Chriſti petram, & in ſingulis initietur per fidem, quæ validiſſimis innitur fundamentis, tum in charactere baptiſmatis, per quod profitetur fidelis in eo ad mortem uſque perſeverare. Hæc quoad ſtatum.

Deſcribitur perfectio.

21 Nunc quoad terminum alium: perfectio itaque a S. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. ſequentibus deſcribitur -- Unumquodque dicitur eſſe perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui eſt ultima rei perfectio -- Unde conſecutio proprii finis perfectio rei dicenda erit; eaque propter perfectio vitæ Chriſtianæ pro hoc ſtatu illud erit, per quod homo Deo, qui humanæ mentis finis ultimus, atque beatitudo eſt, unitur. Porro charitas hoc præſtat, dicente Joanne cap. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ideoque docet Apoſtolus ad Coloſs. 3. v. 24. *Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis*: hinc charitas dicitur finis præcepti, quia præcepta omnia ad charitatem ordinantur, & cum & ipſa ad Deum dirigatur, cadit ſub præcepto: ex his ſatis apparet perfectionem ſimpliciter, & eſſentialiter verſari inter dilectionem Dei, & proximi, ut teſtatur Scriptura Matth. 22. v. 40. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ.*

Eſt & perfectio, quæ ex aliis virtutibus coaleſcit; verùm hæc non eſt ſimpliciter dicenda perfectio; ſicut perfectio eſſentialis animalis ſita eſt in diſpoſitione membrorum, aliorumque, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, cetera extrinſecus adjacent, puta albedo, vel nigredo. Vitam itaque Chriſtianam charitas facit, dicente Joanne Epiſt. 1. cap. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.*

Virtus hæc adeo perfecta ſibi oppoſita habet impedimenta, per quæ deſtrui poteſt; quare neceſſaria eſt præceptorum adimpletio, per quam charitas deperdita reparetur, & reparata conſervetur; ex quo illud habetur effatum, perfectionem conſiſtere in præceptis. Præcitata autem impedimenta inter ſe diſcriminantur, nonnulla ſiquidem charitati non adverſantur, ſed ipſius actui, hoc eſt, retardando ejuſdem perfectionem, inter hæc recenſentur propria libertas, terrenarum rerum uſus, ſicut & matrimonialis converſatio; removentur iſta per obſervantiam conſiliorum, quæ ſi ſolemniter ſint profeſſa, ſtatum conſtituunt; hinc duplicem ſtatum perfectionis habemus alium communem, & eſſentialem, ſpecialem, & inſtrumentalem alterum; convenit ille Chriſtianis omnibus, qui in ſacro regenerationis lavacro præceptorum obſervantiam per ordinem ad æternam felicitatem profitentur, alter ſolos Monachos, atque Antiſtites afficit, qui præter præcepta adoptarunt Evangelica Conſilia, modo infra explicando, & licèt uterque ſit verus perfectionis ſtatus, ſecundus tamen hanc ſolummodo ſortitur nomenclaturam; hinc colligere fas eſt quempiam eſſe poſſe in ſtatu perfectionis, quin ſit perfectus, ut malus Monachus, ſicut & alterum perfectum fore, etſi extra perfectionis ſtatum, ut Laicum, qui rite, ſancteque vivat.

Impedimenta, quæ perfectioni obſtant.

22 His prælibatis deſcendimus ad examen Catholicæ veritatis, unde doctrina perfectionis magis enucleabitur. Quæ de ſtatu perfectionis ſive communis, ſive peculiaris dedimus, variis obnubilantur erroribus, quos operæ pretium erit ordine quodam evellere. Quoniam verò communis perfectionis ſtatus eſt primarius, & ſubſtantialis, e recta methodo eſt, ut dogmata, quæ ad ipſum ſpectant, primitus dilucidemus, acturi poſtmodum de his, quæ ſpecialem ſtatum reſpiciunt. Diximus Chriſtianæ vitæ perfectionem charitatem, atque mandatorum obſervantiam involvere: ſtatum hujuſcemodi conſequi poſſe plerique ex Hæreticis inficiantur, quatenus legem Dei, & potiſſimùm quoad dilectionis præceptum, haud adimpleri poſſe proclamant. Lutherus *in reſp. ad Dialogum Sylveſtri Prieratis* -- Peſſime facis, quod negas Salvatorem impoſſibilia juſſiſſe: pluſquam peſſime facis, quod hoc falſitatem audes appellare. Non poſſumus in hac vita mandata Dei implere -- Calvinus *lib.* 2. *Inſtit. cap.* 7. -- Sit extra Controverſiam; impoſſibile eſſe in hac carne legis implementum -- His concinit Bucerus *lib. de Concordantia Controverſiarum tit. de Juſtificatione*, Melancthon, aliique ex Novatoribus, quem errorem a Manichæis didiciſſe poſſumus affirmare. Catholica Eccleſia ex adverſo propugnat mandata Dei poſſibilia fore, & communem perfectionis ſtatum viribus gratiæ in hac vita aſſequi poſſe. Sub hiſce terminis ab Heterodoxis Controverſia proponitur, adeoque ſub iiſdem examinatur.

Lex Dei obſervari poteſt.

Dicendum itaque Chriſtianam perfectionem pro ſtatu viæ viribus gratiæ aſſequi poſſe.

23 PROB. I. Status ille in hac vita haberi valet, qui nobis a Chriſto, ut conſequendus proponitur, ad quem nos provocat, immo ut amplectatur, præcepto adſtringit; atqui Chriſtus proponit, immo præcipit ſtatum perfectionis ut conſequendum, amplectandumque in hac vita; ergo &c. Minor propoſitio evincitur. Matth. 5. legitur: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: *Eſtote*, inquit Chriſtus, de præſenti, ut compertum habeamus nos pro ſtatu viæ invitari ad perfectionem; quod jam innuebat Gen. 17. v. 1. *Ambula coram me, & eſto perfectus*; etenim ambulatio coram Deo non niſi in via adinvenitur, dicente Apoſtolo 2. ad Corinth. 5. v. 7. *Per fidem enim ambulamus*: porro ſi proponitur ut conſequenda talis perfectio, haud cenſenda eſt impoſſibilis; cum naturæ lumine innoteſcat Deum non poſſe ad impoſſibilia nos invitare; hoc namque proprium eſt irriſoris, & inſipientis Magiſtri.

Dei perfectio imitanda.

24 DICES. Locus hic oppoſitum ſuadet; præcipitur ſiquidem, ut perfecti ſimus, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt, quod ſane impoſſibile fore nemo unus eſt, qui non videat, cum eadem voluntas, & natura in Deo, ac Creaturis eſſe deberet.

Verùm audiamus Auguſtinum, qui rem plane dilucidat. *Libro igitur* 2. *contra Maxi-*

tainum

minum cap. 12. , habet — Non enim
„ quia dicit : eſtote ergo & vos perfecti ,
„ ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt ,
„ vult illos Deo , naturæ unitate conjungere ,
„ tanquam illorum , & illius una , eadem-
„ que natura ſit , ſed perfectos vult eſſe in
„ natura ſua , ſicut Deus eſt perfectus in
„ ſua , quamvis diverſa , non una ; quod niſi
„ in ipſo ſimus , omnino eſſe non poſſumus --
Porro per charitatem ſumus in Deo : *Qui ma-
net in charitate , in Deo manet , & Deus in
eo* . Eundem textum explicat S. Doctor *de
Ser. Domini in monte lib.* 1. *cap.* 21. -- Ita ta-
„ men ut Deus intelligatur perfectus tan-
„ quam Deus , & anima perfecta tanquam
„ anima -- Ille ſcilicet per ſanctitatem in-
creatam , iſta per creatam . Auguſtino con-
cinit S. Thomas in hunc locum -- Eſtote
„ perfecti in charitate Dei , & proximi ; ſicut
„ Pater veſter cœleſtis perfectus eſt : *Sicut*
„ imitationem notat , non æqualitatem ;
„ quaſi dicat ; hoc , quod dixi , faciatis , ut
„ mereamini eſſe filii Patris cœleſtis per
„ adoptionis gratiam -- Hinc explicat per-
fectionem tum viæ , tum patriæ , & de utra-
que diſerte loquitur .

Perfectio Creaturæ per imitationem perfectionis divinæ.

25 PROB. II. Chriſtianæ vitæ perfe-
ctio ſita eſt in dilectione per obſervantiam
mandatorum ; ſed mandatorum obſervantia
haberi poteſt in via ; ergo etiam Chriſtiana
perfectio Prob. min. Abſurdum eſt dicere
neminem poſſe in hoc viatoris ſtatu fore
Chriſti diſcipulum ; cum e re Chriſtiana ſit
nervis omnibus ad hoc conari ; ſed qui
Chriſti diſcipulus eſt , divinæ legis ſervat
mandata : etenim Joan. 13. v. 35 legitur .
*In hoc cognoſcent omnes , quia diſcipuli mei
eſtis , ſi dilectionem habueritis ad invicem* ;
proximi autem dilectio mandatorum infert
adimpletionem , dicente Apoſtolo ad Rom. 13.
v. 8. *Qui diligit proximum , legem implevit* ;
& ad Galat. 5. v. 14. *Lex in uno ſermone
impletur : Diliges proximum tuum , ſicut te
ipſum* ; & Joan. 15. v. 14. *Vos amici mei
eſtis , ſi feceritis , quæ ego præcipio vobis* . Po-
tiſſimum igitur diſcipulorum Chriſti inſigne
non aliud eſt , quam dilectio proximi , quæ
ſane abſque mandatorum obſervantia adinve-
niri nequaquam poteſt , ut mox vidimus .

Proximi dilectio obſervantiam involvit mandatorum.

26 Dicit Melancthon *in loco comm. de
adimpletione legis* proximum quidem diligi
poſſe , ſed perperam inferri ex hoc legem
impleri . Stultum quippe eſt ſomniare , pro-
ximi dilectionem hominem juſtificare , atque
divinæ legi facere ſatis .

Quam impie loquatur Hæreticus , abunde
compertum fit , ex quo , data ſolutione ,
Deum ; qui clare adeo aſtruit per dilectio-
nem proximi legem impleri , mendacem fa-
cit . Proximi dilectionem vere juſtificare
declarat Joannes Epiſt. 1. cap. 3. v. 14.
*Tranſlati ſumus de morte ad vitam , quoniam
diligimus fratres* ; & Apoſtolus *ad Rom.* 13.
per inductionem egregie oſtendit per dile-
ctionem proximi legem adimpleri : etenim
qui proximum diligit , nil mali adverſus eum
intentat , ut dicit 1. *ad Corinth.* 13. , atqui
omne legis mandatum nil aliud involvit , niſi
ut a malo abſtineamus ; ergo . Utque res cla-
reſcat , notandum occurrit , quod in ſincera

Dilectio proximi juſtificat.

proximi dilectione dilectio Dei importatur ,
A tanquam cauſa in effectu : 1. Joan. 4 v. 21.
*Et hoc mandatum habemus a Deo , ut qui di-
ligit Deum , diligat & fratrem ſuum* ; & ex
adverſo dilectio proximi involvitur in Dei
dilectione , ſicut effectus in cauſa ; ea pro-
pter *ibidem v.* 20. habetur : *Si quis dixerit ,
quoniam diligo Deum , & fratrem ſuum ode-
rit : mendax eſt* . Videatur S. Thomas in
laudatum *caput* 13. *ad Rom.* , qui apte rem
totam explicat . Concludit dein Apoſtolus
ibid. v. 20. *Plenitudo ergo legis , dilectio* , ideſt
lex impletur , & perficitur per dilectionem .

27 PROB. III. Quod noſtri juris eſt ,
& facili negotio conſequi poteſt , haud im-
B poſſibile cenſendum eſt ; ſed totius legis ob-
ſervatio , in qua Chriſtianæ vitæ perfectio
ſita eſt , adjuvante gratia , eſt noſtri juris ,
& de facili conſequi valet ; ergo poſſibilis eſt
ejuſdem conſecutio . Minorem habemus Ec-
cleſiaſtici 15. v. 16. , & ſeqq. *Si volueris
mandata ſervare , conſervabunt te . . Appo-
ſuit tibi aquam , & ignem , ad quod volueris ,
porrige manum tuam . Ante hominem vita , &
mors , bonum , & malum , quod placuerit
ei , dabitur illi* . Nequit ſane clariùs demon-
ſtrari poſſibilitas , atque facilitas pro libito
legem adimplendi . Veteri novum conſonat
teſtamentum . Matth. 11. v. 30. *Jugum meum
C ſuave eſt , & onus meum leve* . 1. Joan. 5.
v. 3. *Et mandata ejus gravia non ſunt* . Si
non ſunt gravia , de facili adimpleri pote-
runt , atque adeo haud impoſſibilia cenſenda
ſunt , quod aperte jam declaraverat Pſalmiſta
Pſal. 118. v. 32. *Viam mandatorum tuorum
cucurri , cum dilataſti cor meum* ; non eſt
utique impoſſibilis , immo nec aſpera , &
difficilis via , quæ celeri conficitur curſu ; &
meritò ſane ; etenim per cordis dilatatio-
nem , medio ſpiritu charitatis , ardua quæ-
que nullo negotio , moleſtiàve abſolvuntur .
Spiritum charitatis hoc præſtare poſſe , infra
palam fiet ex Patribus .

Chriſtiana perfectio noſtri juris eſt.

D 28 Dicit Calvinus in Antidoto Con-
cilii Tridentini , ideo legem Dei non eſſe
gravem , quia juſtis non imputatur pravari-
catio , teſte namque Apoſtolo ad Galat. 3.
v. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto le-
gis* , & ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc
damnationis eſt iis , qui ſunt in Chriſto Jeſu* .

Scripturis abutitur Calvinus , vel enim
illa non imputatio legis obligationem tollit ,
vel tollit peccati reatum , qui media tranſ-
greſſione incurritur : ſi primum , jam ratio
legis , & oneris qualitas deſtruitur , propte-
reaque Dei mandatum non erit grave jugum ;
ſi verò ſolummodo ſolvat reatum prævarica-
E tionis , tunc lex erit graviſſima , quippequæ
ita premit , ut ponderi ſuccumbat fidelis , li-
cèt poſt lapſum Deum habeat ſublevantem .
Ceterum in ſuperiùs laudatis Scripturis duo
adinveniuntur , unum quod lex Chriſti onus
ſit , atque jugum , aliud quod non jam gra-
ve , ſed ſuave , & leve ; aliàs loca , quibus
abutuntur Hæretici nobis favent , eoſdemque
redarguunt ; ſiquidem maledictum illud , a
quo nos Deus liberavit , non eſt abſolutio a
lege , vel legis impoſſibilitas , ſed potius ibi-
dem legis adimplementum firmatur , ejuſ-
demque poſſibilis executio : dicitur namque
ad

ad Galat. 3. v. 10. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea . . . Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, vivet in illis*. Maledictum igitur, a quo nos Chriſtus liberavit, non aliud erat, niſi quia lex vetus, ejuſdemque opera non juſtificabant, ſed fides Chriſti ad hoc vim præſtabat, nec lex illa robur conferebat ad mandatorum obſervantiam; impræſentiarum verò Chriſti gratia, atque opera legis juſtificant, vireſque præbent ad legis adimplementum, quod prævidit Ezechiel cap. 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis*. In aperto itaque eſt in lege gratiæ non dari exemptionem a lege, aut impoſſibilitatem mandatorum, ſed potius ſpiritum adimplendi legem. Alter itidem textus nobis arridet: docet namque Apoſtolus duplicem dari legem, aliam carnis, ſpiritus aliam; qui vitam ſecundùm hanc inſtituunt, nihil habent damnationis: porro Chriſtus hujuſcemodi dedit legem, quæ in mandatorum obſervantia per ſpiritum charitatis ſita eſt. Hanc doctrinam habes ex Patribus, & S. Auguſtinus pluribus in locis eam verſat, ut videre eſt in explanatione utriuſque textus, quam tradit S. Doctor.

Chriſtus a legis maledicto liberavit per gratiam.

29 PROB. IV. Reprobanda eſt doctrina, quæ Chriſti adventum in ſalutem populorum irritum facit; ſed hujuſmodi eſt doctrina, quæ præcepta aſtruit impoſſibilia; ergo. Minor clareſcet. Ad Rom. 8. *Chriſtus paſſus eſt, ut juſtificatio legis impleretur in nobis*; venit Chriſtus, ut nos erudiret ad orandum mediis petitionibus Dominicæ Orationis, eas inter una eſt, quâ præceptorum adimplementum expoſcimus Matth. 6. v. 10 *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*; & ad Heb. 5. v. 9. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ*; 1. Joan. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*; atqui ſi lex nequiret impleri, non poſſet dari juſtificatio; ſiquidem *factores legis juſtificabuntur*; ad Rom. 2. v. 13., nec fieri poſſet voluntas Dei in terra, ſicut in cœlo; Angeli namque Dei voluntatem quovis tempore faciunt, ejus mandata exequendo, nulla itidem Chriſto præſtaretur obedientia, eaque propter nobis non foret cauſa ſalutis; non enim intelligitur obedientia, ubi lex non impletur, nec opera Diaboli, nempe peccata, diſſolverentur; quia omnis peccator legis prævaricator eſt; ergo Chriſti adventus plane irritus foret.

Chriſtus in ſalutem populorum.

30 Dicunt Novatores Chriſti adventum haud irritum fore; ſiquidem juſtorum opera, etiam ſi peccata ſint, placita tamen ſunt Deo Patri propter ipſummet Chriſtum, cui per fidem reconciliati ſumus.

Verùm, quis hoſce blaſphemos non execretur? Et primo quidem: nil ſolemnius in Scripturis, quam Deum odio habere peccatum, peccatum Deo diſplicere; & jure & meritò cum peccatum ab intrinſeco, atque eſſentiali conceptu Dei offenſa ſit; quod autem talis eſt naturæ, quonam pacto Deo placere valet? II. Compertum eſt Chriſtum veniſſe, ut peccatorum purgationem faceret. Clamat enim Præcurſor: *Ecce qui tollit peccata mundi*; aſt ſi per Chriſtum Deo placerent peccata, ſcelerum Patronus evaſiſſet, eorumque promotor; ergo. III. Notum eſt in opere Redemptionis nil ultra ſanctitatis poſſe deſiderari; ſed ſi Proteſtantibus credendum foret, jam fuiſſet opus omni impietate refertum, utpote quod ordinatum fini, quod rationi adverſatur, videlicet, ut Deo peccata placerent. Addas velim implicare reconciliationem a Chriſto factam abſque mundatione a peccatis; etenim cur lavacrum regenerationis inſtituit, ut homines a peccatis expurgarentur? cur dedit verbum ſanctificationis, ut dimitterentur crimina? cur prædicavit Dominus pœnitentiam, ut abſolutionem a noxis obtinerent? Quid plura? Adeo exorbitat Hæreticorum ſolutio, ut totam ſuſdeque vertat Scripturam, atque lumen rationis obtegat.

Peccatum nunquam Deo placere poteſt.

31 PROB. V. Deus ſinceriſſima voluntate ad ſalutem neceſſaria diſpoſuit, atque abunde humanæ providit infirmitati, ut palam faciunt Scripturæ; Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei*? Eccl. 18. v. 9. *Et effudit ſuper eos miſericordiam ſuam*: Pſal. 144. v. 9. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*; & Pſal. 62. v. 6. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*; Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alis*; Joan. 3. v. 36. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret*; ad Rom. 5. v. 20. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit, & gratia*; his indubie donorum affluentia, & auxiliorum frequentia declaratur, quæ hominibus elargitur Deus, ut ſalutem conſequantur; ſed cum hac ſincera voluntate, atque ſuperexcellenti bonitate non compatitur impoſſibilia dediſſe præcepta, tanquam media ad ſalutem neceſſaria; ergo. Et ſane ſævitiem ſaperet hujuſmodi providentia, quæ ſub comminatione æternæ damnationis mandatorum obſervantiam præciperet, cum aliàs impoſſibile foret ea adimplere.

Sincera Dei voluntas ſalvandi homines.

32 DICES, Chriſtum pro nobis adimplere mandata, cujus obſervantia per fidem nobis imputatur.

Sed inane eſt effugium; etenim præter fidei præceptum, alia quoque ſervanda nobis dedit Dominus: Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Nobis dictum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum. Non occides. Non furaberis &c.*, hæcque ut adimplenda proponuntur. Apoſtolus æternam ſperabat felicitatem, quia affirmare non dubitabat 2. ad Timoth. 4. v. 7., & ſeq. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus*. Diligentibus itaque, certantibus præmium datur. Matth. 11. v. 12. dicitur: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Verùm quomodo rapitur, ſi nobis vim nullam facimus per obſervantiam mandatorum? Itidem cur exprobamur, ſi præcepta tranſgrediendo a ſemitis juſtitiæ declinamus? Jerem. 2. v. 12.,

&

& ſeq. *Obſtupeſcite cœli , & portæ ejus deſolamini vehementer ; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* . Iſai. 1. v. 2. *Audite cœli , auribus percipe terra , quoniam Dominus locutus eſt . Filios enutrivi , & exaltavi ; ipſi autem ſpreverunt me* . Fruſtra ſane conquereretur Deus de contemptu per peccatum , ſi mandata hominibus impoſſibilia forent . A

Dominus juſte exprobat peccatores.

33 PROB. VI. A ratione alienum eſt aſſerere humanum Legislatorem præ Divino, *per quem Reges regnant , & legum conditores juſta decernunt* , majoris prudentiæ , diſcretionis , & juſtitiæ dote inſignitum ; ſed nullus Legislator humanus præcipit impoſſibile , immo ſi id intentaret , lex nulla foret. Hinc judex in humanis nuſquam gravi pœna eum mulctat , qui id peragit , quod evitare non potuit ; qua igitur pervicacia affirmari poteſt , Deum impoſſibilia præcepiſſe , atque graviſſimis punire ſuppliciis hujuſmodi legis tranſgreſſores ? B

Impoſſibile nequit præcipi.

34 Dicit Kemnitius politicam juſtitiam , quæ docet impoſſibile non fore præcipiendum , haud habere locum in ordine ſupernaturali .

Sed cæcutiunt in meridie Novatores , non enim præciſe humana juſtitia hoc dictat, verùm etiam naturæ lumen : etenim ſicut poteſtas , quæ in humanis habetur divinæ poteſtatis participium eſt , ita honeſtas , juſtitia , & rectitudo humanarum legum a divina lege derivare ad unum omnes fateantur oportet . His adde naturale inſimul , & ſupernaturale lumen aperte declarare Deum eſſe ſapientem , juſtum , rectum , prudentem, & miſericordem ; quâ ergo audaciâ affirmare quis poterit ab ipſo conditam legem , quæ obſervari non poſſit ; cum hoc laudatis adverſetur prædicatis ? C

Hominem juſtificari ultro admittunt adverſarii , cumque juſtificati ex Deo nati ſint , dicente Joanne cap. 1. v. 13. *Qui non ex ſanguinibus , neque ex voluntate carnis , neque ex voluntate viri , ſed ex Deo nati ſunt,* fas eſt legem adimpleviſſe ; ſcriptum eſt enim 1. Joan. 3. v. 9. *Qui ex Deo natus eſt , peccatum non facit , quoniam ſemen ipſius in eo manet , & non poteſt peccare , quoniam ex Deo natus eſt* , quia , ut explicat S. Thomas *ibid.* gratiam habet ad evitandum peccatum , & quandiu eâ utitur , non peccat : porro qui non peccat , legem adimplet ; ideoque in juſtis illud completur Pauli , quod adverſus eos non eſt lex : ad Galat. 5. v. 18. *Si ſpiritu ducimini , non eſtis ſub lege* , & ad Rom. 8. v. 2. *Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati , & mortis* ; hoc eſt , Spiritus Sanctus in juſtorum cordibus diffuſus præſtat , ut adimplendo legem , lex eos non accuſet ; & meritò ſane , ſiquidem *Fructus ſpiritus eſt charitas , gaudium , pax , patientia , benignitas , bonitas , longanimitas , manſuetudo , fides , modeſtia , continentia , caſtitas* . Ad Galatas 5. v. 22. D E

Juſtificati ex Deo ſunt nati.

35 PROB. VII. Scripturæ ſive veteris , ſive novi teſtamenti nos docent plures legem adimpleviſſe ; ergo perperam , & non niſi impie aſtruitur legis præcepta eſſe impoſſibilia . Ant. habetur Gen. 6. v. 9. *Noe vir juſtus , atque perfectus fuit in generationibus ſuis , cum Deo ambulavit* . Job. 1. v. 1. de ipſo dicitur : *Erat vir ille ſimplex , & rectus , ac timens Deum , & recedens a malo.* De David innumera pene habentur teſtimonia . 3. Reg. 14. v. 8. Deus per Prophetam Ahſam ſermonem dirigens ad Jeroboam dicit : *Non fuiſti ſicut ſervus meus David , qui cuſtodivit mandata mea , & ſecutus eſt me in toto corde ſuo , faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo* . Pſal. 118. v. 128. *Ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui*; & alibi ſæpe . 4. Reg. 20. v. 3. Ezechias orans dicebat : *Obſecro , Domine , memento quæſo quomodo ambulaverim coram te in veritate , & in corde perfecto , & quod placitum eſt , coram te fecerim* . His nonnulla addere placet ex nova lege : Luc. 1. v. 6. de Zacharia , & Eliſabeth dicitur : *Erant autem juſti ambo ante Deum , incedentes in omnibus mandatis , & juſtificationibus Domini ſine querela* . Matth. 19. v. 20. *Omnia hæc cuſtodivi a juventute mea* ; hic eſt ſermo de mandatorum obſervantia . Joan. 17. v. 6. de Apoſtolis dicitur . *Tui erant , & mihi eos dediſti , & ſermonem meum ſervaverunt* . Quid clariùs ad revincendam Novatorum pervicaciam ? Et ſane nemo unus negare poteſt Dominum promiſiſſe collaturum , quæcunque rite ab ipſo expeterentur , potiſſimum ad ſalutem neceſſaria ; atqui ſcripturis erudimur petere legis adimplementum : Pſal. 118. v. 80. *Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis* , & v. 133. *Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injuſtitia* ; ergo petentibus dabit Deus gratiam legem adimplendi .

Plures obſervatores legis.

36 Doctrinam hujuſcemodi Patres ad unum omnes adoptant . S. Athanaſius de interpretatione Pſalmorum ad Marcellinum -- Ut & alibi dictum eſt , pœnitentiam agen„ dam eſſe , & pœnitentiam eſſe a peccatis „ deſinere -- ergo homo ceſſare poteſt a peccatis ; ſed hoc non aliter , quàm ſervando præcepta ; ergo . Chryſoſtomus *hom. 8. de Pœnit. circa medium* -- Nequaquam Domi„ num incuſes ; haud mandat impoſſibilia . „ Multi & ipſa ſuperant mandata -- & *hom. 16.* -- Non potes enim dicere , non „ poſſum ; nec accuſare potes conditorem . „ Si enim impotentes nos fecit , & deinde „ imperavit , culpa ejus eſt -- S. Hilarius in illud Pſalmi : *Latum mandatum tuum nimis* -- „ Latum mandatum Dei eſt , & in omnia „ ſpei noſtræ genera diffunditur , ut non „ difficile ſit , ſi voluntas adſit , præcepto „ Domini obtemperare -- S. Hieronymus *lib. 3. adverſus Pelagianos ſub initio* -- Deus „ poſſibilia mandavit , hoc nulli dubium eſt -- & in cap. 5. Matth. -- Sciendum eſt ergo „ Chriſtum non impoſſibilia præcipere , ſed „ perfecta , quæ fecit David -- S. Ambroſius exponens illud : *Erant ambo juſti* lib. 1. in Lucam , habet -- Cum Eccleſia ex gentibus , „ hoc eſt , peccatoribus congregata ſit , quo„ modo ex maculatis immaculata poteſt eſſe , „ niſi primò per Dei gratiam , quod abluta „ a delicto ſit ; deinde quod per qualitatem „ non peccandi abſtinet a delictis ? Ita nec „ ab initio immaculata (humanæ enim hoc „ im-

„ impoſſibile naturæ) ſed per Dei gratiam, „ & qualitatem ſui, quia jam non peccat, „ fit ut immaculata videatur -- S. Auguſtinus *lib. de natura, & gratia cap.* 43. -- Non „ igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, „ & petere, quod non poſſis -- Ejuſdem labii ſunt ceteri Patres, qui conſone ad Scripturas ſermonem habent de hominibus concupiſcentiam habentibus; proindeque ſtatus, in quo concupiſcentia viget, nec mandatorum impoſſibilitatem involvit, nec juſtorum opera efficit peccaminoſa; ea propter concupiſcentia tantummodo dicitur peccatum, quia ex peccato eſt, & ad id quod eſt materiale peccati, inclinat. Sentiebat Apoſtolus eam velut legem in membris repugnantem legi mentis, & tamen ſerviebat legi mentis, & legi condelectabatur; hoc eſt legis obſervantia.

Concupiſcentia non eſt peccatum.

ACATHOLICORUM ARGUMENTIS FIT SATIS.

37 OBJIC. I. Totius legis complementum ex adimpletione præcepti charitatis dependet; ea propter in Scripturis præcepto dilectionis reliqua addi ſuevere præcepta; ſed hujuſcemodi præceptum adimpleri nequaquam poteſt; ſiquidem ei non fit ſatis, niſi ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, ideſt, omni niſu, omnique momento ſolus diligatur Deus, nihilque aliud ametur, quod ſane impoſſibile fore nemo unus ſuſpicari valet; ergo.

Angelicus ſolvit argumentum 2. 2. *q.* 184. *a.* 2. in corpore aureâ hac doctrinâ -- „ Poteſt ergo triplex perfectio conſiderari: „ una quidem abſoluta, quæ attenditur non „ ſolum ſecundùm totalitatem ex parte diligentis, ſed etiam ex parte diligibilis, prout „ ſcilicet Deus tantùm diligitur, quantùm „ diligibilis eſt, & talis perfectio non eſt „ poſſibilis alicui creaturæ, ſed competit ſoli „ Deo, in quo bonum integraliter, & eſſentialiter invenitur; alia autem eſt perfectio, quæ attenditur ſecundùm totalitatem „ abſolutam ex parte diligentis, prout ſcilicet affectus ſecundùm totum ſuum poſſe „ ſemper actualiter tendit in Deum, & talis „ perfectio non eſt poſſibilis in via, ſed erit „ in patria; tertia autem eſt perfectio, quæ „ nec attenditur ſecundùm totalitatem ex „ parte diligibilis, nec totalitatem ex parte „ diligentis quantùm ad hoc, quod ſemper „ actu feratur in Deum, ſed quantùm ad „ hoc, quod excludantur ea, quæ repugnant „ motui dilectionis in Deum, ſicut Aug. dicit *in lib.* 83. *quæſt.*, quod venenum charitatis eſt cupiditas, perfectio nulla cupiditas; & talis perfectio poteſt in hac vita „ haberi, & hoc dupliciter &c. -- Tertius iſte modus ille eſt, quem Catholici vocant appretiativum, quo Deus cuilibet creaturæ præfertur, & nulli ſubjicitur, quo non excluditur amor aliarum rerum, ſed Dei amori ſubordinatur: hæc eſt totalis dilectio cordis, animæ, & virium, qua Deus ſuper omnes creaturas diligitur, & ſub qua quodlibet aliud diligibile diligitur; & ſolùm hunc gradum ſub præcepti obligatione cadere docent Orthodoxi. Matth. 10. v. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus*, ideſt qui Dei amori amorem præfert parentum, non eum ſuper omnia amare & jure & meritò cenſetur. Porro Chriſtus rem elucidat earum creaturarum exemplis, quæ ſolent, immo fortiùs diligi debent, ut hinc compertum habeamus dilectionem Dei eſſe ſuper omnia, quando diligitur Deus ſupra aliud quodlibet diligibile; unde Lucæ 14. v. 26. dicitur. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum .... adhuc enim & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hic etiam dilectionem ſui enumerat, quæ aliàs finis eſt eorum omnium, quæ ab homine diliguntur; etenim quidquid homo præter Deum diligit, utique diligit propter ſe. Idem docet Apoſtolus ad Rom. 8. v. 35. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? ... Certus ſum enim, quia neque mors ... neque Creatura alia poterit nos ſeparare a Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Nonne ex his patet dilectionem ex toto corde non aliam eſſe, quam prælationem affectivam, & effectivam Dei ſupra quamcunque Creaturam? ideoque dicebat Job cap. 32. v. 21. *Non accipiam perſonam viri, & Deum homini non æquabo.* Quare diligere Deum ex toto corde, ſi ſpectemus præceptum, nil aliud importat, quam quodlibet removere contrarium charitati, hoc eſt, omne mortale peccatum, quod tunc exequitur, cum cetera præcepta obſervantur. Hinc fit in Scripturis dilectioni ſemper conjungi reliquorum mandatorum adimpletionem. Exod. 20. v. 6. *Faciens miſericordias his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Deut. 10. v. 12. *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus petit a te, niſi ut diligas eum in toto corde tuo, & cuſtodias omnia mandata ejus*, & cap. 11. v. 1. *Ama Deum Dominum tuum, & obſerva præcepta ejus.* Joſue 22. v. 1. *Diligatis Dominum Deum veſtrum, & obſervetis omnia mandata illius.* Joan. 15. v. 10. *Si præcepta mea obſervaveritis, manebitis in dilectione mea*; & cap. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Idem alibi ſæpe. Diligere itaque Deum ex toto corde, ejuſque mandata ſervare, ſeu mortalia vitare crimina, in idem prorſus redit.

Quomodo in via diligatur Deus ex toto corde.

Mandatorum obſervantia cum dilectione conjungitur.

38 Ad clariorem hujuſce argumenti elucidationem operæ pretium erit nonnulla ſubdere, quibus invicte evincitur præceptum hocce adimpleri poſſe. Deut. 30. v. 12., & ſeqq. de laudato præcepto legitur. *Mandatum hoc, quod ego hodie præcipio tibi, non ſupra te eſt, nec procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire, & facere, quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, in corde tuo, ut facias illum.* Quis hinc jure

dubitabit nequire hoc, aliave adimplere præcepta? Potiſſimum, cum præſto ſit validum Dei auxilium, ut v. 6. innuerat Moyſes. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in tota anima, ut poſſis vivere*. Et ſane hoc fretus adjutorio David. *De omni corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit Deum*, ut teſtatur Eccleſi.47. v. 10. *Vid. Controv. V. in Reſp. ad I. Objeſt.*

39 DICES. Toties non adimpletur in via dilectionis præceptum, quoties initiative tantummodo adimpleri valet; ſed ita eſt, dicente Magno Gregorio *hom.* 14. *in Ezech.* -- Amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipſum, quem amat, viderit, amplius in amorem ipſius igneſcit --

Inchoatæ dilectionis explicatio.

RESP. Sub hac inchoativæ dilectionis locutione ſuum contegunt errorem Heterodoxi, eâque Catholicorum eludunt argumenta; ea propter fas eſt terminos explicare. itaque inchoative adimplere dupliciter intelligi poteſt, primò quidem prout contraponitur conſummatæ, perfectæque dilectioni, ut ſit ſenſus in via non adimpleri præcepta perfectè, omnique modo; ſecundò ita ut tantummodo aliquid ponatur de ſubſtantia operis præcepti, ſed non id totum, quod præcipitur. Secundùm primam intelligentiam ultro concedimus mandatum dilectionis inchoative impleri, & in hac ſignificatione loquitur S. Gregorius; ſecundùm alteram verò non niſi ab Hæreticis propugnatur, abutentibus S. Pontificis auctoritate, qui vult in hac peregrinatione Deum appretiative diligi, in Patria verò ad incrementum cognitionis creſcere ardorem.

40 INSTABIS. Subſtantia dilectionis non habetur, ubi concupiſcentia non eſt abſolute rationi ſubjecta; ſed pro hoc ſtatu concupiſcentia hujuſmodi eſt; ergo. Majorem habes inſimul & minorem ex Auguſtino *lib. de Perfectione juſtitiæ cap.* 8. -- In qua plenitudinè charitatis præceptum illud implebitur, diliges Dominum Deum tuum &c. Nam cum eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus: non enim caro ſine anima concupiſcit, quamvis caro concupiſcere dicatur, quia carnaliter anima concupiſcit -- Docet ergo Auguſtinus Deum non diligi ex tota anima, ubi aliquid carnaliter concupiſcitur: porro carnaliter concupiſcere male audit, & quidem graviter; venialia enim peccata non veniunt nomine carnalis concupiſcentiæ; ergo ſentit Auguſtinus in hoc ſeculo nequaquam diligi Deum quoad ſubſtantiam.

Concupiſcentia dupliciter rationi ſubditur.

RESP. Dupliciter concupiſcentia rationi ſubditur; primò, ita quod in aliquid, quod abſolute, & ſimpliciter malum ſit, non conſentiat; ſecundò, ita ut ad nullum moveat illicitum, atque ad conſenſum inclinet; in primo caſu excludit mortale peccatum, & hujuſcemodi ſubordinatio rationi ad ſubſtantiam pertinet charitatis; in ſecundo venialia excludit, quod ſtatum, & gradum perfectionis importat, eaque propter non eſt è præcepto charitatis hoc importare. S. Doctor de charitate ſub hac intelligentia loquitur, contendens ad charitatem Patriæ ſpectare omnem refrænare concupiſcentiæ vim; quod ibidem innuit ſubdens -- Hinc erit juſtus ſine ullo omnino peccato, quia nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus, ſed prorſus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum -- Quod clarius explicat ex fine; intendit namque palam facere juſtum in præſenti vitæ diſcrimine non carere venialibus, adeoque meritò dicere. *Dimitte nobis debita noſtra*. Perperam dein aſſeritur veniale peccatum carnalem non fore concupiſcentiam; licet enim non tendat contra finem, oritur tamen ex affectu carnis pugnantis adverſus ſpiritum, & aliàs concupiſcentia illicitæ cujuslibet ſuggeſtionis origo eſt. Falſum denique eſt Auguſtinum affirmare non diligi Deum ex tota anima appretiative, ex quo carnalis concupiſcentia non ſit perfectæ refrænata; ſolummodo enim dicit non diligi omnino ex tota anima, quia totâ perfectionis intenſione non diligitur.

41 URGEBIS. Auguſtinus palam docet ſub præcepto dilectionis totam perfectionis intenſionem contineri; ſed docet inſimul hoc in ſola Patria haberi poſſe; ergo aperte ſentit dilectionis præceptum in via haud adimpleri poſſe. Majorem habet laudato loco -- Cur ergo non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? -- Auguſtino concinit S. Thomas 2. 2. *q.* 184. *art.* 3. *ad* 2. Ubi verba Auguſtini referens ſubdit -- Perfectio autem divinæ dilectionis univerſaliter quidem cadit ſub præcepto, ita quod etiam perfectio Patriæ non excluditur ab illo præcepto, ut dicit Auguſtinus -- ergo.

RESP. Perfectionis intenſio cadit quidem ſub præcepto, ſed eo non obligamur in via; tantummodo enim ea tenemur agere, quæ neceſſaria cenſentur, ut illam habeamus in Patria; quare qui eam impræſentiarum non conſequitur, non eſt tranſgreſſor præcepti, nec reus criminis diſcreti ab iis, quæ perpetramus, malis. Hoc aperte ſcripſit Auguſtinus, ſubdit namque -- Non enim rectè curritur, ſi quo currendum eſt, neſcitur; quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur? Sic ergo curramus, ut comprehendamus; omnes enim, qui recte currunt, comprehendunt; non ſicut in agone theatrico; omnes quidem currunt, ſed unus accipit palmam. Curramus credendo, ſperando, deſiderando, curramus corpus caſtigando -- Et ſuperius dixerat -- Hæc eſt nunc noſtra juſtitia, qua currimus eſurientes, & ſitientes ad perfectionem, plenitudinemque juſtitiæ, ut ea poſtea ſaturemur -- Idem habet Angelicus, qui poſtquam dixit, quod non efficitur tranſgreſſor præcepti aliquis ex hoc, quod non optimo modo illud adimpleat, addit -- Tranſgreſſionem præcepti evadit, qui quocunque modo perfectionem divinæ dilectionis attingit. Eſt autem infimus divinæ dilectionis gradus, ut nihil ſupra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur. A quo gradu perfectionis, qui

Qui non tranſgreſſor præcepti dilectionis.

„ deſi-

„ deficit, nullo modo implet præceptum. „ Eſt autem alius gradus perfectæ dilectionia, qui non poteſt impleri in via, ut di„ ctum eſt, a quo qui deficit, manifeſtum „ eſt, quod non eſt tranſgreſſor præcepti —

42 REPLICABIS. Subſtantia dilectionis, ſeu gradus appretiationis cadit ſub præcepto pro ſtatu viæ obligante; atqui ſecundùm hunc gradum hic adimpleri nequit, ut aperte docet S. Doctor *de ſpiritu, & littera cap.* 36. ubi repetit, quæ dixit *lib. de perfectione juſtitiæ*, primò videlicet tantò majorem fore dilectionem in Patria ſupra eam, quæ habetur in via, quantò major eſt Patriæ cognitio ſupra cognitionem, quæ eſt in via; ſed cognitio Patriæ quoad ſubſtantiam excedit cognitionem viæ; ergo itidem Patriæ dilectio in ſubſtantiali gradu dilectionem viæ excedet. Secundò. Actus charitatis viæ quantumcunque excellens non eſt tantæ perfectionis ſicut primus gradus dilectionis Patriæ; ſed primus iſte gradus dubio-procul eſt appretiativus; ergo actus quantumcunque excellens viæ non erit appretiativus. Audi Auguſtinum — At ſi credendo ad tantam „ dilectionem Sancti pervenire potuerunt, „ qua certe majorem in hac vita eſſe non „ poſſe Dominus ipſe teſtatus eſt, ut ani„ mam ſuam pro fide, & pro fratribus po„ nerent: cum ab hac peregrinatione, in „ qua per fidem nunc ambulatur, perven„ tum erit ad ſpeciem, quam nondum vi„ ſam ſperamus, & per patientiam expecta„ mus, proculdubio & ipſa dilectio non „ ſolùm ſupra quam petimus, & ſupra quam „ intelligimus, erit — Tertio. Dilectio Patriæ non eſt, niſi dilectio ex toto corde; ergo in via non habetur eadem dilectio. Sic evincitur ex Auguſtino — Nec ideo ta„ men plus eſſe poterit, quam ex toto cor„ de, ex tota anima, ex tota mente: neque „ enim reſtat in nobis aliquid, quod addi „ poſſit ad totum; quia ſi reſtabit aliquid, „ illud non erit totum. Proinde hoc erit „ primum præceptum juſtitiæ, quo jubemur „ diligere Deum ex toto corde, & ex tota „ anima, & ex tota mente — En qualiter ad totum pertinet dilectio Patriæ, & qualiter hocce totum ſub dilectionis præcepto cadat; & ſane non adeo excederet dilectio Patriæ, ſi ſolummodo haberetur exceſſus in gradu intenſionis; & extenſionis per excluſionem etiam venialium, & per inamiſſibilitatem; cum omnia hæc ſint accidentalia, & charitatis proprietas. Quælibet autem eſſentia ſuis perfectior eſt proprietatibus; eapropter gratia perfectior cenſetur Beatifica viſione, Deique fruitione; ergo fas eſt dicere Auguſtinum admittere exceſſum illum in ſubſtantia.

Qui gradus dilectionis in via præceptus.

RESP. Neg. min. Itaque pro gradu ſubſtantiali, & appretiationis intelligunt Orthodoxi prælationem illam Dei ſuper Creaturas, quâ homo affective inſimul, & effective paratus eſt, nullum illicitum lethale peragere, quem charitatis gradum Angelicus ſupra laudatus infimum dixit; hujuſcemodi tamen gradus is eſt, qui ſub mortali obligatione cadit, ut habeatur in via, & ſecundùm hunc gradum præceptum dilectionis nequit adimpleri; alia verò ſubſtantialis perfectio, quam habet dilectio, ut connaturaliter, & abſque ulla terrenæ concupiſcentiæ mixtione poſſideat Deum; equidem cadit ſub præcepto dilectionis, ſed non obligat, ut in via compleatur, nec reus cenſetur, qui eâ caret: hoc aperte teſtatur Auguſtinus *ibid.* — Neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta „ dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ, „ perfectæque debetur, jam culpæ deputan„ dum eſt; aliud eſt enim totam nondum „ aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cu„ piditatem; quamobrem debet homo, „ quamvis longe minus amet Deum, quam „ eum poteſt amare conſpectum, nihil ta„ men appetere illicitum; ſicut etiam in „ his, quæ adjacent ſenſibus corporis, po„ teſt oculus nullis tenebris delectari, quam„ vis non poſſit in fulgentiſſima luce defigi — Hinc fuſiori calamo rem explicat. Hac porro doctrinâ adductæ corruunt inſtantiæ. Prima, quia notitia viæ quoad rem cognitam abunde illuminat, ut ſciamus adverſus Deum nullum illicitum fore perpetrandum: altera, quia infimus charitatis gradus in eo verſatur, ut pro fide, & fratribus ſanguinem effundere velimus, quando ſine tali effuſione illicite agitur; qui gradus licèt longe inferior ſit ad gradum dilectionis Patriæ, eſt tamen ſubſtantia dilectionis, quæ præcipitur habenda in via. Tertia, quia licèt perfectio Patriæ ſit intra totam latitudinem præcepti obligantis pro via, & Patria, non cadit tamen determinate ſub præcepto obligante, ut in via habeatur; hocce namque præceptum explicatur ex SS. Auguſtino, & Thoma per terminos negativos, videlicet ut nullum committatur lethale: dictum eſt, *ut in via habeatur*, & non præciſe obligans in via, quia, ut numero ſuperiori innuimus, in via tenemur conari, ut aſſequamur in Patria illam perfectionem. Quomodo autem laudati Doctores infimum nuncupent gradum illum, quo quis dat animam ſuam pro fratribus, & fide ex præcepto confitenda, cum Chriſtus majorem eam dicat charitatem, palam facit Auguſtinus *Epiſt.* 29. *ad Hieron.* — Sive quia „ in hac vita uſque ad mortem eſt menſura „ charitatis, ſicut Dominus ait: Majorem „ hac charitatem nemo habet, quam ut ani„ mam ſuam ponat quis pro amicis ſuis — Vita majus eſt bonum, quod habeamus, & nil terribilius morte.

43 SUBSUMES. Ad perfectæ intenſionis gradum, ſeu ut loquitur S. Thomas *n.* 37. relatus, *ad totalitatem abſolutam* charitatis obligamur in via; ſed hæc eſt impoſſibilis; ergo præceptum dilectionis haud adimpleri poteſt. Major evincitur ex Auguſtino laudato loco *de ſpiritu, & littera* — Sed „ ideo nobis hoc etiam nunc præceptum eſt „ (loquitur de gradu perfectionis) ut ad„ moneremur quid fide expoſcere, quo ſpem „ præmittere, & obliviſcendo, quæ retro „ ſunt, in quæ anteriora nos extendere de„ beamus — quibus explicat omnes vires exerendas in Dei dilectione, quod clarius explicat *Epiſt.* 29. quatenus dicit minorem illam intenſionem vitium eſſe, & ex vitio — „ Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem

„ habet, habere omnes, cum plenitudu le- „ gis ſit charitas ? An quantò magis eſt in „ homine, tantò magis eſt virtute præditus? „ Quantò autem minus, tantò minus ineſt „ ei virtus; quia ipſa eſt virtus; & quantò „ minus ineſt virtus, tantò magis eſt vitium? „ Ubi ergo illa plena, & perfecta erit, ni- „ hil ex vitio remanebit -- Idemque explicat inferiùs exemplo hominis egredientis de abditiſſima ſpelunca, qui paulatim illuminatur, hincque addit -- Ut illud, quod in eo „ lucet, ſit utique ex lumine quo progre- „ ditur, illud autem quod adhuc obſcurum „ eſt, ſit ex tenebris, unde egreditur -- Nec ab Auguſtino diſcrepat S. Thomas; etenim docet intenſionem non cadere ſub conſilio, adeoque ſub præcepto. 2. 2. *q.* 184. *art.* 3. -- Non autem dilectio Dei, & pro- „ ximi cadit ſub præcepto ſecundùm aliquam „ menſuram, ita quod id quod eſt plus, ſub „ conſilio remaneat, ut patet ex ipſa forma „ præcepti, quæ perfectionem demonſtrat, „ cum dicitur: diliges Dominum Deum „ tuum ex toto corde tuo (totum enim, & „ perfectum idem ſunt ſecundùm Philoſoph. „ 3. Phyſic.) & cum dicitur: diliges proxi- „ mum tuum, ſicut te ipſum. Unuſquiſque „ enim ſeipſum maxime diligit -- Quid luculentiùs ad innuendum intenſionem cadere ſub præcepto ? aliàs intenſio eſſet aliquid, quod ſub conſilio remaneret. Deinde quilibet ſeipſum, ſummâ qua poteſt intenſione, amat; ergo eâdem debet proximum diligere, & Deum.

RESP. Neg. majorem, quam non evincunt allatæ inſtantiæ; non prima; ſiquidem doctrina Auguſtini non eſt intelligenda de intenſione, ut habenda pro ſtatu viæ, ſed de conatu, quo contendere debemus, ut anteriora bona, quæ ſunt vita æterna, aſſequamur. Hoc abunde patet ex his, quæ ex contextu attulimus: non ſecunda; non enim loquitor de intenſiva, & extenſiva perfectione quoad remotionem venialium, & reddit ſenſum, quod quantò major eſt charitas, tantò magis frænat concupiſcentiam, venialiaque vitat; quantò autem minor eſt, eò plus eſt de vitio, ideſt de concupiſcentia; unde poſt exemplum lucis, & tenebrarum ſubdit -- Et nemo hic vivit ſine peccato, & „ hoc alius magis, alius minus; optimus au- „ tem eſt qui minimum -- Nec tertia urget: etenim Angelicus ſermonem inſtituit de præcepto, prout comprehendit, quæ ſive in hoc, ſive in altero ſeculo habenda ſunt, ut ex contrario videre eſt; refert namque S. Auguſtini ſententiam *de perfectione juſtitiæ* ſuperius relatam, immo hac de re rationem aſſignat -- Et hoc ideo eſt, quia finis præcepti „ charitas eſt, ut Apoſtolus dicit 1. *ad Ti-* „ *moth.* 1. In fine autem non adhibetur ali- „ qua menſura, ſed ſolùm in his quæ ſunt „ ad finem, ut dicit *Philoſoph.* 7. *Politic.* „ Sicut Medicus non adhibet menſuram, „ quantum ſanet, ſed quanta medicina, vel „ dieta utatur ad ſanandum -- His compertum ſit cavillos Calvini ex Auguſtini doctrina emendicatos irritos fore.

Ex majori charitate major perfectio.

44 OBJIC. II. Præceptum non concupiſcendi comprehendit motus prævenientes rationem; ſed iſti evitari nequaquam poſſunt; ergo hoc præceptum adimpleri nequit; adeoque non omnia præcepta ſunt poſſibilia.

Hoc eſt aliud argumentum, cui plurimum fidunt Heterodoxi, verum nullius eſt roboris; quod enim præcepto *non concupiſces* prohibetur, eſt conſenſus in illicitos motus: hoc nos docet Scriptura, & Eccleſiaſt. 5. v. 2. explicatur: *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui*: *Ne ſequaris*, inquit, ut innuatur conſenſus, & cap. 18. v. 30. *Poſt concupiſcentias tuas ne eas*. Ad Rom. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*. Ut obediatis -- Nam (loquit Augu- „ ſtinus *lib.* 1. *de Nuptiis, & Concupiſ. cap.* 23.) „ ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt „ peccatum in regeneratis, quando illi ad „ illicita opera non conſentitur -- *lib.* 5. *contra Julianum cap.* 3. -- Aliud eſt habere „ mala deſideria cordis, aliud tradi eis; „ utique ut conſentiendo eis poſſideatur ab „ eis -- & *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 23. -- „ Quod ſi illa concupiſcentialis inobedien- „ tia . . . quanto magis abſque culpa eſt in „ corpore non conſentientis, ſi abſque culpa „ eſt in corpore dormientis -- Aperte igitur innoteſcit tantummodo conſenſum fore peccatum, eumque ſolùm prohiberi. Et meritò ſane: nam motus prævenientes rationem naturales ſunt, quia habiti fuiſſent in natura pura ob conflictum carnis, & ſpiritus, adeoque non liberi; cum præveniant rationem.

Quinam concupiſcentiæ motus prohibiti.

45 Dicit Calvinus. Præceptum *non mœchaberis*, *non furtum facies* conſenſum vetat; ergo præceptum *non concupiſces* motus rationem prævenientes prohibet.

RESP. In primo caſu exteriores prohibentur actus, etiam interiores in ſecondo, & Spiritus Sanctus docere nos voluit peccari & externo opere, & interno affectu, quod explicuit Chriſtus Matth. 5. v. 22. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*; & v. 28. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et ratio eſt, quia Legislator Divinus cordis cogitationes ſcrutatur: *Ego ſum ſcrutans renes, & corda*. Apoc. 2. v. 23.

Externo opere, atque interno affectu peccatur.

Ceterum obſervari poſſe hujuſcemodi præceptum in ſtatu viæ ſatis apte declaratur Sap. 8. v. 21. *At ut ſcivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det: Adii Dominum, & deprecatus ſum illum*, ideſt compertum mihi eſt non poſſe me naturæ viribus continere, bene verò auxilio gratiæ; ea propter Deum exoro, ut illud mihi largiatur. 2. ad Corinth. 12. v. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea*; & ad Philipp. 4. v. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*.

Affert Calvinus teſtimonium Auguſtini *lib.* 1. *de Nuptiis, & Concupiſc. cap.* 23., ubi in præcepto *non concupiſces* duo videtur diſtinguere, nempe, *non concupiſces*, & *non*

eas

Digitized by Google

eas poſt concupiſcentias, hinc affirmat in ſtatu viatoris illud non adimpleri, bene verò alterum; ceterum in hoc non immoramur, cum ex præcedenti argumento reſponſio in aperto ſit.

46 OBJIC. III. Act. 15. v. 10. Jugum legis ferri nequaquam poteſt. *Qui tentatis Deum; imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*; eaque propter, ut ferri poſſet, contendebat Petrus a Legis vinculo abſolvere fideles: porro Petrus ſub jugo moralem legem comprehendit, quæ ſane ceremoniali gravior eſt; ergo.

Præcepta ceremonialia difficilis obſervationis erant.

RESP. In ea Petri ſanctione palam fit agi de lege tantummodo ceremoniali; de hac enim inter Antiochenos controverſia exorta erat; propter hoc Paulus Jeroſolymam aſcendit, congregatumque fuit Concilium. Textus hoc aperte innuit. Neque infieias imus jugum ceremonialis legis grave fuiſſe, non quidem abſolute, ſed reſpective; ſiquidem, ut ſæpenumero dictum eſt lex vetus vires non conferebat, ſed ſolùm ex fide in Chriſtum venturum, ex adverſo lex gratiæ vires ſuppeditat, quia ex Chriſti morte conſummationem habet: & licet multitudo gentium a legis obſervantia declinaret, plerique tamen ex illis, in quibus vividius fidei donum erat, illam perfecte ſervabant, qua de re ſuperiùs exempla præſto ſunt. Volebat autem Petrus a jugo Chriſtifideles abſolvere, quia lex hujuſmodi inutilis facta erat poſt Chriſti adventum, cujus lex Pædagogus fuit.

47 OBJIC. IV. Toties lex dicenda eſt impoſſibilis, quoties eam obſervare volenti, vires deficiunt; ſed impræſentiarum ita eſt, dicente Apoſtolo ad Rom. 7. v. 18. *Velle quidem adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*; ergo.

RESP. Pauli mentem non ſunt aſſecuti Novatores, ut littera ipſa demonſtrat. Apoſtolus ibidem totus eſt, ut morbum declaret concupiſcentiæ, quæ continuò rebelles excitat motus, & excitando hominem volentem bene agere vexat; ab hac ergo moleſtia cupiebat Paulus liberari, ſed haud poterat; quandiù namque peregrinamur a Domino, concupiſcentia omnino extingui non poteſt. Contextus rem palam facit, unde Auguſtinus contra Julianum *lib.* 3. *cap.* 26. *circa medium*, habet — Non ait facere, ſed perficere „ bonum; quia facere bonum, eſt poſt con„ cupiſcentias non ire, perficere autem bo„ num, eſt non concupiſcere; quod ergo „ eſt ad Galatas: Concupiſcentias carnis non „ perfeceritis: hoc e contrario ad Romanos: „ Perficere autem bonum non invenio; quia „ nec illæ perficiuntur in malo, quando eis „ non accedit noſtræ voluntatis aſſenſus, nec „ noſtra voluntas perficitur in bono, quan„ diù illarum, cui non conſentimus, per„ manet motus — Clariùs S. Thomas in hunc locum — Sed non invenio in mea po„ teſtate, quomodo iſtud bonum perficiam, „ ut ſcilicet totaliter concupiſcentiam exclu„ dam —

Concupiſcentia in via ſemper urget.

48 OBJIC. V. Lex, quæ ſupra vires eſt, ſervari nequit; ſed legem gratiæ fore hujuſcemodi Scriptura ipſa teſtatur. Pſal. 111. v. 1. *In mandatis ejus volet nimis*, & Pſal. 16. præcepta vocantur viæ duræ, ideſt, a praxi alienæ. Matth. 7. *Quam anguſta porta eſt, & arcta via, quæ ducit ad vitam*. Arcta dicitur; per eam namque tranſiri non poteſt, adeoque *Facilius eſt Camelum tranſire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Porro impoſſibile eſt Camelum ſic tranſire.

RESP. Mirum ſane eſt Novatores talia proferre, cum oppoſitum evincant, utque ab ultimo textu exordiamur, cum diſcipuli, his auditis, Chriſtum interrogaſſent, quis ſalvabitur, reſpondit, quod homini poſſibile non eſt, eſt Deo poſſibile, nempe Dei adjutorio præcepta adimpleri poſſe, quæ hominis excedunt vires. Dixerat quidem arctam fore ſalutis ſemitam, ſed inſimul addidit: *Et pauci ſunt, qui inveniunt eam*; ergo vires non deficiunt ad percurrendum in ea. Pſalmiſta vias Domini duras vocavit, ſed eas cuſtodiſſe affirmavit: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*. Itidem in mandatis Domini juſtus vult nimis, quia etiam ultra præceptum bona peragit; ceterum non eſt Deus, qui in mandatis velit nimis, hoc eſt, ſupra vires. Indubium quidem eſt, homini gravia fore præcepta, utpote quæ ejus adſtringunt libertatem, prohibent ſequi cupiditates, arcent a cupiditatibus, ſed ſuavia fiunt, ſi ex amore amplexentur: ea propter Patrum effatum eſt, Chriſti jugum amanti fore ſuave, grave non amanti. Quo momento conciliantur ſcripturæ, quarum aliquæ levia eſſe deprædicant, alia eſſe gravia. Alios inter Patres S. Auguſtinus id mirè explicat pluribus in locis, & præcipuè *Ser.* 9. *de Verb. Dom. in fine* — „ Non immeritò ille vas electionis cum in„ genti lætitia dixit: non ſunt condignæ „ paſſiones hujus temporis ad futuram glo„ riam, quæ revelabitur in nobis. Ecce „ unde illud jugum ſuave eſt, & ſarcina le„ vis. Et ſi anguſta eſt paucis eligentibus, „ facilis tamen eſt omnibus diligentibus. „ Dicit Pſalmiſta: Propter verba labiorum „ tuorum ego cuſtodivi vias duras. Sed quæ „ dura ſunt laborantibus, eadem ipſa mite„ ſcunt amantibus —

Homines Dei adjutorio ſervare poſſunt præcepta.

49 OBJIC. VI. Haud poteſt univerſa lex adimpleri, niſi omnia vitentur peccata; ſed nemo unus hæc poteſt evitare, dicente Jacobo cap. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes*; & 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*; ergo.

RESP. Utique legis violator cenſetur, qui mortalia non evitat; hæc quippe tollunt charitatem, proindeque ſtatum chriſtianæ perfectionis, laudato Jacobo affirmante. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*. Verùm itidem eſt nequaquam omnia venialia peccata vitari poſſe, de quibus citati textus loquuntur, & ſine quibus in hac peregrinatione non vivitur; eaque propter omnes Deum exorare debemus, ut dimittat debita noſtra.

Stat Charitas cum venialibus.

Sunt & alia Scripturæ teſtimonia, quæ probant juſtorum vitam non eſſe a venialibus imma-

immunem, de quibus mox diximus: loquuntur alia de originali noxa, qua nemo mundus naſcitur. *Nemo mundus a ſorde, nec infans unius diei*; quædam intelligenda ſunt de involuntariis concupiſcentiæ motibus. *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum*: de mortalibus actualibus alia ſermonem inſtituunt, ſed non de ſingulis hominibus, bene verò de multitudine: Gen. 6. v. 5. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore &c.* Alia tandem relate ad naturæ vires uſurpanda ſunt, Exod. 34. v. 7. *Nulluſque apud te per ſe innocens eſt*. His bene perpenſis facili negotio, quæcunque objici poſſunt, diſſolventur.

50 OBJIC. VII. Chriſtus non tantùm Mediator noſter eſt, dum primò reconciliamur Deo, ſed & toto vitæ tempore; ſed pro quolibet tempore noſter reconciliator non foret, niſi continuò peccaremus; aliàs ejuſdem non indigeremus patrocinio, proindeque otioſus eſſet; ergo.

RESP. Hujuſmodi puerilia ſunt. Quovis tempore Chriſti indigemus adjutorio, quia continuò urgent ſaltem præcepta negativa, ad quæ adimplenda Dei gratia apprime neceſſaria eſt; indigemus inſuper, ut in acquiſita juſtitia perſeveremus, atque pietatis opera exerceamus.

CONTROVERSIA III.

AN IN VIA CHRISTIANÆ VITÆ PERFECTIO STATUM HABEAT IMPECCABILITATIS, ET AUGMENTI.

HÆretici in partes declinantes oppoſitas, nervis omnibus contendunt, ut adverſus Eccleſiæ Dogmata prævaleant. Mox eorum momenta evertimus, qui perfectionem chriſtianæ vitæ poſſibilem inficiabantur, impræſentiarum agendum eſt contra eos, qui ea adverſo Viatoris ſtatum perfectum adeo dixerunt, ut homines pro eo ſtatu plane impeccabiles, & otioſos voluerint. Hi ſunt falſarii illi Sanctitatis viri, dicti Beguardi, & Beguinæ, qui in Germania potiſſimum graſſati ſunt, & quamvis incertum, unde nomen deſumpſerint, quive perverſi Dogmatis fuerit Princeps, Alvarus Pelagius *lib. 2. de Planctu Eccleſiæ* Dulcinum fuiſſe affirmat.

Beguardorum error.

Primus eorundem error *in cap. ad Noſtrum. De Hæreticis* ſequentibus deſcribitur -- „ Homo in vita præſenti tantum, & talem „ perfectionis gradum poteſt acquirere, quod „ reddetur penitus impeccabilis, & amplius „ in gratia proficere non valebit -- Hic pars utraque enunciatæ Controverſiæ comprehenditur. Verum enim verò circa utramque non tantùm Beguardi, & alii Hæretici aberrarunt. Senſit Jovinianus Seculo IV. adeptam ſemel Sanctitatem per ſacrum regenerationis lavacrum, non amplius deperdi poſſe, nec juſtum valere ultra venialiter peccare. Sic Auguſtinus *de Hær. hær.* 82. -- Jovinianus.... „ non poſſe peccare hominem lavacro rege„ nerationis accepto. -- & S. Hieronymus *lib. 1. contra eundem cap. 2.*; hunc quoque errorem adoptavit Pelagius, & Pelagiani, de quibus idem Auguſtinus laudato libro *Hær.* 88., habet -- In id etiam progrediun„ tur, ut dicant vitam juſtorum in hoc ſe„ culo nullum omnino habere peccatum -- Propugnavit inſimul Jovinianus non augeri in homine juſtitiam, & charitatem, contendens omnibus, qui baptiſma ſervaverint, æqualis gloriæ coronam paratam in cœlis; diſcriminabatur hinc a Beguardis, quod hi non omnibus juſtis augmentum denegabant, ſed viris ſolummodo perfectis. Hæreſim hanc Romæ in Concilio damnavit Siricius anno 390., atque idem judicium faceret S. Ambroſius, ipſi per Legatus tranſmiſit Epiſtolam Pontifex, eaque propter vel in Concilio Mediolanenſi jure quidem optimo anathematizatus fuit Jovinianus, ut, ubi a Chriſti ſequela, Monaſticam vitam deſerendo, receſſerat, Infamiæ notâ inureretur. Eodem anathematis gladio perculſus fuit Pelagius, ùt refert S. Proſper *in Chron. an.* 419. -- „ Concilio apud Carthaginem habito 214. „ Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Synoda„ lia Decreta perlata ſunt, quibus probata „ per totum mundum hæreſis Pelagiana „ damnata eſt -- Impia hujuſmodi Dogmata toties diris devota ſuperiori ſeculo exſtumulavit Michael Molinos Cæſaraugustanæ Diœceſis in Aragonia Presbyter affirmans hominem per contemplationem acquiſitam, perque viam, quam vocat, internam nec peccare poſſe, nec proficere -- Per contempla„ tionem acquiſitam pervenitur ad ſtatum „ non faciendi amplius peccata mortalia, „ nec venialia -- *ſic prop.* 57., *& prop.* 62. -- „ Per viam internam pervenitur ad ſtatum „ continuum immobilem in pace impertur„ babili -- Has, ceteraſque hujus Hypocritæ propoſitiones damnavit Innocentius XI., atque auctorem poſt palinodiam decantatam ad perpetuos carceres demandavit. Ut autem ad rem noſtram propiùs accedamus tres in hac materia occurrunt errores contra perfectionis ſtatum chriſtianæ vitæ pugnantes. I. Perfectionem ſemel habitam deperdi non poſſe. II. eam habentem, neque venialiter peccare. III. non poſſe proficere, ſeu terminum augmenti perfectionis habere. Noſtrum eſt hujuſcemodi errores refellere, utque clariori methodo fiat, tribus paragraphis Controverſiam inſtituemus. Adnotamus tamen pro tertia hujuſce parte ea videnda omnino eſſe, quæ contra Jovinianum, & Lutherum dicta ſunt *Tom. I. Tract. II. De ſtatu Animarum p. 1. Controv. IX.*, ubi Hæreticos impugnavimus contendentes Animas in ſtatu beatifico æquales fore.

Jovinianus adſtipulatur Beguardis.

Jovinianus, & Pelagius damnati.

Michaelis Molinos dogmata.

§. I.

§. I.

PERFECTIO VITÆ CHRISTIANÆ NON HABET IN VIA TERMINUM AUGMENTI.

51 PROB. I. In quovis præcellentis Sanctitatis viro chriſtianæ vitæ perfectio, quæ in charitate conſiſtit, terminum nequaquam habet, ſi ex ſuo conceptu, ſeu conditione urgeat ad incrementum; atqui perfectio, quo major eſt, eo magis impellit ad ulteriorem profectum; ergo in nullo terminum habet. Minor propoſitio, circa quam verſatur difficultas, evincitur ex cap. 24. v. 29. Eccleſiaſtici: *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*: Hic Spiritus Sanctus de verâ loquitur ſapientiâ, quæ utique Deus eſt, cujus poſſeſſio per charitatem habetur; Ipſa porro talis eſt naturæ, ut qui illam perguſtant, novo ſemper ardeant perguſtandi deſiderio; pro re nata hunc locum verſat Macarius S. Antonii diſcipulus *hom.* 10. *de viris valde perfectis* — „ Sed quantò magis abundant donis ſpiritualibus, tantò vehementiùs, & ſine ſatietate deſiderii cœleſtis inquirunt: quantòque magis ſpiritualem profectum in ſe ſentiunt, tantò plus eſuriunt, & ſitiunt participationem, & augmentum gratiæ — Fauſtus Regienſis Epiſcopus *in Exhortatione ad Monachos* idem affirmat — Gratia enim de „ gratia naſcitur, & profectus profectibus „ ſerviunt, lucra lucris, & merita meritis „ locum faciunt, ut quantò plus quis acqui„ rere cœperit, tantò plus conetur acqui„ rere; & quantò avidiùs de ſapientiæ bo„ nis hauſerit, tantò plus haurire deſiderat, „ ſicut ipſa de ſe loquitur ſapientia: Qui „ edunt me &c. — & S. Auguſtinus *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 2. — Manducant, & bibunt, „ quia inveniunt, & quia eſuriunt, & „ ſitiunt, adhuc quærunt — Similia habes ex aliis Patribus, obſequentibus doctrinæ Chriſti dicentis Joan. 4. v. 13. *Omnis, qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum*; ubi S. Thomas poſtquam explicuit, quo nam pacto verum ſit, quod ſpiritalem aquam bibens ſitiat, & non ſitiat, addit — Et ideo qui biberit ex „ hac aqua, adhuc quidem ſitiet ejus per„ fectionem, ſed non ſitiet in æternum, „ quaſi ipſa aqua deficiat — Eandem veritatem evincit illud Proverb. 4. v. 18. *Juſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem*, videlicet juſtitiam, & perfectionem quovis tempore augent juſti, quandiù in mortali corpore peregrinantur, ſeu donec ad beatitudinem perveniant: etenim perfectus dies eſt beatitudinis ſtatus; ea propter Theodoreti litera habet: *Uſque ad ſtabilitatem diei*, & Symmachus legit: *Uſque ad ſtabilem diem*, qui eſt ſolummodo dies æternitatis. Audiatur S. Gregorius *hom.* 5. *in Ezech.*, ubi alia inter ſcribit — Sed quia uſque ad finem vitæ in vir„ tute proficiunt, ad perfectum diem tunc „ veniunt, quando ad regna cœleſtia perdu„ cti, in ea luce, quam deſiderant, jam „ minus aliquod non habebunt — Et *ibid. hom.* 15. alludens ad illa verba Pſalmi 83. v. 6. *Ibunt de virtute in virtutem*, habet — Nec „ mirum ſi de virtute in virtutem gradus „ ſunt, quando unaquæque virtus quaſi qui„ buſdam gradibus augetur, & ſic per incre„ menta meritorum ad ſumma perducitur —

Perfectio chriſtiana ad profectum impellit.

52 PROB. II. Si perfectio Chriſtianæ vitæ eadem in omnibus foret, & nova ſemper incrementa etiam in viris excellentioris Sanctimoniæ non ſuſciperet, perperam hoſce exhortaretur Scriptura, ut meliora ſemper chariſmata æmularentur; atqui Eccleſiaſt. 28. v. 22. hocce ſuadetur: *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari*, ideſt, ſtude majorem ſemper in dies acquirere ſanctitatem, donec mors adveniat. Apoc. 22. v. 11. *Qui juſtus eſt; juſtificetur adhuc, & Sanctus, ſanctificetur adhuc*. Porro ſicut indubium eſt unum eſſe alio ſordidiorem, atque criminum additione adhuc ſordeſcere poſſe, ut prius dixerat Apoſtolus, ita certum eſt unum alio ſanctiorem dari, ſemperque ſuſcipere poſſe ſanctitatis augmenta. Hinc exemplo ſuo Chriſtus ad operandum invitabat: *Me oportet operari . . . donec dies eſt; venit nox, quando nemo poteſt operari*. Joan. cap. 9. v. 4., & Apoſtolus ſæpenumero ad incrementum charitatis, quæ Chriſtianæ vitæ perfectio eſt, ſuadet, ad Philipp. 1. v. 9. *Et hoc oro, ut charitas veſtra magis, ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu, ut probetis potiora*. Ad Epheſ. 4. v. 15., & ſeq. *Creſcamus in illo per omnia . . . Augmentum corporis facit in ædificationem per omnia*. 1. ad Theſſal. 3. v. 12. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem in invicem*. 2. ad eoſdem 1. v. 3. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem*; ubi S. Thomas — Quia ſupercreſcunt bona ſpiritualia, „ periculoſe enim cuſtodiuntur, niſi profi„ ciat in eis homo —

Juſtus in dies ſanctior poteſt evadere.

53 PROB. III. Non habet ſtatum Chriſtiana perfectio, ſi juſti bonorum oblivisci debeant, quæ peregerunt, ſique Chriſti exemplo ad meliora ſemper debeant contendere; ſed ita eſt; ergo. Prima pars minoris propoſitionis elucidatur. Ad Philipp. 3. v. 13., & ſeq. *Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu*. En igitur Apoſtolus ſanctitate adeo celebris, ut ad tertium cœlum raptus fuerit, pro nihilo habebat opera, quæ jam peregerat, & ad ulteriora ſeipſum urgebat. Quotidie igitur progrediendum eſt. Job. 33. v. 27. legitur. *Reſpiciet homines, & dicet: peccavi, & vere deliqui*; quia juſti, quo perfectiores, aliorum conſiderantes ſanctitatem, ſe peccatores putant, atque ſeipſos ad majora provocant; ut advertit S. Gregorius *lib.* 24. *Moral. cap.* 9. Hinc de S. Antonio Abbate habemus, quod viſâ Sancti Pauli eximiâ vivendi ratione exclamaverit ſe fore peccatorem, atque Religioſi nomenclaturam ipſi nullimode convenire, & S. Macarius Monachorum contemplatus ſanctitatem flens dicebat ad diſci-

Juſti demiſſe ſentiunt de ſeipſis.

pulos

pulos ſuos -- Vidi Monachos, non ſum Mo-
A „ nachus -- Status itaque quem Beguardi fingunt, aperte pugnat cum vera ſanctitate.

Declaratur pars altera min. Matth. 5. v. 48. dicitur: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. 1. Joan. 2. v. 6. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare*; ſed Chriſtus ad mortem uſque profecit. Luc. 2. v. 52. *Jeſus proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines*; & Pſal. 18. v. 6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam*. Ea propter dixit Bernardus -- Quandiù in terris „ viſus eſt, & cum hominibus converſatus „ eſt, nunquid ſtetit? -- ergo ſanctitas,
B quæ ſanctitatis Chriſti participium eſt, petit ſemper creſcere, & quidem non tantum extrinſece in homine ſicut in Chriſto, ſed & intrinſece; homo quippe talis incrementi capax eſt.

54 PROB. IV. In viris ſanctioribus progrediendi deſiderium maxime urget, hique dicuntur Beati: Matth. 5. v. 6. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*: ubi Beda -- Apertiſſime „ nos inſtruit, nunquam nos ſatis juſtos exi- „ ſtimare debere, ſed quotidianum ſemper „ juſtitiæ amare profectum -- & S. Bernardus *Ser. 2. de S. Andrea* -- Nullum omnino
C „ præſentiæ ejus certius teſtimonium eſt, „ quam deſiderium gratiæ amplioris -- ergo.

Juſti proficere cupiunt.

55 PROB. V. Ratione D. Thomæ 2. 2. *q.* 24. *art.* 4. -- Charitas viæ poteſt au- „ geri, ex hoc enim eſſe dicimur Viatores, „ quod in Deum tendimus, qui eſt ultimus „ finis noſtræ beatitudinis. In hac etiam via „ tantò magis procedimus, quantò Deo „ magis propinquamus, cui non appropin- „ quatur paſſibus corporis, ſed affectibus „ mentis. Hanc autem propinquitatem facit „ charitas, quia per ipſam mens Deo uni- „ tur, & ideo de ratione charitatis viæ eſt, „ ut poſſit augeri; ſi enim non poſſet augeri,
D „ jam ceſſaret viæ proceſſus, & ideo Apo- „ ſtolus charitatem viam nominat dicens 1. „ *ad Corinth.* 12. Adhuc excellentiorem viam „ vobis demonſtro -- Apoſtolus alibi ſæpe Chriſtianæ vitæ perfectionem ſimilitudine viæ exhibet: ad Galat. 1. *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire*. 1. ad Corinth. 9. v. 24. *Sic currite, ut comprehendatis*. Hinc S. Gregorius *lib.* 22. *Moral. cap.* 5. -- More itaque viatorum nequaquam „ debemus aſpicere, quantum jam iter egi- „ mus, ſed quantum ſupereſt, ut peraga- „ mus -- & S. Hieronymus in Pſal. 83. -- „ Felix eſt, qui quotidie proficit, qui non
E „ conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid ho- „ die faciat, ut proficiat -- Ejuſdem labii eſt S. Auguſtinus *in Epiſt.* 1. *Joan. Tract.* 5. -- „ Charitas, cum fuerit nata, nutritur (*quod* „ *pertinet ad incipientes*) cum fuerit nutrita, „ roboratur (*quod pertinet ad proficientes*) „ cum fuerit roborata, perficitur (*quod perti-* „ *net ad perfectos*) -- S. Leo *Ser.* 2. *de Quadrageſ.* -- Hæc eſt perfectorum vera juſtitia, ut „ nunquam præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab „ itineris nondum finiti intenſione ceſſantes, „ ibi incidant in deficiendi periculum, ubi „ proficiendi depoſuerint appetitum -- S. Bernardus *Epiſt.* 53. *ad Lavinum* -- Nunquam „ juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nun- „ quam dixit, ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, „ ſititque juſtitiam, ita ut ſi ſemper viveret, „ ſemper de bono in melius proficere totis „ viribus conaretur -- His abunde ſatis probatum eſt adverſus Jovinianum, Beguardos, ceteroſque Novatores omnes juſtos haud fore æquales in ſanctitate, atque in juſtitia, & perfectione creſcere poſſe.

Unde dicimur Viatores.

HÆRETICORUM MOMENTA EVERTUNTUR.

56 OBJIC. I. Si in via Sanctitas non foret æqualis, non foret itidem æquale præmium in Patria; atqui præmium æquale eſt: etenim *Matth.* 20. *v.* 8. dicitur Operarios, tam qui primo mane, quam qui veſpere conducti fuere in vineam, denarium æqualiter recepiſſe; ergo.

RESP. Neg. min. Inæqualia ſane præmia elargitur Deus, eapropter habemus Joan. 14. v. 2. dicentem Dominum: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ideſt diverſæ, & inæquales, ſicut in Palatio Regis inæqualia adinveniuntur cubicula; & Paulus Eccleſiam domui comparat, in qua ſunt vaſa aurea, argentea, lignea, & fictilia 2. *ad Timoth.* 2., & 1. *ad Corinth.* 15. *v.* 41. Beatos ſtellis aſſimilat, quæ in claritate diſcriminantur. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim a Stella differt in claritate*. Sancti itaque omnes donantur beatitudine, ſed non in eodem perfectionis gradu. Denarius ergo eſt objectiva beatitudo, quæ utique una eſt, videlicet Deus clare viſus, ſed formalis beatitudo eſt viſio, hæcque inæqualis. Et meritò ſane, ſiquidem Apoſtolus 2. ad Timoth 4. v. 8. eam vocat *coronam juſtitiæ, quam reddet Dominus juſtus judex*; non foret autem juſtus judex, ſi æqualem elargiretur coronam, cum *Matth.* 30. dicatur in Eccleſia alium trigeſimum, ſexageſimum alium, alium denique centeſimum fructum afferre.

Formalis beatitudo inæqualis.

57 DICES. Si in denario non intelligeretur æqualitas præmii, nulla fuiſſet murmurationis occaſio; atqui murmuraverunt, qui credebant ex majori labore majorem reportare mercedem; ergo.

RESP. Conſultò murmuratio inducitur, ut inde manifeſtum fiat nullam intervenire injuſtitiæ notam, ex quo liberaliter Deus quibuſdam dare velit ſupra condignum, eaque propter repoſuit conquerentibus v. 23. *Amice non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum eſt, & vade. Volo autem, & huic noviſſimo dare ſicut & tibi*. *Vid. n.* 266 *cit. Controverſiæ, & n.* 31. *Controverſiæ* 2. *ejuſd. Tract.*

58 OBJIC. II. Perfectio viæ per fidem regulatur; ſed hæc una, eademque eſt in omnibus; in omnibus enim æque a Beatitudine diſtat, cum in omnibus eandem obſcuritatem divinæ revelationis habeat; ergo.

RESP. Neg. min. Fides inæqualis eſt quoad intenſionem, licet eadem quatenus ob-

obſcura, & prout non conſiſtit in termino.; Ceterum ſi in omnibus eſſet æqualis, quo pacto Chriſtus Matth. 8. v. 10. de Regulo dicebat: *Non inveni tantam fidem in Iſrael?* Hoc apprime noverat S. Hieronymus *lib. 2. in Jovinianum*, adeoque adverſus ipſum urgebat -- Quare dicunt Apoſtoli, Domine auge „ nobis fidem, ſi omni una menſura eſt? -- Quapropter ſicut charitas ſuos habet gradus, ita & fides. Joan. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. 1. Joan. 4. v. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem... qui autem timet, non eſt perfectus in charitate*. Hinc S. Auguſtinus *Ser. 16. de Verbis Apoſtoli* -- Juſtificati ſumus; ſed ipſa juſti„ tia, cum proficimus, creſcit --

Fides quomodo æqualis dicitur.

59 OBJIC. III. Charitas, in qua Chriſtianæ vitæ perfectio conſiſtit, in omnibus eſt æqualis quoad diminutionem; non enim in aliquo diminutionem patitur, in alio non; ergo æqualis cenſenda eſt in omnibus quoad augmentum; contraria enim nata ſunt circa idem verſari.

RESP. Neg. conſeq. quoad præſentem providentiam; non enim dubium eſſe poteſt a Deo poſſe minui: charitas igitur non poteſt minui niſi ab homine, vel a Deo, ab homine vel per ceſſationem actuum, vel per peccatum; non primo modo, quia virtutes infuſæ, ſicut effectivæ non acquiruntur noſtris actibus, ita effectivæ per ceſſationem eorum non minuuntur; non ſecundo modo, quia ſi peccatum eſt mortale, totum tollit charitatem; mortale namque directe ultimo adverſatur fini, ad quem convertit charitas: ſi peccatum eſt veniale, nullum gradum tollit, quia directe charitati non opponitur, ſed fervori; cum charitas directe ſit ad finem, & magis charitatis eſt magis eſſe ad finem; peccatum autem veniale eſt citra finem, unde minuere charitatem nequit; ſicut error circa ea, quæ deducuntur in ſcientiis ex primis principiis, principiorum non minuit certitudinem: non a Deo, quia Deus ſecundùm providentiam præſentem non deſerit, niſi prius deſeratur, adeoque dona ſua non tollit, nec minuit niſi in pœnam peccati. Hæc habes ex D. Th. 2. 2. *q.* 24. *art.* 10., quare non datur cauſa diminuens, datur tamen cauſa augens, ipſa videlicet bona opera juſtorum, quæ ſunt meritoria, & Divinorum auxiliorum affluentia conferens vires ad currendas ſemitas juſtitiæ. Attamen poteſt homo diſpoſitive per actus ceſſationem, & per veniale peccatum concurrere ad corruptionem charitatis, ut ibidem notat Angelicus. Axioma illud verum eſt, quando ſubjectum æqualiter ſe habet ad utrumque contrarium, quod non accidit in caſu; non enim circa utrumque datur paritas cauſarum, deinde ad veritatem axiomatis ſufficit, quod poſſit per Divinam potentiam minui.

Charitas augeri, non minui poteſt.

60 OBJIC. IV. *Si quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis perfectior Chriſto inveniri*. Sic arguunt Beguardi *in Clement. cit.*, & ſupponunt gratiam Chriſti eſſe finitam; ſequeretur etiam, quod quis poſſet acquirere perfectionem Patriæ, utpote finitam; hoc autem eſt contra Chriſti doctrinam, qui,
A poſtquam dixit: *Non ſurrexit major Joanne Baptiſta*: addidit. *Qui minor eſt in regno cælorum, major eſt illo*.

RESP. Verbis Gloſſæ *loc. cit. Clement.* -- „ Minus enim per augmentum poteſt perve„ nire ad quantitatem majoris in his, quæ „ habent quantitatem unius rationis... ſed „ gratia alterius hominis ſe habet ad gra„ tiam Chriſti, ſicut virtus particularis ad „ univerſalem; unde ſicut virtus ignis quan„ tumcumque creſcat, non poteſt æquari vir„ tuti ſolis, ita gratia hominis quantum„ cumque perfecti non poteſt æquari virtuti, „ & gratiæ Chriſti -- Ad ſecundam inſtan-
B tiam habet S. Th. 2. 2. *q.* 24. *a.* 7. *ad* 3. -- „ Dicendum quod ratio illa procedit in his, „ quæ habent quantitatem ejuſdem rationis; „ non autem in his, quæ habent diverſam „ rationem quantitatis. Sicut linea quan„ tumque creſcat, non attingit quantitatem „ ſuperficiei. Non eſt autem eadem ratio „ charitatis viæ, quæ ſequitur cognitionem „ fidei, & charitatis Patriæ, quæ ſequitur „ viſionem apertam; unde non ſequitur ra„ tio -- Loquitur S. Doctor de charitate Patriæ qua talis, quia ſi conſideretur in eſſe qualitatis phyſicæ, optimè dari poteſt, quod vir aliquis juſtus in via charitatem habeat in-
C tenſiorem, quam aliquis Beatorum.

Charitatis viæ, & patriæ diſcrimen.

61 DICES. Etiam ea, quæ ſuperioris ſunt ordinis, ſi finita ſint, poſſunt ab iis, quæ ſunt lineæ inferioris æquari, ſi ſemel terminum non habent incrementi; ergo ſi charitas in perfectis hunc non habet, Chriſti gratiam, licet excellentioris ordinis, poterit æquare. Ant. prob. Gloria eſt ſuperioris ordinis ad præſentis vitæ ſtatum, & tamen viatoris opera ratione libertatis, aliarumque circumſtantiarum illam æquare poſſunt; poſſunt namque mereri de condigno Beatitudinem: ſicut etiam peccata contra Deum ſuperioris ſunt ordinis ad ea,
D quæ contra proximum perpetrantur, & tamen plura peccata in proximum multiplicata, vel magis intenſa poſſunt adæquare gravitatem peccati odii Dei quoad pœnam, aliosque effectus: vivens itidem altioris eſt conditionis, & ordinis ad metallum, & tamen hoc ita poteſt creſcere, ut tanti æſtimetur, quanti vivens.

RESP. Neg. ant. Quod relata non evincunt exempla; nam in illis duplex adinvenitur ordo, alius entitativus, & ſpecificus, valoris alter, & dignitatis. Status gloriæ quoad perfectiones entitativas ſuperioris eſt ordinis ad actus præſentis vitæ, ſecus
E quoad quantitatem valoris; quia præmium in eſſe præmii de condigno habet commenſurationem cum actibus meritoriis, & ſi hanc non haberet, cadere ſub merito de condigno non poſſet; pariter peccata in Deum ſecundùm ſuam rationem ſpecificam ad ſuperiorem ordinem ſpectant, non tamen in eſſe demeritorio; in hoc quippe magis, minuſve prævalent. Similiter animal entitativè, & ſpecificè eſt ordinis ſuperioris ad metallum, tamen in communi æſtimatione non eſt altioris ordinis, eaque propter æquari poteſt in valore ab auro, ſi multiplicetur.

Quæ diverſi a dinis quo a ratio æquari poſſunt.

D Porro

Porro gratia Chriſti in eſſe gratiæ eſt ordinis ſuperioris ad noſtros charitatis actus, & ideo in hoc genere æqualitatem non patitur; ſicut & ſtatus beatificus quoad conditiones proprias in ſuo conſtitutivo neceſſarias, puta inamiſſibilitatem, eſt ordinis ſuperioris, ideoque æqualitatem refugit.

62 OBJIC. V. Perfectio juſtorum aſſimilatur luci ad meridiem uſque progredienti juxta illud Prov. 4. *Semita juſtorum quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem*. Atqui lux ſtatum acquirit, in quo amplius non creſcit, nempe meridiem; ergo ſanctitas juſtorum ſtatum acquirit, in quo amplius progredi non valet. Hinc Sponſa Cant. 1. v. 7. petit a Sponſo ſummum fidei, & charitatis incrementum. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie*.

Status Beatitudinis non deficiet.

RESP. Neg. conſeq. Quia pro perfecto die intelligitur ſtatus Beatificus. Dies enim perfectus eſt dies ſtabilis, & dies, quo lux nunquam deficit, eſt dies, qui non vertitur in noctem; & hæc perfectio convenit ſolùm Beatis, ideo paritas de meridie non evincit, cum meridies potius diei hora, quam perfectus cenſendus ſit dies; Scriptura verò uſque ad diem, non uſque ad horam incrementum ponit.

63 DICES. Deus omnia fecit in pondere, numero, & menſura; ergo poſuit perfectioni terminum, ultra quem non datur incrementum; hinc diſtinguunt Myſtici ſtatum, incipientium, proficientium, & perfectorum, ut compertum fiat ulterius augmentum non dari.

Quo pacto rebus terminum poſuit Deus.

RESP. Scriptura ſolummodo vult innuere naturis rerum dediſſe Deum determinatam eſſentiam, finitamque latitudinem perfectionis actu acquirendæ; non autem quod ſtatuerit augmenti terminum in eo, quod latitudinem habet intenſivam. Fecit Deus in menſura mobile in ordine ad motum, & tamen, quia natura mobilis eſt moveri, dato quolibet motu adhuc moveri poteſt; ita quia ſtatus viæ eſt ſtatus merendi, quandiù juſtus viator eſt, creſcere poteſt, atque perfici, eaque propter menſura, & pondus charitatis in via non alius eſt a termino vitæ. Illa porro myſtica ſtatuum diſtinctio ad indicandum triplex ſtudium principale in via ſalutis inſtituta eſt. Primum eſt eorum, qui potiſſimum purgationi a peccatis incumbunt; ſtudium alterum illud eſt eorum, qui in acquirendis virtutibus inſudant. Tertium denique illorum, qui nituntur unionem cum Deo quærere. Status quilibet magis, magiſque perfici poteſt: purgatio peccatorum major eſſe poteſt; ſicut acquiſitio virtutum, & unio cum Deo: nec inde periculum occurrit, quod juſtus ita creſcat in ſanctitate, ut excedat prædeſtinationis decretum; nam prædeſtinationem decrevit Deus relatè ad quantitatem meritorum, quæ prævisa, & decreta fuere. His abunde conſtat falſitas doctrinæ Beguardorum, quæ eo tendit, ut vitioſam foveat otioſitatem ſub virtutis colore, quam Molinos, ejuſque Sectatores adoptaverunt.

§. II.

PERFECTIO VITÆ CHRISTIANÆ NUSQUAM IN VIA ACQUIRIT IMPECCABILITATEM.

64 NE in æquivocis tempus teramus, non loquimur impræſentiarum neque attentâ poſſibilitate abſolutâ, neque per ordinem ad extraordinarium divinæ diſpenſationis privilegium; ſiquidem tantam indubie poteſt Deus juſto largiri auxiliorum, & donorum copiam, ut nuſquam in leve etiam ex ſubreptione labatur crimen; & hoc privilegium de facto conceſſum eſt B. V. Mariæ, ut declaravit Concilium Trid. *Seſſ. 6. Can. 23.*, Aug. *lib. de nat.*, *& grat. cap. 36.* accedente omnium Patrum conſenſu, ut legi poteſt apud Caniſium *lib. 1. de Deipara cap. 10.*

65 Neque inſtituitur ſermo de potentia poſſibilitatis, attentâ ordinariâ Providentiâ, ideſt, ad examen non revocamus, an Providentiâ ordinariâ ſupernaturalis ordinis communicet Deus Eccleſiæ ſuæ, prout tres complectitur ſtatus incipientium, proficientium, & perfectorum tantas gratiæ vires, ut poſſibile ſit, omnia evitare venialia; quo ſenſu non defuere, qui id docuerint, licèt omnes adverſentur ferè Theologi. Controverſia igitur verſatur, an practicè detur ſtatus, in quo ab aliquibus ſaltem omnia venialia evitentur, ab his, quæ ex indeliberatione, vel ſubreptione ſunt, præſcindendo.

Genus aliquod venialium evitari poteſt.

66 Non renuimus admittere genus aliquod venialium evitari poſſe, quia inter Doctores ſatis piè creditur, quod Joannes Baptiſta non peccavit peccato linguæ, eoquod Eccleſia in ejuſdem ſolemniis aſſerat in antra deſerti receſſiſſe, ne crimine linguæ macularetur; ita enim decebat virum ſpecialiter miſſum ad prædicandum Chriſti adventum, ut mundis labiis ipſum enunciaret; piè quoque creditur Sanctum Joſeph caſtitatis nec venialiter quidem paſſum fuiſſe detrimentum, eoquod electus fuerit Sponſus V. Mariæ, & S. Gregorius 2. *Dialog.* 2. fatetur Sanctum Benedictum ab eo tempore, quo ſe inter ſpinas volutavit carnis motus non ſenſiſſe. De S. Thoma idem aſſeritur poſtquam fuit ab Angelo præcinctus. Hos inter enumeratur Sancta Thereſia, nam, ex quo abſtinuit a colloquio cum nobili quodam viro, qui eam deſponſare cupiebat, ab immundis phantaſmatibus immunem prorſus ejuſdem Confeſſarii dixerunt. Loquimur igitur indefinitè de omni genere peccatorum venialium, & ad longum tempus; ſi enim ſermo haberetur de modico temporis ſpatio, haud difficile erit cum Catholicis Doctoribus ſentire, atque aſſerere juſtum per actus ardentiſſimæ charitatis, vel per diligentem Euchariſtiæ ſumptionem ab omnibus poſſe venialibus purgari, & pro brevi tempore a novis committendis per vigilantiam ſpiritualis converſationis abſtinere, ut docet S. Thom. *3. p. q. 79. art. 4. ad 2.* Quantum autem ſit

hoc

A brevi tempus omnia venialia vitari poſſunt.

hoc breve ſpatium, non cadit ſub determinata aſſignatione: Soto, & Vega putant per unum diem, Martinez per duos in illis viris perfectis, qui per duos, vel tres dies extaxim patiuntur; non enim rationabile videtur eo tempore peccare, Curiel verò non dies, ſed horas enumerat, videlicet quatuor, vel ſex; igitur is eſt Controverſiæ ſcutus, an in præſenti providentia ordinis ſupernaturalis practica detur potentia ad omnia venialia ad longum tempus vitanda, vel gradus aliquis perfectionis, in quo juſtus longo tempore eadem evitet, quod juxta Beguardorum phraſim omnimodam vocamus impeccabilitatem.

Adverſus hunc errorem ſtat Catholica veritas, quæ ſic

67 PROB. I. Toties non datur potentia practica vitandi omnia venialia pro quolibet ſtatu, quoties Scriptura nullum juſtum illis carere affirmat; ſed hoc affirmat Scriptura; ergo. Minor explicatur. 2. Paralip. 6. v. 36. dicitur: *Nec enim eſt homo, qui non peccet*: quæ locutio urget quam maxime ad probandam univerſalitatem propoſitionis, & ad declarandum nullum a venialibus eximi; ſiquidem impræſentiarum de mortalibus non agitur; ab hiſce enim plures longo tempore abſtinuiſſe compertum eſt. Eccleſiaſtes 7. v. 21. *Non enim eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Locutio hæc rem plane evincit, & ſenſum habet diſtributivum. Prov. 24. v. 16. *Septies enim cadet juſtus*. Hinc Matth. 6. v. 12. Dominus docet, ut quilibet de Eccleſia orans dicat. *Dimitte nobis debita noſtra*; quia nemo unus ex fidelibus eſt, qui aliquando venialibus non inquinetur, quod concinit Jacobo cap. 3. v. 2. dicenti: *In multis enim offendimus omnes*, & clariùs exprimitur 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Hujuſcemodi locutio nullum ſtatum perſonarum excipit, nullamque perſonam.

Juſti ad unū omnes venialiter peccant.

Elucidatur ratio. Non minus univerſales; & indefinitæ ſunt hujuſmodi propoſitiones, quam illæ, quibus doctrina traditur de originali peccato, puta: *Nemo mundus a ſorde, neque infans unius diei. Omnes mortui ſumus. Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*; ſed iſtæ ſunt univerſales diſtributivæ, ita quod de fide ſit omnes, & ſingulos homines, ſi Deiparam excipias, originali inficì labe; ergo pariter primæ ſunt univerſales diſtributivæ omnes, & ſingulos juſtos afficientes, excepta B. V. M. ob ſingulare privilegium illi conceſſum.

A generali lege nullus excipitur.

68 DICES I. Prædicta intelligenda ſunt, humilitatis causâ, Sanctorum more enunciatâ; hi namque ſeipſos graviores peccatores, quam latrones dictitant, & tamen prædonum crimina nuſquam perpetrarunt.

RESP. Verbis Concilii Milevitani *Can.* 6., ſeu veriùs Carthaginenſis -- Item placuit, „ quod ait Sanctus Joannes Apoſtolus: *Si di-* „ *xerimus, quod peccatum non habemus ipſi* „ *nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, „ quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut di- „ cat propter humilitatem oportere dici, „ nos habere peccatum, non quia verè ita „ eſt; anathema ſit; ſequitur enim Apoſto- „ lus, & adjungit, *ſi autem confeſſi fuerimus* „ *peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, qui* „ *remittat peccata* .... Ubi ſatis apparet hoc „ non tantùm humiliter, ſed etiam veraci- „ ter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere: „ Si dixerimus, quia non habemus pecca- „ tum, nos ipſos extollimus, & humilitas „ in nobis non eſt; ſed cum ait; nos ipſos „ decipimus, & veritas in nobis non eſt, „ ſatis oſtendit eum, qui ſe dixerit non „ habere peccatum, non verum loqui, „ ſed falſum -- Quibus definitivè ex duplici ratione inſtantiam refellit. *Can.* 8. ſimiliter dicitur -- Item placuit, ut qui- „ cumque verba illa Dominicæ Orationis, „ ubi dicimus, dimitte nobis debita noſtra, „ ita volunt a Sanctis dici, ut humiliter „ non veraciter hoc dicatur; anathema ſit -- & ratio in aperto eſt, quia humilitas veritati innititur, & hoc ipſo quod veritati opponatur, humilitas non eſt, ſed vitium; ergo dicas oportet juſtos quoſlibet vere delinquere venialiter; porro Scripturam loqui de peccatis indubium plane eſt, dum dicit: *Septies enim cadet juſtus, & reſurget. Cadet, & reſurget* verè innuit peccatum, & reſipiſcentiam: *Remiſiſti iniquitatem peccati mei, pro hac orabit omnis Sanctus*. Non remittitur, quod non eſt peccatum, nec poſtulatur a Deo remiſſio, ſi non præceſſit crimen. Nonnullæ denique propoſitiones ſunt expoſitoriæ, & doctrinales, v. g. *Non eſt homo juſtus, qui faciat bonum, & non peccet. Non eſt homo, qui non peccet*. Hujuſmodi ſane ad humilitatis ſenſum detorqueri nequeunt.

Humilitas non opponitur veritati.

69 DICES II. Sancti non loquuntur in propria perſona, ſed aliorum, qui ſunt in populo, & peccant, ut patet in B. V. M., quæ Dominicam recitabat Orationem.

RESP. Ex ejuſdem Concilii *Canone* 7., ubi -- Item placuit, ut quicumque dixerit in „ Oratione Dominica ideo dicere Sanctos „ *Dimitte nobis debita noſtra*, ut non pro ſe „ ipſis hæc dicant, quia non eſt eis jam ne- „ ceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis, qui ſunt „ in ſuo populo peccatores .... anathema „ ſit -- Et certè Scripturæ hanc non patiuntur interpretationem, quia, ut diximus, propoſitiones ſunt univerſales diſtributivæ, aliæ per formulam affirmativam, aliæ per negativam. Certum eſt, Chriſtum ſingulos de Eccleſia docuiſſe orare, & ſingulis præceptum eſſe, ut orent; unde clariſſimè conſtat ſingulos debere dicere *Dimitte nobis debita noſtra*. Addas velim non omnes poſſe aliorum nomine dicere *Dimitte nobis*. Hoc quippe ſolummodo ſuperioribus convenire poſſet; quia illi ſolum alios repræſentant, & tamen prædictæ propoſitiones nullum ſubditos inter, & ſuperiores apponunt diſcrimen. Nec momentoſum eſt, quod de Deipara inducitur; nam de ea habetur in Eccleſia expreſſa exceptio, ac proindè exemplum hoc noſtram confirmat doctrinam, juxta commune effatum: *Exceptio firmat regulam in contrarium*; poterat nihilominus Deipara illam precem recitare nomine ſuo, quatenus præſervatio a lapſu dici quodamodo poteſt remiſſio, quo pacto Aug. *lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 7. dice-

Sancti ſe ipſos peccatores dicunt.

dicebat — Gratiæ tuæ deputo, quod peccata
„ mea tanquam glaciem ſolviſti, gratiæ tuæ
„ deputo, & quæcumque mala non feci —

70 DICES III. Scripturæ ſingulos ob
reſpectum ad originale peccatum, quo ad
unum omnes maculantur, & propter fomitem,
qui in ſingulis manet, peccatores nuncupat.

Verùm talia ſomniantes manifeſtè deſipiunt Adverſantes; & ſane. I. Juſtus non eſt,
qui originali infectus eſt noxa; ſed de juſto
dicitur peccare; ergo de originali non loquuntur Scripturæ: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, teſte Apoſtolo ad Romanos 8. v. 1. II. Nec peccatum
originale ſæpe contrahitur, nec fomes extinguitur, ſed Scriptura dicit: *Septies enim cadet juſtus, & reſurget*; ergo nec de Originali, nec de Fomite loquitur. III. Fomes
non dimittitur, & tamen loquitur Scriptura
de peccatis, quæ dimittuntur: res clara eſt,
adeoque ulterius non immorandum.

Prædicta roborantur ex *Can. 23. Concilii Tridentini Seſſ. 6.* — Si quis hominem ſemel
„ juſtificatum dixerit . . . poſſe in tota vita
„ peccata omnia etiam venialia vitare, niſi
„ ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum
„ de B. V. tenet Eccleſia; anathema ſit —
quam doctrinam *cap.* 11. aliquibus probaverat Scripturis a nobis adductis. Itaque cum
dicitur *hominem juſtificatum*, jam excluditur
originale; addendo *peccata venialia* ſatis innuitur non eſſe ſermonem de fomite, qui
non eſt peccatum, & ſi eſſet, mortale haberetur; excipitur quoque B. V., eaque propter de illa nullimode loquendum.

Scripturæ ad mentem Patrum intelligendæ.

71 PROB. II. Catholicum dogma,
& anteriora firmantur. Sunt intelligendæ
Scripturæ, prout Patrum explicat traditio;
atqui Patres communitèr docent nullum in
hac vita poſſe practicè omnia vitare venialia; ergo Scripturæ ſunt ſic explicandæ.
Min. fusè poſſet demonſtrari; ſed in re ſatis
clara ſequentia ſufficient momenta. S. Gregorius Nazianzenus *Orat. in plagam grandinis*, habet — Illud cognitum habeamus,
„ quod omni vitio carere hominis modulum
„ excedit, ſoliuſque Dei eſt — Quibus invicte docet non eſſe poſſibile practice ſingula,
& omnia evitare peccata venialia; de his
enim loquitur; cum de magnis criminibus
aliter ſentiat. Cyprianus *in Sermone de Opere, & Eleemoſynis* — Nec quiſquam ſic ſibi
„ de puro, atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentiâ ſuâ fretus medicinam non putet adhibendam eſſe vulneribus, cum ſcriptum ſit. Quis gloriabitur
„ caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur
„ mundum ſe eſſe a peccato, & iterum in
„ Epiſtola ſua Joan. ponat: *Si dixerimus,
„ quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus* — S. Joannes Chryſoſt. *homil. 20. in Matth.* — Peccata, quibus Deum quotidie
„ offendimus non perpendimus, ideoque
„ mœremus, & angimur. Quod ſi unius
„ ſaltem diei noſtra vellemus peccata numerare, tunc optimè diſceremus quantorum
„ rei eſſemus malorum . . . Quis igitur noſtrum non habuit in oratione deſidiam?
„ Quis non ſuperbiæ eſt inflatus tumore?
„ Quis non inannis gloriæ aurula ventilatus
„ eſt? Quis non de fratre detraxit? —
S. Ambroſius *Epiſt. in Iſaiam apud D. Aug. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 49.* poſtquàm dixit
cum *Apoſt. ad Philip. 3.* dari perfectos in mundo,
& in cœlo, ſubdit — Ita & immaculati ſunt
„ in hoc mundo, & immaculati erunt in
„ Regno Dei, cum utique ſi minutiùs excutias, immaculatus eſſe nemo poſſit,
„ quia nemo ſine peccato — S. Hieronymus
lib. 2. contra Pelagianos — Hominem ſine
„ peccato eſſe nego; id enim ſoli Deo competit, omniſque creatura peccato ſubjacet,
„ indiget miſericordia Dei, dicente Scriptura: Miſericordia Domini plena eſt terra: & ne quaſi maculas quaſdam in ſanctis viris videat perſcrutari, in quibus errore ſunt lapſi, pauca proferam, quæ non
„ ad ſingulos, ſed ad omnes in communi
„ pertineant, *in* 31. *Pſalmo* ſcriptum eſt:
„ dixi, pronunciabo adverſum me injuſtitiam
„ meam Domino, & tu dimiſiſti impietatem
„ cordis mei: ſtatimque ſubditur pro hac,
„ hoc eſt impietate, ſive iniquitate, utrumque enim intelligi poteſt, orabit ad te
„ omnis Sanctus in tempore opportuno. Si
„ Sanctus eſt, quomodo orat pro iniquitate?
„ Si iniquitatem habet, qua ratione Sanctus
„ appellatur? Juxta illum videlicet modum,
„ qui & in alio loco ſcribitur: ſepties cadit
„ juſtus, & reſurget, & juſtus accuſator ſui
„ eſt in principio ſermonis — Quod teſtimonium, ut apparet ex contextu ſenſum
redit, quod non aliqui ſolùm, ſed omnes
juſti peccant. S. Gregorius Magnus *lib. 21. Moral. cap. 9.* — Hoc inter peccatum diſtat,
„ & crimen, quod omne crimen peccatum
„ eſt, non tamen omne peccatum crimen
„ eſt; & in hac vita multi ſunt ſine crimine, nullus vero eſſe ſine peccatis valet.
„ Unde & prædicator Sanctus cum virum
„ dignum gratiâ Sacerdotali ſcriberet, nequaquam dixit; ſi quis ſine peccato, ſed
„ ſi quis ſine crimine eſt; in qua videlicet
„ peccatorum, & criminum diſtinctione
„ penſandum eſt, quia nonnulla peccata
„ animam polluunt, quam crimina extinguunt — S. Bernardus *Serm. de Cœna Dom.*
ad verba illa Chriſti: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet* — Lotus eſt, qui
„ gravia peccata non habet, cujus caput,
„ ideſt intentio, & manus, ideſt operatio,
„ & converſatio munda eſt: ſed pedes, qui
„ ſunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi eſſe non
„ poſſunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curioſitati pluſquam
„ oportet, cedat animus, vel ad horam &c. —
Sed D. Auguſtinus rem totam abſolvat. Veritatem hanc ſæpenumero docet: *De bono perſeverantia cap. 2.* — Tria ſunt, ut ſcitis,
„ quæ maxime adverſus eos (*Pelagianos*)
„ Catholica defendit Eccleſia. Quorum eſt
„ unum, gratiam Dei non ſecundum merita
„ noſtra dari . . . . Alterum eſt, in quantacumque juſtitia ſine qualibuſcunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem
„ vivere — *De ſpiritu, & littera cap. ultimo*
— Illud eſſe conſequens video, ut qualemlibet, vel quantamlibet in hac vita potue-

„ rimus

„ rimus definire juſtitiam, nullus in ea ſit
„ hominum, qui nullum habeat omnino
„ peccatum -- *Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap.* 14. -- Neque enim quiſquam ſic
„ deſipit, ut dicat ad Baptizatos Domini-
„ cum illud non pertinere præceptum, di-
„ mittite, & dimittetur vobis, date, & da-
„ bitur vobis. Nullus autem in Eccleſia
„ rectè poſſet ordinari miniſter, ſi dixiſſet
„ Apoſtolus: ſi quis ſine peccato, ubi ait:
„ ſi quis ſine crimine eſt; aut ſi dixiſſet,
„ nullum peccatum habentes, ubi ait: nul-
„ lum crimen habentes. Multi quippe Ba-
„ ptizati fideles ſunt ſine crimine, ſine pec-
„ cato autem in hac vita neminem dixerim,
„ quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus,
„ adverſus nos inflentur, & dirumpantur
„ inſania... hæc eſt fidei Catholicæ ſanitas,
„ quam Sanctus ubique ſeminat ſpiritus,
„ non pravitatis hæreticæ vanitas, & præ-
„ ſumptio ſpiritus -- *Lib. de nat., & grat. cap.* 36., ubi referens, quod Pelagiani dixe-
rint plures Sanctos, ut Enoch, Abelem,
Joſephum Sponſum B. V., Joannem Bapti-
ſtam Præcurſorem Domini, & alios non ha-
buiſſe peccata, & juſtos omnino vixiſſe, ha-
bet -- Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes
„ illos Sanctos, & Sanctas cum hic vive-
„ rent, congregare poſſemus, & interro-
„ gare utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe
„ reſponſuros putamus? Utrum hoc, quod
„ iſte dicit, an quod Joannes Apoſtolus?
„ Rogo vos quantalibet fuerint in hoc cor-
„ pore excellentia Sanctitatis, ſi hoc inter-
„ rogari potuiſſent, nonne una voce clamaſ-
„ ſent: ſi dixerimus quia peccatum non ha-
„ bemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in
„ nobis non eſt? -- S. Mater Thereſia my-
ſticæ Theologiæ Magiſtra monitu IV. poſt
mortem filiis, & filiabus ſuis commendato
ait -- Quam exigui videntur multi defectus,
„ & imperfectiones, quæ in hac vita fiunt,
„ & quam leviter de his ſentimus, verùm
„ horreſcet animus, cum judicabit Deus,
„ potiſſimum ſi eos ſpectes, qui charitati
„ adverſantur -- Alia prætermittimus teſti-
monia, cum hæc abundè ſufficiant.

In hiſce porro auctoritatibus illud non-
nodum occurrit, ibidem ſermonem inſtitui
de viris excellentioris Sanctitatis, ut inde
compertum habeant Beguardi nullum dari
perfectionis ſtatum, qui venialia excludat
peccata; & certè auctoritas S. Joannis, &
S. Jacobi comprehendit Apoſtolos, qui fue-
runt ſanctitate celebres, utpotè primitias
ſpiritus habentes. Apud Ezech 14. legimus
Job, Danielem eos inter enumerari, qui exi-
mia perfectione floruere, & tamen Job. cap.
14. v. 16. clamat ad Dominum: *Sed parce pec-
catis meis*, & cap. 42. v. 6. *Ipſe me repre-
hendo, & pœnitentiam ago*: Daniel. cap. 9.
v. 20. *Cum orarem, & confiterer peccata mea*.
Verùm quid plura? Hac ſuper re invicta
præſto ſunt momenta legentibus eorum geſta,
quos Eccleſia Sanctorum albo adſcripſit. Hæc
percurrant Hæretici, & ipſis compertum fiet
defeciſſe in ſcrutationibus ſuis.

72 DICES. His ſolum evincitur toto
vitæ tempore neminem omnia vitare poſſe
peccata venialia, ſecus per longum tempus.
Sed hæc ſolutio inanis eſt, Concilium Tri-
A dentinum *Can.* 23. pro vita non totum vi-
vendi ſpatium, ſed multum temporis intelli-
git, ut manifeſtè conſtat ex *cap.* 11., ubi
ait -- Licet in hac mortali vita quantumvis
„ ſancti, & juſti in levia ſaltem, & quoti-
„ diana, quæ etiam venialia dicuntur, pec-
„ cata, quandoque cadant, non propterea
„ deſinunt eſſe juſti. Nam juſtorum illa vox
„ eſt, & humilis, & verax: *Dimitte nobis*
„ *debita noſtra* -- Terminus ille *quotidiana*
temporis excludit longitudinem, alter nem-
pe *quandoque* longum ſpatium non compati-
tur, dein Chriſti verba *Dimitte nobis debita
noſtra*, frequentiam determinat, ſiquidem
B frequenter præſcribitur nobis orare juxta illud
Oportet ſemper orare. *Semper* ſecundùm
communem Patrum intelligentiam in idem
redit, ac *frequenter*. Auctoritates ſimiliter
tum Scripturæ, tum Patrum abſolutæ ſunt;
& nullam dicunt determinationem, adeoque
extorquentur, dum determinantur ad lon-
gum vitæ tempus; immo nonnullæ determi-
nate ſermonem habent de frequentia, ut,
cum dicitur: *Septies cadet juſtus*; itidem
cum Chryſoſtomus, Gregorius, aliique ve-
nialia vocant quotidiana, quibus addo illam
celebrem Sententiam Cypriani *ex lib. de Orat.
Dominica* ad illa verba: *Sanctificetur nomen*
C *tuum* -- Opus eſt enim nobis quotidiana ſan-
„ ctificatione, ut qui quotidie delinquimus,
„ delicta noſtra ſanctificatione aſſidua repur-
„ gemus -- Et ſane ſi quibuſdam longum
hocce temporis ſpatium foret indulgendum,
dubio-procul hi cenſerentur, quibus majo-
rem cœleſtium donorum affluentiam elargi-
tus eſt Deus, quos inter fuiſſe Apoſtolos ne-
mo inficias ibit, & tamen iſti clamant: *In
multis offendimus omnes &c.* Demum, quod
pro tota vita non poſſint viri perfecti omnia
vitare peccata, oritur ex frequentia occaſio-
num, ex mobilitate liberi arbitrii, ex con-
ditione corporis, quod deprimit ſenſum
D multa cogitantem, ex invidia Diaboli, qui
juſtiores ſolet ad certamen provocare, ex
obligatione munerum, quæ ad majorem vi-
gilantiam adſtringunt; ſed abſque dubio hæc
militant pro longo tempore; ergo.

Quotidie delinquimus quotidie pl... gendum.

73 PROB. III. Toties non poſſunt
viri perfecti nec pro tota vita, nec ad lon-
gum tempus omnia prorſus venialia vitare,
quoties non datur gratia extinguens, vel
ligans perfecte concupiſcentiæ fomitem; ſed
nulli etiam ſanctiſſimo, Deiparâ exceptâ,
datur hujuſmodi gratia; ergo nulli datur,
ut evitare omnia venialia poſſit. Declaratur
major, de cujus veritate ſuſpicari quis poſ-
E ſet. Origo innumerabilium motuum contra
rationem eſt fomes, eam præveniens, alli-
ciens, inclinans, quibus ut opponatur, ſum-
ma requiritur attentio, vigilantia, & ſolli-
citudo; porrò gratia fomitem non ligat,
nec confert vires ad tantam vigilantiam,
proindeque ſæpenumero juſti in conſenſus,
vel plenos, vel ſemiplenos labuntur. Doctor
Gentium hujuſce omnium peccatorum ori-
ginis vim experiebatur, eaque propter cla-
mabat ad Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem
in membris meis repugnantem legi mentis meæ,
& captivantem me in lege peccati*, v. 25. *Ego*

Fomes origo malorum.

ipſe

ipſe mente ſervio legi Dei ; carne autem legi peccati, ubi diligentèr notanda ſunt illa verba *captivantem me . Servio legi peccati*, quæ exprimunt vim fomitis allicientis ad malum. Hac ratione utitur S. Thom. 1. 2. *q.* 109. *a.*8., *& de Veritate q.* 24. *a.* 12. hanc adoptant Patres . S. Aug. *lib. de perfectione juſtitiæ cap.*4. -- „ Quia peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem „ peccatum habendi dura neceſſitas, donec „ tota ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta „ libertas, in qua ſicut neceſſe eſt, permaneat „ beatè vivendi voluntas, itaut ſit etiam bene „ vivendi voluntaria felixque neceſſitas -- S. Hieronymus *lib.* 3. *adverſus Pelagianos* -- „ Hoc & nos dicimus poſſe hominem non „ peccare, ſi velit, pro tempore, pro loco, „ pro imbecillitate corporea, quandiu intentus eſt animus, quandiu corda nullo vitio „ laxatur in cithara, quod ſi paululum re„miſerit, quomodo qui adverſo flumine „ lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſta„tim retro labitur, & fluentibus aquis, quo „ non vult, ducitur, ſic humana conditio, „ ſi paululum ſe remiſerit, diſcit fragilita„tem ſuam, & multa ſe non poſſe cogno„ſcit -- Porro gratia non ligat fomitem, qui eſt flumen adverſum, neque dat vires ad eam attentionem, de qua loquitur S. Doctor, immò eſt adeò vehemens impetus fluminis, ut, dum ratio incumbit reprimere unum motum, alius inſurgit, prout optimè advertit D. Th. ex 1. 2. *cit.*, & S. Bern. *de Cœna Domini*, ait -- In caſu primi hominis „ cecidimus omnes, cecidimus autem ſu„per acervum lapidum, & in luto, unde „ non ſolum inquinati, ſed etiam vulnerati, „ & graviter quaſſati ſumus, lavari quidem „ cito poſſumus, ad ſanandum verò opus eſt „ curatione multa -- Ejuſdem labii ſunt ceteri Patres . Et revera ſicut in ſtatu originalis juſtitiæ propter perfectam ſubjectionem appetitus ſenſitivi ad rationem, immunis a venialibus erat ſtatus ille, ita quod non potuiſſet homo ſolùm venialitèr peccare, ita quia nunc ſolutus eſt appetitus a mentis ſubjectione, quædam inducitur neceſſitas ſæpè labendi .

Gratia fomitem non ligat.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA .

74 OBJIC. I. Non ſtat perfectio Chriſtiana abſque facultate practica vitandi omnia peccata venialia, ſed admonemur a Scriptura, ut ſimus perfecti, juxta illud Deut. 18. *Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo*, Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, 2. Corinth. 13. *De cetero fratres gaudete, perfecti eſtote*, 1. Joan. 2. v. 5. *Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*; ergo e re noſtra eſt omnia vitare peccata venialia . Cœleſtius Pelagianus apud Aug. *de perfectione juſtitiæ* ſic argumentabatur .

RESP. Duplex eſt perfectio, alia viatoris, ſeu pro ſtatu viæ, comprehenſoris alia, ſeu pro ſtatu Patriæ, cum illa ſtat neceſſitas quædam labendi in venialia; ſicut peregrinus iter aliqualitèr longum nequit perficere, abſque eo quod pulvere, aut luto ſordeſcat, ita donec *peregrinamur a Domino per fidem*, neceſſe eſt de humano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere : Theſaurus Chriſtianæ perfectionis portatur in vaſis fictilibus, quæ levibus læduntur, & facilè pulvere fœdantur . Immunis eſt altera ab omni inquinamento, quia juſtus ibi perfectè Deo famulatur; non enim mobilis eſt liberi arbitrii uſus, vel mole corporea ad terrena deprimente impetitur, oculi ejus ſemper ad Dominum, nec aliud, niſi Dei magnalia mente revolvit . Utramque hanc perfectionem commemorat Apoſt. ad Philip. 3. v. 12., & ſeq. *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus ſim . . . . Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe . Unum autem quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu* . Ad primam perfectionem acquirendam excitamur a Scripturis, immo præcepto adſtringimur; debemus enim impræſentiarum rectitudini conſonam vitam ducere, caſtigando corpus noſtrum, & ſervituti ſubjiciendo; ſecundam ſollicitamur aſſequi in Patria . 1. Corinth. 9. v. 24. *Sic currite, ut comprehendatis* .

Ad malum natura inclinat.

75 DICES . Jubemur eam tenere perfectionem, quam poſſumus habere; ſed illam poſſumus habere abſque ullo peccato; juxta illud Pſal. 14. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam*, 17. *Et ero immaculatus cum eo*, 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; ergo poteſt dari perfectio ſine omni peccato .

RESP. Verb. Aug. *cap.* 9. *de perfectione juſtitiæ*, ubi ex Cœleſtio plura alia adducit Scripturarum teſtimonia -- Horum teſtimo„niorum aliqua currentes exhortantur, ut „ perfecte currant, aliqua ipſum finem com„memorant, quo currendo pertendant; in„gredi autem ſine macula non abſurdè etiam „ ille dicitur, non qui jam perfectus eſt, „ ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehen„ſibiliter currit, carens criminibus damna„bilibus, atque ipſa peccata venialia non „ negligens mundare eleemoſynis . Ingreſ„ſum quippe, hoc eſt, iter noſtrum, quo „ tendimus ad perfectionem, munda mun„dat oratio; munda eſt autem oratio, ubi „ veraciter dicitur : *Dimitte nobis, ſicut & „ nos dimittimus*, ut dum non reprehendi„tur, quod non imputatur, ſine reprehen„ſione, hoc eſt, ſine macula noſter ad per„fectionem curſus habeatur; in qua perfe„ctione cum ad eam pervenerimus, jam „ non ſit omnino, quod ignoſcendo mun„detur --

Qui non declinat a fine laudabilis.

76 OBJIC. II. Juſtus ex Deo natus eſt, ſicut impius patrem habet Diabolum, ſed : *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat.* 1. Joan. 3.; ergo juſtitia vires confert ſufficientes pro evitandis omnibus venialibus .

RESP. Joannis teſtimonium abs re affertur. Certum eſt, quod Joannes in laudata Epiſtola juſtum poſſe peccare affirmat : nam *cap.* 1. mendaces vocat, & ſeipſos ſeducentes .

tes, qui dixerint peccatum non habere, & exhortatur juſtos, omneſque fideles, ut non peccent, ſed ſi aliquando peccaverint, ſciant habere apud Patrem Advocatum Jeſum Chriſtum. Itaque textus ille tres, eoſque laudabiles habet ſenſus. Primus eſt, quod juſtus prædeſtinatus non peccat peccato ad mortem, ſeu finalitèr, ut habet D. Bernard. *lib. de natura, & gratia*. Alter eſt in ſenſu compoſito, quod juſtus gratiam retineat, & ſi eâ utitur, ſeu ſecundùm eam operatur, non peccat peccato deſtruente juſtitiam, & ideo cauſalem ſubdit: *Quoniam ſemen ipſius in eo manet*. Tertius eſt de peccatis venialibus, quæ non perpetrant juſti ut filii Dei, bene vero ut filii hujus ſeculi, cum enim aliquid retineant de ſeculo, concupiſcentiam videlicet, labuntur in venialia. Audiatur Aug. *contra duas Epiſt. Pelag. lib. 3. cap. 3.* -- Peccant enim filii Dei, quoniam ſi dixerint „ ſe non habere peccatum, ſeipſos ſeducunt, „ & veritas in eis non eſt, ſed ea conditio„ ne peccant, qua ſunt filii adhuc hujus ſe„ culi; quà vero gratiâ ſunt filii Dei, non „ utique peccant, quia omnis, qui natus eſt „ ex Deo, non peccat -- Eodem pacto explicatur textus apud S. Matth. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*; quem verſat Hieronymus *ibidem* -- Tandiu ergo bona ar„ bor fructus non facit malos, quandiu in „ bonitatis ſtudio perſeverat -- Palmes donec manet in vite, vireſcit quidem, ſæpe tamen aliquali pruinâ decoquitur, vel nimio caloris æſtu in cortice aduritur; ſic juſti quandiù per Chriſti gratiam Deo adhærent aliquibus vitiantur defectibus, etiam ſi non areſcant, lethalia rejicientes peccata.

Juſtus quo pacto venialiter peccat.

77 OBJIC. III. Vita ſine omni querela immunis eſt ab omni culpa veniali, ſed dati ſunt viri Sancti, qui duxerunt vitam ſine aliqua querela, juxta illud Lucæ 1. *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela*. Loquitur Evangeliſta de Zacharia, & Eliſabeth; ergo evitari poſſunt omnia venialia. Advertas velim Scripturam dixiſſe: *In omnibus mandatis*; porro venialia aliquâ prohibentur lege.

RESP. Neg. maj. Nomine enim querelæ grave intelligitur crimen. Sic Auguſtinus *Epiſt. 95.* -- Non enim qualecumque „ etiam tentationis humanæ, ſed grave pec„ catum eſt, quod in querelam venit -- Sine querela ambulabant Zacharias, & Eliſabeth in mandatis, quia peccata gravia præcavebant, & pro humana fragilitate ſollieiti erant circa venialia, licèt quandoque in ipſa laberentur; & ideo pro peccato ſacrificium offerebant. Pulchrè ibidem S. Aug. -- Qui pa„ rum videntur conſideraſſe ipſum Za„ chariam fuiſſe utique Sacerdotem; om„ nes autem tunc Sacerdotes neceſſe habe„ bant ea lege Dei primitus pro peccatis „ ſuis offerre ſacrificium, deinde pro popu„ lo; ſicut nunc per orationis ſacrificium „ convincimur non eſſe ſine peccato, quo„ niam juſſi ſumus dicere: *Dimitte nobis de„ bita noſtra*; ita & tunc per ſacrificia victi„ marum animalium convincebantur Sacer„ dotes ſine peccato non eſſe, qui pro ſuis „ peccatis jubebantur offerre -- Eumdem textum verſans D. Aug. *lib. 1. de gratia Chriſti cap. 48.*, habet -- Dictum enim eſt, quan„ tum mihi videtur, ſecundum quamdam „ inter homines converſationem probabilem, „ atque laudabilem, quam nullus homo juſte „ poſſet in accuſationis, & criminationis „ querelam vocare; quam propterea in Dei „ conſpectu Zacharias, & ejus Uxor ha„ buiſſe referuntur, quia in ea homines „ nulla diſſimulatione fallebant; ſed ut ap„ parebant hominibus, ita noti erant oculis „ Dei; non autem dictum eſt hoc ſecundùm „ illam perfectionem juſtitiæ, in qua verè, „ atque omnimodo immaculati, perfectique „ vivemus -- S. Thom. in illud Philippen„ ſium 2. *Ut ſitis ſine querela* -- Sine peccato autem, inquit, nullus eſſe poteſt, ſed bene ſine querela.

Vixit ſine querela, qui ſine gravi crimine vixit.

78 OBJIC. IV. Debet practicè in hac providentia eſſe poſſibile, quod Spiritus Sanctus conſulit, atque petamus, præcipit, atque promittit, ſed Deus conſulit perfectionem cum evitatione omnium venialium, juxta illud Jacobi 1. *Ut ſitis perfecti, in nullo deficientes. In nullo*, inquit. Præcipit, ut petamus, Matth. 6. *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. A malo* abſolutè; ergo a veniali, quod gravius eſt malum omni pœna inferni. Promittit Eccleſiaſt. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*; ergo eſt practicè poſſibile evitare omnia venialia ſecundùm ordinariam Dei providentiam, immo facilè, ut prædicta teſtimonia ſatis innuunt.

RESP. In hoc ſyllogiſmo adeſſe æquivocationem a ſenſu diſtributivo ad collectivum: non eſt ullum dubium, quod poſſumus ſingula peccata venialia ſingulariter occurrentia vitare, prout ſingulariter occurrunt, & ad hæc ſingillatim evitanda exhortamur, petere jubemur, & nobis promittitur gratia neceſſaria, tamen non poſſumus vitare omnia indeterminate, & neceſſitamur hoc, vel illud committere, quod in ſequenti objectione clariùs explicabitur; nunc ad ſingulas auctoritates. Prima litteralitèr ad conſonantiam textus intelligitur de perfectione, quæ eſt in agendo, in patiendo, & perſeverando. Dicitur *ut ſitis perfecti* conſonè ad aliud ibi dictum, idest: *Patientia opus perfectum habet*, ſcilicet firmum, & ſtabile. D. Thom. in hunc locum. Secunda loquitur indefinitè de malo pœnæ, & culpæ præterito, præſenti, & futuro; locutio autem indefinita applicatur membris contentis juxta eorum capacitatem, cumque homo ſubjectus concupiſcentiæ neceſſitatem quandam habeat ad venialiter peccandum, aliquando ad hunc ſenſum applicanda eſt malo culpæ veniali, a proportione mali pœnæ, ſine quo ſaltem levi nemo vivit, etſi bonæ ſit valetudinis. Tertia intelligitur de peccato gravi; quia hoc eſt, quod in noviſſimis maximè timetur; potiſſimùm mortale, quod præcavetur memorando noviſſima, eſt peccatum finalis impœnitentiæ, quod dicitur peccatum in æternum, eo quod in malo firmat perpetuò.

Quæ venialia vitare poſſunt.

79 OBJIC. V. Nemo peccat, in eo quod

Digitized by Google

quod vitare non poteſt; ſed juſtus peccando venialiter verè peccat; ergo vitare poteſt: argumentum hoc affert Cœleſtius his -- Quærendum eſt utrum ne debeat homo ſine peccato eſſe? Procul dubio debet. Si debet, poteſt; ſi non poteſt; ergo non debet; & ſi non debet homo eſſe ſine peccato; debet ergo cum peccato eſſe, & jam peccatum non erit, ſi illud haberi debere conſtiterit. Aut ſi hoc etiam dici abſurdum eſt, confiteri neceſſe eſt, debere hominem ſine peccato eſſe, & conſtat eum non aliud debere, quam poteſt -- Sæpè ſub aliis formalitatibus urget argumenti vim Cœleſtius.

RESP. Verbis D. Aug. *lib. de perfectione juſtitiæ cap.* 3. -- Reſpondetur eadem ſimilitudine, quo ſuperiùs jam reſpondimus. Cum enim videmus claudum, qui ſanari poteſt, rectè utique dicimus, debet homo iſte eſſe ſine claudicatione, & ſi debet, poteſt; nec tamen cum vult, continuò poteſt, ſed cum fuerit adhibita curatione ſanatus, & medicina adjuverit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, quod ad peccatum attinet tamquam ad ejus claudicationem, per ejus gratiam, qui venit non vocare juſtos, ſed peccatores: quia non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus --. Tunc ergo erit plena juſtitia, quando plena ſanitas, tunc plena ſanitas, quando plena charitas; plenitudo enim legis charitas; tunc autem plena charitas, quando videbimus eum ſicuti eſt; neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad viſionem.

Alia ſolutio eſt ex D. Thom. 1. 2. *q.* 74. *a.* 3. *ad* 2. -- Corruptio fomitis non impedit, quin homo rationali voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatæ ſenſualitatis, ſi præſentiat, puta, divertendo cogitationem ad alia, ſed dum homo cogitationem ad alia divertit, poteſt etiam circa illud aliquis inordinatus motus inſurgere, ſicut cum aliquis transfert cogitationem ſuam a delectationibus carnis, volens concupiſcentiæ motus vitare, ad ſpeculationem ſcientiæ, inſurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus, & ideo non poteſt homo vitare omnes hujuſmodi motus propter corruptionem prædictam; ſed ſolùm ſufficit ad rationem peccati voluntarii, quod poſſit vitare ſingulos -- *Art.* 8. *q.* 109., habet -- Motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt, & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii, non autem omnes -- 3. *contra Gentes cap.* 160. -- Licèt ille, qui eſt in peccato, non habeat hoc in propria poteſtate, quod omnino vitet peccatum, habet tamen nunc vitare hoc, vel illud peccatum, unde quodcumque committit, voluntariè committit, & ideo non immeritò ei imputatur ad culpam -- & hæc ſolutio præ illa adoptanda eſt, quæ docet, nobis ideo imputari peccata, quia ſunt nobis voluntaria in capite, ratione originalis culpæ. Nam ad culpam perſonalem non ſufficit voluntarietas in capite, cujus rationem aptè reddit Angelicus 2. *Sent. Diſt.* 30. *q.* 1. *a.* 2.

Quæ libertas ad venialiter peccandum.

his -- Oportet, quod ſecundùm hoc, quod A aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur; ſicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam quod reſpicit perſonam, ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ, unde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur; ad culpam verò naturæ non requiritur, niſi voluntas in natura illa --

80 DICES. Juſtus non ſolùm ſingula tenetur evitare peccata disjunctivè; ſed etiam collectivè, quod paſſim Scriptura teſtatur B Deut. 6. *Præcepit nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc: Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodiè, cave diligenter, ut facias*: 1. Joan. 2. v. 1. *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis*: & ſane, qui diceret, nolo totam ſervare legem, peccaret: datur igitur præceptum non peccandi; ergo dari debent vires ad non peccandum collectivè; aliàs quando peccaret, non peccaret, ſicut quia homo indeterminatè debet eſſe in aliquo loco, licèt poſſit in hoc, vel illo non eſſe, non peccaret, ſi prohiberetur alicubi exiſtere; & certè eſſet ſententia injuſta, quæ præciperet ſolvere plura tributa minuta, quæ ſingillatim eſſent C ſolubilia, ſecus collectivè; ergo a pari.

RESP. Latere æquivocationem in argumento; nullum occurrit præceptum præſcribens omnia venialia collectivè vitare diſtinctum, & a ſingularibus præceptis diſcretum; nam eo modo obligant præcepta, quo poſſunt occurrere; non collectivè, ſed diviſive occurrere poſſunt; ergo hujuſcemodi non datur præceptum; porro Scripturæ in communi loquuntur, ſecundùm ſenſum diviſivum, & diſtributivum, ut omne mandatum obſervemus hoc, videlicet, & illud, quoties urget; ille autem actus, quo quis diceret; nolo totam ſervare legem, malus utique D eſſet, quia haberet animum violandi præceptum in particulari occurrens; pertineret tamen ad ſpeciem illam, intra quam eſſet motivum, quo duceretur, ad habendam illam pravam voluntatem; non ergo datur præceptum in communi non peccandi, ſed potius eſſet finis tranſcendens. Singula mandata tenemur obſervare, ut numquam peccemus.

Non datur præceptū vitandi collectivè omnia venialia.

Exemplum de loco abs re affertur; ſiquidem corpus ex natura corporis neceſſitatur non eſſe extra ullum locum, & hoc in actuali exercitio ſemper, & continuò; at homo non neceſſitatur, ut ſit ſemper in exercitio venialiter delinquendi, ſed ſolùm E vi defectibilitatis voluntatis quandam ſubjit neceſſitatem aliquando in venialia labendi; quare voluntas eſt abſolutè libera circa ſingula præcepta diviſivè, ſecus corpus in ordine ad loca: illud pariter de tributis non urget; quia quolibet in particulari ſoluto exhauriuntur opes ad aliquod in particulari exolvendum; ſed evitato hoc, & illo veniali, numquam exhauriuntur vires neceſſariæ ad evitandum quodlibet veniale particulare, in quo elucet mira Dei providentia, quæ diſponit omnia fortiter, & ſuaviter, idest ſecundùm cujuſque naturam; cum autem juſtus

Circa præcepta voluntas libera eſt.

ſtus liber ſit, eaque propter mobilis, & in natura lapſa vulneratus, & infirmus, hinc ſit, quod vires gratiæ mobilitèr recipiantur, nec vincant vulneris proclivitatem in malum; ideo oritur neceſſitas quædam quandoque labendi, & ſicut nemo inficias ibit divinam providentiam haud criminandam, ex quo aliquos damnari permittat, aliquoſque ſalvari velit, ut juſtitiæ, & miſericordiæ eluceant attributa; ita optima cenſenda eſt circa juſtos hanc permittens neceſſitatem quandoque peccandi venialiter, ut virtutes timoris, humilitatis, pœnitentiæ, & hujus generis alia exerceantur.

81 OBJIC. VI. Datur perfectionis ſtatus, in quo quis poteſt practicè in omnibus ſuis operibus id peragere, quod perfectius coram Domino cenſetur; atqui cum hoc nullimode componitur neceſſitas aliquando venialiter labendi; nam nullum quantumlibet minimum veniale perfectius eſt apud Deum, ſed imperfectum eſt; ergo. Min. declaratur. Sanctitas, ad quam feliciter pervenit S. M. Thereſia, non eſt practicè impoſſibilis; ſed ipſa -- Eo (*ideſt* „ *cœleſti Sponſo*) conſiliante, maxime arduum „ votum emiſit efficiendi quidquid perfectius „ eſſe intelligeret -- ut a Sacra Rota traditur; ergo poſſibilis eſt ſtatus ille; ergo poſſibile eſt juſto omnia vitare venialia collectivè ad longum tempus; cum in eo voto permanſerit Seraphica Mater per duos ſupra viginti annos; licèt quinque annis majori univerſalitate illud ſervaverit, de quo infra.

Hoc ſane difficilius eſt argumentum, quod impræſentiarum urgere poſſit, in cujus ſolutione caute incedendum eſt, ne quid contra fidei principia obrepat; referam tamen, quæ hac ſuper re probabiliora videntur. Prima itaque ſolutio eorum eſt, qui peculiare in hoc agnoſcunt privilegium Seraphicæ Matri elargitum ſupra ordinariam legem gratiæ juſtis etiam perfectis collatæ; porro privilegium hocce non cadit ſub regula extendenda ad aſtruendam poſſibilitatem ſtatus in Eccleſia: eâ proportionali ratione, quâ haud poſſibilis cenſetur in hac vita talis contemplatio ex vi gratiæ etiam Sanctiſſimis viris donatæ, quæ ad Beatificam viſionem perveniat licèt per modum, ut ajunt, tranſeuntis, & tamen ſpeciali privilegio piè creditur aliquoties conceſſa Deiparæ, ut in Verbi Incarnatione, ejuſdemque partu, atque ſemel D. Paulo ad tertium cœlum elevato. Si quis autem diceret, viros ſanctitate celebriores vi gratiæ ſpecialiſſimæ, atque auxiliorum ejuſdem notæ, quæ ſecundùm præſentem providentiam concedit Deus Eccleſiæ ſuæ, prout omnes comprehendit ſtatus perfectionis in via, poſſe ad intuitivam Dei contemplationem pervenire, utique erraret in fide; licèt cum hoc cohæreat, quod Paulo fuerit quandoque conceſſa; ita a fide aberrat, qui dicit ex vi gratiæ, & auxiliorum prædicto modo Eccleſiæ conceſſorum poſſe viros perfectos toto vitæ tempore, vel ad longum tempus omnia vitare peccata, cum quo tamen componi poteſt, ut ex ſpeciali privilegio potuerit concedi Seraphicæ Matri, cui fuiſſe elargitum probat auctoritas Urbani VIII., dicentis: *Eo conſiliante*, hoc eſt, Deo ſpecialiter revelante, non ordinario modo inſpirante, & Gregorii XV. in Bulla Canonizationis his: *Ut maxime arduum votum a Deo edocta emiſerit. A Deo edocta* ſpecialem revelationem ſupponit. Didacus Yepes Epiſcopus Tarraconenſis Hiſtoriographus Sanctæ ejuſdem Matris, addit quod divino non afflante numine valdè audax, temerarium, & imprudens fuiſſet votum hujuſmodi; & ratio in aperto eſt, quia ad illius obſervantiam ſeraphicæ ſanctitatis conditio meritò expoſcebat, ut idem Epiſcopus fatetur; exigebat totalem, ut ajunt Myſtici, decoctionem Divini amoris, ut probat Venerabilis P. N. Joannes a Jeſu Maria in Compendio vitæ Ejuſdem; ſicut & perfectum, idque in ſupremo gradu dominium motuum animæ, ſeu paſſionum, ut legere eſt apud Franciſcum Riberam *cap.* 40. *lib.* 4. *Hiſt. S. Thereſiæ*; continuam itidem vigilantiam ſupra omnes ſuas actiones, & motus, ut habet Rota in Proceſſu Canonizationis; quæ omnia ſane altiſſimas, & ſpecialiſſimas vialis gratiæ vires excedunt; debuit ea propter pro eo vitæ tempore Sancta Mater participio quodam gratiæ Patriæ gaudere, eâ proportionali ratione, quâ Deiparam ab inſtanti Conceptionis eâdem per privilegium illud admirabile immunitatis perfectæ ab omni prorsùs peccato donatam fuiſſe nemo inficias ibit. Simile votum emiſiſſe Deiparentem veroſimile credit P. Fr. Joſeph a Spiritu Sancto noſter Diſcalceatus *in Catena myſtica Tractatu ultimo reſp. V.* juxta effatum illud -- Quod „ alicui Sanctorum fuit collatum, non eſt „ credibile fuiſſe Mariæ denegatum -- & N. P. Placidus a S. Thereſia *lib. de Chriſti Patientia cap.* 6. docet Chriſtum Dominum in inſtanti ſuæ Conceptionis hoc votum elicuiſſe, ut ſuas actiones ad ſummum perfectionis apicem elevaret; Sancta Mater utrumque eſt imitata, ſed in Sanctitatis longe diſpari gradu.

Explicatur votum agendi perfectiora S. Matris Thereſiæ.

82 Hic dicendi modus nodum facile extricare videtur; verum adverſus eum duo urgent momenta, quæ rem totam involvunt. Primum eſt, quod Conciliorum Decreta, Patrum auctoritates, ſana Theologorum doctrina, in eam devenerunt ſententiam, quæ docet ſoli Deiparæ tale privilegium fuiſſe conceſſum, ea ratione, quod ſicut ſola ſpecialiſſimum Deiparentis ſortita eſt nomen, atque ab originali noxa præſervationem, ita ſpecialiſſimam gratiam hereditavit, unde a Doctoribus carpuntur quidam, qui illud extenderunt ad S. Joannem Baptiſtam, & ad Apoſtolos. Secundum id eſt, quod ab Eccleſia votum hujuſcemodi proponi videtur ad imitandum, non ſecus, ac virtutes reliquæ: Hoc autem incongruum foret, ſi ſpeciale diceretur privilegium, ut compertum ſit exemplo Deiparentis, & Contemplationis D. Pauli in raptu: immo ſi probati Criterii auctoribus fidendum, nonnulli votum illud emiſerunt, ut V. M. Joanna Franciſca Fremiot Fundatrix Monialium Viſitationis *B. M.* V. P. N. Thomas a Jeſu, V. P. N. Thomas a Jeſu Maria: Soror Thereſia Margarita Parmenſis Princeps.

83 Ceterum ut ſententiam ſuam pro-

pugneot, bojuſce dicendi modi auctores ſic inſtant. Sicut Concilia, Patres, Theologi A ducent hæreſim eſſe, quod quis viribus gratiæ perfectiſſimæ poſſit certò ſcire ſe eſſe prædeſtinatum, qualitercumque Sanctus ſit; & tamen hocce fidei non repugnare, ſi fiat per ſpecialem revelationem; ita, licèt fidei repugnet, quod quis etſi Sanctiſſimus careat omni veniali ad longum tempus; tamen ſi hac de re accedat ſpecialis revelatio, in aliquo peculiari caſu communi legi non adverſabitur. Specialem hanc revelationem nobis approbat Sedis Apoſtolicæ auctoritas, & acceptatio fidelium in facto Seraphicæ Matris. Hæc illi, quæ aliorum judicio remitto; non enim certò conſtat aſſerti privilegii revelatio. B

Secundum apertè nego, votum nempe in ea proprietate, qua a Sacra Rota, Pontificibus, & Auctoribus deſcribitur a Sancta Matre elicitum proponi ad imitationem: eſt enim temerarium ſimile votum emittere, & valdè imprudens abſque ſpeciali revelatione, prout recitavimus ſuperiùs ex Epiſcopo Tarraconenſi; Eccleſia autem pro regula morum ſpeciales revelationes haud exhibet. Habemus enim Moyſem, & Prophetas, ut dicebat Chriſtus: Et ſanè quonam pacto illud imitandum proponi poteſt, quod vires gratiæ excedit viatoris? Ex D. Thom. ſequente D. Aug. 2. 2. *quæſt.* 184. *a.* 2. — Alia C „ autem eſt perfectio, quæ attenditur ſecun„ dum totalitatem abſolutam ex parte dili„ gentis, prout ſcilicèt affectus ſecun„ dum totum ſuum poſſe ſemper actualiter „ tendit in Deum: & talis perfectio non „ eſt poſſibilis in via, ſed erit in Patria — atqui peſectio hujuſmodi requiritur pro hujus voti adimplemento, ut Rota tradit, dum dicit — Verùm ne actu aliquo minoris per„ fectionis — & V. N. P. Joannes a Jeſu ait — Niſi ab animo Divini amoris flaminis de„ cocto, & in Deum perenniter rapto edi „ non potuit — & ratio in aperto eſt; nam, ut docet noſter Hiſtoriographus Generalis *libro* 5. *cap.* 32. illud votum omnes compre- D hendebat cogitationes, verba, opera perfectiori modo peragenda, & quidem in quolibet loco, tempore, & circumſtantiis, in qualibet materia virtutum, charitatis, juſtitiæ, prudentiæ, temperantiæ &c., in qualibet lege Divina, humana, in Regula, Conſtitutione, in Obedientiis ordinariis, & extraordinariis &c., ad quod indubiè aſſidua vigilantia, atque ſollicitudo prærequiritur. Ulterius. Hoc votum inſuper exigebat, ut actus fierent cum toto niſu gratiæ ipſi collatæ, ut innuit cit. P. Fr. Joſeph a Spiritu E Sancto, & meritò ſane; ſiquidem intenſior operandi modus dubio-procul eſt perfectior; hanc proindè perfectionem illo voto comprehendi innuit Rota, innuit auctoritas Urbani, & Gregorii, qui abſolutis, & indefinitis utuntur verbis. Porro ſolius Patriæ eſt ſic operari, atque in via ſoli Deiparæ conceditur. Item votum hocce adſtringebat ad omnes privatas imperfectiones evitandas, ut idem P. Fr. Joſeph docet propoſitione ſecunda: imperfectio autem privativa includitur in peccatis venialibus ex ſemiplena deliberatione; cum ſint veræ culpæ leves; & ceteris paribus perfectius eſt unum evitare veniale A ex ſemiplena deliberatione, quam aliquem, vel aliquos elicere virtutis actus. Nemo autem ſine participio gratiæ Patriæ abſque temeritate vovere poteſt omnes hoſce defectus evitandi, proindeque votum S. Matris Thereſiæ in ea amplitudine, qua fuit emiſſum an. 1560. imitari nullimode poteſt etiam in ſtatu ſanctioris vitæ; niſi particularis revelatio, & revelationis approbatio accedat.

Quomodo votum adimplendi perfectiora fieri poteſt.

84 Ultro conceditur ſimile votum fieri poſſe cum aliquibus tamen limitationibus, prævie explorato perfectionis ſtatu, virtutum incremento, dominio ſupra animi motus, firmitate in bonis propoſitis, ſtudio ora- B tionis, & ſimilibus. Limitatio prima, eaque potiſſima ea eſt, ne ſine ſapientis Confeſſarii conſilio fiat. Altera ut prius ſimplici propoſito experimentum deſumatur. Tertia, ut ad breve temporis ſpatium concedatur, ſaltem donec certior fiat Confeſſarius de profectu voventis. Quarta, & apprime requiſita, ut in determinata materia, ſub circumſtantiis determinatis clarè diſtinguibilibus objectum voti coarctetur. Quinta, ut nonniſi per plenam advertentiam, & conſenſum violetur. Sexta, ut non obliget niſi ſub pœna, vel ſub culpa veniali; vel ſi ſub mortali tunc ſolum, quando ſcripto propo- C natur opus faciendum: & aliæ ſimiles, quæ a prudentia dictantur, quibus poſitis aliquando concedi poterit. P. Fr. Joſeph votum hoc pertinere aſſerit ad perfectam obedientiam: perfecta obedientia ſignificatur in illa vacca, quam obtulit Abraham in ſacrificium, quæ erat trium annorum, quia obedire debet votum ſeraphicum majoribus, æqualibus, & minoribus: adimplendo operis ſubſtantiam promptè, delectabiliter, & cæco modo, ſine diſcurſu, dummodo licita, vel ſaltem non apertè peccaminoſa præſcribantur. Permittere tale votum in tota hac amplitudine deſcriptæ obedientiæ, haud pru- D dens erit.

85 Ex dictis facilè ſolvuntur objecta, quibus nonnulli moventur ad reprobandam hujuſce voti imitationem; immò ad illud carpendum, quod factum a S. Thereſia legitur.

OBJECTIO I. eſt. Res Sanctorum potius admirandæ ſunt, quam imitandæ. Sed axioma hoc valet de geſtis miraculoſis, ſecus de actibus virtutum, quæ vires non excedunt gratiæ ordinariæ collatæ Eccleſiæ pro omni ſtatu. Votum autem iſtud ſub limitationibus hiſce non excedit vires hujuſmodi, eaque propter a prudentibus Confeſſariis quandoque E permitti poterit.

Sanctorum geſta quanto imitanda.

OBJEC. II. Extrema ſunt evitanda, ne quid nimis ſugerat bonus ſpiritus.

RESP. Optimum effatum. Verum quod tepidis erit extremum, non erit ferventibus; quod incipientibus arduum, conveniens erit perfectis: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Pſal. 3. v. 1.

Tepidi etiam faciliora refugiunt.

OBJEC. III. Votum de evitandis omnibus peccatis venialibus, prudentiæ leges excedit; ſed votum perfectionis majus adhuc eſt; ergo. Antecedens eſt verum, ſi aptas non habeat limitationes, itidem ſi votum

agendi

In extraordinariis conſiliis adhibeatur. agendi perfectiùs his careat, adoptamus conſequentiam; ſed non loquimur in his caſibus; illos itaque complectitur, in quibus prudens adeſt regula.

OBJEC. IV. Votum Seraphicum novum eſt in Eccleſia; mundo admirabile, inauditum, atque ſpecialiter revelatum; ergo non niſi, & vix per ſimplex propoſitum, ſicut docet noſter P. Alphonſus a Jeſu Maria licet permitti. Ita eſt, ſi loquamur de voto in ea univerſalitate, quâ a S. Thereſia fuit emiſſum, atque quinque annis exacte ſervatum, ſecus de voto cum limitationibus a nobis eaplicatis; hoc enim modo peculiari non indiget revelatione, formatumque eſt ad ſimilitudinem actus excellentis perfectionis, qui apud Patres ſæpenumero perleguntur. Ab Eccleſia heroicæ eahibentur virtutes, ut fideles ad eaſdem imitandas excitentur.

OBJEC. V. Doctrina D. Thomæ eſt, quod in Clauſtris haberetur confuſio, ſi vota fierent obediendi in omnibus abſolutè, & ideo factæ ſunt determinatæ regulæ. 2. *Diſt.* 44. *a.* 3. *ad* 3. Sed votum perfectæ obedientiæ eſt hujuſmodi; ergo. Verum dicit S. Th. quia unaquæque Religio ſua habet determinata media, quæ ad finem ſuæ inſtitutionis aptantur: quare perperam vitam activam adoptaret Religioſus, qui ſolitudinem profeſſus eſſet. Maxime tamen foret commendandus, ſi hujuſmodi emitteret votum, ut ferventius proprio incumberet muneri.

OBJEC. VI. Votum Seraphicum, Eccleſia teſte, nec non ſuadente ratione, valdè arduum eſt; ergo.

RESP. Verùm eſt, ſi ſermo inſtituatur de voto abſque peculiari inſpiratione, conſilio, & limitatione elicito, ſecus comparativè ad vires gratiæ, & dirigente prudentia emiſſo; ut ſæpedictum eſt.

OBJEC. VII. Votum religioſæ obedientiæ eſt ab Eccleſia approbatum: ſed hoc non eſt admiſſum; ergo.

RESP. Seraphicum votum intra prudentiæ limites non eſt ab Eccleſia reprobatum, ac proinde efformari poteſt ſecundùm virtutum regulas ab Eccleſia, ac Patribus approbatas.

OBJEC. VIII. Qui votum emittit Seraphicum, ſe eſſe perfectum cognoſcere deber, ſed hoc foret manifeſte ſuperbire, ergo.

RESP. Ne quis ſuperbè ſapiat, dictum *Anima ad grandia aſpiret.* eſt non eſſe faciendum ſine conſilio, præmitti debere ſpiritus examen, ut ea hac diſcuſſione, ac ſubordinatione, augeatur humilitatis affectus. Ceterum magnanimitas ad grandia aſpitat, at ait D. Thom. 2. 2 *a.* 7., & Deus amat animas magnanimas, & humiles, ut teſtatur S. Thereſia *cap.* 13. *ſua vita*: quod ſi quid evinceret adducta ratio, probaret etiam non eſſe licitum ſolitariam vitam amplecti, quæ docente D. Thoma perfectorum eſt, & ſingularem habet arduitatem.

OBJEC. IX. Tale votum ſcrupulorum, dubiorum, & peccatorum periculum involvit; ergo non eſt laudabile.

RESP. Votum ſub prudentiæ regulis elicitum nulli periculo exponit; non enim periculum ſubeſt ex parte operis, quod bonum ſupponitur, nec ex parte ſubjecti; quod
A corroboratum creditur Spiritus Sancti virtute, & regulatum ſanis Confeſſariorum conſiliis.

OBJEC. X. Videtur votum otioſum, nam ſi quia ſufficienti caret ſpiritu, illud non debet elicere, ſi ſufficienti eſt donatus, & aliàs ſit Deo ſacratus, nihil addit; quia ipſe per profeſſionem totaliter Deo dicatus eſt. D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 5. *ad* 1. Secularibus verò non convenit; ergo.

RESP. Non eſt otioſum, ſed valde proficuum; nam — Qui opus perfectum ex voto „ facit, ad duplicem perfectionem attingit — S. Thom. *Opuſc.* 18. *cap.* 15. — Religioſus „ quidem totus Deo dicatus eſt, ſed in hac
B „ plena oblatione major, minorve datur per„ fectionis gradus — ut docet S. Thom. 2. 2. *Non omnibus convenit vovere.* *q.* 186. *a.* 2. *ad* 2. viro laico non eſt regulariter conveniens, ſi tamen per ſemitas juſtitiæ, & Sanctitatis ambulet, convenire ſub debitis poterit limitationibus. Nec dicas, ſic limitatum umbratile votum fore, neque pertingens ad veri propoſiti naturam.

RESP. Ita eſſet, ſi nec ad pœnam, nec ad culpam ullam obligaret, ſecus ut illud deſcripſimus: bonum itaque erit tale votum emittere, quandoque pro aliqua acquirenda determinata virtute, vel aliquo extirpando vitio. Votum Seraphicum violatum conſti-
C tuit peccatum ſacrilegii, leve quidem in materia levi, grave in gravi; & in linea ſupererogationis facit illam peccaminoſam, quæ talis non erat; ſed hoc debet intelligi, ſi cum hac proportione eliciatur; quia votum abſolutè conceptum ex ſuo genere obligat ſub gravi. Hæc dicta habeas occaſione primæ ſolutionis de ſpeciali privilegio, quam tantummodo, ut a quibuſdam inſinuatam auctoribus, placuit innuere. Etenim, dum talia verſantur, cautè admodum procedendum eſt; ſiquidem Sanctorum laudatio eiſdem non arridet, ſi ab Eccleſiæ regulis, vel in minimo diſcrepet. Ad alias conveniamus eaplica-
D tiones.

86 Dicunt nonnulli II. conſtare quidem Sanctam Matrem Thereſiam votum illud elicuiſſe, verùm neutiquam conſtare illud obſervaſſe, proindeque ſupereſt, unde fidei principia ſatis tecta habeantur.

Aſt piæ aures talia refugiunt. Non enim Eccleſia, ut miraculum quoddam virtutis, & eximiæ Sanctitatis argumentum votum hoc deprædicaret, ſi illud non fuiſſe obſervatum crederet; & ideo Sacra Rota in Proceſſu Canonizationis teſtimonium profert hujuſmodi — Quod & Deo fideliter red„ didit præ nimio amore, quo illum pro-
E „ pter ſeipſum proſequebatur, ut totius ſuæ „ vitæ curſus probat — Epiſcopus Tarraconenſis idem fatetur, atque ab innumeris penè teſtimoniis comprobatum affirmat. Ejuſdem labii eſt Franciſcus Ribera *lib.* 4. *cap.* 10. *Hiſt. S. Thereſiæ*.

87 Dicunt III. alii Seraphicum votum non fuiſſe illimitatum, ſed taliter reſtrictum; ut poſt voti adimplementum adhuc & jure, & meritò dicere potuiſſet, immo debuiſſet: *Dimitte nobis debita noſtra*. Franciſcus Ribera, & Epiſcopus Tarraconenſis putant ad evitandos ſcrupulos S. Thereſiam votum illud eli-

fuiſſe ſub limitatione, quod non obligaret, in minimis, ſed ſolummodo in his, quæ magni eſſent momenti.

Verùm hujuſce limitationis nullum occurrit fundamenum, quod ſi adeſſet, non tanti ſane faciendum eſſet hocce votum, quod tamen phraſibus adverſatur Sacræ Rotæ, Gregorii, & Urbani. Certum eſt votum conceptum anno 1560. per quinquennium fuiſſe illimitatum, propteraque & ipſa dubiis angebatur, & ſcrupulis, ſicut & Confeſſarii, unde a Prælatis diſpenſationem debuit poſtulare, & facultatem de novo illud ſub clariori forma emittendi, quod factum eſt, licentiam impertiente P. Fr. Angelo Salazar Provinciali Caſtellæ Ordinis Carmelitarum, litteraſque patentes executus eſt P. Magiſter Garzias a Toleto audita confeſſione, qui tres appoſuit conditiones. Prima, quod Confeſſarius ſciret illam tale votum emiſiſſe: altera, quod ipſa ab eo peteret, & non aliter, quid eſſet perfectius: demum quod ipſe declararet, quod eſſet perfectius, quibus conditionibus poſitis votum tantummodo teneret. Brevius: ſumma voti ea fuit, quod quidquid ipſa in confeſſione Confeſſario ſcienti votum aperiret, ut dignoſceret, quid foret perfectius, vel non, id exequi deberet, quod ille declararet, atque perfectius eſſe judicaret: ſub hac formula a laudato Magiſtro præſcripta illud denuo emiſit. Terminos hoſce ſtatuit vir ſapiens, ut anxietatibus, & ſcrupulis aditus omnis intercluderetur; dignitas tamen voti haud imminuta eſt, cum ad id omne adſtringeretur, quod ſibi tanquam perfectius proponebatur, & inſuper ejus arbitrium aliorum ſubdebatur judicio; cum ipſa exquirere deberet, quid alii ſentirent. Ex tunc indubie votum illud obligavit; erat enim undequaque firmatum juxta prudentiæ leges, aderat Dei impulſus, Superiorum facultas, Doctorum conſilium, ea denique omnia, quæ votum laudabile reddunt; in priori voto ex his deerant nonnulla, ea propter Doctores quidam irritum cenſuerunt. Stante hac limitatione Catholicæ principia veritatis in tuto ſunt. Pluries enim haud conſulere poterat Confeſſarium, ac proinde cum tunc temporis voto non adſtringeretur, deficere poterat, adeoque jure dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*, ipſa namque docuit, animas in ſummis gradibus perfectionis practicè peccare venialiter poſſe.

Quo pacto votum S. Thereſiæ fuerit limitatum.

88 Sunt, qui dicunt IV. non pugnare cum principio fidei potentiam practicam vitandi omnia peccata venialia ex plena advertentia, ſed ſolum potentiam vitandi omnia præſcindendo a venialibus ex deliberatione, vel non; unde Sancta Mater potuit votum adimplere, & tamen venialiter ex ſemipleno conſenſu delinquere.

Solutio hæc ſolet eſſe familiaris inter noſtros, in qua duo ſpectanda ſunt; primum an verum ſit ſuppoſitum, alterum an ſufficienter applicetur voto Sanctæ Matris; quæ duo breviter explicari debent. Quoad primum datur aliquorum opinio dicentium poſſe viribus gratiæ ſecundùm præſentem Providentiam præſtitis vitari ad longum tempus, ſecus pro toto vitæ tempore omnia venialia ex deliberatione; hos inter recenſentur Noſtri Patres Salmanticenſes *Tract. 14. q. 109. diſp. 2. de neceſſitate gratiæ dubio 7. a n. 237.*, & N. P. Gabriel a S. Vincentio *Tract. 1. de divina gratia diſput. 5. quæſt. 3.* Momenta Salmanticenſium ſunt. Primò. Ratio inducens impotentiam ad omnia evitanda venialia ad longum tempus eſt corruptio naturæ, ex qua rebelles erumpunt motus, quos ſimul ratio comprimere nequit; ſed hæc ſolùm pro indeliberatis actibus, non pro deliberatis urget; ergo peccata venialia ex deliberatione poterunt evitari. Secundò. Ad ſalvandam veritatem aſſertionis, quam docet fides, ſat eſt nullum adinveniri juſtum abſque venialibus, ſed hoc ſufficienter per peccata ex indeliberatione ſalvatur; ergo non eſt neceſſe ſemper comprehendere venialia deliberata. Tertiò. Ad probandam naturæ deficientiam abunde ſufficit frequentia peccatorum ex indeliberatione, vel ex paſſione; unde ſatis elucet ſuavis Dei providentia, quæ in omnibus defectus permittit indeliberatos; & abundantiam gratiæ diſtribuit in aliquibus, itaut peccata ex deliberatione impediat; non ergo neganda videtur hæc œconomia. Quartò. Indeliberatæ peccandi occaſiones frequentiores ſunt, ſecus peccandi deliberatæ; ergo gratiæ influxus, qui ad vitioſos comprimendos actus indeliberatos non valet, ad comprimendos deliberatos valebit, ſaltem in aliquibus perfectioribus. Quintò. S. Mater Thereſia *lib. via perfectionis cap. 4.* docet animas ferventes, & Divino ignitas amore totis viribus a venialibus deliberatis fugere, atque ſtudium omne impendere in illis evitandis, quod & alii viri Sancti docent.

His addit I. N. P. Gabriel Divi Bernardi auctoritatem *Serm. de triplici cohærentia vinculorum*, ubi inter præcipuos effectus vinculi charitatis ponit -- Horribilius ipsâ gehennâ judicat in re leviſſima vultum Omnipotentis ſcienter offendere -- II. Votum, quod Sancta Mater elicuit, minimè ſubſiſteret, ſi nequirent vitari omnia venialia deliberata. III. Fideles Chriſti Sectatores indies minuunt peccata, quæ ex ſubreptione, ignorantia, infirmitate, & imbecillitate committuntur, quod experientiâ conſtare dicit, & probat auctoritas Sancti Gregorii 11. *Moralium cap. 15.*; ergo multò magis, quæ ex ſcientia patrantur. Patres tamen Salmant. docent oppoſitam opinionem eſſe ſatis communem inter Theologos, & fortè magis ſolidam, fundatur namque in dictis Scripturæ, Conciliorum, Patrumque, quæ indefinita ſunt; porrò in materia dogmatica utpote neceſſaria, propoſitio indefinita æquivalet univerſali, ac proinde comprehenduntur utriuſque rationis venialia: ſicut enim, quia illæ locutiones ſunt indefinitæ quoad tempus, malè extenduntur ſolummodo ad totum ſpatium vitæ, ſed alterius opinionis patroni extendi volunt etiam ad longum tempus, ita quia ſunt indefinitæ quoad genus peccatorum, non benè reſtringuntur ad peccata ex indeliberatione, ſed extendi debent ad peccata etiam deliberata; potiſſimùm cum aliqua teſtimonia ſatis clarè de illis loqui videntur. Ratio itidem a Scripturis, & Patribus

aſſi-

Per gratiam non ſanatur naturæ corruptio.

aſſignata pro utroque genere probat. A concupiſcentiæ morbo, & naturæ corruptione oriuntur, non ſolum lapſus ex indeliberatione, ſed etiam ex deliberatione, ut indubium eſt; cumque in nullo etſi ſanctiſſimo gratia hanc ſanet corruptionem morbumque, plane ſequitur, quod in nullo ſit invenire potentia ad evitanda omnia venialia deliberata, & ſi dicatur, quod licèt naturæ non ſanetur corruptio, roboratur tamen, & tenetur, ne deliberate labatur; facile dici poſſet, quod eâdem paulatim creſcente gratiâ, inſanata remanente natura, jam evitari omnia etiam indeliberata, & ſemiplena peccata poſſent, quod aſſerere nemo audebit; ſicut nemo unus dicet, quod ad ſalvandam corruptibilitatem ſufficient motus primò primi, qui non erant in ſtatu naturæ integræ, in Chriſto, & B. V. Certum tamen eſt minus deliberate delinquere vir perfectus, quam indeliberate, ſicut hæc adhuc minora ſunt in viro excellentioris Sanctitatis, quam in alio inferioris perfectionis.

89 Deveniendo nunc ad ſecundum crediderim majorem gratiam fore neceſſariam ad Seraphicum ſervandum votum, quam ad omnia evitanda venialia deliberata; quia ſub illo voto comprehendebatur evitatio venialium; evidens eſt perfectius eſſe in omni circumſtantia non peccare venialiter, quam peccare; nec ullus Confeſſarius oppoſitum potuit eam docere; major autem gratia requiritur ad omnia fugienda venialia deliberata, & ulterius ad perfectiora, & quidem perfectiori modo peragenda; votum autem Seraphicum non illud primum tantummodo amplectitur, ſed etiam hocce ſecundum; unde palam fit perfectius, & majus eſſe votum de perfectioribus exequendis, quam ſolum de evitandis venialibus deliberatis; ex quibus elucet, quantæ fuerit Sanctitatis Seraphica Mater Thereſia.

90 OBJIC. VII. Poteſt juſtus etiam practicè vitare omnia diviſivè venialia; ergo etiam collective; nam ſi collectio omnium venialium eſſet centum, qui vitat nonaginta novem abſque dubio vitabit centeſimum, aliàs neceſſitabitur ad illud, & jam non erit peccatum, tum quia quo plura evitantur peccata, eo fortior efficitur anima, & quo fortior gratia, eo magis extenditur ad præcavenda plura peccata: 1. 2. *q.* 73. *a.* 4. D. Thom. -- Quantò enim fuerit virtus ma„ jor, tantò magis elongat hominem a pec„ cato ſibi contrario, ita quod non ſolum „ ipſum peccatum, ſed etiam inducentia ad „ peccatum cohibet -- Tum quia non obſtante naturæ corruptione, poſſunt diù vitari omnia mortalia; ergo etiam omnia venialia.

RESP. Neg. conſeq., cujus probatio non urget, non enim ſic attenditur Controverſiæ ſenſus, nec calculationes illæ devenientes ad aliquem determinatum numerum, vel determinatum peccatum ſunt admittendæ: nam iſta neceſſitas eſt ad labendum in aliquod veniale indeterminatè, & vagè; hoc eſt, aliquod ex illa collectione infallibiliter committetur; poteſt itaque juſtus ſingula ſolitariè accepta vitare, ſed cum neceſſitate morali labendi in aliquod indeterminatè, & vagè. Nec urget ſecunda probatio; etſi enim fortior evadat, non tamen ſanatur, unde neceſſe eſt quod aliquando labatur; ſicut infirmus fortior fier in dies, ſi convaleſcat, tamen ſi non ſanetur, neceſſe eſt quandoque laſſari; poterit vires in dies deambulando acquirere, donec tamen perfectè non reparetur ſanitas, non poterit abſque defatigatione longum conficere iter. Nec tertia, quia, ut docet S. Thom. 1. 2. *q.* 109., per gratiam ſanatur natura quoad mentem ſanitate ſubſtantiali, & ideo omnia vitari poſſunt, quæ conſiſtunt in ratione; cum autem non ſanetur totus appetitus, nequeunt venialia omnia præcaveri.

Quænam eſt impotentia evitandi omnia venialia.

91 Sæpe dixi practicè moraliter adeſſe neceſſitatem labendi in venialia, quia præſcindendo a quæſtione metaphyſica, an ſit impotentia phyſica, vel non ad evitanda omnia venialia: pro fide tuenda ſufficit impotentia moralis; porro impotentia hæc non eſt præcisè conſequens, proveniens ex defectu alicujus requiſiti ad actum, ſed antecedens orta ex naturæ infirmitate, ex frequentia occaſionum, ex defectu plenæ advertentiæ, & perpetuæ vigilantiæ; quare ſemiplena advertentia ſat eſt ad dandum poſſe phyſicum, non autem poſſe morale: impotentia moralis videtur magis propria, quam phyſica; ſiquidem objecta moventia ad malum, nec ſimul, nec collectivè movent phyſicè, ſed ſolùm moralitèr, ſicut tota collectio auxiliorum non movet phyſicè, ſed moralitèr.

92 Omitto varios explicandi modos, quando valeat argumentum a diſtributivo ad collectivum; quia longioris eſt explicationis modus: ſufficit, quod non valeat, quoties totum ſumitur per modum integralis; quia totum eſt majus ſua parte; nec quando ex parte collectionis eſt ſpecialis ratio, vel difficultas: quando totum eſt potentiale, cujus natura eſt, ut tota eſſentia ſit in qualibet parte ſubjectiva, valebit, ut patet in homine, de cujus collectione valet, quod ſit rationalis; quia in quolibet homine tota ratio rationalitatis reperitur.

§. III.

PERFECTIO VITÆ CHRISTIANÆ IN VIA SEMEL HABITA AMITTI POTEST.

93 HÆc eſt tertia principalis Controverſiæ pars, in qua exquiritur, utrum perfectio vitæ Chriſtianæ in via poſſit amitti, contra Beguardos, alioſque ſub Controverſiæ initio enunciatos Hæreticos, quibus jure addi poteſt. Calvinus, qui *lib.* 3. *Inſtitut. cap.* 2. §. 11. defendit, quod -- So„ los electos ſemine incorruptibili Deus in „ perpetuum regenerat, ut nunquam diſpe„ reat ſemen vitæ in eorum cordibus in„ ſitum; & §. 12. Hoc interim tenendum „ eſt, quamvis exigua ſit, ac debilis in ele„ ctis fides: quia tamen ſpiritus Dei certa „ illis arrha eſt, ac ſigillum ſuæ adoptionis, „ nunquam de eorum cordibus deleri poſſe

„ ejus

Digitized by Google

„ ejus ſculpturam -- Huic errori Catholica oppooitur Eccleſia, cujos ſundamenta ex Scripturis adducit S. Hieronymus contra Joviniaoum.

Dicendum itaque perſectiooem Chriſtianam ſemei habitam a juſto quolibet in via amitti poſſe.

94 PROB. I. Scripturis veteris Teſtamenti: illa forma eſt amiſſibilis, quâ ſubjectum poteſt privari; ſed juſtus poteſt in via privari perfectione vitæ Chriſtianæ; ergo eſt amiſſibilis. Minor explicatur Ezechielis 18. v. 26. *Cum averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Ecce averti poteſt juſtus a ſua juſtitia, & facere iniquitatem; ergo charitate, quæ eſt perfectio vitæ Chriſtianæ, privari poteſt. Hic advertas oportet eodem modu ibi Scripturam loqui de juſto, qui labitur, ac de peccatore, qui convertitur; ſed peccator reſipiſcendo verè juſtus evadit; ergo juſtus peccando verè fiet injuſtus.

Forma charitatis perfectio Chriſtianæ vitæ.

Niſi eſſet amiſſibilis perfectio Chriſtiana, non exhortaretur Scriptura, ut juſti Deo adhæreant, ne cadant, ſed exhortatur Eccleſiaſt. 2. 7. *Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam ejus, & non deflectatis ab illo, ne cadatis.*

95 PROB. II. Ejuſdem conditionis eſt ſtatus viatoris in lege gratiæ, ac in lege Moyſis, ejuſdemque naturæ juſtitia in utroque Teſtamento, ſicut dixit Hieronymus *lib. 2. contra Jovinianum* -- Ceterum quis ignorat „ ſub altera diſpenſatione Dei omnes retrò „ Sanctos ejuſdem fuiſſe meriti, cujus nunc „ Chriſtiani ſunt? -- Sed plerique viri Sancti in veteri Teſtamento ſtatum, & formam ſpiritualis perfectionis amiſſerunt; ergo. Minor ex pluribus, quæ afferri poſſent, pauca ſeligimus. Fecit Dominus ab initio hominem rectum, & tamen per peccatum inobedientiæ rectitudinem amiſit, & factus eſt ſimilis jumentis inſipientibus. Saul fuit juſtus, ut habemus lib. 1. Regum cap. 9. v. 2. *Erat Saul electus, & bonus, & non erat vir de filiis Iſrael melior illo; ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*: quibus verè juſtum fuiſſe traditur, & tamen peccavit, & a Domino reprobatus fuit. David inventus eſt a Domino vir ſecundùm cor ſuum, & ideò ipſemet Pſal. 25. v. 1. ait: *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans non infirmabor. Proba me Domine, & tenta me.* Sed tentatus cecidit in adulterium, & homicidium, unde clamabat. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Utique Salomon verè Sanctus fuit, præcinente Scriptura 2. Reg. 7. v. 14. *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Cap. 12. v. 24. *Vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum; Miſitque in manu Nathan Propheta, & vocavit nomen ejus Amabilis Domino, eo quod Dominus diligeret eum*: atqui Salomon captus amore mulierum alienigenarum templa Idolis erexit, iiſiſque thus adolevit, unde illius incerta ſalus. Moyſes, & Aaron ad aquas contradictionis in crimen prolapſi ab

Viri Sancti in peccata prolapſi.

A ingreſſu terræ promiſſionis proſcripti fuere. Alia proſequitur exempla S. Hieronymus.

96 PROB. III. Scripturis novi Teſtamenti. Amitti poteſt Chriſtiana perfectio, ſi non adſit perſeverantia uſque ad finem; ſed juſti plerique non ſunt perſeveraturi uſque in finem. Matth. 24. v. 12. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum; Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Si refrigeſcit charitas, jam extinguitur: opponitur namque perſeverantiæ uſque ad finem. Joan. 15. v. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum*, & verſ. 6. *Si quis in me non manſerit mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, &*

Chriſtiana perfectio amitti poteſt.

B *colligent eum, & in ignem mittent.* Palmes, qui areſcit, prius veraciter vividus erat, & cum vite unitus; igitur juſtus poteſt a ſanctitate æternùm excidere; & ideo dicitur: *In ignem mittent.* Palmites Chriſto conjuncti per Baptiſmum, & juſtificantem charitatem, qui poſtea aruerunt, hi ſunt, de quibus Paulus ad Gal. 5. v. 4. *Evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini; a gratia excidiſtis.* Non evacuatur a Chriſto, qui Chriſtum nuſquam induit, nec a gratia excidit, qui nunquam gratiam habuit: fuerunt ergo illi vere juſti. Dilectus Chriſti Diſcipulus Epiſt. 1. cap. 2. v. 1. ad Baptizatos, omneſque juſtos

C fideles ſcribit: *Filioli mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis; ſed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Porro fruſtra poneretur advocatus, ſi Baptizati, ſi juſti non poſſent peccare. Utique perfectus erat Apoſtolus, qui 1. Corinth. 9. v. 27. dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Si non poterat Sanctitatem deperdere, cur timebat damnari?

97 PROB. IV. Eadem eſt ratio de fide, ac de gratia, & charitate; deficiente

D enim fide deficit neceſſariò charitas, ſed Baptizati, & juſti a fide poſſunt cadere. Lucæ 8. v. 14. de quibuſdam dicitur: *Cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum; & hi radices non habent, ſed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* 1. ad Timoth. 1. v. 19. *Quidam ...... circa fidem naufragaverunt.* Qui patitur naufragium, in navi prius debuit eſſe. 1. cap. 4. v. 1. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide*, & cap. 6. v. 21. *Quam quidem promittentes circa fidem exciderunt.* Ad Heb. 6. dicuntur prolapſi qui guſtaverant verbum Dei, quod eſſe non poterat, niſi habuerint veram fidem,

Eadem ratio de fide, & charitate.

E alia vide apud Hieronymum ibidem.

98 PROB. V. Exemplis. Plerique Baptizatorum, juſtorum, & perfectorum fidem, ſanctitatem, & perfectionem per peccatum amiſſerunt. Joan. 30. v. 12. Petro dicit Dominus: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet*: erat ergo juſtus. *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*; & tamen Petrus ter Dominum negavit. Judam fuiſſe aliquando juſtum ſuadet illud Chriſti. Joan. 17. v. 12. *Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*: ecce Judas datus eſt Chriſto, ab eoque fuit cuſtoditus; adeoque

Deo

Deo charus, ſed periit prævaricando; unde finaliter reprobum fuiſſe omnibus compertum eſt. Nicolaus, unus ex ſeptem Diaconis primò inauguratis ex plurium ſententia, quos inter eſt S. Irenæus *lib. 1. cap. 27.* hæreticus evaſit, & tamen aliquando juſtus fuit, utpotè plenus Spiritu Sancto: Simon Magus credidit, & Baptizatus fuit, recepitque Spiritum Sanctum per manus impoſitionem, & tamen Simoniacus graviter peccavit. Epiſcopus Epheſinus, ut habetur *Apocal.* 2. fuit juſtus, & deinde peccavit, & a priori receſſit charitate, admoneturque, ut pœnitentiam agat. Hæc abunde ſufficiunt, ut fidei dogma plane comprobetur.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

99 OBJIC. I. Quod deperdi nequit quovis tempore perſeverat; ſed charitas nuſquam deperdi poteſt; ergo ſemper perſeverat. Min. habetur Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Si nulla tentatio, ſi nulla Satanæ inſidiantis ſollicitudo valet charitatem obruere, neceſſe eſt, quod perfectio vitæ Chriſtianæ in via nequaquam amitti poſſit.

Nullum extrinſecum obruere poteſt charitatem.

RESP. Neg. min., quam non evincit adducta auctoritas, quæ ſolum probat nullum extrinſecum, nullamque exteriorem violentiam a ſubjecto charitatem amovere poſſe, niſi liberi arbitrii conſenſus accedat; Patres pro aquis tribulationes intelligunt, & pro fluminibus maximæ veniunt anguſtiæ. Porro hæ Sanctos divino æſtuantes ardore inclinare nequeunt ad malum; hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poſſunt, quod fusè explicat D. Paulus ad Rom. 8. v. 35. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames &c.* Videndus eſt D. Thomas in hunc locum. Hæc quidem juſtos vexare poſſunt, ſed ad pravum nequeunt pertrahere conſenſum, niſi ſpontè velint; & ratio in aperto eſt. Quia charitas, cum ſit dilectio Dei ſuper omnia, omnibus Deum præfert; unde ex natura ſua vim habet id omne devincendi, quod in creaturis ad malum inclinat; eſt etiam forma, & omnium radix virtutum, quibus hominem corroborat adverſus rebelles animi motus, unde dicitur 1. Corinth. 13. v. 4. *Charitas patiens eſt, benigna eſt &c.* Eſt etiam quædam divinæ ſanctitatis participatio exigens ſecundùm ſe firmitatem; quoniam verò in mutabili recipitur ſubjecto; omnis enim creatura vanitati ſubjecta eſt; ideo deperdi poteſt, & non raro deperditur, ut apertè declarat Apoſtolus ad Heb. cap. 6. v. 4. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti; guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Qui illuminati ſunt*, ideſt Baptizati, guſtaverunt donum cæleſte: donum illud eſt gratia, *participes facti Spiritus Sancti*, divinæ nempe bonitatis; & tamen hi dona hæc amiſſerunt: *& prolapſi ſunt*: non dicit lapſi ſimpliciter, ſed prolapſi, ideſt totaliter lapſi, ex quo oritur difficultas reſurgendi, quæ per illud verbum indicatur, *impoſſibile*, quod non jam in ſenſu abſoluto intelligit S. Thomas, dum textum elucidat.

100 OBJIC. II. Quod ſemper permanet, nunquam deperditur, ſed charitas ſemel poſſeſſa ſemper permanet, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*; ergo.

Quomodo charitas nunquam excidat.

RESP Verbis D. Thom. in hunc locum -- dicit ergo primò: charitas nunquam
„ excidit: quod quidam male intelligentes
„ in errorem ceciderunt, dicentes, quod
„ charitas ſemel habita nunquam poteſt
„ amitti, cui videtur conſonare, quod di-
„ citur 1. Joannis 3. *Omnis qui natus eſt ex*
„ *Deo peccatum non facit, quoniam ſemen*
„ *ipſius in eo manet*: ſed hujus dicti primo
„ quidem ſententia falſa eſt; poteſt enim
„ aliquis charitatem habens a charitate ex-
„ cidere per peccatum: ſecundum illud
„ Apocal. 2. *Charitatem tuam primam reli-*
„ *quiſti; Memor eſto itaque, unde excideris,*
„ *& age pœnitentiam.* Et hoc ideo eſt, quia
„ charitas recipitur in anima hominis ſe-
„ cundùm modum ipſius, ut ſcilicet poſſit
„ eâ uti, vel non uti: dum verò ea utitur,
„ homo peccare non poteſt, quia uſus cha-
„ ritatis eſt dilectio Dei ſuper omnia, &
„ ideo nihil reſtat propter quod homo Deum
„ offendat, & per hunc modum intelligitur
„ verbum Joannis inductum. Secundò, præ-
„ dicta ſententia non eſt ſecundùm intentio-
„ nem Apoſtoli, quia non loquitur hic de
„ ceſſatione donorum ſpiritualium per pec-
„ catum mortale, ſed potius de ceſſatione
„ donorum ſpiritualium, quæ pertinent ad
„ hanc vitam per gloriam ſupervenientem,
„ unde ſenſus Apoſtoli eſt: charitas nun-
„ quam excidit, quia ſcilicet ſicut eſt in ſtatu
„ viæ, ita permanebit in ſtatu patriæ, &
„ cum augmento ſecundum illud Iſa. 31.
„ *Dixit Dominus: cujus ignis eſt in Sion*, ſci-
„ licet in Eccleſia militante, & caminus
„ ejus in Jeruſalem, ideſt in pace cæleſtis
„ patriæ — hanc eſſe mentem D. Pauli contextus manifeſte ſuadet ſtatim namque ſubditur -- Sive prophetiæ evacuabuntur, ſive
„ linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtructur --
ibique D. Thom. proſequitur oſtendere, quomodo hæc locum habeant in patria.

101 OBJIC. III. Aqua, quæ fontem generat ſemper ſalientem, & quæ ita extinguit ſitim, ut nunquam ſitis ulterius habeatur, debet ſemper permanere, atqui charitas eſt hujuſmodi aqua, juxta illud Joan. 4. v. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; ergo.

Spiritualia ad æterna deſerviunt.

RESP. Textus abs re affertur; intendit enim Chriſtus palam facere diſcrimen temporalia inter, & ſpiritualia bona, quatenus illa vim non habent ſatiativam rationalis appetitus, nec apta ſunt ad effectus in æternum duraturos producendos, ſecus ſpiritualia; & ideo Scriptura loquitur contrapoſitivè.

Digitized by Google

tivè. Reſpondente muliere verbis Domini, quod Jacob dederit puteum, ei reponit Dominus: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua &c.* Ubi Angelicus -- Omnis, qui biberit &c. „ ſcilicet corporalis, vel carnalis cupiditatis, „ & concupiſcentiæ, licèt ad horam ſedetur appetitus, „ tamen ſitiet iterum, „ quia inſatiabilis eſt delectationis appetitus. „ Prov. 23. *Quando evigilabo, & rurſus vina* „ *reperiam?* ſed qui biberit ex hac aqua, „ ſcilicèt ſpirituali, quam ego dabo ei, non „ ſitiet in æternum. Iſaiæ penultimo; *Servi* „ *mei bibent, & vos ſitietis* -- Proſequitur deinde oſtendendo rationem hujuſce differentiæ, & apte conciliat hanc ſententiam cum illa Eccleſ. 24. v. 29. *Qui bibunt me, adhuc ſitiunt*. Si enim ſenſum illum haberet Chriſti Doctrina, non dixiſſet per os Petri 2. cap. 2. v. 21., & ſeq. *Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti*. Ecce quomodo aliqui, qui aquam juſtitiæ biberunt, non perſeverantes reverſi ſunt ad iniquitatem, & qui aliquando fuerunt loti a peccatis, iterum coinquinati ſunt; inter juſtos invenire eſt, & qui in accepta juſtitia perſeverat, & qui ab ea excidit. Hinc D. Aug. *de corrept., & grat. cap.* 13. ait -- „ Credendum eſt quidam de filiis perditionis „ non accepto dono perſeverandi uſque „ ad finem in fide, quæ per dilectionem „ operatur, incipere vivere, & aliquandiù „ fideliter, & juſtè vivere, & poſtea cadere „ neque de hac vita, priuſquam eis id contingat, „ auferri --

102 OBJIC. IV. Qui per Baptiſmum juſtificatur, Chriſtum induit, cum Chriſto moritur peccato, & reſurgit in novitate vitæ ad ſimilitudinem reſurrectionis Chriſti, ad Rom. 6. v. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus; Sed Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ibidem; ergo ſemel vivificatus a peccato amplius gratiæ vitam non amittit.

RESP. Argumentum nil evincit; littera enim, & doctrinæ conſonantia non reddit ſenſum, quod charitas ſemel habita non amplius deperdatur, ſed oſtendit eâ Chriſti ſimilitudine conveniens fore, & debitum, quod qui ſemel juſtificatus eſt, non amplius peccet. Videatur D. Thom. in hunc locum; ubi declarat quomodò ex Chriſti virtute id poſſimus; ſubditque exhortationem, ut exhibeamus membra juſtitiæ, ut non regnet peccatum in nobis, ſupponens ex loquendi modo, quod poſſimus exhibere iterum corpus immunditiæ: equidem ſi ſemel habita juſtitia, non amplius deperdi poſſet, non commendaret laudatus Apoſtolus perſeverantiam, ad Heb. 7. v. 6. *In diſciplina perſeverate*; & Chriſtus ſalutem non promitteret ſub conditione perſeverantiæ Matth. 10. v. 22. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Hujuſcemodi namque conditio ſuperfluè apponeretur, ſi gratia non poſſet deperdi; illa pariter conditionalis locutio Pauli 2. ad Timoth. 2. v. 12. *Si negaverimus, & ille negabit nos*: ſatis innuit donum fidei, & charitatis eſſe amiſſibile. Certè conſepulti erant cum Chriſto, & reſurrexerant medio Baptiſmate illi, de quibus Act. 20. v. 30. *Ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa*: ex vobis ipſis, qui credidiſtis, dicunt Hæretici; proindeque fides, ſicut & charitas eſt amiſſibilis; cui conſonat illud 2. ad Timoth. 2. v. 17. *Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt*.

In juſtificatis adhuc neceſſaria perſeverantia.

103 OBJIC. V. Juſti per fidem, & charitatem ſpiritale ineunt cum Chriſto connubium Oſeæ 2. v. 20. *Sponſabo te mihi in fide*, & ad Epheſ. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Sed connubium eſt indiſſolubile; ergo fides, & charitas amitti nuſquam poteſt.

RESP. Laudati textus ad deſponſationem Chriſti cum toto Eccleſiæ corpore ſpectant, & hæc deſponſatio eſt omnino inſolubilis; quia nunquam ex toto fideles omnes a fide, & charitate recedent: ſunt namque ſemper plures, & fideles, & juſti, ut ſuis apte locis oſtenſum eſt. Quod ſi de peculiaribus ea dicta velis, intelligas oportet inadæquate; ſiquidem anima quælibet non eſt adæquata Chriſti ſponſa, unde diſſolvi poteſt unio ipſius cum Chriſto abſque eo, quod diſſolvatur cum toto Eccleſiæ corpore. Hinc ipſemet Deus ibid. ait cap. 5. v. 3. *Quia nunc fornicatus eſt Ephraim contaminatus eſt Iſrael*, & cap. 9. v. 1. *Noli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi, quia fornicatus es a Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici*; & alibi ſimilia, nec ſolus Oſeas, ſed alii Prophetæ ejuſdem labii ſunt. Summa ſpiritualis connubii perfectio ea eſt, quam deſcribit S. M. Thereſia, in ſeptima manſione; ubi agit de ſummo gradu Sanctitatis animarum; & tamen de iſtis dicit, quod peccare, & ſtatum amittere poſſunt, atque aliorum exemplo cadere pertimeſcunt, qui a ſummitate montis Sion ad ima prolapſi ſunt. Omnis via Domini miſericordia, & veritas, quia alii in bono perſeverant, a bono declinant alii; ea propter egregiè dicebat S. Gregorius *lib. 20. Mor. cap.* 5. -- Sancti etenim „ viri, ſic de ſpe certi ſunt, ut tamen ſemper „ ſint de tentatione ſuſpecti: quippe „ quibus dicitur: ſervite Domino in timore, „ & exultate ei cum tremore; ut de ſpe „ exultatio, & de ſuſpicione naſcatur tremor --

Chriſtus ſemper Eccleſiæ unitus.

CONTROVERSIA IV.

AN CHRISTIANÆ VITÆ PERFECTIO IN CHARITATE CONSISTAT.

104 SUperiùs innuimus vitæ Chriſtianæ perfectionem in charitate conſiſtere, impræſentiarum, ut omne erroris periculum abigatur, operæ pretium eſt hoc dilucidare; quoniam verò, docente S. Hieronymo, hæreſes in verbis conſiſtunt, & a verbis oriuntur, propterea Controverſiæ termini explicandi ſunt. Dupliciter igitur pro re nata intelligi poteſt, quod perfectio in charitate conſiſtat, totaliter, & eſſentialiter. Totaliter ita quod charitas ſola ſit unica perfectionis cauſa, & aliæ virtutes, vel neceſſariæ non ſint, vel ad perfectionem non deſerviant, nec quidquam conferant. Eſſentialiter ita quod in charitate vis tota perfectionis primordialis, & fontalis habeatur, ceteræ verò virtutes ſint quidem neceſſariæ, ſed non pertineant ad perfectionis eſſentiam, ſed ſolùm ad accidentalia. Rem totam Thomiſtico exemplo explicare poſſemus in Dei conſtitutivo, quod ponitur vel in radicali intelligere, vel actuali, loquendo per ſe, & in ſenſu formali, completivè tamen ſubintelliguntur cetera prædicata.

105 Hac ſuper re Beguardorum error occurrit, qui virtutis exercitia ad perfectionem non pertinere contendebant -- Certò „ quod ſe in actibus exercere virtutum, eſt „ hominis imperfecti, & perfecta anima li„ centiat a ſe virtutes -- & errore 4. dicebant perfectos non debere orare, nec jejunare; addentes in ſequenti quod non ſunt ſubjecti humanæ obedientiæ, nec ad præcepta Eccleſiæ obligantur. In Clement. *de hæreticis in 6.* Errorem hunc adoptati ſunt quidam, qui illuminati dicebantur, circa annum 1623. Hiſpali accuſati. Sic numero 7. legitur in catalogo eorundem errorum -- Per„ fecti non egent operari virtutum opera -- Hos imitatus Molinos an. 1687. ab Innocentio XI. execratus, qui ſæpenumero in ſuis propoſitionibus reprobat virtutum actus, & 31. ait -- Nullus meditativus veras virtutes „ exercet internas, quæ non debent cogno„ ſci a ſenſibus; opus eſt amittere virtutes -- Huic doctrinæ quorundam AngloCalviniſtarum, qui ſpirituales dicuntur, adſtipulatur -- „ Non eſt opus Sacramentis, aut aliis ſubſi„ diis, niſi devota meditatione -- Hic error ſubdole noſtris hiſce diebus ſerpit; ea propter ex Scripturis, & Patribus exquirenda eſt veritas.

Hæreticorum deliramenta.

106 Dicendum eſt, Chriſtianæ vitæ perfectionem eſſentialiter quidem, non autem totaliter in charitate conſiſtere. Duo complectitur concluſio, poſitivum unum, ſcilicet quod in ſola charitate ſalvetur eſſentialis perfectio, aliud negativum, quo evincitur non in ſola charitate totam Chriſtianæ vitæ perfectionem conſiſtere, ſed ad complementum ceteras quoque virtutes deſiderari.

Probatur primum ex D. Thoma 2. 2. *q.* 184. *a.* 1. -- Unumquodque dicitur eſſe „ perfectum, in quantum attingit proprium „ finem, qui eſt ultima rei perfectio, cha„ ritas autem eſt, quæ unit nos Deo, qui „ eſt ultimus finis humanæ mentis; quia „ *Qui manet in charitate, in Deo manet, &* „ *Deus in eo*, ut dicitur 1. Joan. 4., & ideò „ ſecundum charitatem ſpecialiter attenditur „ perfectio Chriſtianæ vitæ -- *Specialiter*, quaſi ſecundum ſpeciem, & eſſentiam: hanc eandem unionem explicat Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. Hinc ad Coloſſenſes 3. v. 14. *Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis. Vinculum perfectionis*, quia ut radix, & eſſentia rei cetera colligit: quo ſenſu intelligendus eſt D. Thom. *loco cit. ad primum*, ubi explicans illud Pauli 1. Corinth. 14. *Malitiâ parvuli eſtote, ſenſibus autem perfecti*, habet -- Perfectio humanorum ſen„ ſuum præcipuè in hoc videtur conſiſtere, „ ut in unitatem veritatis conveniant, ſe„ cundum illud 1. ad Corinth. 1. Sitis per„ fecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcien„ tia. Hoc autem fit per charitatem, quæ „ conſenſum in omnibus operatur, & ideo „ etiam perfectio ſenſuum radicaliter in per„ fectione charitatis conſiſtit -- Huc facit etiam illud ad Rom. 13. v. 10. *Plenitudo ergo legis eſt dilectio*, quia eſſentia res tota dici ſuevit.

Charitas nos Deo unit.

107 Corroboratur I. In re qualibet eſſentia eſt principale prædicatum, eſt ſpecificativum, & primum movens; atqui charitas in genere perfectionis hæc omnia habet. Siquidem Paulo docente 1. Corinth. 12. v. 31. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*: hæc excellentior via charitas eſt; & cap. ſequenti v. 13. *Major horum eſt charitas*, 1. ad Tim. 1. v. 5. *Finis præcepti eſt charitas*. Super quæ Auguſtinus *in Enchir. cap.* 121. -- „ Omnia præcepta Divina referuntur ad cha„ ritatem, de qua dixit Apoſtolus finis præ„ cepti eſt charitas. Omnis itaque præcepti „ finis eſt charitas, ideſt ad charitatem re„ fertur omne præceptum -- *In præfat. ad Pſal.* 140. repetit -- Quidquid ſalubritèr men„ te concipitur, vel ore profertur, vel de „ qualibet divina pagina ſculpitur, non habet „ finem, niſi charitatem -- ex quo enim Deus, qui objectum eſt charitatis rerum omnium, ſicut & virtutum finis eſt, charitas, quæ immediatè in Deum ut in ultimum finem tendit, ipſa pariter neceſſariò earumdem virtutum finis eſſe debet; ea propter quæcumque facimus, ut charitatem aſſequamur, exequimur.

Charitas finis virtutum.

108 Corroboratur II. Illud in linea perfectionis eſſentiale cenſetur, quod toti lineæ, & ſingulis ad eam ſpectantibus tribuit eſſe perfectionis, ſed charitas eſt hujuſmodi; ſiquidem omnium virtutum forma eſt, ſunt enim mortuæ abſque illa: *Qui non diligit, manet in morte*. 1. Joan. 3. v. 14., 1. ad Corinth. 13. v. 2. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans*, ad Epheſ. 3. v. 17. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris; in charitate radicati, & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis &c.* His intelligimus charitatem fundamentum eſſe,

Virtutes in charitate fundantur.

F &

& radicem, unde virtutes rationem perfectionis acquirunt; illis namque dat vitam; & ideo ad Gal. 5. v. 6. legimus: *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, qua per charitatem operatur*, ideſt opera vitæ, & meritoria facit; & ratio eſt, quia virtutes tales ſunt, ex quo pertingant ad attingendum ultimum finem, a quo omne bonum; non attingunt autem finem ultimum, niſi media charitate, quæ directè hunc finem reſpicit tanquam objectum: unde S. Thomas 1. 2. *q.* 114. *art.* 4. *ad* 1. habet -- Charitas in quantum habet ulti-
„ mum finem pro objecto, movet alias vir-
„ tutes ad operandum; ſemper enim habi-
„ tus, ad quem pertinet finis, imperat ha-
„ bitibus, ad quos pertinent ea, quæ ſunt
„ ad finem, ut ex ſupra dictis patet -- *& ad*
3. habet -- Fidei actus non eſt meritorius,
„ niſi fides dilectionem operetur; ut dicitur
„ ad Galat. 5. Similiter etiam actus fortitudi-
„ nis, & patientiæ non eſt meritorius, niſi
„ aliquis ea charitate hæc operetur, ſecundum
„ illud 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus*
„ *meum ita ut ardeam, charitatem autem non*
„ *habuero, nihil mihi prodeſt* -- Hinc Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me . . . manifeſtabo ei meipſum*. 1. ad Corinth. 2. v. 9. *Quod oculus non vidit . . . . quæ Deus præparavit iis, qui diligunt illum*. Jacobi 1. v. 12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. *Diligentibus*, inquit, quia charitas dat ceteris virtutibus valorem.

109 Quam doctrinam Patres paſſim docent: Leo Magn. *Serm.* 10. *de Quadrageſima* -- Nudæ ſunt omnes ſine charitate vir-
„ tutes: nec poteſt dici in qualibet morum
„ excellentia fructuoſum, quod non dile-
„ ctionis partus ediderit -- Auguſt. *de Trinit. cap.* 18. *lib.* 15. -- Dantur & per Spiri-
„ tum Sanctum alia munera, ſed ſine chari-
„ tate nihil proſunt -- *De nat., & grat. cap.* 70. -- Charitas inchoata, inchoata juſtitia
„ eſt, charitas provecta, provecta juſtitia
„ eſt . . . charitas perfecta, perfecta juſti-
„ tia eſt -- S. Proſper *De vita contempl. lib.* 3. *cap.* 13. de charitate loquens, ait -- Jun-
„ cta Deo inſeparabiliter, & unita . . . .
„ affectionum omnium potentiſſima, di-
„ vinæ contemplationis avida, in omnibus
„ ſemper invicta, ſumma actionum bona-
„ rum &c. -- *cap.* 14 ait -- Nihil boni
„ deeſſe poteſt, quibus charitas affuerit --
aſſumitque dicta Pauli ad Gal. 5., & 1. Corinth. 13., S. Greg. Magn. *hom.* 27. *in Evangelia* habet -- Quidquid præcipitur, in ſola
„ charitate ſolidatur -- 3. *p. Paſtoralis Admo-*
„ *nit.* 10. -- Ipſa namque, *Ideſt charitas*, quæ
„ mater eſt omnium, cuſtoſque virtutum --
Lib. 28. *Moral. cap.* 9. verſans illud ad Col. 3. *Super omnia autem &c.* dicit charitatem vocari vinculum perfectionis -- Quia omne bo-
„ num, quod agitur per illam, ne pereat,
„ ligatur -- S. Amb. in illud 1. Timoth. 1. *Finis præcepti*, habet -- Quoniam omnium
„ major eſt charitas, hanc finem eſſe dicit,
„ ideſt, perfectionis conſummationem --
S. Bernardus *Serm.* 83. *in Cant.* -- Et quidem
„ ſoli Deo honor, & gloria, ſed horum
„ neutrum acceptabit Deus, ſi melle amoris
„ condita non fuerint. Is per ſe ſufficit, is
„ per ſe placet, & propter ſe. Ipſe meri-
„ tum, ipſe præmium ſibi eſt amor, præter
„ ſe non requirit cauſam, non fructum --
Similia apud ceteros Patres.

110 Nunc pars altera oſtenditur. Si ad perfectionem haud neceſſariæ forent ceteræ virtutes, Scriptura, ut ſimus perfecti, illarum acquiſitionem non præciperet, ſed præcipit; unde ad Epheſ. 6. v. 11. habemus: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli*, & v. 13. *Accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare*. Armaturam Dei omnium virtutum collectio eſt. 1. Corinth. 14. v. 20. *Malitiâ parvuli eſtote, ſenſibus autem perfecti*. His morales exquirit virtutes, quæ ſenſus moderentur. Jacob. 1. v. 3. *Probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti, & integri in omnibus*, item cap. 3. v. 2. *Si quis non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir*. Quibus compertum fit virtutibus rationem perfectionis adſcribi, eaſque acquirere jubemur. His adde, quæ ſcripſit Apoſtolus ad Gal. 3. v. 26. *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem*, ad Rom 8. v. 24. *Spe ſalvi facti ſumus*, 1. Joan. 3. v. 3. *Qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe*, ubi videre eſt ſpiritualem vitam aliis virtutibus a charitate tribui, ac proinde neceſſarias fore ad perfectionem numeris omnibus abſolutam.

Ceteræ virtutes charitatem perficiunt.

111 Elucidatur I. Perfectio divinæ dilectionis exigit obſervantiam divinorum præceptorum; ſed in aperto eſt obſervantiam hujuſcemodi non ſalvari abſque virtutum exercitio; ergo. Major habetur 1. Joan. 2. v. 4., & ſeq. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt, qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt, & in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus*. En quod charitas perfecta cuſtodit mandata, & cap. 5. iterum habetur v. 3. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus*.

Virtutes hominem perficiunt.

112 Elucidatur II. Eo perfectior eſt juſtorum charitas, quo magis Chriſti charitatem æmulatur; ſed Chriſti charitas exigit collectionem omnium virtutum; ad Epheſ. 5. v. 2. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos*. Porro hæc ambulatio duo poſtulat ibidem deſcripta, tenebras fugere, hoc eſt peccata, & in luce progredi. Qui autem fructus lucis ſint, enarrat v. 9. Ideſt: *In omni bonitate, & juſtitia, & veritate probantes, quid ſit beneplacitum Dei*. Similiter 1. Joan. 2. v. 6. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare*, ita autem ambulavit Chriſtus, ut *Unus apex non præteriret a lege, donec omnia fiant*.

Chriſti virtutum omnium exemplar.

113 Itidem perfectior eſt charitas, quo magis juſtum cum divina voluntate conformat; divina porro voluntas totius legis adimplementum expoſcit. Matth. 7. v. 21. *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis eſt, ipſe intrabit in regnum Cælorum*. v. 24. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilatur viro ſapienti, qui ædificavit*

domum

domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia . . . Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto &c. Sapientem amatorem judicat Dominus, qui legem omnem adimplet, ſtultum verò qui eam negligit. Utique Apoſtolus cœleſtibus ſuperfluens donis perfectionis ſummam fuerat conſecutus, & tamen ardenter ad exercenda virtutum opera ſe ſe excitabat. 1. Corinth. 9. v. 26., & ſeq. *Sic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aerem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*, & ad Coloſs. 3. charitatem virtutibus aſſociatam commendat, v. 12., & ſeqq. *Induite vos ergo ſicut electi Dei Sancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam . . . . ſuper omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*, & 1. ad Corinth. 13. v. 4., & ſeq. *Charitas patiens eſt, benigna eſt; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet &c.* Quibus abundè innuitur virtutum omnium conſortium ſecum trahere charitatem. Hinc Myſtici, ut compertum habeant, qui nam regiâ Perfectionis gradiantur viâ, apte perpendendum eſſe affirmant, quanti virtutes faciant, quave ſollicitudine in illis ſe exerceant, & falſus reputatur ſpiritus, qui earum parvipendit exercitia.

Sapiens eſt, qui legẽ implet.

HÆRETICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

114 OBJIC. I. 2. ad Corinth. 3. v. 17. habemus: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Sed ubi eſt charitas, ibi eſt Spiritus Domini. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ad Romanos 5. v. 5.; ergo datur libertas, videlicet exemptio a legibus.

RESP. Verbis D. Th. ibidem -- Sciendum autem quod occaſione iſtorum verborum, ſcilicet ubi Spiritus Domini, ibi libertas, & illorum ſcilicet, Juſto lex non eſt poſita; aliqui erronee dixerunt, quod viri ſpirituales non obligantur præceptis legis Divinæ, ſed hoc eſt falſum; nam præcepta Dei ſunt regula voluntatis humanæ; nullus autem homo eſt, nec etiam Angelus, cujus voluntatem non oporteat regulari, & dirigi lege Divina; unde impoſſibile eſt aliquem hominem præceptis Dei non ſubdi. Hoc autem, quod dicitur: *Juſto lex non eſt poſita*, exponitur; ideſt propter juſtos, qui interiori habitu moventur ad ea, quæ lex Dei præcipit, lex non eſt poſita; ſed propter injuſtos, non quin etiam juſti ad eam teneantur. Et ſimiliter: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*; intelligitur, quia liber eſt, qui eſt cauſa ſui; ſervus autem eſt cauſa Domini; quicumque ergo agit ex ſeipſo, libere agit; qui verò ex alio motus, non agit libere. Ille ergo qui vitat mala, non quia mala, ſed propter mandatum Domini, non eſt liber, ſed qui vitat mala, quia mala, eſt liber; hoc autem facit Spiritus Sanctus, qui mentem interius perficit per bonum habitum, ut ſic ex amore caveat, ac ſi præciperet lex Divina, & ideò dicitur liber, non quin ſubdatur legi Divinæ, ſed quia ex bono habitu inclinatur ad hoc faciendum, quod lex Divina ordinat --

Omnis a lege dirigitur.

115 OBJIC. II. Habito fine mediorum neceſſitas, & inſtrumentorum uſus ceſſat; atqui virtutum opera ſunt media, & inſtrumenta ad charitatem acquirendam: *Finis enim præcepti charitas*. 1. ad Tim. 1. Hinc *Collatione* 1. *Caſſiani cap.* 7. Abbas Moyſes dicebat -- Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt; quia non in illis conſiſtit diſciplinæ illius finis, ſed per illa pervenitur ad finem -- Et commune effatum eſt, quod habita contemplatione ceſſare debet meditatio; illa ſiquidem eſt finis, hæc medium.

RESP. Principium illud, dum ſermo de puris mediis habetur, adoptandum utique eſt; virtutes autem non ſunt pura media ad charitatem, ſed & effectus, & cauſæ, quæ ad eam conſervandam ſunt neceſſariæ; nam Scriptura eam charitatem vocat finem præcepti, quæ eſt: *De corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Porro cor purum non habetur niſi circa paſſiones, quæ per morales virtutes moderantur, rectum ſit, nec eſt invenire conſcientia bona ſine rectitudine erga proximum; bona enim conſcientia alteri non facit, quod ſibi non vult fieri. Matth. 7. v. 12. *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Hæc autem non obtinentur, niſi ſerventur præcepta, quæ circa proximum verſantur, nec fides non ficta intelligitur, niſi rectitudo circa cultum Dei habeatur, vera namque fides dictat ea, quibus eſt Deus honorandus, ac proinde neceſſe eſt exequi religionis præcepta. Videatur D. Thom. ibi. S. Aug. *lib.* 1. *de Doctrina Chriſtiana cap. ultimo* cordis puritatem ſic explicat -- Cum enim diceret charitas, addidit de corde puro, ut nihil aliud quam id, quod diligendum eſt, diligatur -- Quo autem pacto cupiditas, & vitioſitas amoris ſui abſque virtutibus evacuabitur? Perfectio eſt velut ſpiritale quoddam ædificium, cujus forma eſt charitas, & baſes ſunt ceteræ virtutes. Unde S. Greg. *lib.* 2. *Mor. cap.* 26. *alias* 36. de virtutibus loquens, ait -- Illæ ſunt, quæ ſolidum noſtræ mentis ædificium ſuſtinent -- Ea propter virtutum exercitia ante charitatis conſecutionem ſunt media, & inſtrumenta ad eam acquirendam, eâ habitâ media ſunt ad eam conſervandam, ejuſdemque ſunt fructus; nam ſignum dilectionis eſt operis exhibitio, & amor vere non eſt, ſi operari deſinat; quo enim animæ in charitate ferveſcunt, eo magis virtutibus incum-

Cor non rectificatur ſine virtutibus.

bunt, & quo majora peragunt, eo ad excellentiora contendunt; nil enim ſibi peregiſſe videntur. Meditatio eſt medium ad contemplationem; deſeruit enim pro veritate detegenda, quâ habitâ mens in ea acquieſcit.

116 OBJIC. III. Totum perfectionis ædificium tendit ad finis ultimi aſſecutionem, quæ noſtra eſt Beatitudo; ſed ſola charitas, quæ tota ratio merendi eſt, ad Beatitudinem perducit; unde dicit Apoſt. 1. Corinth. 13. v. 3. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas . . . . charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; ergo aliæ virtutes ſunt ſuperfluæ.

RESP. Minor æquivocatione laborat. Si ſolos præciſè charitatis actus meritorios velit, erroneam continet doctrinam; in juſto ſiquidem omnes actus boni præmium merentur. Promiſit Deus præmium elargiri etiam pro aquæ frigidæ potu, & ultimæ diſcuſſionis die opera miſericordiæ quæcumque æternâ coronat Beatitudine; ſi autem velit charitatem eſſe neceſſariam, ut cetera bona opera vim habeant merendi, doctrina adoptanda eſt; ut enim obſequium ſit præmio dignum, oportet quod ſit gratum, gratum non eſt Deo abſque charitate. Hinc Aug. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 18. -- Dantur & per „ Spiritum Sanctum alia munera, ſed ſine „ charitate nihil proſunt -- Status charitatis ſaltem requiritur ut conditio ad merendum per alias virtutes ſecundùm id, quod habent ex proprio; neceſſe enim eſt, quod ſint opera vivificata: porro ſupernaturalis vita ſine dilectione non habetur; 1. Joan. 3. v. 4. *Qui non diligit, manet in morte*.

Virtutes ſunt meritoriæ.

117 OBJIC. IV. Qui id habet, in quo alia continentur eminenter, ad ea acquirenda non tenetur; ſed in charitate eminenter ceteræ virtutes continentur, juxta illud ad Rom. 13. *Plenitudo legis dilectio*; & D. Aug. *de moribus Eccleſiæ cap.* 15. amoris nomine omnem venire virtutem affirmat.

RESP. Effatum illud verum eſt, quando præcontinentia illa poſſeſſiva eſt, ſecus quando eſt ſolum directiva, & imperativa. Alias virtutes præcontinet charitas, ſed ſolummodo directive, & imperative, quia illas dirigit in ultimum finem, & imperat, & hoc intendit Apoſtolus: colligit enim inde totius Decalogi adimplementum: & idem ſentit ibi D. Aug., qui alias virtutes enumerat ſub charitatis directione -- Nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim; niſi ſummum amorem Dei -- ait *cap.* 15.

Charitas virtutes dirigit in ultimum finem.

118 OBJIC. V. Perfectio eſt unio animæ ad Deum; ſed ab hac unione diſtrahit aliarum virtutum exercitium; ad hoc ſiquidem requiritur operationis multiplicitas, quæ motui circulari, ideſt uniformi adverſatur, & aliàs in eo perfectio contemplationis conſiſtit, ut docet cum Dionyſio S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 180. *art.* 6. Et revera Chriſtus Martham reprehendit ſollicitam erga plurima, & commendavit Magdalenam uni incumbentem ſubdens: *Porro unum eſt neceſſarium*; ergo non datur obligatio ceteras virtutes exercendi.

RESP. Perperam aſſeritur virtutum exercitium diſtrahere ab unione animæ a Deo; immo quo plures exercentur, ſerventiuſque, eo magis charitas, & unio perficitur, & radicatur; & ſane unio eo eſt perfectior, quo magis anima Divinæ voluntati, quæ eſt regula totius rectitudinis, conformatur. Hinc Chriſtus omnium perfectorum exemplar dicit Joan. 6. v. 38. *Deſcendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me*, & ratio eſt, quam ex philoſopho ponit D. Hieronymus illo axiomate -- Idem velle, & idem „ nolle, ea demum firma amicitia eſt -- Porro Deus vult, ut ejus adimpleamus præcepta, proindeque vult, ut alias exerceamus virtutes: vapulabit multis ſervus ille, ait Dominus, qui ſciens voluntatem Domini ſui noluit eam adimplere, nec excuſabitur prætextu non diſtrahendi animum a contemplatione vultus ipſius Domini; nec quidquam pro re nata evincit Chriſti effatum; *Porro unum eſt neceſſarium*: ſiquidem non intendit ibi excludere virtutum exercitium, ſed ſtatuere, quod eſt potiſſimum, videlicet vitam contemplativam meliorem eſſe activâ, ut ad mentem Sanctorum Patrum declarat S. Thomas 2. 2. *q.* 182. *art.* 1. oſtenditque *art.* 3. qualiter vita activa non impediat vitam contemplativam, aptam innuens auctoritatem D. Gregorii *lib.* 6. *Moralium cap.* 17. -- Cum „ contemplationis arcem tenere deſiderant, „ prius ſe in campo per exercitium operis „ probent, ut ſollicitè ſciant, ſi nulla jam „ mala proximis irrogant, ſi irrogata a proximis æquanimiter portant, ſi objectis „ temporalibus bonis nequaquam mens lætitiâ ſolvitur, ſi ſubſtractis non nimio mærore ſauciatur, ac deinde perpendant, ſi „ cum ad ſemetipſos introrſus redeunt, in „ eo quod ſpiritualia rimantur, nequaquam „ ſecum rerum temporalium umbras trahant, „ vel fortaſſe tractas manu diſcretionis abigunt --

Exercitium virtutũ unit animam Deo.

Lubenter concedo contemplationis perfectionem, ſeu unionem animæ ad Deum in motu circulari conſiſtere, ſed motus circularis non explicatur per excluſionem exercitii virtutum ſuo tempore occurrentium, ſed per hoc, quod eat in unum, & ad unum veniat. Dictum D. Thomæ explicatur. S. Doctor eo loci motum circularem definit--Nam „ quidem (*ſupple motus*) eſt circularis ſecundum quem aliquid movetur uniformiter circa idem centrum -- ideſt juſtus quæcumque operatur, ſub uno fine peragit, & hic eſt uniformiter movens; quod declaratur ex eodem 3. *Sent. Diſt.* 35. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 1., ubi de contemplativo habet -- Homo „ in quantum eſt contemplativus, eſt aliquid „ ſupra hominem, quia in intellectus ſimplici viſione continuatur homo ſuperioribus ſubſtantiis -- Continuatur, inquam, ideſt imitatur Angelos in cognoſcendi modo, iſti enim per formalem diſcurſum, unum deducendo ex alio non intelligunt, adeoque pluralitate mediorum, & actuum utendo, ſed ſimplici intuitu principia, & concluſiones attingunt; contemplatio hujus vitæ eſt participatio contemplationis Beatorum, & iſtorum eſt participatio Divinæ, quæ eſt in ſummo gradu uniſona, & multiplicitatem me-

mediorum, & actuum, etiam virtualem excludit; unitas tamen medii, & operationis non impedit, quin plura cognoſcantur: nam Angelus quo perfectior, eo paucioribus ſpeciebus plura cognoſcit, & Beatus in uno medio Divinæ eſſentiæ plura intuetur; Deus verò infinita: quod dicitur de intellectu, proportionaliter dicendum eſt de voluntate, quæ ductum Intellectus ſequitur, & non eſt in ſua lineâ minus perfecta. Tunc movetur motu circulari, quando non utitur pluralitate mediorum, & actuum in volendo, ſed ad unitatem omnia reducit, & in unitate plura vult; porro in viris perfectis unitas hujuſmodi in amore ſummi amati, quod eſt Deus ultimus finis, ſita eſt. Audiatur D. Thom. *ibidem quæſtione.* 3. -- Dicendum: „ quod vita contemplativa Sanctorum præſupponit amorem ipſius contemplati, unde „ cùm vita contemplativa conſiſtat in operatione, quam quis maxime intendit, oportet quod ſit circa contemplationem maximè amati; hoc autem Deus eſt -- Vir perfectus ergo vult jejunare ſuo tempore, vult audire ſacrum, vult facere eleemoſynam, vult cetera adimplere præcepta, & adimplet, ſed hæc omnia ad finem ultimum dirigit, & ad hæc facienda movetur ex dilectione Dei. Quærit D. Thom. 1. *p. q.* 19. *a.* 2. An Deus velit alia a ſe, & reſpondet affirmative probatque ingenioſe quidem; ſibi objicit, quod ex hoc ſequi videtur multiplicem in ipſo voluntatem, cui facit ſatis -- Dicendum: quod „ ſicut intelligere Divinum eſt unum, quia „ multa non videt, niſi in uno, ita velle „ Divinum eſt unum, & ſimplex, quia „ multa non vult, niſi per unum, quod eſt „ bonitas ſua -- Conſimiliter, & proportionaliter diſcurrendum eſt de motu circulari voluntatis, quo regulariter viri perfecti operari ſolent „ unde palam fit uniformitatem non conſiſtere in excluſione exercitii aliarum virtutum. Hujuſcemodi uniformitas falſa eſſet, & ſubdola, ut univerſi Patres declarant.

119 Ex his colligenda eſt regula pro diſcernendo falſò Quietiſmo a vero perfectionis ſpiritu. Duplex eſt Quietiſmi genus, apertum unum, latitans aliud: illud eſt, quod ſub cortice, & perfectionis velamine omne carnis vitium fovet, atque impeccabilitatis titulo omnes ſcortationes, fornicationes, pollutiones ſanctificat; ſicut & quadam ſpecie jugis unionis cum Deo omni corporis appetitivi indulget in potationibus, atque comeſſationibus, deprædicans his omnia licere, qui ſpiritus libertatem ſunt aſſecuti, cumque Dei amor multum enervet, ea propter lautis utendum cibis, ut vitales ſpiritus reparentur. In peſſimam hanc quietem nemo unus niſi volens labitur. Quis enim adeo obtuſæ mentis non detegat malignantium fraudes. Etenim nimis aperte naturali lumini adverſatur. Alterum Quietiſmi genus hæc tam ſordida, tamque voluptuoſa execratur vitia; ſed alia occultiora nutrit, ac fovet. Prætextu orationis cum Deo, perpetuæque ejuſdem præſentiæ, ne diſtrahantur Quietiſtæ meditari renuunt, nullo intellectus, & voluntatis actu moventur, inanem judicant uſum imaginum ad devotionem excitandam; de Divinis verba facere, conciones audire, oculos ad Altaris Sacramentum convertere perfectionis cenſent impedimenta, laborem manuum, parentibus obedire, & Prælatis, virtutes exercere obſtacula dicunt purioris ſanctitatis: elati ſpiritu montes fumigant, dum nec Superiorum examini, nec correctioni ſubjici patiuntur, eo devenientes, ut Sanctorum ope non indigere aſſerant, quos proinde invocare detractant, cumque ſuperbia omnium ſit vitiorum origo, tandem in carnis vitia prolabuntur. Chriſti Doctrina, quæ Deum adorandum eſſe ſpiritu, & veritate fatetur, hæc abominatur: libertas fidei Orthodoxæ, quæ per dilectionem operatur, hæc ut æternæ damnationis vincula habet, ac fugit. Divinorum contemplatio, in qua Dominus ad cor loquitur, hæc veluti Angeli tenebrarum documenta reformidat. Sanctitas hæc omni iniquitate pejor exiſtit: perfectio hæc ad extremum nequitiæ perducit: quies hæc omnes tartari pœnas, & cruciatus promeretur: præcinente Scriptura Job 20. v. 5. *Gaudium Hypocritæ adinſtar puncti*, v. 22. *Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum*, v. 27. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum.*

Quietiſmi fraudes.

120 Vera igitur ſanctitatis perfectio ſollicita eſt, ut virtutum colligat faſciculos, quibus oblandiatur Dilecto. Lectulum ſemper floridum ſternit Amato, nova in horas meditans pietatis exercitia. Auſtrum Spiritu Sancto flante vocat, ut fluant aromata bonorum operum. Vera Dei dilectio ignis eſt, qui nunquam dicit ſatis, quia nova pabula ſuſpirat, occaſiones videlicet proficiendi. Anima perfecta ea eſt, quæ *aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thurris, & univerſi pulveris pigmentarii.* Cant. 3. v. 6. *Aſcendit*, quia continuo creſcit, *ex aromatibus &c.*, quia nullam omittit virtutis ſpeciem, omne boni operis proſequitur genus. Viros inter perfectos Danielem recenſet Scriptura, unde promittit Deus parcere populo, quamvis criminibus ad iram ipſum provocaret, ſi ſteterit cum Noe, Daniele, & Job. *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job ipſi juſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum.* Ezechielis 14. v. 14. Hic dicendi modus ſatis exprimit, tum divini furoris magnitudinem, tum excelſam virorum illorum perfectionem, quaſi quod tales forent, ut apti eſſent ad ipſum placandum; porro Daniel in Scripturis dicitur vir deſideriorum; quia vera perfectio ſemper ulterius progredi exoptat.

In quo ſita eſt veræ perfectionis vis.

Hinc S. Proſper *lib.* 3. *de vita contemplativa cap.* 15. habet -- Sic ergo poſſunt in „ hac vita illi eſſe perfecti, qui perfectè diligunt Deum, qui volendo, quod vult „ Deus . . . nec ullis peccatis, quibus offenditur, adquieſcunt, & ſemper ad virtutes . . . habendas extendunt -- S. Gregor. *lib.* 7. *Mor. cap.* 7. habet -- Charitas . . . multiplicata jam majoribus deſideriis æſtuat, „ jam pervenire ad vitam, ſpiritus etiam per „ cruciatus corporis anhelat -- Ricardus *de* 4. *gradibus violentæ charitatis.* Charitas iſta -- „ ſem-

Vera charitas ſemper operatur.

„ ſemper invenit, quod adhuc concupiſcere
„ poſſit. Quidquid agat, quidquid fiat de-
„ ſiderium ardentis animæ non ſatiat, ſitit,
„ & bibit; bibendo ſitim non extinguit, ſed
„ quo amplius bibit, eo amplius ſitit. Avi-
„ dæ enim immo inſatiabilis animæ ſitis,
„ vel eſuries, non ſedatur, ſed irritatur --
Similia paſſim Sancti Patres. Rem abſolvam
ratione, & auctoritate S. Auguſtini. Secun-
dùm Philoſophiæ leges omnis res quo magis
ad centrum accedit, eo velocius tendit, ut
facile videre eſt in lapide tendente deorſum,
porro perfecta charitas magis accedit ad cen-
trum ſuum, qui eſt Deus, quam imperfe-
cta, unde ex ſuo genere debet moveri ve-
locius, ideſt ſemper magis magiſque operari
virtuosè -- Corpus pondere ſuo nititur ad
„ locum ſuum, pondus non ad ima tantum
„ eſt, ſed ad locum ſuum; ignis ſurſum
„ tendit, deorſum lapis. Ponderibus ſuis
„ aguntur, loca ſua petunt . . . . . Minus
„ ordinata, inquieta ſunt, ordinantur &
„ quieſcunt; pondus meum, amor meus;
„ eo feror, quocumque feror. Dono tuo
„ accendimur, & ſurſum ferimur. Inarde-
„ ſcimus, & imus. Aſcendimus aſcenſio-
„ nes in corde, & cantamus canticum gra-
„ duum -- Sic Aug. *lib.* 13. *Conf. cap.* 9.
Quibus apte deſcribit naturam perfectionis,
quæ in eo verſatur, ut nunquam quieſcat,
ſemper creſcat, ſemper operetur; ubi itidem
habes, quid ſit vera quies animæ viatoris.
Motus ordinatus in ſuum finem -- Introdu-
„ xit me in cellam vinariam, & ordinavit in
„ me charitatem -- Motus dixi, quia nun-
quam ſiſtit, ſed ſemper nova meditatur,
peragitque; hujuſce vini conditio ea eſt,
quam refert laudatus Ricardus loco cita-
„ to -- Quid quæſo amore moleſtius, quidve
„ acerbius, cum ſitim ſuam nec reſiſtendo
„ temperare, nec inebriando poſſit extin-
„ guere? -- Aliud habemus momentum ex
eodem D. Aug. *lib.* 83. *Quæſt. q.* 36. -- Nu-

Charitas cupiditatē minuit.

„ trimentum charitatis imminutio cupidita-
„ tis perfectio verò charitatis eſt, ubi nulla
„ eſt cupiditas -- cumque in hac vita nun-
quam totaliter ſanetur concupiſcentia, ex qua
cupiditas oritur, ut docent Theologi, ne-
ceſſe eſt, ut charitas ſemper vigilet, ſemper
conetur contra impetum, ac proinde ſemper
proficiat. Audiamus iterum Auguſtinum
egregie pro re nata diſſerentem *Serm.* 15. *de
verbis Apoſtoli* explicans illud Pauli *Quæ retro
oblitus &c.* -- Videtis quia viatores ſumus; di-
„ citis, quid eſt ambulare? Breviter dico pro-
„ ficere, ne fortè non intelligatis, & pigrius
„ ambuletis; proficite, fratres mei, diſcu-
„ tite vos ſemper ſine dolo, ſine adulatio-
„ ne, ſine palpatione; non enim aliquis eſt
„ intus tecum, cui erubeſcas, & jactes te;
„ eſt ibi, ſed cui placet humilitas, ipſe te
„ probet; proba & te ipſum tu ipſe; ſemper
„ tibi diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad
„ id quod nondum es; nam ubi tibi pla-
„ cuiſti, ibi remanſiſti, ſi autem dixeris,
„ ſufficit, & periiſti; ſemper adde, ſemper
„ ambula, ſemper profice, noli in via re-
„ manere, noli retro redire, noli deviare;
„ remanet, qui non proficit, retro redit,
„ qui ad ea revolvitur, unde jam abſceſſe-
„ rat, deviat, qui apoſtatat; melius it clau-
A „ dus in via, quam curſor præter viam --

121 Hinc deceptio quædam, quæ
etiam in viris aliàs pietati addictis ſolet oc-
currere circa modum ſe ſe conformandi Di-
vinæ voluntati detegere juvat. Etenim Con-
feſſariis ſolemne eſt animas anguſtiis, tenta-
tionibuſque vexatas ſolari eas excitando, ut
Divinæ voluntati ſe ſe conforment; com-
mune etiam Patrum præceptum eſt, ut viri
ſpirituales in omnibus Divino beneplacito
conformentur; immo in hac perfecta unifor-
mitate perfectionis ſtatum conſtituunt: ve-
rùm doctrinâ aliàs optimâ quidam ex præ-
poſtera intelligentia abutuntur; nam dum

Deceptio in quorundam reſignatione.

B vexari ſe ſentiunt, ſatis fore autumant ſe ad
Divinam voluntatem conformare, ibique
quieſcunt, nec conatibus ſe excitant, nec ſe
ferventibus urgent actibus. Res clareſcat
exemplo impræſentiarum occurrenti in qua-
dam Diœceſi intra temporalem Romani Pon-
tificis ditionem. Perſona quædam probatæ
ceteroqui virtutis, atque diù in exercitiis
pietatis fervida, a ſeptem menſibus quoties
ad Pœnitentiæ, aut Altaris Sacramentum pa-
rata accedit, quadam vi ita repellitur, ut
nullimode ſive ad ſacrum Tribunal, ſive ad
Eucharisticam menſam adire valeat; ea in-
ter ipſa divinæ ſubditur voluntati, eidem
C ſe ſe conformat, hujuſce vexationis Deum
auctorem credens, Dæmonem immittendo ad
has probationes, & ſic in ſinu Divini bene-
placiti quieſcit: Epiſcopus mediis Confeſſa-
riis ſtudium omne impendit, ut Dæmonem
devinceret, illamque ab hoc nequitiæ ſpiritu
liberaret; ſed irrito, caſſoque conatu; nec
ſane aliud continget in poſterum, quoaduſ-
que in torpida illa remanebit quiete; neceſſe
itaque eſt, quod ſeipſam adjuvet ferventibus
actibus fidei, obedientiæ, humilitatis, con-
tritionis; ſeipſam crucis ope urgeat, Sancto-
rum invocatione, & potiſſimùm firma fide,
& tandem tanquam victor capiâ prædâ exul-
D tabit. Confeſſarius itidem, obedientiæ præ-
cepto ſedulam navet operam, ut pœnitens
ipſi fideliter obtemperet, atque potentiſſimi
nominis Jeſus imperio Dæmonem coerceat,
nec nudam illam conformitatem Divinæ vo-
luntati permittat, ſed ſuaſor ſit, ut ſtudium,
laboremque omnem impendat, ut ſupradicta
media ad praxim reducat. In eo ceteroqui
divinæ ſe conformet voluntati, quod de
manu Dei tribulationem illam acceptet, ſu-
ſtineatque patienter, nec deſperet, aut in-
dignetur, aliudve etſi minimum perpetret
peccatum. Reliquum eſt, ut omnem mo-
veat lapidem ad repellendam tribulationem
E aliàs impeditivam majoris boni ſpiritualis,
quod ex uſu Sacramentorum illorum oriri in
aperto eſt. Et habemus exemplum in ſimili
in Maria Valla, quæ per integrum annum
in acceſſu ad hæc Sacramenta hanc vexatio-
nem Dæmonis patiebatur; ſed quoties oc-
currebat, toties vincebat; longum licèt poſt
certamen, & laborem, in quo prædictis acti-
bus ſeipſam excitabat, atque urgebat, in-
ſtante ſimul Confeſſario præceptis, atque
conſiliis. Seraphica M. Thereſis graviſſimis
in illis probationibus, in quibus timebat a
Dæmone decipi, perfectiſſimè conformaba-
tur

tur Divinæ voluntati; tamen nuſquam otioſa quievit, donec, afflante numine, triumphavit. S. Maria Magdalena de Pazzis illo acerbiſſimæ tribulationis quinquennio Divino conformabatur beneplacito, & tamen omnes vires adhibebat, ut ſeipſam a tot erueret anguſtiis. Et ſane cum in hiſce probationibus ultimum nos lateat Divinæ voluntatis terminum, iis uti tenemur mediis, quæ ſecundùm ordinariam regulam Scriptura, & Eccleſia proponit; an verò vexationes, medio Dæmone, ſint a Deo per poſitivam voluntatem, an ſolum permiſſivam, majori indiget diſcuſſione. Unde ſtandum eſt decretis, & declarationibus Sanctæ Sedis; ſervandæque Conſtitutiones SS. Tribunalis Inquiſitionis contra Moiinos, alioſque ejuſdem furfuris Nebulones.

CONTROVERSIA V.

AN DENTUR CONSILIA A PRÆCEPTIS DISCRETA.

122 IN præcedentibus Chriſtianæ perfectionis naturam explicavimus, eamque ab erroribus vindicare ſtuduimus, nunc e re noſtra eſt peculiarem perfectionis ſtatum, quem potiſſimè impugnant, & proculcant Achatolici dilucidare. Non enim in idem redit, ut ſuperius adnotavimus, eſſe perfectum, & eſſe in ſtatu perfectionis; contigit namque aliquem perfectum fore, & non eſſe in ſtatu perfectionis, ut videre eſt in iis, qui in ſeculo degunt, Deo tamen famulantibus. Hi namque perfecti evadunt, quin ſint in ſtatu perfectionis, ex adverſo plures ex Religioſis, haud quaquam munere proprio fungentibus in ſtatu vivunt perfectionis, & non ſunt perfecti; ea propter duo hæc ſunt ſeparabilia; ſtatus porro perfectionis deſcribitur ex doctrina D. Thom. 2. 2. *q.* 184. *a.* 4., quod ſit quædam vitæ profeſſio firma, & ſtabilis ad perfectionem acquirendam per ſpecialia opera, aliqua accedente ſolemnitate. Conditiones in hac definitione exſcriptas dedimus in præambulis, & infra explicabitur, quæ nam ſolemnitas deſideretur, ad cujus complementum ſaltem actus aliquis, qui Eccleſiæ innoteſcat, neceſſario admittendus eſt; agimus namque de ſtatu perfectionis viſibili Eccleſiæ accommodato, ut ibidem Doctor Angelicus *ad* 3. oſtendit, ſtatus hujuſcemodi præcipue in obſervantia præceptorum, quæ removent impedimenta charitati adverſa conſtituitur, dein in obſervantia conſiliorum, per quæ tolluntur impedimenta actus charitatis; licèt charitati non adverſentur. Hæc duo requiri Catholici ad unum omnes fatentur; diſcriminantur tamen in eo, an primario ab obſervantia conſiliorum, vel præceptorum denominetur, cum horum obſervantia ſingulis fidelibus ſit communis, illorum peculiariter Deo dicatis. Verùm quæſtio eſt de nomine.

Quid requiritur ad ſtatum perfectionis.

123 Præcepta a conſiliis non diſcriminari, ſeu nulla dari conſilia plerique Monachatus hoſtes docuerunt. Ex Veteribus apud Epiphanium *hæreſ.* 61., & Auguſtinum *hæreſ.* 40. Hæretici dicti Apoſtolici paupertatem, & cœlibatum a Chriſto præcepta dicebant, itaut, non niſi qui Apoſtolorum more in paupertate, & cœlibatu viverent, ſalvari poſſe contenderent. Encratitæ Tatiani Aſſeclæ apud Irenæum *lib.* 1. *cap.* 30. ajebant, quod -- Omnes Chriſtiani ſub præ„ cepto cœlibes eſſe deberent, & a nuptiis „ abſtinere -- Pelagiani apud Aug. *Epiſt.* 88., 89., *&* 106. tradebant, quod -- Chriſtiano „ non eſſet ſpes ſalutis, qui non actualiter „ renuntiaret omnibus, quæ poſſidet -- Jovinianus apud Aug. *hæreſ.* 82., & apud Hieronymum *lib.* 1. *contra eundem* nullum admittebat diſcrimen cœlibatum inter, & conjugium, ac proinde negabat ad conſilia pertinere continentiam. Lampetiani apud Damaſcenum *hæreſ.* 98. conſilium obedientiæ ablegabant, quatenus propugnabant Monachos a Superioris arbitrio non pendere. Verùm hujuſcemodi Hæretici indirectè tantummodo ad rem præſentem pertinere videntur; unum enim, vel alterum eadere ſub conſilio negabant, ſed non aſſerebant abſolutè nullam dari diſtinctionem præceptum inter, & conſilium: propius accedit Wiclephus, qui tria, quæ vocamus Evangelica Conſilia, docuit a Deo fore prohibita, ſed Lutherus rem in terminis attigit *lib. de votis Monaſticis* -- Hic incidunt duo eorum prin„ cipia fidei, ſeu potiùs perfidiæ tractanda; „ quorum eſt primum, Evangelium non eſſe „ omnibus commune; ſed partitum in con„ ſilia, & præcepta: ſuam verò Monaſticen „ ſequi conſilia, non tantum præcepta, quæ „ reliquo vulgo propoſita ſunt . . . Si pro„ bare poterimus non eſſe conſilia, quæ illi „ jactant, & vovent, nonne deprehendemus „ eos damnabilitèr errare? -- Melancthon *in locis communibus titulo de diſcrimine præceptorum, & conſiliorum* habet -- Quidam „ finxerunt in Evangelio tria conſilia tradi, „ de non vindicando, de deſertione faculta„ tum, & de virginitate. Longum eſſet om„ nes errores recenſere, qui in hoc delira„ mento continentur -- Eandem Hæreſim adoptavit Bucerus, qui Luthero nomen dedit, in Apologſa Confeſſionis Auguſtanæ aſſerens nullum opus Deo gratum: niſi fuerit præceptum. Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 13. §. 12. -- Age (*inquit*) calumniam eſſe di„ cunt quod antea tradidi, non eſſe conten„ tos præſcriptâ a Deo regulâ, atqui etiam „ ſi taceam, ipſi plus ſatis ſe accuſant, „ apertè enim docent ſe plus oneris ſuſci„ pere, quam ſuis Chriſtus impoſuerit; quo„ niam ſcilicet Evangelica Conſilia de dili„ gendis inimicis, de non appetenda vindi„ cta, de non jurando, & cetera ſe ſerva„ turos promittunt, quibus non ſunt com„ muniter adſtricti Chriſtiani. In eo quam „ nobis antiquitatem oſtendunt? Nulli un„ quam Veterum hoc venit in mentem; om„ nes una voce clamant, nullam penitus „ voculam a Chriſto emiſſam, cui non ſit „ neceſſariò obtemperandum. Et hæc ipſa „ nominatim, quæ iſti boni interpretes Chri„ ſtum

Novatores Evangelicorum Conſiliorum hoſtes.

„ ſtum dumtaxat conſuluiſſe nugantur , juſſa „ eſſe nulla dubitatione ubique docent — En quam clarè Conſilia neget Evangelica ; perperam quidem Monachis, & Theologis affingit aliqua ut conſilia referre , quæ revera docet Eccleſia eſſe præcepta , ut inimicorum dilectionem , & vindictæ negationem &c. Calvino , aliiſque Hæreticis concinit Marcus Antonius de Dominis *lib. 2. de Repub. Eccleſiaſt. cap. 12. n. 17.* , ubi ait -- Hominem „ quæmcunque pluribus titulis eſſe totum , „ ac perfectiſſime ſub Dei dominio ſolus „ Atheus negabit . . . Neſcio ergo quid amplius donare poſſumus Deo , quod jam „ ipſius non ſit , & noſtro voto , aut pro„ feſſione vitæ arctioris , quid acquirit erga „ nos Deus dominii , quod non habet ? —

124 Ut res clareſcat , operæ pretium eſt innuere , quid præcepti , quidve conſilii nomine intelligatur ; præceptum itaque in lata acceptione ſumitur pro doctrina , & a verbo *præcipio* derivat , quatenùs ex eo dicitur Præceptor . Mandatum itidem late ſonat, quodcumque alicui commendatum eſt , & in hoc ſenſu certum eſt nullum dari conſilium a præcepto diſtinctum ; ſiquidem Chriſtus nos conſilia docuit, & commendavit ad illorum obſervantiam exhortando ; ſi verò præceptum proprie uſurpetur , non aliud eſt a lege , quæ ad obſervantiam adſtringit ſub reatu culpæ, & pœnæ, conſilium verò quædam eſt exhortatio , cujus obſervantia laudabilis eſt , & omiſſio ſine crimine ; ita Sancti Patres infra laudandi ; ſufficiat impræſentiarum auctoritas S. Hieronymi *lib. 1. contra Jovinianum*, his -- Quod enim præcipitur, impe„ ratur, quod imperatur, neceſsè eſt fieri ; „ quod neceſſe eſt fieri, niſi fiat, pœnam ha„ bet. Fruſtra enim jubetur, quod in arbitrio „ ejus ponitur cui juſſum eſt..... Ubi conſi„ lium datur, offerentis arbitrium eſt, ubi præ„ ceptum, neceſſitas eſt ſervientis -- Hujuſcemodi SS. Patrum doctrina eorum evertit opinionem , qui contendunt conſilium venialiter obligare , id eſt conſilii omiſſionem peccatum eſſe veniale ; peccatum namque veniale pœnam habet , ſi fiat , nec in arbitrio ponitur ejus , cui prohibetur ; in hac doctrina deſcriptum volumus conſilium in genere prout propriè a præcepto diſcriminatur ; ceterum juxta Scripturarum Patrumque intelligentiam conſilium conditionem involvit , ut ſit de meliori bono , hoc eſt , ut ſit melius, quam ejus oppoſitum , licèt bonum & illud ſit , & in hoc ſenſu conſilia dicuntur potiſſimum illa tria , nempe Caſtitas , Paupertas voluntaria , & Obedientia .

Diſcrimen conſilium inter, & præceptum.

125 Suppono contra Lutherum in lege nova dari aliqua præcepta , dicebat namque in Præfatione novi Teſtamenti -- Non eſt ali„ quod in Evangelio præceptum à Deo -- & *in Serm. de Moyſe* -- Decem præcepta ad nos „ non pertinent : non enim nos ; ſed ſolos „ Judæos ex Ægypto eduxit -- & ideo in libello *de Libertate* per ſolam fidem totam legem impleri tradit : quæ doctrina apertè pugnat cum Scriptura Matth. 5. v. 17. dicente Domino : *Non veni ſolvere legem , ſed adimplere* , adimplevit autem exequendo , quæ erant in lege veteri ſtatuta , & alia ſuperaddendo , ſicut ibidem patet — *Audiſtis quia dictum eſt antiquis ; non occides , qui autem occiderit , reus erit judicio ; ego autem dico vobis , qui iraſcitur fratri ſuo , reus erit judicio* . Joan. 3. Baptiſmus eſt ſub præcepto ; dicitur enim : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto , non poteſt introire in Regnum Dei* , & Lucæ 13. v. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, quod enim ſub comminatione damnationis æternæ mandatur , ſub præcepto cadere oportet . Matth. 19. v. 17. Chriſtus promiſit ſervantibus mandata vitam æternam : *Si vis ad vitam ingredi , ſerva mandata* , ubi de præceptis Decalogi agere manifeſtum eſt , ibi enim Chriſtus enumerat præcepta in tabulis deſcripta, & Paulus ad Rom. 4. aperte teſtatur non dari prævaricationem abſque lege ; ne ergo Lutherus admittere cogatur nullos fore prævaricatores extra Judæorum gentem , aſſerere debet legem datam eſſe aliis etiam a Judæis . Non opus eſt ulterius hæc proſequi , notum namque eſt pſeudoprophetam hunc ad id ſuâ doctrinâ reſpexiſſe, ut libertatem carnis ſtatueret , ideoque brevi tot convenerunt in unum adverſus Dominum , & adverſus Chriſtum ejus , ſicut de Epicuro dicebat Lactantius , quod plures habuit præ ceteris Philoſophis Sectatores . His poſitis .

In lege nova dantur præcepta.

Dicendum in lege nova dari conſilia a præceptis diſtincta .

126 PROB. I. In lege veteri plura dabantur opera bona non præcepta ; ergo multo magis in lege nova , quæ eſt filiationis , & non ſervitutis . Antecedens habetur Levit. 7. v. 6., ubi libera ſacrificia deſcribuntur : *Si voto , vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam , eâdem ſimiliter edetur die* . Numerorum 6. habemus ſpontanea vota Nazaræorum v. 2. *Vir , ſive mulier , cum fecerint votum , & ſanctificentur , & ſe voluerint Deo conſecrare &c.* Gen. 4. Sacrificium Abel acceptavit Deus , & tamen non legimus fuiſſe præceptum . *Cap.* 8. novimus Domino placuiſſe Sacrificium Noe , de quo nullum in Scriptura mandatum ; jejunium Danielis nulla lege præſcriptum , acceptum fuit Deo ; ab eo enim tempore exauditus eſt in ſuis orationibus ; ut videre eſt cap. 10. Ad Heb. 11. geſta referuntur Sanctorum , qui circuierunt in melotis , pellibus caprinis , anguſtiati &c. , quorum opera , & vivendi genus Altiſſimo , a quo expectabant cœleſtium benedictionum repromiſſiones , placitum erat , nuſquam tamen horum opera præcepta dicentur ; laudatum habemus a Chriſto Joan. 3. pœnitens Præcurſoris vivendi inſtitutum , quod plane voluntarium erat ; ergo compertum eſt in veteri lege plures laudabilia licèt non præcepta exercuiſſe .

In lege veteri plura opera non præcepta.

127 PROB. II. Bonorum omnium abdicatio , ut quis Deo famuletur , dubioprocul opus eſt bonum , & pium , ſed hoc ſub conſilio , & non ſub præcepto habetur; ergo non omnia bona opera præcepta ſunt . Argumentum habemus ex cap. 19. Matth., ubi unus accedens ad Chriſtum ait illi : *Magiſter bone , quid boni faciam , ut habeam vitam æternam ? Qui dixit ei . . . Si autem vis ad vitam ingredi ſerva mandata &c.* , cui ado-

adoleſcens : *Omnia hæc cuſtodivi a juventute
mea , quid adhuc mihi deeſt ? Ait illi Jeſus .
Si vis perfectus eſſe , vade , vende omnia , quæ
habes , & da pauperibus , & habebis theſau-
rum in cælo , & veni : ſequere me* . Ex his
compertum fit Chriſtum de actuali , realique
abdicatione ioqui , non jam de interna animi
diſpoſitione ; ait namque : *Vende , da pauperi-
bus* , quæ indubie realem referunt abdicatio-
nem , ad quam ſuo excitat exemplo : *Veni ,
ſequere me* , qui divitias non habeo . Lucæ 9.
v. 58. *Vulpes foveas habent , & volucres cæli
nidos ; filius autem hominis non habet , ubi
caput ſuum reclinet* . Hinc conſone ad hæc
Apoſtolorum nomine reſpondit Petrus : *Ecce
nos reliquimus omnia , & ſecuti ſumus te ;
quid ergo erit nobis ?* Habemus itaque bonum
opus fore , ſive quia Chriſtus illud commen-
dat ; non enim niſi laudabilia ſuadere poteſt ,
ſive quia ad perfectionem , quæ ſolum per
bona opera haberi poteſt , deſervire affirmat ,
ſive quia ſpeciale adſcribit præmium in cælo ,
quod non datur niſi pie agentibus . Habemus
itidem non eſſe opus præceptum ; duo enim
ad æternam vitam diſtinxit , neceſſarium
unum , *Si vis ad vitam ingredi , ſerva man-
data* , utile aliud ad perfectionem , *Si vis
perfectus eſſe* : Diſcrimen hocce apte innuit
bonorum abdicationem cadere ſub conſilio ,
cum non habeatur relate ad ea , quæ ad ſa-
lutem ſunt neceſſaria . Res clareſcit , ea quo ,
cum reſponderit Adoleſcens ſe mandata ob-
ſervaſſe : *Jeſus intuitus eum , dilexit eum* , ut
Marci 10. v. 21. refertur . Porro ſi alicujus
mandati tranſgreſſor fuiſſet , ipſum non di-
lexiſſet , cum Deus peccatores , & hypo-
critas non amore , ſed odio proſequatur .
Fas igitur eſt bonorum renunciationem ,
quam laudat Dominus , non fore præceptam ,
aliàs jam hoc non ſervaſſet Adoleſcens , nec
hujuſcemodi abdicationi ſpeciale præmium
promiſiſſet , cum tamen oppoſitum ibidem
habeatur : *Sedebitis & vos judicantes duode-
cim Tribus Iſrael* : unde dicebat Aug. *Epiſt.
89. quæſt.* 4. -- Qui illius perfectionis de ven-
„ dendis rebus ſuis conſilium tam grande ,
„ tamque præclarum non receperunt , & ta-
„ men a damnabilibus immunes criminibus
„ eſurientem Chriſtum paverunt , non ſede-
„ bunt quidem cum Chriſto ſublimiter judi-
„ caturi , ſed ad ipſius dexteram ſtabunt mi-
„ ſericorditer judicandi -- & ibidem -- Magi-
„ ſter bonus mandata legis ab iſto excellen-
„ tiore perfectione diſtinxit ; ibi enim dixit :
„ Si vis venire ad vitam , ſerva mandata , hic
„ autem , ſi vis perfectus eſſe ; vade , vende
„ omnia -- Joannes Chryſoſt. *hom. 64. ſuper
Matth.* ad præmii excellentiam intendens ha-
bet -- Nam quoniam magna illi cura de pe-
„ cuniis erat , quodquidem cunctis denudari
„ rebus conſulebat , ut oſtendat non amiſſu-
„ rum bona ſua , ſed tanto plura , majora-
„ que inventurum , quantùm terra cælum
„ præſtabilius , retributionis præſtantiam
„ theſaurum appellavit -- Ambroſius *de Vi-
duis* -- Præceptum enim ibi eſt , ubi eſt
„ pœna peccati : at verò cum ſe præcepta
„ legis memoraſſet impleviſſe , conſilium ei
„ datur , ut vendat omnia , & ſequatur Do-
„ minum --

In Scripturis præcepta diſcriminantur a conſiliis.

128 DICES . Verba apud Matthæum
A in idem redeunt , ac illa apud Lucam cap. 14.
*Sic ergo omnis ex vobis , qui non renunciat
omnibus , quæ poſſidet , non poteſt meus eſſe
diſcipulus* ; ſed hæc ea Patrum ſententia præ-
ceptum involvunt ; ergo & illa .

RESP. Neg. majorem . Chriſtus ſiqui-
dem eo loci Matthæi ſermonem habet de
actuali , realique , & non ſolùm affectivâ
abdicatione , ut jam expendimus , & Patres
interpretantur , Sanctorumque , qui omnia
abjecerunt , exemplo firmatur ; hocque in-
telleait Adoleſcens ille , qui , eo audito ,
abiit triſtis ; multas namque habebat divi-
tias , & difficilius evelluntur ea , quæ jam
B ſunt , quam quæ in ſpe eſſe poſſunt , un-
de Auguſtinus illorum abdicationem majoris
fore meriti aſſerit . Locus verò alter non eſt ,
niſi de mentali , & affectiva renunciatione ;
ſenſum enim eumdem refert , ac anteceden-
tia : *Si quis venit ad me , & non odit Patrem
ſuum , & Matrem ſuam , & Uxorem &c.* ,
quæ certe nequaquam intelligi poſſunt de
renunciatione reali ; hinc plane fit , quod
actualis abdicatio cadat ſub conſilio , & ad
lineam perfectionis pertineat ; & ſane bono-
rum abdicatio , ac Chriſti ſequela æquo cur-
runt paſſu . Chriſtum ſequi poſſumus , ſive per
dilectionem ſuper omnia , & obſervantiam
C mandatorum , Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vo-
cem meam audiunt , & ego cognoſco eas , &
ſequuntur me* , ſive per contemplationem :
Oſee 6. v. 3. *Sciemus , ſequemurque , ut co-
gnoſcamus Dominum* , ſive per imitationem
operis , & miniſterii , Job 23. v. 11. *Veſti-
gia ejus ſecutus eſt pes meus* , ſive per puri-
tatem mentis , & corporis , Apocal. 14 v. 4.
*Hi ſunt , qui cum mulieribus non ſunt coin-
quinati ; Virgines enim ſunt . Hi ſequuntur
Agnum* . Temporalia itidem abdicamus ſive
per affectum , non ponendo in illis finem ul-
timum , ſive in diſpoſitione animi parati ea
realiter deſerere , ſi neceſſe ſit , ſive quoad
D uſum , ea pauperibus etiam extra caſum ne-
ceſſitatis elargiendo tum quoad ſufficientiam ,
tum abundanter quoad poſſeſſionem . & uſum ,
ſed non omnes modi ſequendi Chriſtum ca-
dunt ſub præcepto ; non enim omnes debent
eſſe prædicatores , virgines ; ergo non om-
nis modus renunciandi temporalibus cadit
ſub præcepto ; non enim multa , ſed ſuffi-
cientia tenemur indigenti ſubminiſtrare .

Realis bonorum abdicatio cadit ſub conſilio.

129 INSTABIS . Chriſtus de medio
ad conſequendam æternam vitam neceſſario
ſermonem habet ; ergo vel loquitur de abdi-
catione affectiva , vel actualis non cadit ſub
conſilio . Antecedens patet , nam Juvene
E interrogante : *Quid faciendo vitam æternam
poſſidebo ?* & reſpondente ſe mandata Deca-
logi ſervaſſe , Chriſtus ſubdit : *Adhuc unum
tibi deeſt . Omnia quæcumque habes , vende* .
Lucæ 18. v. 22. , & Marci 10. v. 21. , ubi
advertenda eſt particula *adhuc* , quæ ſignifi-
cat illud , quod deeſt , eſſe de neceſſariis .

RESP. Neg. ant. , cujus probatio non
urget ; illud enim *Unum tibi deeſt* , non vide-
tur , nec eſt correlativum ad neceſſaria ſalu-
tis ; jam Adoleſcenti dixerat : *Si vis ad vi-
tam ingredi , ſerva mandata* . Matth. 19. ,
Marci 10. , & Lucæ 18. v. 20. *Mandata noſti ?*

quæ cum obſervaſſe dixerit, repoſuit Chriſtus: *Unum tibi deeſt*, ut ſis undequaque perfectus; quare ly *deeſt*, ut ex conſonantia Evangeliorum conſtat, pertinet ad lineam Conſiliorum, quod patet ex reſponſione Apoſtolorum ab omnibus Evangeliſtis recitata, ex ſpeciali propoſito præmio, & ex Eccleſiæ uſu, quæ quamplures Sanctorum faſtis adſcribit, licèt temporalia non abdicaverint, quod utique non contingeret, ſi omnium renunciatio in mandatis foret.

Omnium abrenunciatio ad conſilium ſpectat.

130 URGEBIS. Perfectionis nomine ea apte intelligitur, quæ Matth. 5. præcepta eſt: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis*. Sed hæc eſt de neceſſariis ad ſalutem; ergo. Declaratur: Chriſtus eo loci rerum abdicationem unà cum aliis præceptis referens ſubdit: *Eſtote perfecti*; ergo omnia æque debent eſſe præcepta.

RESP. Conced. major., ſed neg. min. Chriſtus perfectionem innuens: *Eſtote perfecti*, & ea tradit, quæ ſunt eſſentialia charitati, in qua perfectio omnibus neceſſaria intelligitur, & ea inſimul, quæ ad ſupererogatoria charitatis referuntur; eſt enim velut concluſio eorum, quæ in eo ſermone commendata fuere, in quo dubio-procul plura nequaquam ad ſalutem neceſſaria leguntur; ea propter SS. Patres, cum Auguſtino agnoſcunt traditam ibi Evangelicæ perfectionis ſummam, juxta illud Proverb. 15. *In abundantia juſtitiæ virtus maxima eſt*. Agit quidem de abdicatione terrenorum: *Beati pauperes ſpiritu*, verùm actualem abrenunciationem præceptam non habemus: ideo conſultò dixit *Spiritu*, & ut compertum fieret paupertatem neceſſariò non conducere ad ſalutem, & actualem ſpoliationem non requiri, ſed ſufficere affectivam, dicente Pſalmiſta Pſal. 61. v. 11. *Divitiæ, ſi affluant, nolite cor apponere*. Damus ultro eas nec actu habere, nec affectare fore ſecurius, ne a ſpiritualibus mens abſtrahatur, quod peculiarem involvit perfectionem.

Paupertas haud neceſſaria ad ſalutem.

131 REPLICABIS. Ad ſalutem non ſolùm fas eſt Decalogi præcepta adimplere, ſed etiam quæ ſuperaddidit Chriſtus; ideo Matth. 5. dicitur: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Sed Adoleſcens ſolùm fiſſus eſt ſe Decalogi obſervaſſe præcepta; cui Chriſtus dixit aliud illi deeſſe, quod ipſe addebat, nempe *Vade, & vende*; ergo hocce eſt de neceſſariis ad ſalutem; in veteri ſiquidem lege temporalium abundantia promittebatur, ſecus in nova.

RESP. Perperam dicitur Chriſtum novum inſtituiſſe præceptum de actuali bonorum renunciatione; cum tantummodo animi præparatione ſit contentus, ſicuti, ubi explicat Chriſtus ſuperabundantem juſtitiam, plura miſcet neceſſaria tantùm ad ſalutem in animi præparatione, puta: *Si quis habet aliquid adversùs fratrem, relinquat munus ſuum ad altare, & vadat reconciliari fratri ſuo*; hic ſi neceſſitas ſpectetur, animum reſpicit, ſi conſilium, executionem: *Si quis contendat pro tunica, da illi & pallium*. Hoc in animi præparatione de præcepto accipitur, in re ex majori perfectione: *Benefacite illis, qui oderunt vos*, in affectu de neceſſitate, & in caſu neceſſitatis in re, & extra omnem neceſſitatem ſolùm ſupererogatorie intelligitur; ita explica laudatum textum: *Vade, vende omnia*.

Bonorum ablegatio affectiva.

A

132 SUBSUMES. Cum his auditis Adoleſcens triſtis abjiſſet, Chriſtus dixit Diſcipulis: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum*, eademque repetens ait: *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum*. Hæc porrò Dominus non addiſſet, niſi aperte intellexiſſet neceſſitatem præcepti, dum dixit *vade, vende*. Non enim adimpletio conſiliorum ſimpliciter eſt neceſſaria, ut quis in regnum cœlorum ingrediatur.

B

RESP. Inſtantiam nil evincere. Etenim occaſione triſtitiæ, quam Adoleſcens oſtendit, gradum facit ſapiens Magiſter ad inſtruendam Eccleſiam circa periculum, quod afferunt divitiæ, cum omnis iniquitatis ſint inſtrumentum, facili negotio eis homines abutuntur, quarum fallacia, & ſollicitudo ſuffocat verbum Dei, ut 13. Matth. explicavit Magiſter bonus, & ſpinis comparavit, quia mentem pungunt, & animam vulnerant. Hinc Proverb. 28. v. 22. *Qui feſtinat ditari, non erit innocens*. Advertas tamen oportet Dominum dixiſſe divitem, non verò habentem divitias, non poſſe intrare; nam alii habent divitias, ſed non amant, habent alii, & amant inordinate, illi ſalvari poſſunt; ideò Apoſt. 1. ad Timoth. ait: *Divitibus hujus ſeculi præcipe, non ſuperbe ſapere*. Secus alii: ſæpenumero in Evangelio ſermo contra Divites inſtituitur, & paupertas, non ſolùm ob dicta commendatur, verùm etiam ut diſcrimen innoteſceret inter ſtatum veteris, & novæ legis; cum in ea temporalia promitterentur in præmium bonorum operum, & illorum acquiſitioni ſollicitè incumbebant Judæi; in hoc verò cum æterna felicitas unicum ſit præmium, quod exhibetur, mundanorum contemptus medium eſt apprime neceſſarium, & viri Dei ſtudent affectus temporalium evellere.

Divitiæ in laqueum.

C

D

133 DICES II. Fuit illud quidem Evangelicum Conſilium; ſed uni Adoleſcenti datum, ac proinde abs re in aliorum trahitur exemplum.

Verùm qua facilitate aſſeritur, eâdem refellitur arbitraria expoſitio; nulla enim eſt ratio, ob quam hoc ſuaderi poſſit; etenim SS. Patres apertè teſtantur quamlibet Chriſti doctrinam ad univerſam inſtruendam, inſtituendamque Eccleſiam fore ordinatam. Et ſane ſi cum dixit Chriſtus Adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, omnibus fidelibus dictum meritò cenſetur; cur quando dixit eidem: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende*, non debet extendi ad alios? Immo ex quaſi conditionali, & non abſoluto dicendi modo palam fit univerſalem tradidiſſe doctrinam, iis nempe, qui perfectionem aſſequi volunt.

E

Chriſti doctrina ad omnes ſe extendit.

Idem evincitur ex Petri ſententia: *Ecce nos reliquimus omnia*, quam Chriſtus approbavit: *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me &c.*, quod ſane non eveniſſet, ſi uni ſoli rerum abrenunciationem laudaſſet. Alibi Chriſti

Chriſti ſequela indicitur univerſalitèr, cur impræſentiarum cacludere debemus ea, quæ ad hujuſmodi ſeqnelam ſpectant, ut eſt voluntaria rerum abdicatio?

134 PROB. III. Continentia opus bonum eſt, atque æternæ vitæ meritorium, ſed continentia non jam ſub præcepto, ſed ſub conſilio cadit; ergo nun omne opus bonum eſt præceptum. Diſcurſus totus habetur ea Evangelio Matth. 19. v. 12. ex ore Chriſti: *Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum, qui poteſt capere, capiat*. His tres Eunuchorum ſpecies Chriſtus diſtinguit; hoc eſt tres ordines obſervantium caſtitatem: duo primi ea neceſſitate, alii ex plena voluntare. Caſtitatem voluntariam fore opus bonum, & meritorium in aperto eſt, quia ordinatur ad regnum cœlorum; eligitur enim ex fine, & ſpe conſequendi æternam felicitatem; hunc enim ſenſum reddunt verba illa: *Propter regnum cælorum*: ſiquidem Continentia eſt donum Dei juxta illud Sap. cap. 8. v. 21. *Scivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det*; ſed donum Dei non poteſt eſſe, niſi bonum, & ſi ſit opus, ſicut voluntaria caſtitatis obſervantia, debet æternitatis præmium demereri; opera enim, quæ peculiariter a Deo donantur, ad conſequendam Beatitudinem ſunt ordinata; & jure quidem, nam Sapientiæ 3. v. 13. habemus. *Felix ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum*: ſed fructus, qui datur animabus ſanctis eſt gratia in præſenti, & gloria in futuro: quapropter continentia debet eſſe opus bonum, & meritorium. Idem evincitur ea 2. ad Corinth. 1. v. 32., ubi legitur: *Qui ſine Uxore eſt ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quo modo placeat Deo*. Sollicitudo placendi Deo opus bonum eſt, & meritorium in ordine ſupernaturali; ibidem v. 34. *Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu*. Sed opus ſanctificans corpus, & animam eſt bonum, & ſupernæ felicitatis meritorium; ergo. Additur v. 35. *Sed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*, quod dubio-procul laudabile eſt; ergo continentia, quæ hæc bona gignit, ad demerendam æternam Beatitudinem apprime deſervit.

Continentia meritoria.

135 Quod ſi adoptaremus Novatorum ſenſa, videlicet continentiam deſervire *propter regnum cælorum*, ideſt ad expeditiùs enunciandum Evangelium, ntvis expoſitio hujuſmodi ſit contra Patrum ſententiam, adhuc veritas catholica non infirmatur; nam expeditius ennnciare Evangelium opus eſt laudabile, ac meritorium, ac proinde etiam continentia, quæ ad hoc conducit; & ſi vires ſuppeditat ad facilius Apoſtolicum munus exercendum, deſerviet inſimul ad promptius alia pietatis opera ob æternam felicitatem obeunda. Siquidem de Nuptis ait Apoſtolus, quod cogitant, quæ ſunt mundi, & quod tribulationes carnis ſuſtinebunt, ea propter eos hortatur, ut quandoque ſe contineant ad vacandum orationi; unde plane fit continentes aptius Deo famulari: quare & directe, & ex proprio objecto, & indirecte amovendo impedimenta eſt opus valdè bonum continentia.

136 Nunc oſtendenda eſt minor. Non præcipi a Chriſto continentiam conſtat, ex quo præcipit nuptias fore ſervandas v. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* Res inde clateſcit, dum ſubdit: *Qui poteſt capere, capiat*. Quæ verba ad exhortandum ordinata eſſe clarè indicat S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum* -- Proponit Agonothetis præ„ mium, invitat ad curſum, tenet in manu „ virginitatis bravium, oſtendit puriſſimum „ fontem, & clamitat: qui ſitit, veniat, & „ bibat; qui poteſt capere, capiat. Non di„ cit, velitis, nolitis, bibendum vobis eſt, „ atque currendum, ſed qui voluerit, qui „ potuerit currere, atque potare, ille vin„ cet, ille ſatiabitur -- Sed luculentiùs ex Apoſtolo conſtat 1. ad Corinth. 7. v. 28. *Dico autem non Nuptis, & Viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*, v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis &c.*, v. 27. *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem*, v. 37. *Et hoc judicavit in corde ſuo ſervare Virginem ſuam, bene facit*, v. 38. *Qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*, v. 40. *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium*. Ecce quot phraſibus ad virginalem, & vidualem continentiam adhortatur, & quidem tanquam ad opus conſilii.

Voluntaria caſtitas proponitur.

137 Ex quibus palam fit putidas Hæreticorum interpretationes nihil evincere, Lutheri videlicet in Epithalamio, Calvini in Commentario hujus loci, & Petri Martyris ibidem aſſerentium ſenſum Pauli involvere conditionem ſub impoſſibili -- Vellem hortari „ ad continentiam, *inquit primus*, ſed quia „ adeſt inevitabile periculum, nubite: ideo „ dicit: Bonum eſt homini mulierem non „ tangere; propter fornicationem autem „ unuſquiſque ſuam uxorem habeat -- Alter verò ait -- Bonum eſſet non nubere, ſicut „ bonum eſſet non comedere; ſed quia „ abſque miraculo nemo poteſt continere, „ ſicut nemo vivere abſque cibo, ideò nu„ bite -- Subdit Tertius -- Non contradicit „ Paulus Deo dicenti Gen. 2. *Non eſt bonum* „ *hominem eſſe ſolum*, ideo qui ſolum ha„ bent donum a Deo, contineant, & quia „ nemo ſcit illud habere, omnibus nuben„ dum eſt --

138 Verum cæcutire in meridie Novatores in aperto eſt, cum ibidem conditionalis locutio non habeatur, ſed ubique termini abſoluti, ubique verba indicativi ordinis: *Bonum eſt*. *Dico ego*: *Sicut & ego*. *Conſilium do*: *Exiſtimo*: *Noli quærere uxorem*: *Bene facit*: *Melius facit*: *Beatior erit*: qui omnes loquendi modi quamcumque excludunt conditionem, nec doni certitudinem requirunt, quod aliàs Deus omnibus petentibus, & efficaciter volentibus concedit; ſicut nubere poteſt etiam quilibet non habens

certitudinem doni conjugalis continentiæ; & ideo Paulus habet: *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem; poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam; bene facit*. Quibus oſtenditur requiri, & ſufficere propoſitum, & firmitatem voluntatis; tunc enim Dei auxilium præſto eſt, nec alia requiritur certitudo, ſi prudens adſit deliberatio, & quia alii concipiunt propoſitum continentiæ conjugalis, vidualis alii, alii virginalis, hinc unuſquiſque donum ſuum habet, alius ſic, & alius ſic, nec Deus Gen. 2. ad hominem reſpexit continentiæ dono inſignitum; alloquebatur ſiquidem Adamum in ſtatu innocentiæ, carentem concupiſcentiâ, ſed attendit propagationi ſpeciei, pro qua eſt neceſſe, quod in Republica adſit conjugalis ſtatus; ubi vero Paulus ſubdit: *Unuſquiſque habeat uxorem ſuam propter fornicationem*, non loquitur diſtributive, ſed pro his, qui defectu primæ voluntatis ſunt in periculo; hinc ſubjungit: *Quod ſi non ſe continent, nubant*. En quod res tota a propria dependet voluntate; non enim dicit, non poſſunt ſe continere. Quod ſi quid veritatis Hæreticorum interpretationes haberent, valdè indoctus grammaticus, & puerilis Evangelii miniſter meritò cenſendus eſſet Paulus, ſi de re impoſſibili, vel quod in libera non foret poteſtate tam clare, tamque abſolute locutus eſſet; ſicut foret illudendus, qui alteri ſuaſor eſſet, ut nuſquam comederet, vel ut mortuum ſuſcitaret. Porro quanti facienda ſit voluntaria caſtitas, ſæpenumero innuit Scriptura, plurimas ejuſdem referens dotes. *Continentiæ dotes.* Servat enim carnis munditiem: Apocal. 14. v. 4. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt*. Animam exornat, ideo Sapientiæ 4. dicitur: *Virgo pulchra*. Cant. 4. *Tota pulchra es*: Aſſimilat Angelis Matth. 22. v. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*: deſponſat Chriſto 2. Corinth. 11. v. 2. *Deſpondi enim vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*. Approximat Deo: Pſal. 44. v. 15. *Adducentur Regi Virgines poſt eam*: Sapientiæ 6. v. 20. *Incorruptio facit eſſe proximum Deo*. Ceteros ſuperexcedit ſtatus. Eccleſiaſt. 26. v. 20. *Non eſt digna ponderatio animæ continentis*. Bonæ famæ ſpirat odorem. Cant. 2. v. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Ad nuptias invitat æternas Matth. 25. v. 10. *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*. Quid in caſtitatis commendationem excellentius? Si vero eſſet impoſſibilis, nec Deus tot encomiis ad illam invitaret, nec præmia tam grandia proponeret, quibus cor hominis alliceret. Erubeſcant igitur ad hæc pudicitiæ hoſtes, deſinant clamare continentiam bonam eſſe propter præſentem neceſſitatem, ideſt in ordine ad temporale bonum, quatenus abſolvit a curis conjugalibus. Conjuges namque tribulationes carnis habebunt hujuſmodi. Spiritualia enim ſunt bona, æterna ſunt, ſupernaturalia ſunt, quæ ex Paulo, aliiſque Scripturis recenſuimus, quoniam verò ad æterna lucranda tempus breve eſt, ideo appoſuit: *Propter inſtantem neceſſitatem*.

139 Unam, aliamve Patrum ſententiam ad textum Matthæi cap. 19. ſubdere placet. Hieronymus *in Commentariis Matth.* -- Quaſi hortantis vox Domini eſt, & milites ſuos ad pudicitiæ præmium concitantis: „ Qui poteſt capere, capiat; qui poteſt pugnare, pugnet, ſuperet, ac triumphet -- Chryſoſtomus *hom. 63. ſuper Matth.* -- Dixit, „ non omnes capiunt, ſed quibus datum eſt; „ ut ſingulare id eſſe certamen perdiſcas, „ non ut forte datam neceſſitatem ſuſpiceris -- Ambr. *in lib. de viduis* -- Ideo ergo „ præceptum non datur; conſilium datur; „ præceptum enim caſtitatis eſt conſilium integritatis, ſed non omnes capiunt verbum „ iſtud, ſed quibus datum eſt: ſunt enim „ Spadones &c., & ideo magna in eis continentiæ gratia, quia voluntas facit, non „ infirmitas continentem -- Auguſtinus *de Virginit. cap.* 24. habet -- Chriſto laudanti „ eos, qui ſe ipſos caſtraverunt, non propter hoc ſeculum, ſed propter regnum „ cœlorum; Chriſtianus contradicat affirmans hoc præſenti vitæ eſſe utile, non futuræ? -- ibique verba Pauli aptiſſimè exponit, ſicut de adulterinis conjugiis *cap.* 18. *contra Jovinianum, & alibi*, Cyprianus *lib. de habitu Virginum* -- Nec ornari jam, aut placere aliis, quam Domino ſuo ſtudeant, a „ quo & mercedem Virginitatis expectant, „ dicente ipſo: ſunt enim Spadones, qui ſe „ caſtraverunt propter regnum Dei -- Ceteri Patres ejuſdem labii ſunt.

140 PROB. IV. Matth. 13. in parabola Seminantis habemus ſemen Verbi Dei, quod cecidit in terram bonam triplicem germinaſſe fructum, unum bonum, meliorem alium, aliumque optimum, v. 8. *Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. Qui habet aures audiendi, audiat*; ſed fructus bonitati correſpondet, & perfectioni operationum; ergo præter opus bonum enumeratur melius, & optimum: ſed opus melius, & optimum cadit ſub conſilio; ergo non omne opus bonum præceptum eſt; illud enim ſolummodo præcipitur, quod ad ſalutem plane requiritur; porro ſolum opus bonum hujuſmodi eſt; arbor namque, quæ bonos fructus facit, non exciditur, atque in ignem mittitur, ſed ſervatur; nec eſt neceſſe, quod optimos faciat fructus. Cumque meliori, optimove operi præmium largiatur Deus, jam in aperto eſt utrumque approbari, proindeque conſuli, ea propter ſubditur: *Qui habet aures audiendi, audiat*, quaſi dicat: qui doctrinam hanc de meliori, ſeu optimo opere percipit, eam adoptet. In alia parabola de diſtributa Mna, quam Noſtri Minam vocant, idem evincitur. Unicuique Servorum Mna una data fuit; unus ex his operatus eſt quinque; decem alius, alius otiatus eſt; hic reprehenditur, dum alii commendantur, atque præmium recipiunt; ſed niſi dentur opera non præcepta, non ſtaret veritas parabolæ; nam qui decem lucratus eſt, oportet vel quod plura opera bona fecerit, vel quod majori fervore, & diligentia operatus ſit: pluralitas porro horum operum, vel major fervor non potuit eſſe *Opus conſilii a Chriſto laudatur.*

ſub

ſub præcepto, aliàs, qui ſolum quinque fuit lucratus, defeciſſet, & male egiſſet; verùm id clarius habetur eodem cap. 19. v. 8. Lucæ de Zachæo, qui Chriſto dixit v. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, cui Jeſus, *Quia hodie ſalus domui huic facta eſt*. Utique dimidium dare pauperibus non tenebatur, nec defraudatis quadruplum; ad juſtitiam enim reparandam in male acceptis ſufficit æqualitas rei ad rem; & placuit Domino opus illud ſupererogationis, unde æternam ſibi promeruit felicitatem.

Roborantur I. prædicta ex cap. 12. v. 33. ejuſdem Evangeliſtæ: *Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, Theſaurum non deficientem in cælis*. Ex qualitate promiſſi præmii patet eſſe opus placens Deo; & tamen omnia vendere, & pauperibus elargiri non eſt neceſſarium ad ſalutem: aliàs ad unum omnes, qui poſſiderent, perirent, quod falſum eſſe exemplo Zachæi, qui dimidium bonorum retinuit, abunde comprobatur. II. Lucæ 10. v. 35. de Samaritano, qui curavit vulneratum a latronibus, & Stabulario duos dedit denarios, ut illius curam haberet, addidiſſe legitur: *Et quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*. Quid luculentius tam quoad materialem, quam quoad formalem verborum ſenſum, ut ſupererogationis opera innuantur; quod enim eſt ſupererogationis, debitum vincit. Quod vulnerato præſtiterat, ſufficiens erat ad ſatisfaciendum præcepto charitatis; tum maxime, cum illum Stabulario commendaſſet. In duobus denariis duo intelliguntur præcepta, nempe dilectionis Dei, & proximi, a quibus tota lex pendet, & Prophetæ— „Duo denarii ſunt duo præcepta charitatis—" ait Aug. *quæſt.* 19. *quæſt. Evangel. lib.* 2. *tom.* 4., quod ſupererogatur, conſilium. III. Lucæ 17. v. 10. *Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus*. Inutiles ſervi dicuntur, qui præceptis faciunt ſatis, non quia nihil peragant, cum ſervent mandata, atque correſpondentem promereantur mercedem, ſed quia nihil ſuperlucrantur amplius, cum poſſent; licet enim abſolute ſervus totus ſit Domini; non tamen quæcumque agit, ex debito agit, ſed ea tantum, quæ mandata ſunt; unde alia in utilitatem Domini præſtare valet, quibus majorem ſibi retributionem mereantur. Senſus hujuſmodi plane naturalis eſt; quod tribus momentis illuſtratur. I. Exemplo ſervi in humanis, quo uſus eſt Chriſtus; cum enim ille non niſi, quæ mandaverat Dominus feciſſet; ſubditur v. 9. *Nunquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non puto*, ideſt quia ſervus non fecit, niſi quæ erant juſſa, nihil ex gratia Dominus ei debet. II. Chriſtus non jam amici, ſed ſervi nomen conſultò uſurpat; ratio namque ſervi in debito abſolute fundatur, ſecus ratio amici, quia inter amicos mutua fit obſequiorum exhibitio, quæ nullimode debita cenſetur; unde Chriſtus Joan. 15. v. 14. Apoſtolis dixit. *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. III. Tandem dum ait: *Dicite; Servi inutiles ſumus*, voluit ad humilitatem, ceteroqui non debitam hortari, aliàs verum non foret omnia impleviſſe præcepta, quibus tamen impletis, vult quod cognoſcamus nos eſſe inutiles, pigros, & vecordes. Audiamus Ambroſium *lib. de Viduis*, ubi inter alia — Non enim quaſi inutilis ſervus, quod debuit facere, feciſſe ſe dixit, ſed quaſi utilis Domino, qui commiſſa ſibi talenta quæſitis multiplicavit uſuris, mercedem fidei, atque virtutis bene ſibi conſcius, meritorumque ſecurus, expectat —

Servus quando laudabilis.

141 PROB. V. Praxis approbata, & a Scripturis adoptata agendorum eſt regula; ſed plura approbat Scriptura in Viris Sanctis bona opera, non præcepta; ergo approbat opera dari ſupererogationis, & conſilii. Explicatur minor. In primitiva Eccleſia primi fideles vivebant Jeroſolymis in communi, propria vendentes, largienteſque egenis, ut videre eſt cap. 2. v. 44., & 4. v. 37. Actuum Apoſtolorum: *Et habebant omnia communia. Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*. Hujuſcemodi vitæ inſtitutum adeo commendatum ſupererogationis eſt opus. Hinc D. Petrus reprehendens Ananiam, & Saphiram ait: *Non ne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua poteſtate?* Satis innuens e re ſua fuiſſe agrum vendere, aliiſque facere communem. Apud Corinthios verò, ſicut & alibi hujuſmodi vivendi ratio non ſervabatur, ut patet ex Epiſtolis Pauli, qui etiam Philemonis charitatem, & fidem, qui cum Princeps eſſet, bona poſſidebat, commendat. Similiter perſeverantia laudatur Act. 2., in fractione panis, & oratione, quæ ferè quotidiana erat; ſed licèt tempus aliquod ad orandum ſit præceptum, nihilo tamen minus, quod nox tota in oratione abſolvatur, ſicut de Chriſto legitur, non eſt de præcepto; unde Apoſtoli non pernoctabant cum Chriſto in oratione, & Paulus Apoſtolus uxoratis dicit, ſeu permittit, ut quandoque abſtineant, ut vacent orationi ad tempus; quibus innoteſcit continuam orationem haud cadere ſub præcepto.

Opera non præcepta laudabilia.

142 Idem comprobatum habes ex cap. 9. 1. ad Corinth. Siquidem dubio-procul fas eſt recipere pecuniam, ſeu neceſſaria ad vitam oblata a fidelibus, quibus adminiſtrantur Sacramenta, verbum Dei, & hujuſmodi, ut eo loci clare ſtatuitur; ſed ea nolle accipere bonum eſt, & præmium habet apud Deum; ergo opera dantur ſupererogationis. Min. traditur v. 15. *Ego autem nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, ut ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quam gloriam meam quis evacuet*, ubi ſenſus eſt: non eſt e re mea doctrinam ſequi, quibus licere dixi ſumere ex Evangelio neceſſaria, nec talia ſcripſi, quaſi id velim in poſterum: ſi enim facerem, mercedem, quæ mihi correſpondet ex opere ſupererogatorio amitterem. Sic Patres, quos ſequitur S. Thomas hic — Bonum eſt enim mihi mori, non ſolum ſumptuum egeſtate affligi, magis quam ut gloriam meam, quam habeo de gratuita

„ tuita ſinceritate prædicationis, de præmio „ ſupererogationis, abſtinendo a licitis, quis „ evacuet, ab aliquo importune accipiendo, „ vel propter ſumptus Evangelicos -- ubi ita clare explicat reliqua textus, ut evaneſcant futiles Heterodoxorum interpretationes. Quod ſiquidem non loquatur de gloriola apud homines in aperto eſt, cum eam infra vocet mercedem: *Quæ eſt merces mea?* porro mercedem a Deo, non ab hominibus expectabat, & injurius foret Apoſtolo, qui ipſum aſſereret gloriari coram hominibus de opere debito coram Deo. Cum autem ait: *Si evangelizavero, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit &c.* Significat ſe teneri quidem ex præcepto ad evangelizandum ſimpliciter, & peccaret, ſi ſuo non fungeretur munere; verùm ſi hoc quidquam accipiendo perageret, ſupererogationis præmio careret; & eſt melius mori egeſtate, quam tali carere fructu. Audiatur S. Thom. *Lect.* 3. -- Et notandum „ quod quatuor tetigit differentias eorum, „ qui tenentur prædicare; quidam enim te„ nentur, ſed non evangelizant; hi meren„ tur pœnam; quidam tenentur, & evan„ gelizant, ſed coacti, hi non merentur „ mercedem, ſed vitant pœnam; quidam „ tenentur, & evangelizant voluntarie, ſed „ accipiunt ſumptus, & hi merentur mer„ cedem, & vitant pœnam, ſed non habent „ ſupererogationis gloriam; quidam tenen„ tur, & evangelizant voluntarie, nec ac„ cipiunt ſumptus, & hi mercedem meren„ tur, & vitant pœnam, & habent ſupere„ rogationis gloriam. Primum ſtatum tan„ git, ibi: *Væ mihi*. Secundum, ibi: *Nam* „ *ſi invitus*. Tertium, ibi: *Si autem volens*. „ Quartum, ibi: *Quæ eſt ergo merces?* -- Demum ab omnibus ultro conceditur, quod Paulus excellentiſſimum actum charitatis elicuit, cum optavit anathema eſſe a Chriſto pro fratribus; ſed hic charitatis actus non erat præcepto debitus, nam nullibi præcipitur, quod privari Beatitudine velimus, ut fratres æterna felicitate donentur, immo ex adverſo præcipitur, ut ſollicite ſalutem noſtram operemur; porro actu illo plurimum meruit Paulus, ſiquidem Deus coronam præparavit diligentibus ſe.

Quanti facienda ſint ſupererogationis opera.

143 PROB. VI. Ex Patrum ſententia in aperto eſt dari opera conſilii, & ſupererogationis a præceptis diſcreta; ergo.

Opera conſilii ex Patribus.

Rem paucis abſolvemus cum aſſumptum evidentiâ conſtet. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 3. *aliàs* 1. *contra Julianum* -- In „ legibus noſtris alia parendi neceſſitatem „ imponunt, nec ſine periculo prætermitti „ poſſunt, alia non neceſſitate conſtringunt, „ ſed in arbitrio, & poteſtate poſita ſunt, „ ac proinde hanc rationem habent, ut qui „ ea cuſtodierint, honore, & præmio affi„ ciantur, qui autem minus ea expleverint, „ nihil periculi pertimeſcant -- Origenes *lib.* 1. *in Epiſt. ad Rom. cap.* 15. -- Idcirco & præ„ cepta donantur, ut debita perſolvamus. „ Denique & in Evangelio ita Salvator di„ cit... quod debuimus facere fecimus. Ea „ vero quæ ſupra debitum facimus, non fa„ cimus ex præceptis -- Chryſoſtomus *hom.* 63. *ſuper Matth.* -- Ita magis animat, atque in„ cendit vel quia magnitudinem virtutis „ oſtendit, vel quia inæſtimabili miſericor„ dia ſua noluit rem in neceſſitatem legis „ concludere -- & *hom.* 8. *de Pœnit.* -- Ne„ quaquam Dominum incuſes, haud mandat „ impoſſibilia, multi & ipſa ſuperant man„ data -- S. Ambr. *lib. de Viduis* -- Præce„ ptum etenim ibi eſt, ubi eſt pœna peccati; „ at vero cum ſe præcepta legis memoraſſet „ impleſſe, conſilium ei datur, ut vendat „ omnia, & ſequatur Dominum; hæc enim „ non præcepto imperantur, ſed pro conſi„ lio deferuntur. Duplex namque forma „ mandati eſt; una præceptiva, altera vo„ luntaria -- S. Aug. *lib. de S. Virginit. tom.* 6. *cap.* 30. -- Tollite hoſtias quiſque ſuas, & „ introite in atria Domini, non ex neceſſi„ tate, ſed poteſtatem habentes veſtræ vo„ luntatis. Neque enim ſicut non mœcha„ beris, non occides, ita dici poteſt, non „ nubes. Illa exiguntur, iſta offeruntur. Si „ fiant iſta, laudantur, niſi fiant illa, damnan„ tur; in illis Dominus debitum imperat vo„ bis, in his autem ſi quid amplius ſupere„ rogaveritis, in reddendo reddet vobis -- In Enchiridion *cap.* 121. -- Quæcumque er„ go mandat Deus, ex quibus unum eſt; „ non mœchaberis; & quæcumque non ju„ bentur, ſed ſpiritali conſilio monentur, ex „ quibus unum eſt; bonum eſt homini mu„ lierem non tangere, tunc recte fiunt, cum „ referuntur ad diligendum Deum -- Eadem *de adulterinis conjugiis lib. pr. cap.* 18., *Ser.* 18. *de verbis Apoſtoli*, & in expoſitione Sermonis Domini affirmat ibi plura dari conſilia; idem docent Euſeb. *lib.* 1. *de demonſtrat. Evang cap.* 8., Athanaſius *de humanitate Verbi*, Baſilius *lib. de Virginitate*, Epiphanius *hær.* 48., Cyprianus *de habitu Virginum*, Hieronymus *contra Jovinianum*, qui cum ad priora Secula pertineant, non niſi mendaciter protulit Calvinus apud antiquos nec voculam quidem auditam de conſiliis.

144 PROB. VII. Eccleſia, ſeu myſticum Chriſti corpus comparatur tum corpori naturali, tum Civitati, Populo, & Regno bene inſtitutis; præter ea, quæ ſunt neceſſaria ad eſſe, & ad bene eſſe connaturaliter, dantur peculiares dotes, & perfectiones omnino accidentales, laudabiles tamen, & quæ hominem plurimum commendant, ut excellens quædam pulchritudo, vel ingenii vis, peculiare animi robur ad egregia quæque peragenda, vel eruditionis præſtantia, aliaque hujuſmodi, quibus ipſum ſuper reliquos extollunt; ergo in corpore myſtico præter ea, quæ ſunt neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, ut præcepta obligantia ſub gravi, & quæ ſunt neceſſaria ad bene eſſe connaturale, ut præcepta convenientiæ obligantia ſub levi; aliqua dari debent ſtatum perficientia, laudabilia, & præmio digna, quorum carentia nullam involvat imperfectionem. In Eccleſia, ut Scripturæ teſtantur, præter virtutes infuſas Sancti Spiritus dona recenſentur, inter quæ eſt fortitudo; porro hoc donum potiſſimum ea reſpicit, quæ ad ſupererogationem ſpectant. Audiamus D. Thom. 3. *Sent. diſt.* 34. *q.* 3. *a.* 1., *q.* 2. *ad* 1. -- Quia ſu„ pererogationis opera maximè videntur ha„ bere

Sicut corpus in naturalibus perficitur, ita animo in ſpiritualibus.

„ bere difficultatem humanas vires exceden- „ tem, ideo præcipuè circa illa dicitur eſſe „ donum fortitudinis --

145 PROB. VIII. Deus omnia diſpoſuit ſuaviter, & efficaciter, atque ita præceptorum, agendorumque ſeriem diſpoſuit, ut levia ſint, & non ſupra nos, ſicut ex Scripturis didicimus; ſed cum hac providentia non ſtat, ut omnia opera bona cadant ſub præcepto; nam ordinaria Dei Providentia humanæ non evacuat infirmitatem naturæ, ob quam pauci ſunt, qui omnia præſtent, quæ debent; unde in pluribus offendimus omnes; pauciores adhuc qui perſeveranter arduviora exerceant opera, pauciſſimi qui difficillima, ac per conſequens totum fere humanum genus certo exponeretur ſalutis periculo, quod eſt contra Bonitatem Divinam; debuerunt ergo non omnia bona opera eſſe præcepta, eaque propter fas fuit quædam præcipi, permitti alia, nonnulla ſuaderi, & in noſtra poteſtate relinqui: & ita eſt; unde D. Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 12. dicebat: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt; omnia mihi licent; ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca ventri, & venter eſcis; Deus autem & hunc, & has deſtruet*. Loquitur ibi de quibuſdam rebus, quæ non erant a lege prohibita, quæ ipſi erant licita, ſed non expediebant, quia impediebant quodammodo majorem fructum evangelizationis; quod clarius repetit cap. 10. v. 25.

Suaves Divinæ Providentiæ leges.

146 PROB. ultimo. Quodlibet præceptum reducitur ad negativum, & affirmativum. Dicitur enim: *Declina a malo, & fac bonum*. Affirmativum: *Diliges Dominum Deum tuum: Quod ſupereſt date pauperibus, Sabbata ſanctifices &c.* Negativum: *Non occides; Non furaberis; Non concupiſces &c.* Sed in hiſce omnibus ratione circumſtantiarum plura dantur ſupererogationis. Exemplo res clareſcet, ratione temporis in præcepto affirmativo v. g. jejunandi; quod obligat determinato tempore: ſi jejunet quis altera etiam die, ex modo, ſi pane contentus ſit, & aqua; ratione loci, ſi in præcepto orationis locus eligatur moleſtior, ratione durationis, ſi diutius, ratione intenſionis, ſi ferventiori ſpiritu; ratione extenſionis, ſi peculiaribus amicitiæ ſignis proſequantur inimici; ratione quantitatis, ſi in eleemoſyna abundantius indigentes ſubleventur; demum ratione intentionis, ſi puriori affectu pietatis opera exerceantur. In negativis præceptis idem eſt invenire, puta in modo obſervandi, ſi, ut elonger a perjurio, nunquam juro, etiam cum licet, ſi ut non committam turpia, cilicio carnem macero, ſi ut non faciam uſuram, a majoribus lucris honeſtis abſtineo, & ſic de aliis; & hoc non ſolummodo congruum eſt, ſed neceſſarium videtur ad fidelitatem, & dilectionem noſtram magis comprobandam, & ad illam excitandam. Audiatur Auguſt. *Serm. 61. de temp.* -- Aliud „ eſt conſilium, aliud præceptum, conſilium „ datur, ut virginitas conſervetur, ut a vi„ no, & carnibus abſtineatur &c. Præce„ ptum verò datur, ut juſtitia cuſtodiatur, „ ut omnis homo divertat a malo, & faciat „ bonum --

SOLVUNTUR ARGUMENTA ACATHOLICORUM.

147 OBJIC. I. Quidquid ex Divinæ legis præcepto debetur, nequit cadere ſub conſilio; ſed quodlibet opus bonum, ejuſque modus Divinæ legis præcepto debentur; ergo nihil cadit ſub conſilio. Min. explicatur Matth. 22. v. 37. habemus de præcepto dilectionis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. His quælibet comprehenditur laudabilis operatio, & omnis modus illius, id enim ſignificatur dum agendum aſſeritur *ex toto corde &c.* Quidquid enim agitur, mente, corde, animâ, agitur; ergo omne agibile comprehendit; ergo nihil remanet ſub conſilio; quod *lib. 1. Doctrina Chriſtiana cap. 22.* ait Auguſtinus -- Cum „ autem ait toto corde, tota mente, totâ „ animâ nullam vitæ noſtræ partem relin„ quit, quæ vacare debeat -- huc faciunt, quæ habet *de ſpiritu, & littera cap. ult., lib. de perfectione juſtitiæ cap. 21.*, D. Thom. 2. 2. *q.* 44. *art.* 6., & 184. *art.* 3., quorum verba dedimus, atque objecta ſolvimus *Controv. II. num.* 44., & *ſeqq.* Hoc argumento ad varios firmandos errores utuntur Heterodoxi, ſed caſſo, irritoque effectu; impræſentiarum illud urgent, quatenus ex induſtria ea omnia enumerantur, quæ in humanis ſunt principia agendi. Verùm non ubique eadem repetuntur; ſiquidem Deut. 6. ponuntur tria: *Ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine*, Matth. 22. omittitur: *Ex tota fortitudine*, & ponitur: *In tota mente*. Marc. 12. his additur: *Ex tota virtute*, quod idem eſt, ac ex *tota fortitudine*, & Lucæ 10. legitur: *Ex omnibus viribus*, quod in idem redit, ac *Ex tota virtute, & fortitudine*, ex vario hoc loquendi modo colligunt quidam ex Doctoribus his formulis nihil novi ex parte rei contineri, ſed ſolùm novos modos idem exprimendi. Illud itaque indubium eſt tria pro re nata ſignificari, ad invicem, & cum doctrina conſiliorum compoſſibilia.

148 Primum eſt nos ſincere, efficaciter, diligenter, non ficte, ſimulate, aut frigide debere Deum diligere, juxta illud 4. Regum 20. v. 5., ubi Ezechias ad Deum orabat: *Memento quomodo ambulaverim coram te, in veritate, & in corde perfecto*; & 1. Joan. 3. v. 18. *Non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, & veritate*. Porro quod agere totis viribus, & toto corde in idem redeat, ac agere diligenter, & ſincere habetur Gen. 31. v. 6., ubi Jacob uxores alloquens ait: *Et ipſæ noſtis, quod totis viribus ſervierim Patri veſtro*, & 2. Reg. 15. v. 13. *Toto corde ſequitur Abſalon populus Iſrael*, ideſt revera, & ſincere. Et hic diligendi modus eſt neceſſarius, ut præceptum dilectionis obſervetur.

Diligitur Deus ex toto corde, cum ſincerè diligitur.

149 Alterum eſt, quod finaliter, & ſuper omnia appretiativè debeamus diligere Deum, ipſum habendo ſolùm pro ultimo fine, ipſum omnibus præferendo, ipſi omnia ſubordinando, juxta illud Eccleſ. 47. v. 10.

De

De omni corde ſuo laudavit Dominum, *& dilexit Deum*, *qui fecit illum*. Pſal. 118. v. 10. *In toto corde meo exquiſivi te*, & 3. Regum 14. v. 8. *Cuſtodivit mandata mea faciens*, *quod placitum eſſet in conſpectu meo*; & quia non habetur hujuſmodi totalis prælatio, niſi & in affectu, & in executione omnia Deo ſubdantur, ideo repetuntur illa omnia agendi principia, quæ tum ad ordinem affectivum, tum ad ordinem effectivum pertinent; nomine cordis venit voluntas, quæ ſecundum intentionem finis, qui eſt objectum charitatis, eſt omnium motuum ſpiritualium principium, ſicut cor omnium motuum corporalium. Tria autem ſunt principia actuum, quæ moventur a voluntate, ſcilicet intellectus, qui ſignificatur per mentem; vis appetitiva inferior, quæ ſignificatur per animam, vis executiva, quæ ſignificatur per fortitudinem, virtutem, & per vires, & ad hæc reducuntur omnes aliæ explicationes, quæ illis particulis aſſignantur. Igitur ſenſus eſt, quod tota noſtra intentio feratur in Deum, & hoc eſt: *Ex toto corde*, quod noſter intellectus ſubdatur Deo, & hoc eſt: *Ex tota mente*: quod vis appetitiva regatur ſecundum Deum, & hoc eſt: *Ex tota anima*, & quod actus exterior obediat Deo, & hoc eſt: *Ex tota fortitudine*, *ex tota virtute*, *ex totis viribus*, & quia quidquid præcipitur, eſt circa materiam pertinentem vel ad vim appetitivam ſuperiorem, & inferiorem, vel ad vim intellectivam, vel exteriorem, ideo qui ſervat mandata diligit *Ex toto corde &c.*, & e contra Joan. 14. v. 15. *Si diligitis me*, *mandata mea ſervate*, v. 21. *Qui habet mandata mea*, *& ſervat ea*, *ille eſt*, *qui diligit me*, & cap. 5. v. 3. *Hæc eſt charitas*, *ut mandata ejus cuſtodiamus*.

Omnia Deo ſubordinari debent.

150 Tertium eſt, quod terminative intendamus illam aſſequi dilectionis perfectionem, qua in Patria Beati diligunt, hoc eſt, indeſinenter, indefectibiliter: hic eſt illius præcepti ſcopus: conſecutio nempe ſummæ charitatis per Beatitudinem: quod præcitati Patres intendunt, & tradunt Scripturæ, quibus præcipitur nobis ſollicitudo æternam acquirendi felicitatem. Hæc omnia licèt ſubordinata præceptum illud involvit, quæ tamen cum doctrina conſiliorum apprime cohærent; ſicut enim non omnis terrenarum rerum excluditur amor, ut ipſimet Sectarii fateri coguntur, cum Deus ipſe parentum, amicorum, & inimicorum mandet dilectionem, ita exercitium operum non præceptorum indubie adoptandum eſt, quod ſic clare explicatur.

Charitas Patriæ appetenda.

Hoc præceptum eſt per ſe primò affirmativum, per ſe ſecundò negativum; quoad utramque formalitatem admittit latitudinem ſupererogationis: quâ negativum importat, ut nullum peccatum committatur, nulla creatura præferatur Deo: quâ affirmativum obligat, ut præcepta, quando occurrunt, obſerventur, & Deus poſitivo affectu diligatur; porro cum nec ſemper occurrant præcepta, nec ſemper urgeat obligatio poſitivi, & actualis affectus; in aperto eſt quædam exerceri poſſe ſupererogationis opera, potiſſimum cum in adimpletione præceptorum velut gradus habeantur arbitrariæ perfectionis,
A quod ex aurea elucidatur ſententia D. Chryſoſt. *hom.* 10. *in Matth.* -- Pœnitentiam dico „ non ſolum ut a malis prioribus deſiſtamus, „ verum etiam ut bonorum operum fructibus impleamur: facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ; quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adverſa faciamus; aliena rapuiſti? incipe donare jam propria; longo es tempore fornicatus? a legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugii, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare; „ injuriam, vel opere cuiquam, vel ſermone feciſti? refer benedictionis verba con-
B „ vitiis, & percutientes te, nunc officiis, „ nunc etiam beneficiis placare contende, „ neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem „ tantummodo ſpicula de corpore evellere, „ ſed etiam remedia adhibere vulneribus. „ Deliciis ante, & temulentiâ difluebas? „ jejunio, & aquæ potu utrumque compenſa . . . vidiſti impudicis alienum decorem „ oculis? fœminam jam omnino non videas, majore tactus cautione poſt vulnera -- Hæc ſi peragas, dubio-procul plura habebis ſupererogationis opera. Nemo inficias ibit, melius, & perfectius adimpleri præceptum, ſi etiam a remoto elongabimur
C periculo, ſi contrarium eligamus: præcipitur mihi non furari, ego autem, ut rei alienæ affectum evellam, volo dare, quæ mei ſunt; præcipitur mihi non occidere, ut vindictæ appetitum extinguam, vitam ponere exopto pro inimico; præcipitur non adulterari, & ego ut alienam non concupiſcam, voveo perpetuam virginitatem, & ſic de aliis negativis, & in affirmativis per exceſſum; præcipitur jejunium cum abſtinentia a carnibus, & ego etiam a piſce abſtineo; præcipitur auditio Sacri, & ego pluribus interſum, & ſic de ceteris; videantur dicta in ultima probatione.

D 151 DICES. Totum illud præcipit charitas, quod in ſua continet elicitiva, vel imperativa virtute, ſed in ea omne continet opus bonum; quodlibet enim ad aliquam virtutem ſpectat; dicit namque Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Charitas patiens eſt*, *benigna eſt &c.* Et ſane ſicut ſe habet primum principium in ſpeculabilibus, ita ſe habet finis in practicis: charitas porro finis eſt, ſed primum principium omnes continet concluſiones; ergo etiam charitas omnes actus virtutum.

RESP. Charitas utique omnes involvit virtutes, ſed ſuo tempore exequendas; cum
E videlicet occurrit obligatio eas exercendi, quæ cum non ſemper præſto ſit, locus ſuppetit operibus ex conſilio. Virtutes ad præcepta affirmativa revocari ſolent, quæ quovis tempore non obligant. Utique *Charitas patiens eſt*; ſed non ſemper imminet occaſio patientiam exercendi; quid tunc temporis prohibet, ut vir juſtus occaſionem exoptet patientiæ, interioremque eliciat actum? ſicut bonus miles, qui ante pugnam in militaribus ſe ſe verſat exercitationibus, quinimmo cum aliquid ſuſtinendum eſt, id præſtare valet abſque animi turbatione, & etiam

Charitas ad omnes virtutes inclinat.

etiam cum gaudio, & gratias agendo Deo; primum ſufficit ad impletionem præcepti, ſecundum eſt opus perfectionis: *Charitas benigna eſt*, quia bona ſua aliis elargitur, cum ſcriptum ſit 1. Joan. 3. v. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo.* Poſſum indigenti nonnulla præbere, ut ſibi provideat: poſſum itidem dare ad delicias; primum ſufficit ad præceptum; ſolum enim ſcriptum eſt: *Eſurienti da cibum, ſitienti da potum*; alterum ad perfectionem ſpectat. Cetera ſi excurras, rem noſtram plane comprobatam habebis.

152 INSTABIS. Quæ charitatis propria ſunt a charitate præcipiuntur; at opera meliora ſunt maxime charitatis propria; hæc enim appriute ejus naturæ, & excellentiæ conveniunt; ea propter Amor modum neſcit, ad maxima ſiquidem contendit; ergo cum opera, quæ conſilii nuncupantur, meliora ſint, jam plane ſit ea maxime præcipi, ac proinde nullum effingi poſſe conſilium.

RESP. Charitas non ſemper meliora imperat, ſed quædam præcipit, quædam conſulit. Scripturis res evincitur: *Perfecta charitas foras mittit timorem*; urget confeſſionis præceptum; doleo de peccatis ob Divinam offenſam, atque ob gehennalia ſupplicia. Hic charitas non mittit foras timorem, & tamen præcepto facio ſatis; doleo ex puro, & ſolo filiali amore, adeſt perfecta charitas, & ſuperabundans. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti*: urget præceptum jejunandi, jejuno, ut Deo placeam, & ut Beatitudinem aſſequar, juxta illud: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Præceptum utique adimpleo, aliàs non facerem juſtificationes Domini, jejuno verò præciſe, ut Domino placeam, nullimode propriam ſpectando utilitatem, dubio procul perfectius ago; aliud igitur eſt opus bonum a charitate præcipi, aliud eſt illud velle; vult charitas meliora, ideo dicitur: *Æmulamini chariſmata meliora*, non autem ea præcipit, unde ſcribebat Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 7. *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic.*

Charitas vult, ſed non præcipit meliora.

153 URGEBIS. Quodcumque opus bonum ſub charitatis præcepto eſt invenire; Paulo teſtante ad Philipp. 4. *De cetero fratres quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate; quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.* Quid ultra deſiderari poteſt, ut omne opus dicatur præceptum. Hinc concludit Petrus Martyr -- Inveniant iſti acuti „ homines, quid huic præcepto Pauli ſuperaddi „ poſſit --

RESP. Celebris quidam Controverſiſta hæc verba intelligenda fore negative affirmat, ut ſenſus ſit, nihil cogites, neque agas, niſi quod juſtum eſt; hujuſmodi tamen interpretatio haud ſervare videtur conſonantiam Scripturæ: nam cogitare, & agere non jam negativam, ſed poſitivam habent ſignificationem; A quod potiſſimum evincitur, dum ait: *Quæ didiciſtis in me*, porro Paulus exemplum dederat, & male non agendi, & bene agendi poſitive. Lata dein pateret via eludendi alia præcepta poſitivè affirmativa, v. g. *Honora patrem tuum*, exponendo, ne facias Patri injuriam. *Diliges Dominum Deum tuum*, ideſt, ne odio Deum habeas; & de facto ita illud intellexerunt Caſuiſtæ illi execrati, qui præceptum fidei, ſpei, & charitatis nunquam per ſe obligare dicebant. Eſt, qui dicit non præcipi omnibus ſingula virtutis opera, ſed modum quo fieri debent, ideſt ſincere abſque hypocriſi; quod utique B bonum eſt; addens itidem indiſcriminatim loqui Paulum generali exhortatione ſive ad opera præceptorum, ſive conſiliorum, cum intendat fideles ad omne perfectionis genus perducere; quod verba illa *audiſtis, & vidiſtis in me*, ſatis indicant; cum docuerit, & exercuerit opera præceptorum, & conſiliorum. Hæc ſolutio haud reprobanda. Verùm aptiorem crediderim aliam, quæ ex contextu colligitur, & bene elucidat D. Thomas, Apoſtolum nempe loqui de virtutibus neceſſariis pro eſſentiali Chriſtiana perfectione, quæ in eo ſita eſt, ut fidelis ſit rectus in ordine ad ſe, ad Deum, & ad C proximum, interius, & exterius, ea propter in illa enumeratione ea refert, quæ hiſce ſtatibus congruunt; agit namque primò de his, qui fidem, quæ eſt principium totius ordinis, & ædificii ſpiritualis, ſuſceperunt; unde a neceſſariis incipiens pro rectificando intellectu dicit *Quæcumque vera*, ſcilicet per fidem: non enim Apoſtolo cura eſt naturæ arcana inveſtigare; deſcendit inde ad ea, quæ neceſſaria ſunt ex parte affectus, & dicit: *Quæcumque pudica* juxta illud Jacob. 3. v. 17. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt.* Hinc ut ſit rectus in ordine ad proximum in linea juſtitiæ ſubdit: D *Quæcumque juſta*. Scriptum eſt enim Matth. 5. v. 6. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* Innuitur dein rectitudo ad Deum: *Quæcumque ſancta*. Nam legitur Lucæ 1. v. 74. *Serviamus illi in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Agit poſtmodum de rectitudine neceſſaria in ordine ad proximum in linea charitatis quoad externum opus: *Quæcumque amabilia*, ideſt, quæ ad mutuam perducunt proximi amicitiam, in qua novum Chriſti mandatum verſatur, dicente Eccleſ. 7. v. 39. *Non te pigeat viſitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.* Et ad evitandum ſcandalum: *Quæcumque bonæ* E *famæ*: multa enim peragi tutò poſſent, quæ tamen propter famam merito ſunt prætermittenda. Eccleſ. 41. v. 15. *Curam habe de bono nomine &c.* Rem demum abſolvit afferendo neceſſaria ex parte principii, & motivi agendi, quod eſt duplex; inclinatio ſcilicet interioris habitus; *Si qua virtus*, ideſt ex habitu virtutis, cum teneamur habitualiter recte agere, & exterior inſtructio, quæ deſcendit ex ſuperioribus præcipientibus: *Si qua laus*, ideſt laudabilis diſciplina per Prælatos inducta, juxta illud Pſal. 118. v. 66. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Triplicem

porro hujuſcemodi rectitudinem per præcepta diſtribuit Apoſtolus, cum eodem ordine diſcreta ſint Decalogi præcepta; ſicut & præcepta poſitiva legis novæ, & Sacramenta; quare D. Paulus ibi per modum compendii doctrinam præceptorum ſecundùm omnem reſpectum amplexus eſt, ultra quæ, ut ſupra ſatis eſt explicatum, occurrunt conſilia.

154 REPLICABIS. Omnis actus deliberatus peragi debet ex vi præcepti charitatis; ſed quod eſt faciendum ex vi præcepti charitatis non poteſt eſſe conſilium; ut Catholici ſentiunt; ergo. Major explicatur, & probatur. Nullus actus in individuo deliberatus indifferens eſſe poteſt, ſed debet eſſe vel moraliter malus, vel moraliter bonus; aliàs ex vi præcepti ipſum in finem bonum teneor dirigere, & ſi non dirigo, pecco. Ita expreſſe Aug. *lib. 11. de Trinit. cap. 5.*, *lib. 12. cap. 13.*, *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 18.*, Baſilius *in regulis brevioribus ad interpretationem 23.*, Ambroſius *in Pſal. 38.*, Hieronymos *in cap. 12. Matth.*, S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 18. *art.* 9., cujus Diſcipuli PP. Salmanticen. illud ad præceptum referunt charitatis cum aliis communius; quidam alii ad illud 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*, & cap. ultimo: *Omnia veſtra in charitate fiant*.

Junior quidam putat doctrinam hanc fore proſcriptam propoſitione 7. ab Alexandro VIII., quæ eſt -- Omnis humana actio „ deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi „ Dei, charitas Patris eſt; ſi mundi, concu„ piſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt -- Qui diſcurſus eſt ipſiſſimus D. Thomæ, & Thomiſtarum: dicunt enim neceſſe eſſe actionem omnem ordinari, vel non ordinari ad debitum finem, ſi non ordinatur, jam eſt actus malus, ac proinde amor carnis, ideſt amor ſui; ſi ordinatur, jam actus eſt bonus, & eſt amor Dei, quia actus finem volens honeſtum amor Dei eſt, & ſaltem virtualiter, & ſecundùm ſe tendit in Deum ut ultimum finem, & PP. Salm. cum aliis Thomiſtis aſtruunt fieri ſatis præcepto charitatis obligante pueros ad ſe convertendos primo uſus rationis inſtanti per converſionem ad bonum honeſtum, & pro re nata hanc obligationem oriri docent reductivè ſaltem a charitate.

Ordinatio actus.

Attamen quis uſquam doctrinam D. Thomæ, quam a SS. PP. hauſit, dicet proſcriptam. Damnata itaque Theſis verſatur circa dilectionem Dei, & ſupernaturalem charitatem, quæ donum Spiritus Sancti eſt, intendens, quod omnis actio deliberata, ea dirigente, fiat; eſt enim Michaelis Baji ſurculus, qui *in* 38. *art.* dicebat -- Omnis amor „ creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupidi„ tas, quâ mundus diligitur, quæ a Joan„ ne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, „ qua per Spiritum Sanctum in corde diffu„ ſa, Deus amatur -- & conſequenter in altera, nempe 34. radicatur -- Diſtinctio illa „ duplicis amoris, naturalis videlicet, quo „ Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti „ quo Deus amatur, ut Beatificator, vana „ eſt, & commentitia, & ad illudendum „ ſacris litteris, & plurimis veterum teſti„ moniis excogitata -- Porro nequaquam in hanc confluunt ſententiam Thomiſtæ, de directione enim ad finem honeſtum naturalem, vel ſupernaturalem, ex motivo luminis rationis, vel fidei, ſermonem habent, proindeque nec ſenſus, nec res eadem eſt cum propoſitione damnata. Admittenda itaque eſt tanquam veriſſima D. Thomæ doctrina, cui non refragatur D. Hieron. *Epiſt.* 89. *ad S. Aug.* illis -- Bonum eſt continentia, ma„ lum eſt luxuria; inter utrumque indiffe„ rens, ambulare..... capitis naribus pur„ gamenta projicere.... hoc nec bonum, „ nec malum eſt; ſive enim feceris, ſive „ non feceris, nec juſtitiam habebis, nec „ injuſtitiam -- Nam loquitur de indifferentia in ordine ad ſalutem, quatenus prædicta nec ſunt ad eam conſequendam neceſſaria, nec eorundem omiſſio æternæ damnationis reatum importat, rem contextus, & ſtatus quæſtionis apte dilucidant. De Legalibus ſiquidem cum Auguſtino agebat Hieronymus probans poſt Chriſti mortem eadem ſive obſerventur, ſive prætermittantur nec ſalutem, nec mortem inferre. Hocce indifferentiæ genus adoptat Auguſtinus, licet velit legalia non eſſe mala, ſed bona, utpote Judæis præcepta, & data in figuram, ubi etiam præcavet non eſſe admittendam indifferentiam in individuo relatè ad finem honeſtum -- Sed „ cavendum eſt in hac diſputatione, nec „ ſicut Philoſophi, quædam facta hominum „ media dicamus, inter rectè factum, & „ peccatum, quæ nec in rectè factis, nec „ in peccatis numerentur -- *Epiſt.* 82. *aliàs* 19. *ad S. Hieronymum*.

Quæ ſenſu dãnatur propoſitio Baji.

155 Nec inde ſequitur non dari opera conſilii; nam licet facta ſuppoſitione, quod velim aliquid agere, debeam opus in finem honeſtum dirigere, tamen non teneor hoc opus determinate agere, ſed illud abſque peccato omittere poſſum, ſecus contingeret, ſi foret præceptum; ſiquidem non ſolum ex ſuppoſitione, quod agam, vel eligam operari, teneor actionem in honeſtum finem dirigere, ſed etiam hic, & nunc eligere debeo, ita quod hujuſcemodi omiſſio culpabilis evadit; huic doctrinæ non diſcrepat Nazianzenus *Orat. 3. contra Julianum cap. 94.*, ubi redarguens Julianum negantem diſcrimen præcepta inter, & conſilia videtur recurrere ad actus indifferentes in individuo -- Quemadmodum quiſquis ſupplicio haud „ dignus eſt, non idem ſtatim laudem, & „ prædicationem meretur; eodem modo, „ nec quiſquis laude, & prædicatione dignus „ non eſt, idem confeſtim pœnam quoque „ commeretur; ſed philoſophiæ noſtræ, vi„ riumque humanarum finibus nos ipſos „ continere, ſicque id, quod rectè, & ex „ virtute geritur, exigere debemus -- nam medium illud, quod ponit, eſt opus conſilii, cujus omiſſio non eſt peccatum: habet enim -- Ad hæc quomodo illud non adver„ tis, quod in legibus noſtris alia parendi „ neceſſitatem imponunt, nec ſine periculo „ prætermitti poſſunt, alia non neceſſitate „ conſtringunt, ſed in arbitrio, & volun-

Quæ poſſunt omitti, non præcipiunt.

„ tate

„ tate poſita ſunt; ac proinde hanc rationem
„ habent, ut qui ea cuſtodierint honore,
„ & præmiis afficiantur, qui autem mi-
„ nus ea expleverint, nihil periculi pertime-
„ ſcant? -- En clara tanti Doctoris mens.

156 SUBSUMES. Quod quis non teneatur quovis tempore hoc opus determinate eligere, non tollit fore præceptum; nam humana ratio nequit non exire in aliquem actum, ſeu in aliquod exercitium; ſed neceſſariò exire debet ſub reatu culpæ in exercitium bonum; ergo quodlibet exercitium, quod ex electione habetur, cadit ſub præcepto, ſicut omne opus bonum diſiunctive, & indeterminate, immo quodlibet diſtributive ſecundum ſe; omiſſio tamen remanet inculpabilis ratione incompoſſibilitatis; plura namque ſimul peragi nequeunt, ut videre eſt, dum urget gravis obligatio Sacrum audiendi, eodemque tempore inſtat neceſſitas miniſtrandi decumbenti graviter, tam auditio, quam aſſiſtentia ſecundum ſe cadunt ſub præcepto, ſed unum deſinit obligare ob incompoſſibilitatem cum altero. Tenebatur Chriſtus, ut ipſemet docuerat, in una percuſſus maxilla alteram præbere, & præbuiſſet; verum ut eorum Phariſaicum ſcandalum retruderet, quibus male videbatur ipſum irreverenter reſpondiſſe Pontifici; *Sic reſpondes Pontifici?* percutienti non jam alteram exhibuit maxillam, ſed repoſuit: *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè, cur me cadis?* ita, ſtante neceſſitate, quod ratio nequeat ſuſpendere omne exercitium, & quod urgeat obligatio eligendi ſub peccato opus bonum, quodlibet eligibile cadit ſub præcepto, ſed hujus, vel illius omiſſio non eſt peccaminoſa propter incompoſſibilitatem.

RESP. Sicut in ſententia docente non dari omiſſionem liberam abſque actu, qui ſit cauſa omittendi, illa neceſſitas vaga ad aliquem actum indeterminatum non tollit veram libertatem in exercitio, ita illa neceſſitas ad aliquod opus bonum non tollit veram rationem conſilii; & ratio eſt, quia ita obligor ad benè operandum, quoties deliberatè operor, ut poſſim hoc, illudve omittere abſque peccato, ac proindeque cum præceptum ad unum potius, quam aliud opus urgeat, libere, quod eſt melius, v. g. actum amoris Dei eligere poſſum, & abſolute actus hujuſcemodi non eſt præceptus, proptereaque ejus omiſſio non ſit peccaminoſa ratione incompoſſibilitatis damnabilis; ex ſuppoſitione tamen quod charitatem velim exercere, debeo ex lege cau, ut par eſt exercere; ſed in hoc ipſo locum habet conſilium, nam ferventius poſſum Deum diligere; idem occurrit momentum in reliquis virtutis actibus, quos perfectiori modo valeo in ultimum finem dirigere. Scio pleroſque celebres Doctores propugnare cum D. Bonaventura 2. *diſt.* 41. *a.* 1. *q.* 3. ad valorem operum, & ad relationem virtualem non ſufficere, quod ſub initio anni, vel menſis, immo etiam dici initio generali quadam intentione omnia opera noſtra in Deum dirigantur, ſed neceſſe fore, ut illud peculiare opus, quod poſtea peragendum eſt, referatur in Deum; tunc enim opus virtutis dicitur in Deum relatum, cum intentio præcedens eſt vera cauſa operis, quod poſtea fit, quam doctrinam fideliter proſequitur Bellarminus *de Juſtif. lib.* 5. *cap.* 15.; indubium tamen eſt non requiri intentionem actualem formalem; hanc autem poterit juſtus pro majori perfectione eligere in exercitio, adeoque nemo inficias ibit dari opera ſupererogationis.

Libertas eligendi.

157 INSTABIS. Actus, qui dicitur conſilii, debet eſſe omnino moralis, ſed moralitas actuum habetur a lege, ſiquidem moralitas a regula rationis per æternam Dei legem directa derivat, & ſicut Paulus peccatum niſi per legem agnovit, ita etiam moralitas a lege menſuratur; ergo actus conſilii abſolute debet eſſe præceptus.

RESP. Conſilium ita ſub lege contineri, ut ejus omiſſio ſit veniale peccatum, a nonnullis tribuitur Scoto, & quidam de conſiliis dictum voluerunt: Matth. 5. v. 19. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis... minimus vocabitur in regno cælorum*; cum tamen peccatum veniale ſit verum peccatum, & pœnam mereatur; porro in hoc ſenſu non admittitur a S. Patribus ratio conſilii, ut vidimus, nec ſecundum hujuſmodi intelligentiam crediderim Scotum fuiſſe locutum; non enim celebris adeo Doctor aſſeruiſſe cenſendus eſt, peccare venialiter, quotquot caſtitatem non vovent, quotquot Religioſum ſtatum non adoptant: etenim quidquid ſit de ea quæſtione, unde actuum moralitas habeatur, quam apte dilucidant PP. Salmant. 1. 2. catholico ſufficit, quod cadat ſub lege facta ſuppoſitione, ideſt hoc ipſo, quod voluntas determinatur ad operandum. V. g. in materia virtutis miſericordiæ debeat apponere omnes debitas circumſtantias ab eadem virtute exquiſitas; ex hoc enim ſufficienter nominatur moralis actus, & locus ſupereſt conſiliis; quia abſolute non adſtringor ad actum miſericordiæ.

158 CONCLUDES; quod aliquando cadit ſub obligatione, non poteſt eſſe conſilium, ut docet D. Thom. 4. *Diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3. -- Et ideo illud ad quod
„ in aliquo caſu implendum obligamur, &
„ non in alio, non eſt conſilium, ſed præ-
„ ceptum, quia conſilium nunquam obligat,
„ niſi per hoc, quod in præceptum tranſit
„ ex aliquo accidenti -- Sed nullus eſt actus, qui aliquando non cadat ſub præcepto; ergo nullum datur conſilium. Minor eſt ejuſdem D. Thom. 2. 2. *q.* 124. *art.* 3. *ad* 1. -- Di-
„ cendum, quod nullus eſt actus perfectio-
„ nis ſub conſilio cadens, qui in aliquo
„ eventu non cadat ſub præcepto, quaſi de
„ neceſſitate ſalutis exiſtens, ſicut Auguſt.
„ dicit *in lib. de adulterinis Conjugiis &c.* --

RESP. S. Thomas, ut palam ſit ex contextu, loquitur per ſe, & abſolute, hoc eſt; quod per ſe aliquando obligat, eſt præceptum abſolutè, & non conſilium ex ſuo genere, & ex adverſo de conſilio; unde ſequitur; quod per accidens actus præceptus fiat ſupererogationis, & ex adverſo: res in aperto eſt tum ex relatis verbis, tum ex intentione contextus. In priori caſu ſolvit argumentum, quod contendebat evincere correctionem non eſſe de præcepto; quod S. Doctor

Quandoque ad actus conſilii obligamur.

ctor negat, etiam ſi quandoque ad eam non adſtringamur; quis autem neget non eſſe actum ſupererogationis, ſi ſubditus corripiat fratrem in caſu non obligante, puta quia vigilans ſuperior præſto eſt. In ſecundo facit ſatis volenti probare martyrium non eſſe actum ſummæ perfectionis, quia cadit ſub præcepto, & ipſe docet etiam martyrium cadere ſub conſilio, unde patet ipſum loqui de præcepto, & de conſilio per ſe, & abſolute ſpectatis; quoniam verò caſus per accidens rerum ſtatum diſtinguunt, inde evenit, ut ſæpenumero conſilii actus ſit de neceſſitate ſalutis, & actus præcepti fiat quandoque ſupererogatorius.

Ex dictis intelligas ſenſum D. Thomæ 1. 2. *q.* 100. *art.* 10. *ad* 2., ubi -- Ad quod „ pertinet (*ideſt diligere Deum ex toto corde*) „ ut omnia referantur; & ideò præceptum „ charitatis impleri non poteſt, niſi etiam „ omnia referantur in Deum -- *&* *q.* 102. *art.* 6. *ad* 7. -- Cœleſtis intentio omnibus „ operibus noſtris debet adjungi -- Innuit igitur S. Thomas, quod eo tempore, quo obligat dilectionis præceptum, neceſſe eſt ad ejus impletionem dirigere in Deum omne dirigibile, itaut nullum ſubtrahatur; non autem intendit, quod omne dirigibile in Deum præcipiatur ita fieri, ut ſi omittatur, in peccatum labatur, quod ex contextu compertum eſt: ibi enim reſolvit ad intentum quæſtionis ſibi propoſitæ, quod inſtante tempore obſervandi præceptum honorandi parentes poteſt illi fieri ſatis, etiam non referendo illam actionem in Deum abſque violatione præcepti dilectionis, quod ſupponit ut affirmativum non obligare pro ſemper, & per conſequens poſſe ſeparatim occurrere a præcepto honorandi parentes; quare ſemper attendendum eſt aliud eſſe, quod præcipit charitas, aliud quod conſulit.

Inſtante dilectionis præcepto quomodo adimplendum.

159 OBJIC. II. Matth. 7. dicitur: *Quam anguſta porta eſt, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam*; ſi ergo ob onus præceptorum ita arctatur ſalutis via, ut pauci ſint, qui nedum ingrediantur, ſed qui eam inveniant, jam in aperto eſt locum non ſupereſſe conſiliis.

RESP. Via ducens ad vitam arcta dicitur, utpote mandatis circumdata, quæ neceſſe eſt obſervari ab iis, qui ſalvari volunt, & hæc carni, quæ ſua quærit, gravia ſunt; quare duplex eſt via; altera carnis, & hæc lata, & ſpatioſa eſt, ducens ad perditionem; porro via carnis eſt libertas, atque præſens delectatio, ideo multi intrant per eam; ſpiritus altera, quæ ſapientes latet hujus Seculi, cum indubie oporteat per multas tribulationes intrare in Regnum Dei. Pſal. 30. v. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Quoniam verò ſapientibus hujus Seculi abſcondita eſt, ideo & pauci adinveniunt eam; ceterum ambulantibus in ſpiritu lata efficitur. Proverb. 4. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui.* Ambulat autem in ſpiritu, qui carnis opera non ſequitur; qui terrenorum affectum eradicat; qui pravos animi motus evincit, qui non quærit,

Duplex via carnis una, altera ſpiritus.

quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, ut ne-
A dum præceptorum viam, ſed & ſemitam conſiliorum poſſit percurrere. Matth. 16. v. 24. onus legis Evangelicæ nobis proponitur. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Per abnegationem Chriſtum ſequimur; ergo quo major erit abnegatio, eo laudabilior erit Chriſti ſequela, ac proinde extendi poterit ad conſilia. Verum eo gratiæ adjutorio, quo præceptorum, eodem planè conſiliorum difficultas devincitur.

160 DICES. Si nuſquam abſolvimus, quod eſt ex debito, haud aliquid ſupererogationis peragere poterimus; ſed nuſquam
B facimus, quod debitum eſt; nam quotidiè tenemur orare ad Dominum: *Dimitte nobis debita noſtra*, & Ier. 8. dicitur: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Quis autem adeo ſpiritualibus incumbit, ut nullâ notandus ſit negligentiâ? ergo nullus muneri ſuo facit ſatis.

Minor propoſitio adoptari poteſt ad hunc ſenſum, quod nunquam muneri noſtro ſatisfaciamus, ideſt ita rectè, ut perſeveranter, ut ad longum tempus ſingula vitemus venialia, non autem taliter, ut in quolibet opere deficiamus; attamen cum hac morali neceſſitate labendi in aliquod leve
C peccatum plura poſſumus bona opera exercere, ut videre eſt in eadem Dominicâ Oratione, ubi actus fidei, ſpei, & hujuſmodi elici poſſunt: ergo locus ſupereſt, ut exerceantur ſupererogationis opera, eligendo nempe opera meliora, vel eadem ferventius exercendo. Negligentia, de qua Propheta tunc inducit maledictionem, quando eſt cauſa omittendi, vel contemnendi neceſſaria ad ſalutem, juxta illud Proverb. 19. v. 16. *Qui negligit viam ſuam, mortificabitur.* Plurimi autem ſunt, qui hanc abominantur negligentiam; ubi vero ſolius fervoris defectum cauſat, venialem non excedit culpam,
D quam etiam plerique evitant in pluribus, ſicut ille, qui, ſicut Cervus deſiderat, & currit ad fontem, ita ad Deum currebat.

Virtutis exercitium poſſibile.

161 INSTABIS. Si in illis operibus, quæ bona dicuntur, ſemper deficimus, nunquam debito ſatisfacimus; ſed ſemper deficimus, dicente Job cap. 9. v. 28. *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Pſal. 142. v. 2. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Iſaiæ 64. *Quaſi pannus menſtruatæ univerſa juſtitia noſtra.* En in omnibus operibus macula. Ad Rom. 7.
E v. 25. *Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Hoc argumento ſæpe utuntur Heterodoxi; volunt enim, quod in omni opere peccemus, & ſemper immundi ſimus, quod eſt aperte falſum, nam plures ab omni labe purgati inveniuntur; unde Chriſtus dicebat Apoſtolis: *Vos mundi eſtis.* Apoc. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* 2. ad Theſſal. 15. *Ut digni habeamini Regno Dei, pro quo & patimur.* 2. ad Timoth. 2. v. 21. *Si quis emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino.* Matth. 25. v. 25. *Euge ſerve bone, & fidelis,*

Rectitudo in homine non eſt impoſſibilis.

lis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam. Lucæ 20. v. 35. *Illi vero, qui digni habebantur ſeculo illo, & reſurrectione*. Poſſumus ergo bona opera, & Deo digna patrare; non ergo in omnibus peccamus. Nec adducta teſtimonia quidquam evincunt, ex contextu namque clareſcunt; primum itaque ſenſum involvit comparativum, videlicet juſtitiæ creatæ cum Deo; & ideo in principio capitis ait Job v. 2. *Verè ſcio, quod ita ſit, & quod non juſtificabitur homo comparatus Deo*. Cujus dignitatem pluribus declarat, & extollit; ſicut apud Iſaiam omnes creaturæ tanquam nihil reputantur relate ad ſummam Dei entitatem: ita ſanctitas creata non ſanctitas dicitur, ſed quid immundum cenſetur comparata ad infinitam Dei ſanctitatem: ea propter in Eccleſia Cantico de Filio Dei dicitur *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum*, quaſi dicat, quod excellentiſſima ſanctitas Beatæ Virginis foret macula, ſi puritas filii Dei ſpecteur. Secundum explicat diſcuſſionem divini judicii, quod ſæpe defectus invenit in his, quæ nos perfecta putamus, unde dicebat Paulus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*: quare atiam viri perfecti cum Sancto Job in ſuorum operum diſcuſſione ſollicite incumbunt, ut omnem evitent defectum; unde & jure; & merito perfectum opus dari poſſe dicendum eſt, quia tamen fraquenter cadit juſtus; ideo ſubdit Job v. 30. *Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea*, ideſt ſordibus intinctus apparebo eclate ad Deum perfectiſſime agentem; ſemper enim in operibus humanis aliquis defectos invenitur, quandoqua ex ignorantia propter debilitatem rationis, quandoque ex negligentia propter infirmitatem carnis, quandoque ex vitio terrenæ dilectionis, quæ etiam in bonis operibus admiſcetur, vel demum propter mobilitatem humani cordis, quod nuſquam in eodem ſtatu permanet; unde ſempee aliquid in humanis eſt invenire, quod deficit a puritate Divinæ juſtitiæ, ut inquit S. Thomas in hunc locum. Locus Iſaiæ loquitur de tom populo hebraico, pro quo orat, qui ex majori parte graviter deliquerat; quare eorum ceremoniæ legalea, quæ juſtitiæ dicuntur, coinquinatæ etant conjunctione aliorum criminum. Paulus vero ſermonem habet de peccato materiali, ideſt de ipſa concupiſcentia, quæ eſt effectus peccati originalis, & occaſio peccandi; non ergo omnia opera ſunt peccaminoſa, ſed aliqua ſunt recta, adeoque dari poterunt bona, & meliora.

Juſtitiæ noſtræ ad Deum relatæ comquinatæ videntur.

162 REPLICABIS. Si poſitis quibuſcumque operibus bonis adhuc tanquam ſervi nullius momenti reputamur apud Deum, nec illa quidquam valent, nec debitum adimplemus; ſed tales ſumus, ut patet Lucæ 17. v. 10. *Cum feceritis omnia; quæ præcepta ſunt vobis, dicite; Servi inutiles ſumus*; ergo.

Verùm hoc textu pro catholica comprobanda veritate uſi ſumus; quod autem Servus utilis adinveniatur, abunde Scripturis evincitur in præcedenti ſolutione relatis. Dicimur tamen inutilea Servi, quia ex nobis quaſi ex nobis nihil valemus, & ſufficientia noſtra ex Deo eſt; nihil itidem operibus noſtris ex juſtitia deberetur præmii, niſi accederet conventio Dei· aliàs Deo nihil utilitatis afferimus, quia bonorum noſtrorum non eget; poſito tamen Dei pacto, ejuſque gratia utiles eſſe poſſumus: *Cum momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operetur in nobis*.

Cur dicamur Servi inutiles.

163 OBJIC. III. Chriſtus nobis præcipit, ut ſimus perfecti, ſicut Pater cœleſtis, Math. 5., ſed non poſſumus eſſe perfecti ſicut Pater cœleſtis, niſi perfectiſſima quæque opera faciamus, puta omnibus renunciando, & ſimilia, quæ Chriſtus fecit, & docuit eſſe facienda, ut perfectio acquiratur; ergo. In probationibus duplex dari perfectionis genus oſtendimus, aliud utile, neceſſarium aliud, hoc quibuſcunque Chriſtianis eſt debitum, & in eo conſiſtit, ut lethale peccatum vitemus, præcepta graviter obligantia exequendo; illud verò ſingulis non debitum, & in eo conſiſtit, ut ſervata lege meliora Chariſmata æmulentur. Cum igitur Chriſtus ad perfectionem invitat, de ea loqui, quæ neceſſitatem involvit, compertum plane eſt; ſiquidem tam Servum qui duo, quam qui lucratus eſt quinque, æternâ donatum mercede habemus, & tamen unus non ea præſtitit, quæ alius; & Paulus 1. ad Corinth. 3. docet, mercedem accipere, qui ædificat argentum, vel aurum, vel lapides pretioſos, ut per hoc minor, & major innuatur perfectio operationum, ſicut aurum perfectius eſt argento. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, dicebat Chriſtus, & quidem non jam de multitudine quoad numerum, ſed perfectionis loquebatur, ſicut enim in regali domo varia ſunt cubicula, alia majora, minora alia, quædam magis ſpectabilia, quædam minus; ita Sancti, qui excellentiora virtutis opera peregerunt, majori præ aliis gaudebunt beatitudine. Dixerat quidem *Eſtote perfecti ſicut Pater cœleſtis*, ſed hoc imitationem ſignificat, ut alibi diximus, non æqualitatem; Chriſtus namque ut Sol, nos autem tantummodo ut Stellæ fulgere poſſumus, & Stellis nullimode competit lumen Solis. *Vid. Controv. II. in I. Prob.*

Inæqualitas perfectionis.

164 DICES. Textus ſalvari nequit per imitationem, niſi dicatur opera eſſe a nobis facienda ſub ea ratione, qua Chriſtus ea exercuit; ſed Chriſtus omnia, & ſingula ex præcepto Patris adimplevit; ergo quæcumque a nobis facienda ſunt, cadere debent ſub præcepto. Major, & conſeq. probatione non indigent, aliàs ſi ultra præcepta quis poſſet ſupererogatoria addere, Diſcipulus eſſet ſupra Magiſtrum. Minor Scripturis comprobata videtur; etenim ubique innuitur Chriſtum omnia ex Patris mandato feciſſe. Joan. 10. *Hoc mandatum accepi a Patre meo. In his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. Ad hoc miſit me Pater. Quæcumque audivi a Patre meo &c.* Et ratio in aperto eſt, quoniam ex vi ſtatus tenebatur ſemper operari perfectiſſimo modo, ac proinde ſemper ea, quæ perfectiora ab ipſo judicabantur; hæc porro erant, quæ Pater illi ſuo indicaverat præcepto, ideoque de ipſo dicitur: *In capite libri ſcri-*

ptum

ptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam.

Hæc inſtantia quodam veritatis colore venenom continet; major propoſitio adoptanda eſt, ſi ſenſum reddat, a nobis apponendas eſſe neceſſarias conditiones, ut opus ſit bonum moraliter, ſed minor propoſitio erronea eſt; non enim opera omnia, quæ Chriſtus fecit, erant ei debita ex præcepto, licet omnia, & ſingula eſſent ſecundum Patris beneplacitum. Satis namque diſcriminantur præceptum Patris, ejuſdemque voluntas. Plura voluit Pater, quæ non præcepit; plura Patri placebant, quæ non juſſit. Itaque Scripturæ textus triplicem habent ſubordinatum ſenſum. Primus eſt quælibet, quæ docuit Chriſtus, & fecit, a Patre per æternam habuiſſe generationem, ſi ad Divinitatem pertineant, per temporalem verò largitionem, ſi ſpectent ad humanitatem. Senſus alter eſt Redemptionis opus ſecundum doctrinam, & ſecundum opera, & paſſionem fuiſſe a Patre præcipiente. Tertius demum ſingula dogmata, quæ tradidit, & ſingula opera, quæ patravit, ſecundum Patris beneplacitum fuiſſe, atque ab ipſo volita, cum quibus ſtat, ut plurima fecerit ex conſilio. Et ſane cum dicitur *Copioſa apud eum Redemptio*: non ſolum intelligitur ex parte valoris, & pretii oblati, ſed etiam ex parte bonorum operum, quibus ſatisfecit. Cum legitur: *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem*; non ſolum inſtituitur ſermo de ſummo opere, ſcilicet de morte, quam pati pro inimicis volebat, ſed de exceſſu paſſionis, quia pluſquam teneretur, ſuſtinere dignabatur, & clarius quid liberum innuitur, dum dicitur: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Utique ex vi ſtatus tenebatur eſſe perfectiſſimus, & perfectiſſimo modo operari, ſicut de facto fecit, ſed perfectio ſtatus non excludebat ſupererogare, immo involvebat, ut præcepta Patris adimpleret, & conſilia ſuperadderet ad oſtenſionem dilectionis: ſicut ut omnibus fieret Magiſter virtutum, plura diverſis ſtatibus accomodata exercuit; certum eſt, quod ad circumciſionis humilitatem non tenebatur, nec oblationis in Templo, & ſimilium. Verum etiam ſi diceremus Chriſtum ex præcepto quælibet peregiſſe, non inde colligere æquum eſt omnia nobis eſſe præcepta; non enim omnes privilegium confirmationis ſunt conſecuti; unde valde periculoſum foret humanæ infirmitati, ſi ad omnia ſub peccato adſtringeretur. Ut Eccleſia congrue provideretur, diverſos debuit ſtatus conſtituere, apta cuique ſalutis media accomodando, unde non eadem omnibus præcipiuntur; ex propter in quolibet ſtatu nonnulla ſine noxa prætermitti, ſicut & libere exequi valent; continentiam ſervare debent, qui ſacris ſunt inaugurati, verum & laici illam laudabiliter adoptare poſſunt; ſolari afflictos competit Paſtoribus, & tamen commendantur ſubditi, qui in hoc pietatis exercitio verſantur &c. Ipſa itidem Eccleſia, quæ eſt circumdata varietate, diverſam hanc operum conditionem expoſcit. Suaves denique Divinæ Providentiæ leges id expoſtulant; ut enim ad excellentiora virtutis opera alliciantur homines, congruum eſt plura gratuitò exhibere, atque conferre. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Solemne porro eſt militum Præfecto præter ſtipendia valentioribus ſuperaddere donaria, ut diſcant alii fortius pugnare.

Chriſtus plura ſupererogatoria exercuit.

165 INSTABIS. Si aliquod opus foret conſilii, eſſet excellentius, & majus, quod cogitari poſſet; ſed hoc & Chriſto, & nobis eſt debitum; ergo nullum opus cadit ſub conſilio. Declaratur minor. Excellentius opus eſt dare animam pro proximo. Joan. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Sed hoc opus eſt præceptum. Joan. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, ita nos ipſe dilexit, ut vitam dederit: *Quoniam animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. 1. Joan. 3.

Novatorum inſtantiam prævenit S. Thomas 1. Joan. 3., & erudite rem dilucidat. Proximum igitur diligere debemus, ſicut Chriſtus dilexit nos; porro Chriſtus tripliciter nos adamavit gratuite, efficaciter, & recte; gratuite, quia Dei dilectio præceſſit. 1. Joannis 4. v. 19. *Nos ergo diligimus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*. Efficaciter, ut teſtatur Paulus ad Epheſ. 5. v. 2. *Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*. Ordinate, ſeu recte, quia in nobis nihil dilexit, niſi Deum, & in ordine ad ipſum. Jerem. 31. v. 3. *In charitate perpetua dilexi te, attraxi te miſerans*. Nos itaque proximum diligere debemus, præveniendo, nec expectare, quod prius nos compleat beneficiis: efficaciter, idest operibus. 1. Joan. 3. v. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere*. Ordinate, quærentes nempe in ipſo, quod Dei eſt, non verò beneficia, aut animi delectationem. Porro inter opera majus eſt dare animam; quod primò e munere Prælati eſt, ut gregem ſervet indemnem juxta illud Joannis 10. v. 11. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus*; qua de re conqueritur Deus Ezechielis 13. v. 5. *Non aſcendiſtis ex adverſo, nec appoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael*. Secundariò autem reliqui, prout fert neceſſitas; cum ſcilicet per dictamen rationis probabiliter conſtat per nos poſſe a peccato liberari fratrem; plus enim ſecundum charitatis legem tenetur homo fratris animam diligere, quam corpus ſuum; exproptet locus ſupereſt conſilio, ut ſi animam pono pro inimicis; itidem ſi pro ſalvanda ſolum ejus vita corporali, vel pro ſpirituali extra neceſſitatis ſtatum.

Dilectio gratuita, efficax, & recta.

166 REPLICABIS. Opera, quæ dicuntur conſilii, ſunt partes legis gratiæ. D. Thom. 1. 2. *art.* 108 *ad* 4. — Dicendum, quod hæc eſt differentia inter conſilium, & præceptum, quod præceptum importat neceſſitatem, conſilium autem in optione ponitur ejus, cui datur: & ideo convenienter in lege nova, quæ eſt lex libertatis, ſupra præcepta ſunt addita conſilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex ſervitutis — Sed lex non continet partes niſi tanquam varias leges; ergo conſilia cadunt ſub præcepto non quidem graviori, ſed minori.

RESP.

Conſilia a Chriſto commendata.

RESP. Conſilia partes ſunt legis gratiæ, non quia ex præcepto obligent, ſed quia ſuavi Dei providentia fuerunt a Chriſto commendata, approbata, promulgata, atque adimpleta, & ex ipſa D. Thomæ ratione palam fit nequaquam obligationem inducere. Siquidem lex gratiæ eſt lex libertatis; libertas autem umbratilis foret, ſi omnia forent præcepta; ea propter plura æquum fuit ſpontaneæ fidelium electioni relinqui. *Lect. 2. in cap. 8. ad Heb., & lect. 2. in cap. 9.* docet, conſilia dari perfectis, qui ſunt capaces ſpiritualium, non verò imperfectis; cum verò præcepta omnibus dentur, jam in aperto eſt conſilia ſub præcepto non cadere.

167 OBJIC. IV. Quidquid peragimus, totum Deo debemus; cum omne bonum deſurſum ſit, nec uſquam ei poſſumus æquale impendere; ſed quod eſt debitum, cadit ſub præcepto, ergo nihil remanet ſub conſilio. Equidem ſi quid poſſumus, tenemur; lex enim præcipit omnes exercere vires, nec ſuperbiæ notâ careret, qui aſſerere non dubitaret nos plus facere, quam teneamur.

Duplex debitum.

RESP. Duplex eſt debitum, aliud voluntarium, & ex grati animi ſignificatione ob beneficiorum magnitudinem proveniens, aliud ſtrictæ obedientiæ; primum, ſi omittatur, nullam peccati involvit neceſſitatem, bene verò ſecundum. Sub primo debito omnia bona opera cadunt, & ſi forent infinita; ſub ſecundo quædam ſolummodo determinata, & in ſeriem collecta; dixi voluntarie, & ex grato animo, nam ex præcepto debitæ gratitudinis ad quatuor tenemur. I. Ut bonorum omnium auctorem Deum confiteamur. II. Ut quidquid boni agimus ad ipſum referamus. III. Ut Deum non offendamus. IV. Ut ſtatutis temporibus ipſi gratias agamus. Ceterum non tenemur divitias dimittere, in jejuniis vitam ducere, continuo affectu actualiter ipſius memoriam habere &c. Utique, nec inficiamur, toto animi niſu debemus Deum omnibus præferre, non tamen intenſive, & extenſive; nec ſuperbe ſapit, qui ſupererogatoria gratiæ viribus tribuit, eaque lubens Deo offert, ut gratum animum habeat bonorum omnium Largitori.

168 OBJIC. V. Quæ Deus, comminando pœnam, exquirit, cadunt ſub præcepto, ſed quæcumque poſſumus ex gratia, Deus ſic exquirit. Nam Matth. 25. punitur Servus, qui talentum abſcondit; quo gratiæ donum nobis datum ad bene operandum, innuitur, adjiciens Dominus: *Veniens ergo recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura*; ideſt totum illud, quod ſupra ſortem eſſe videtur.

RESP. Neg. min., quam non evincit inductum ex Scriptura momentum; nam talenti nomine venit munus inducens obligationem, & hujuſmodi Parabola in idem redit, ac illa, in qua unus decem, alius quinque præficitur civitatibus. Porro qui ſuo non fungitur munere, reus evadit. Venit etiam auxilium ad bene operandum, quo, urgente præcepto, qui non utitur, peccat, ſicut ille Servus, qui abſcondit talentum, nihil eſt operatus, adeoque meritò pœnâ mulctandus, cum teneretur operari, & non otiari; ſi ſedulus præcepta adimpleviſſet, potuiſſet utique aliquid ſupererogando lucrari. Nec *cum uſura* recipere innuit Deum exigere vel conſilia, vel quidquam ſupra juſtum, ſed ſignificat, cum rigore, & juſtitia rationem de bono, vel malo uſu donorum exquirere.

Dignus pœna, qui non facit, quæ debet.

169 DICES. Dono Dei abuti peccatum eſt; ſed poſſe ſupererogare eſt Dei donum; ergo non ſupererogare eſt peccatum; ergo dari opera ſupererogationis contradictionem involvit.

Quid ſit abuti Dei gratia.

RESP. Re aliqua quis abutitur, cum ipſa contra ordinem, & finem, pro quo eſt inſtituta, aſſumitur; itaque donum gratiæ datur, ut eo utamur, quando oportet, & prout oportet: quando ſcilicet urget neceſſitas, dirigendi actum præceptum in ultimum finem; dono itidem ſupererogandi utitur, prout oportet, ſi poſt præcepti adimplementum paratus quis ſit facere alia opera, non tamen eſt neceſſe, quod ſemper eo utamur. Dubio-procul plurimi Sanctorum albo adſcripti poterant, & libenter ſervaſſent Virginitatem, qui tamen urgente neceſſitate nupſerunt. Potuiſſent alii, & quidem lubenti animo, ſanguinem pro Chriſto fundere, ut S. Franciſcus, S. Antonius, S. Thereſia, & tamen martyrium non ſubierunt. Non igitur dono Dei quis abutitur, qui eo quovis tempore non utitur.

170 INSTABIS. Negat facto Deum eſſe ſummum bonum, qui non vult, cum poſſit, illum magis diligere; ſed negare Deum grave crimen eſt; ergo non ſupererogare, quod eſt magis illum diligere, eſt peccatum.

Tenemur Deū diligere appretiative.

RESP. Negat facto Deum eſſe ſummum bonum, qui non vult illum magis diligere, nempe appretiative ſuper omnia, ceterum qui Deum diligit appretiative ſuper omnia, etſi ferventiori dilectione ipſum non amet, nequaquam Deum negat, quinimmo ut ſummum bonum fatetur, adeoque nullimode peccare cenſendus eſt.

171 REPLICABIS. Communi Patrum calculo culpandus ille eſt, qui non niſi præcepta vult adimplere, qui in via Domini deficere non vult, ſed nec proficere, qui non vult pejor fieri, ſed neque melior; ergo opera ſupererogationis cadunt ſunt præcepto.

Conſilii opera quandoque exercenda.

Hujuſmodi inſtantia gravem illam involvit quæſtionem, num quilibet Chriſtifidelis teneatur proficere, atque ſupererogationis opera exercere, cui impræſentiarum breviter ſit ſatis, plura fortaſſis dicturus, ubi de obligatione Regularium: quilibet igitur aliqua quandoque exequi ſupererogationis opera tenetur ob periculum in gravia labendi crimina; eſt namque moraliter impoſſibile non peccare, qui ita paratus eſt, ut ſola velit mandata cuſtodire; atque ob idem periculum tenetur pariter carere intentione ulterius non proficiendi, unde qui vult mandata ſervare, nil volens ſupererogare peccat, & eo gravius, quo magis in ea firmatur intentione, quantum enim eſt de ſe exponitur periculo labendi, & quandam vim facit gratiæ; quod ſane peccatum eſt, idque graviſſimum, ſi id agat ex contemptu, puta, quia refugit Divina conſilia, quia a Deo ſunt

ſunt; ea propter hortandi ſunt fideles, & ut revereantur conſilia, & aliqua quandoque ſupererogatoria exerceant.

CONTROVERSIA VI.

AN LICEAT VOTUM IN LEGE NOVA.

172 HAud ſatis Controverſiæ ſtatum dilucidare poſſumus, niſi aliqua prænotentur, quorum primum eſt, quod ad ſtatum peculiaris perfectionis, de qua in præſenti ſermo inſtituitur, conſiliorum exigitur obſervantia; ſicut enim in naturalibus perfectionis ſtatus non ſolum hinc habetur, ea quo ſubſtantia habeat eſſe, ſed inſuper requiruntur accidentia, per quæ connaturaliter, & perfecte operari valeat, ita in moralibus ſtatus perfectionis non præciſe in eo verſatur, quod habeatur charitas, ſed quod quaſdam accidentales habeat perfectiones, quibus connaturaliter, & perfectam eliciat operationem, & S. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 3. docet ſtatum perfectionis non tantum importare remotionem eorum, quæ charitati contrariantur, ſed etiam eorum, quæ charitatis actum impediunt, ne ſcilicet expedite ejuſdem habeatur exercitium; porro hæc impedimenta per conſilia auferuntur, Paulo teſtante 1. ad Corinth. 7. v. 32., & ſeqq. *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe ... Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Conſiliorum namque executor a ſecularibus negotiis, quæ a Divinis aut retrahunt, aut retardant, liber evadit. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*, ut ait Paulus 2. ad Timoth. 2. v. 4., quare ad ſtatum perfectionis fas eſt ſervare conſilia, ſic docuit Chriſtus Matth. 19. v. 20. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, & D. Paulus laudato loco. Eorum porro conſiliorum adimpletio neceſſaria eſt, quæ cuique ſtatui apta cenſentur; non enim omnia, & ſingula in quolibet ſtatu deſiderantur, cum quædam ſæpenumero incompoſſibilia ſint; alia congruunt ſtatui Epiſcoporum, Religioſorum alia, nonnulla poſtulantur a ſtatu perfectorum, quæ incipientibus non competunt, & ea adverſo. D. Thom. *Opuſc.* 19. *c.* 2. hoc verſans notat, quod ſinguli Apoſtoli erant in ſtatu perfectionis, nec tamen ſinguli ſingula adimplebant conſilia; Paulus v. g. quandoque ex labore manuum victum ſibi comparabat, Petrus verò ex eleemoſynis ultro a fidelibus oblatis. An vero perfectionis ſtatus potiſſimum habeatur ex conſiliorum, aut præceptorum adimplemento, quæſtio nullius momenti eſt, illud indubium habetur, atque ab omnibus adoptatum, quod mandatorum obſervatio plane neceſſaria eſt; in hac quippe ſita eſt perfectionis eſſentia, ſuperadditâ aliquorum conſiliorum adimpletione.

Conſilia ſpectant ad perfectionis ſtatum.

173 Prænotandum ſecundò eſt ad veram ſtatus rationem requiri immobilitatem ſaltem moralem, prout in præambulis hujus diſputationis ex D. Thoma adnotavimus, & explicavimus. Status enim perfectionis firmitatem affert, & obligationem; hæc autem obligatio eſſe non debet ab extrinſeco, & imperante principio, ſed a libero conſenſu hujuſcemodi ſtatum adoptantis; & ratio in aperto eſt, nam profeſſio ſtatus perfectionis eſt ex conſilio; ſed nullus ab humana poteſtate poteſt ad ea adſtringi, quæ ſunt conſilii; ſi enim nemo ex adultis cogi poteſt ad ſuſcipiendum communem vitæ Chriſtianæ ſtatum; unde infidelis non cogitur Chriſti legem amplecti, fortiori momento ad ſtatum perfectionis amplectendum arctari non poteſt; & ſicut nemo nolens ſuſcipit ſtatum conjugii, ita nemo nolens debet obligari ad cœlibatum, aut ad aliud Evangelicum conſilium; quod ſi aliquando Pontifex alicui injungit Religionis ingreſſum, vel Epiſcopatum, aut nuptias, inde oritur, quia occurrunt momenta, quæ neceſſitatem vel ex parte Eccleſiæ, vel ea parte aſſumentis inducunt, quatenus talis ſtatus, vel ad ſalutem, vel ad debitum aliunde contractum ſolvendum eſt neceſſarius; ut ſi quis puellam conjugii promiſſione deceperit; quare tunc temporis materia aliàs conſilii efficitur præcepti. Per actum igitur ſpontaneum ſuſcipienda eſt obligatio ad ſtatum perfectionis requiſita, nec hic, vel ille determinate exquiritur, ſed quilibet obligationem moraliter perpetuam inducens ſatis cenſetur; non enim uno tantum modo tam in politicis, quam in moralibus obligatio contrahitur, & licet actus pure internus ſufficiat pro contrahendo onere coram Deo, ſecus quoad Eccleſiam; unde fas eſt, quod exterius per aliqua ſigna innoteſcat, quibus ſecundum ſe obligatio probari valeat; licet per accidens evinci non poſſit; materia hujus obligationis eſt moralis in eo ſtatu perpetuitas, quidquid ſit, an ex fortuito eventu diſſolvatur; ea propter Congregationes illæ, in quibus plurimi inſimul vivunt ſub libera tamen diſpoſitione ad libitum recedendi, non ſortiuntur ſimpliciter perfectionis ſtatum; equidem ad eam acquirendam mire deſerviunt; etenim aliquid ſupra communem vivendi rationem addunt. Materia itidem obligationis hujuſce eſt exercitium eorum, ad quæ ſe quis adſtrinxit, ad opera ſcilicet perfectionis; regulariter, & communius actus, quo inducitur illa obligatio eſt votum, ut inductione videre eſt, & potiſſimum in ſtatu religioſo.

Perfectionis ſtatus liber.

174 Prænotandum tertio. *Votum eſſe deliberatam, & voluntariam promiſſionem Deo factam de meliori bono.* Eſt igitur votum deliberata voluntas, ut intelligamus neceſſariam fore advertentiam ex parte rationis, plenumque conſenſum ex parte voluntatis. *Voluntaria*, ut ſciamus legem eſſe peculiarem, ac ſponte ſuſceptam; *promiſſio*, ut diſtinguatur a ſimplici propoſito, ideo dicitur Eccleſ. 5. v. 3. *Quod voviſti Deo, ne moreris reddere; Diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio*: rurſus: *Quodcumque voveris, redde, multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere.* Quare de ſubſtantia voti neceſſaria eſt voluntas promittendi, &

Quid ſit votum.

& ſe obligandi. Ad legem obligandi vis quædam requiritur; ideo votum eſt lex particularis *facta Deo*, ut diſcriminetur a juramento, quod fit hominibus per interpoſitionem Divini Nominis. *De meliori bono*, quia materia voti eſſe debet opus moraliter bonum, non qualecunque, ſed ejus omiſſione melius. Quare a voto rejiciuntur impoſſibilia, neceſſariò eventura, impeditiva majoris boni, indifferentia, & peccaminoſa.

175 Pluribus contra vota, quibus plerunque perfectionis ſtatus firmatur, inſurrexerunt Heterodoxi, quorum deliramenta diverſis Controverſiis examinare, & evertere operæ pretium erit; & quoniam everſo fundamento omnia corruunt; primò diſcutiendum eſt, an lex nova, in qua viget perfectionis ſtatus, admittat vota: Petrus Martyr animadvertens in lege veteri fuiſſe vota, ut radicitus arborem ſuccideret, & Controverſias de qualitate, & materia votorum effugeret, inficiatus eſt in lege nova licere vota. Id palam teſtatur in libro *de voto*, *& cœlibatu* -- Quare ut aliæ ceremoniæ per Chri„ ſtum ſublatæ ſunt, ita & vovendi ratio „ debet faceſſere.... Quare votum licet „ antiquitus potuerit uſui eſſe, cum ad legis „ ceremonias pertineret, modo exploſum „ eſt -- Fert ſuppetias, ni fallor, Lutherus utpote qui *lib. de votis Monaſticis* vocat ea impia, gentilia, judaica, nec diſcrepat Calvinus, ut ſeq. Controverſia dicetur. His ut fiat ſatis.

Dicendum eſt in lege nova licere vota.

176 PROB. I. In Scripturis votum conjungitur juramento, ita quod utriuſque vinculum pro eodem cenſeatur; unde dicitur Num. 30. v. 3. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit, implebit*, v. 7. *Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & ſemel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento.... voti rea erit, reddetque quodcumque promiſerat*; quibus patet hæc duo æquiparari; ſed juramentum debitis conditionibus licet in lege nova, ut legimus ad Heb. 6., & ſæpe eo uſum fuiſſe Paulum in ſuis Epiſtolis habemus; ergo etiam votum licitum erit.

Sicut juramentum, ita & votum licet in lege nova.

177 PROB. II. Si votum Judaicis non accenſetur ceremoniis, licite in lege nova adoptari poterit; ſed votum non pertinet ad Judaicam ceremoniam, ut perperam fingunt Novatores; ergo licet in lege nova. Minor explicatur: Judaici ritus a Moyſe cœperunt, voti vero praxis ante Moyſem habetur; hinc Geneſ. 28. v. 20. Jacob obtulit Deo votum: *Vovit etiam votum dicens ſi fuerit &c.*; immo a lege naturæ dictatur honeſtas voti; ipſi namque Gentiles ſueverunt illis vota offerre, quos pro Diis habebant: unde *lib. de Divinit.* ſcribit Cicero Attium Navium cum propter paupertatem Sues puer paſceret, unâ ex his amiſſâ voviſſe, ſi recuperaſſet, unam ſe Deo daturum, & apud Virgilium *Æneidos VI.* legimus -- Ceſſas in vota, preceſque -- Itaque ſicut quia in Scriptura ante Moyſem, & apud Gentiles uſus invenire eſt Sacrificii, ideo non ad ceremonias legis ſpectare, ſed cuilibet ſtatui licere merito aſſeritur, ita de A voto diſcurrendum eſt.

Votum non eſt ceremonia judaica.

178 PROB. III. Illud in nova lege concedi debet, quod laudabiliter futurum pronunciarunt Prophetarum oracula; ſed pronunciarunt laudabiliter futura vota ut patet. Iſaiæ 19. v. 21. *Et cognoſcent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent*. Hunc locum de lege nova intelligit ibidem Hieronymus, cum quo ceteri conſentiunt, & contextus clare indicat, & admittit Petrus Martyr, licet velit non intelligi de veris votis, ſed de ſpirituali Chriſtianorum cultu, quem Propheta Judæis B per exempla rerum ſibi notarum explicat. Verum interpretatio ex cohærentia litteræ corruit; nam ſicut dixit -- Vota vovebunt: „ *ita dicit*, colent in hoſtiis, & muneribus; „ in die illa erit altare Domini... Clama„ bunt ad Dominum a facie tribulantium... „ Cognoſcent Dominum -- Sed cultus, hoſtiæ, munera, altare, oratio, fides intelliguntur futura in proprietate, & veritate cultus, munerum &c., ſub modo tamen perfectiori, & non ſub eo craſſiori, & materiali, qui in lege erat; ergo etiam votorum nomine vera veniunt vota, licet perfectioris, & excellentioris conditionis, & potiſſimum C cum ea, quæ circa internos actus verſantur, poſſint eſſe, immo ejuſdem ſunt eſſentiæ in qualibet lege ſive Moyſis, ſive Chriſti, ut videre eſt in actibus fidei, ſpei, charitatis &c. Porro votum præcipue in aliquo interno actu conſiſtit; ea propter neutiquam legali ceremoniæ, quæ in ſolis exterioribus ritibus ſubſiſtebat eſt accenſendum. De lege nova itidem dictum eſt Pſal. 75. v. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*. Et in perſona corporis, quod eſt Eccleſia, dicit Chriſtus Pſal. 21. v. 26. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum*. D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. -- Loquitur autem de D „ corpore ſuo, quod eſt Eccleſia --

In nova lege vota excellentiora.

179 PROB. IV. Deipara Virgo ut gratia plena laudatur ab Angelo, & unâ omnium voce creditur poſt Chriſtum ſummæ perfectionis legis novæ exemplar; ſed Deipara Virginitatem Deo vovit; ergo in lege nova licet vovere. Minor explicatur. Angelo annuncianti Divini Verbi incarnationem reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Hujuſcemodi negatio non jam ſuper præſentis temporis actum tantummodo appellat, ſed ſuper impedimentum negans actum in futurum, ex voto dimanans: ſiquidem nulla difficultatis ratio, nullus ad- E mirationis locus, quod mulier de præſenti virgo in poſterum concipiat; vinculum porro voti directe illi repugnat, & ideo laudata verba hunc reddunt ſenſum; quomodo fiet iſtud, quoniam nunquam cognoſcere virum ſpondi? Sic habet Aug. *lib. de ſancta Virginitate cap.* 4. -- Jam Deo dicatam, de qua „ naſceretur, elegit; hoc indicant verba, „ quæ ſibi fœtum annuncianti Angelo Maria „ reddidit; quomodo, inquit, fiet iſtud, „ quoniam virum non cognoſco? Quod pro„ fecto non diceret, niſi Deo virginem ſe „ ante voviſſet -- S. Hieronymus *Epiſt.* 22. *cap.* 7.

Votum Deiparæ.

cap. 7. — Habeant Nuptæ ſuum tempus, & „ titulum. Mihi virginitas in Maria dedi- „ catur, & Chriſto — Greg. Magn. *in* 1. *Luca in Gloſſa* — Verè gratia plena, quæ „ prima inter fœminas munus virginitatis „ obtulit — Ejuſdem labii ſunt reliqui Patres.

Aliud exemplum occurrit 1. ad Timoth. cap. 5. v. 11., ubi quaſdam Viduas damnationem habere aſſeritur, quia poſt vidualis continentiæ votum nupſerunt — Adoleſcen- „ tiores viduas devita, cum enim luxuriatæ „ fuerint in Chriſto, nubere volunt, haben- „ tes damnationem, quia primam fidem ir- „ ritam fecerunt — Fides, quam irritam fecerunt, uno Patrum calculo, eſt caſtitatis votum. Non enim ſermo eſt de fide in Baptiſmo data obſervandi Chriſti legem, ſed de fide in ordine ad caſtitatem ſervandam, atque in mulieribus, quæ ad miniſterium aſſumebantur, exigitam; de his namque aperte agit Apoſtolus. Lex aliàs Baptiſmi ſecundas non prohibet nuptias. Hinc Aug. *Pſal.* 85. — „ Quid eſt primam fidem irritam fecerunt? „ Voverunt, & non reddiderunt — Primaſius in eadem verba — Quæ ſe viduas promi- „ ſerant permanſuras — Iſidorus *lib.* 2. *de Eccleſ. officiis cap.* 1. — Ideſt, quia in eo „ quod primò voverunt, non ſteterunt — Hier. *lib.* 1. *contra Jovinianum*, *& in Commentariis ſupra* 44. *Ezechielis*, Baſilius *lib. de Virginitate cap.* 55., Chryſoſtomus *hom.* 10. *in* 1. *ad Corinth.*, & alii communiter, quos ſequitur Doctor Angelicus in hunc locum — „ Scilicet caſtitatis, quam voverunt; alias „ enim non fuiſſent aſſumptæ ad alimoniam —

180 PROB. V. Legi gratiæ apprime conſonum eſt non tantum in omni virtute abundare, ſed inſimul firmare voluntatem in bono; ſed per votum firmatur voluntas in bono, ergo conſonat ſtatui gratiæ. Minor explicatur. Per votum ſimplici propoſito promiſſio ſuperadditur; hæc quippe majorem vim addit; ſicut formula juratoria in promiſſoriis immobilitatem quandam ſimplici ſuperaddit contractui. Unde S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. docet, quod Chriſto non conveniebat vovere — Quia in quantum ho- „ mo habebat firmatam voluntatem in bono, „ quaſi comprehenſor exiſtens —

Votum firmat voluntatem in bono.

Nec repugnat ratio voti, quia includit promiſſionem gratuiti, quæ eſt quædam donatio, & Deus nullius novi dominii eſt capax, & nos nihil donare poſſumus; nihil enim Servus donare poteſt Domino ſuo, noſque ei omnia debemus titulo redemptionis.

Non repugnat, inquam, non enim vovendo aliquam utilitatem intendimus afferre Deo, qui bonorum noſtrorum non indiget, ſed illi aliquod obſequium præſtare, quod in noſtram vertitur utilitatem; unde non eſt neceſſaria traditio novi juris, ſed alicujus honorificæ actionis exhibitio; ceterum perperam dicitur in humanis Servum inter, & Dominum occurrere non poſſe promiſſionem inducentem obligationem, ſicut non repugnat rem uno titulo devotam, aliis titulis obligari.

Per votum Deo præſtatur obſequiū.

181 Sed quid ultra in re adeo clara immoramur? Licere vota innumera penè Sanctorum exempla compertum faciunt, quod Eccleſiaſtica monumenta abunde probant, ideo impræſentiarum ſufficiat unius Auguſtini teſtimonium, Pſal. 75. ad illa verba: *Vovete, & reddite*, habet — Alius vovet Deo caſti- „ tatem conjugalem, ut præter uxorem non „ noverit aliam. Alii etiam vovent etſi ex- „ perti tale conjugium, ultra nihil tale „ pati, nihil tale concupiſcere, aut ſuſti- „ nere; & ipſi voverunt aliquid majus, quam „ illi. Alii virginitatem ipſam ab ineunte æta- „ te vovent, ut nihil tale, vel experiantur, „ quale illi experti ſunt, & reliquerunt; & „ iſti voverunt plurimum. Alii vovent do- „ mum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus San- „ ctis advenientibus; magnum votum vo- „ vent. Alius vovet relinquere omnia ſua „ diſtribuendo pauperibus, & ire in com- „ munem vitam, in ſocietatem Sanctorum; „ magnum votum vovit — Frequentiam votorum etiam ſub Eccleſiæ primordiis ipſimet Heterodoxi cum Petro Martyre loco citato, & Luthero de abroganda Miſſa non inficiantur.

182 Hinc reſpondent Sanctorum exempla nequaquam fore fidei noſtræ regulam, ſed Dei verbum, non itaque ſpectandum quid egerint Sancti, ſed quid debuerunt ad lumen revelatæ veritatis peragere: non enim ab omni nævo immunes fuere viri Dei.

Utique fatemur non omnia opera, quæ exercuerunt viri aliàs Sancti, eſſe imitanda. Fatemur etiam quandoque peccaſſe, ſed dicimus vitam Sanctorum quoad exercitia virtutum Deo acceptam fuiſſe, atque a fidelibus in exemplum ſanctitatis aſſumi poſſe, unde Chriſtus Diſcipulos ad ſui imitationem invitabat, atque eos hortabatur, ut opera bona coram hominibus ad glorificandum Patrem exercerent, quod & Apoſtolus dicebat: *Imitatores mei eſtote*. Porro votis ſe obligare ad opera virtutum, ad Sanctorum vitam ſpectat, & quos Eccleſia voto obſtrictos novit, veneratur, ut Baſilium, Auguſtinum, Hieronymum, alioſque; ſi vero vota ſacrilegæ forent Judaicæ ceremoniæ, non fuiſſet eos venerata, cum gravi illaqueatos crimine objiſſent: debent ergo concedere, quod vota componantur cum ſanctitate; verum quidem eſt opera hominum, neutiquam a Scripturis probata, in exemplum deſervire non poſſe, bene vero ſi eiſdem conformentur; vota autem conformantur, ut vidimus, & pluribus adhuc oſtendi valeret, niſi in re adeo clara verſaretur argumentum.

Virtutes imitandæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ACATHOLICORUM.

183 OBJIC. I. Non eſt licitum, quod in lege nova non memoratur; ſed nullibi in lege nova fit mentio votorum; nam ea, de quibus in Scripturis, pertinent ad legem veterem.

Major propoſitio, vel ab ipſis adverſantibus falſa jure merito cenſenda eſt; hi namque plura admittunt, quæ quoad nomen non

ſunt

ſunt in Scripturis expreſſa: & ſane ubi nam Verbum dicitur Patri conſubſtantiale? ubi Pontiſex nuncupatur Antichriſtus, ut ipſi blaſphemant? Ubi legitur ſolam fidem ſalvare? Et centena alia, quæ mordicus propognant, quorum in divinis litteris altum ſilentium. Sat igitur eſt, quod res habeatur deſcripta. Vocibus utimur pro rebus exprimendis, res autem ſub nomine voti contenta habetur abunde; deinde negatur minor: loca enim illa, quæ prophetice agunt de votis, de lege nova loquuntur, & ad legem novam ſpectaot. Addas velim legem gratiæ totam moralem legis veteris doctrinam approbare, & acceptare, ſed quidquid ad rationem voti pertinet, de quo ſæpe vetus Teſtamentum, pars doctrinæ moralis eſt; etenim ceremoniæ non erant liberæ, atque in puris exterioribus ſubſiſtebant; vota autem erant libera quoad ſubſtantiam, licet poſito quod vellet quis hoc, vel illud vovere, quandoque deberet obſervare quaſdam conditiones, & perficiebantur per actum internum; unde in libris, ubi de ceremonialibus nullus ſermo, commendantur, ut Prov. 15., & 20. Votorum executio erat virtutis fidelitatis exercitium, ut conſtat ex laudatis Scripturis. Porro virtus fidelitatis moralis eſt. Votum itidem quædam donatio eſt alicujus obſequii erga Deum, quæ ſane non eſt legalis ceremonia, ſed pertinet ad naturalem, & moralem virtutem; efficax propoſitum bene agendi, quis dicet eſſe Judaicam ſuperſtitionem? Supra propoſitum non addit votum, niſi promiſſionem, quæ non eſt quid legale: denique etiam ex votis, quorum recurrit mentio in Actis Apoſtolicis, colligitur licere in lege nova; illa enim erant vota Nazaræorum; ſubſtantia autem Nazaræatus, quæ eſt dicatio ſui in obſequium Dei circa quoſdam particlares actus ad illos ſe obligando, convenit ſtatui gatiæ; unde Chriſtus Nazaræus vocari voluit non tantum quia ex Nazareth, ſed etiam quia Deo ſpecialiſſimè conſecratus.

Vota ad præcepta moralia ſpectant.

184 OBJIC. II. In lege nova omnis voluntaria Religio eſt reprobata; ſed exercitium voto oblatum eſt Religio voluntaria; ergo votorum uſus eſt reprobatus. Major habetur ad Coloſſenſes 2. v. 22., & ſeq. *Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, nec contrectaveritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta, & doctrinas hominum; quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*, ubi ex græco *pro ſuperſtitione* legitur *in Religione voluntaria*.

Abutuntur hoc textu Heterodoxi, qui tamen prævia Patrum traditione in coſdem regeritur. Itaque mens Apoſtoli eo tendit, ut Coloſſenſes a quibuſdam Pſeudomagiſtris deceptos ad veritatis ſemitam revocaret: evulgaverant namque legales obſervantias, potiſſimum ad ciborum delectum ſpectantes, fore ad ſalutem neceſſarias, utpotequæ a Deo ſunt traditæ miniſterio Angelorum per os Moyſis; unde harum obſervantia ab illis Religio Angelorum nuncupabatur. Paulus ergo docet hoc eſſe erroneum: nam per Chriſtum ab iſtis liberati ſumus: *Mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi*, ideſt legis: quoniam non erant niſi futurorum umbra, urget hinc non dari ſalutem, niſi per unionem ad Chriſti corpus, hoc eſt per ejuſdem fidem; ea propter concludit illarum ceremoniarum obſervantiam fore in interitum, nec in ea niſi ſapientiam elucere, quæ ducit in ſuperſtitionem, & in humilitatem, ideſt inanem ſubjectionem ſervitutis ad legem, & delectum illum, quo ſibi nonnullos denegabant cibos, non ex virtute eſſe, ſed ex affectu vanitatis, adeoque carnali: Coloſſenſes itaque ad haſce obſervantias a quibuſdam Philoſophis, & Hæreticis, elegantiâ quidem ſermonis, ſed abſque Scriptorarum, & doctrinæ Chriſti momentis illecti fuerant, & ideo earundem doctrinam vocat traditionem hominum ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum. Videatur D. Aug. *Epiſt.* 59. q. 7., ubi hoc erudite explicat, & D. Thom. in hunc locum; porro vota, quæ in nova lege adoptantur, recedunt toto cœlo ab hujuſmodi doctrina; non enim carent Scripturæ fundamento, & conſonantiâ ad perfectionem legis Chriſti; non ſunt ex judaico affectu ad legem, & ceremonias, ſed ex vero influxu capitis in ſua membra per fidem; ſunt voluntariæ Religin, non ſuperſtitionis, ſed perfectionis deſiderio prælecta.

Inanis legalis obſervantia.

185 OBJIC. III. Quod Evangelicam minuit libertatem, non licet in lege gratiæ; ſed votorum inſtitutio Evangelicam minuit libertatem; ergo non licet. Minor probatur. Chriſtus liberavit ab onere legis; ſed votum eſt quædam lex; ergo minuit libertatem. Adde quod Chriſtus reliquit libera vitæ genera, ut ait Petrus Martyr; ſed votum ad unum determinate alligat; ergo.

RESP. Libertas Evangelica eſt libertas Spiritus Domini: *Dominus autem Spiritus eſt; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. 2. Corinth. 3. v. 17. Porro Spiritus Domini charitas eſt diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum; charitas vero urget nos, ut magis, magiſque abundemus; non reſpicit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, & reddit onus Chriſti ſuave, & leve, proindeque votorum uſus ex abundantia virtutis dimanans libertati Evangelicæ congruit. Hæc eſt libertas a peccato, ad Rom. 6. v. 18. *Liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*. Sed magis liberatur a peccato, qui magis firmatur in bono, & qui, ne frangat præcepta, addit ſupererogatoria, per quæ magis elongatur a periculo; & hæc plane habentur per votorum obſervantiam; ergo Evangelicæ congruit libertati. Onus igitur legis, a quo ſumus liberati, eſt legis Moyſaicæ, ut patet ex Scripturis. Equidem libera ſunt vitæ genera, & ideo non cogimur vovere, ſicut non cogimur ad nuptias, ſed ſemel facta obligatione per liberam electionem præſuppoſitam ſervanda eſt, & conſtat nuptiarum exemplo.

Quæ Evangelica libertas.

186 OBJIC. IV. Fideles titulo filiationis ſunt Chriſto obſtricti, dicente Paulo: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater*. Sed foret irridendus filius, qui patriæ poteſtati vellet ſe obligare, & ſubdere; ergo irridendus eſt, qui vult votis denuo Deo ſe obligare.

RESP. Reſplendet Divina bonitas in eo, quod titulo creationis, quo ſufficienter factus eſt Deus Pater noſter, titulum ſuperaddidit Redemptionis, unde & jure, & merito majori proſequendus eſt amore: incongruum igitur haud erit, ſi uno obſtricti titulo alio itidem titulo Deo noſtra devoveamus opera, atque in hoc major elucet filiationis affectus, quia pluribus titulis vult placere Deo. David agnoſcens unà cum populo omnia Dei eſſe dicebat 1. Paralip. 29. v. 14. *Quis ego, & quis populus meus, ut poſſimus hæc tibi univerſa promittere? Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*, nihilotamenminus laudabiliter magnam auri, argentique vim Domino obtulit per votum ad templi ædificationem, v. 9. *Lætatuſque eſt populus, cum vota ſponte promitterent*. Stat ergo laudabile fore votum, licet res oblata ſit Domini. Res clareſcit, ex quo in ſuperioribus Controverſiis probavimus plurima dari virtutum dona, quæ ſub libera poteſtate noſtra Deus largitus eſt. Hæc cur eidem vovere non poſſumus? Compertum eſt proinde poſſe fideles iterum ſe obligare Deo in illis, in quibus liberos, & voluntarios nos effecit, & quidem laudabiliter. Laudabile enim eſt magis, atque magis ſe in obſequium Dei obſtringere, ut videre eſt in filio, qui laudabiliter ſe ſubdere poteſt patriæ poteſtati in his, quæ ſui juris ſunt, puta in electione ſtatus; ſtat ergo, quod toti ſimus Dei, & tamen iterum ei ſubjiciamur votis; unde habet Ambroſius *in Exhortatione ad Virgines* -- Omnes quidem illius ſumus, ſed tamen tu ſpecialiter promiſſus Domino; tu ei reddideris, quia ſcriptum eſt: vovete, & reddite Domino Deo veſtro -- Prædicta exemplo roborantur ex lege veteri, in qua prohibuit Deus ſibi vovere primogenita pecodum, quia per legem ſibi illa reſervaverat, permittebat tamen de ceteris vota fieri, etſi omnium eſſet Dominus; ita in lege nova, cum non omnia ſubjiciantur præceptorum obligationi, datur locus pro votis, licet hæc Dei ſint dona.

Quæ aliàs Deo debentur, novo affectu offerri poſſunt.

187 OBJIC. V. Actio exprobativa Divinæ Providentiæ nequit eſſe licita renatis in Chriſto; ſed uſus votorum eſt actio exprobativa Divinæ Providentiæ: nam eo tendit, ut conſtituatur modus vivendi perfectior, & majoris profectus; hoc eſt autem Deum exprobare, quaſi neſciverit providere de meliori diſponere.

RESP. Quod a Divina Providentia dictatur nequit ejuſdem eſſe exprobativum. Via perfectior a Divina Providentia diſponitur. Chriſtus ipſe doctrinam perfectionis docuit, illam conſuluit, de illa exemplum præſtitit, quapropter illi placet; quia tamen in Eccleſia adeſſe debent ſtatus varii, & varia munia; non enim omnes Apoſtoli, non omnes Doctores, ideo humanæ libertati datum eſt, ut, quod velit, unuſquiſque adoptaret: provocat Dominus filios ſuos ſicut Aquila pullos ſuos, quorum alii minus, alii magis ad cœlum evolant, adeoque agnoſcens figmentum noſtrum, noluit omnes ad omnia obligare; conſtituit Chriſtus Eccleſiam virtutum palæſtram ad probandam dilectionem;

Perfectionis via a Chriſto approbata.

ea propter fuit congruum, ut plura relin-
A quererentur libera ad ferventioris ſpiritus probationem. Dona Dei in duplicem diſcriminantur claſſem; alia ſunt dona gratum facientia, quæ omnibus ſunt neceſſaria ad ſalutem; alia gratis data, quæ non ſunt ſingulis neceſſaria; ita ex parte hominum alia debent eſſe opera omnibus neceſſaria ad ſalutem, ut ſunt præcepta, alia debuerunt eſſe libera volenti aſſumere nulla, quare via perfectionis eſt a Divina Providentia diſpoſita; vota in lege nova, ſicut in veteri eſſe licita oſtendit auctoritas Concilii Senonenſis, quod ad exemplum Veterum adhortatur fideles ad votorum obſervantiam Decreto IX. -- Si quis
B „ votum aliquod hujuſmodi voverit; etiam ſi „ perpetuum fuerit, non facit irritum verbum „ ſuum, ſed Deiparæ Virginis, Annæ Samuelis matris, & Rechabitarum exemplo, „ omne quod promiſit, implebit --

CONTROVERSIA VII.

AN LICEAT VOTUM DE REBUS NON PRÆCEPTIS AD CULTUM DEI ORDINATUM.

C
188 LUtherus *lib. de votis Monaſticis, & de libertate Chriſtiana*, Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 13. §. 1., & ſeqq.*, non audentes negare abſolute votorum uſum in lege nova licere, eo devenerunt, ut vota admitterent quidem ob fines temporales, vel etiam ſpirituales, puta ad evitanda peccata, unde qui incidit in ebrietatem, poteſt vovere triduanam abſtinentiam a vino, ne iterum labatur; negarunt tamen licere in ordine ad cultum Dei, ſi voti materia ſit libera, hoc eſt, a Deo non præcepta; illud intendentes, ut
D inde velut ſuperſtitioſum reprobent Religioſum ſtatum, conſiliorum votis conſtitutum, quare pro hiſce defendendis peculiariter votis, hæc in genere verſanda eſt Controverſia.

Catholice igitur ſentiendo dicimus votum de rebus non præceptis, atque in cultum Dei ordinatum fore licitum.

189 PROB. I. univerſali principio. Omne opus virtutis, quod dirigitur ad honorem, & gloriam Dei, eſt cultus Dei; ſed votum in Dei gloriam a Fidelibus dirigitur; ergo eſt cultus Dei. Major clare evincitur Jacobi 1. v. 27. *Religio munda, & imma-*
E *culata apud Deum, & Patrem hæc eſt; viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum* (quibus verbis omnia opera miſericordiæ intelliguntur, ſicut hic notat D. Thomas) *& immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo*, quibus includitur obſervantia omnium præceptorum, & hæc opera Religio dicuntur, quia tendunt in cultum Dei. Ad Heb. 13. v. 15., & ſeq. habemus: *Per ipſum autem offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus; Beneficentia autem, & communionis nolite oblviſci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Fructus labio-

labiorum ſunt Pſalmodia, & confeſſio beneficiorum Dei, juxta illud Pſal. 33. v. 1. *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*. Fructus labiorum ſunt verba pacis, Iſa. 57. v. 19. *Creavi fructum labiorum pacem*, & hæc opera dicuntur hoſtiæ Deo oblatæ. In ultimis verbis declarat pariter opera liberalitatis, & charitatis acceptari a Deo, velut ſacrificia, proindeque iisdem colitur, eique placemus, & mercedem nobis promeremur. Ad Philippenſes 4. v. 18. *Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo*. En qualibus verbis exprimit ſacrificium fore Deo gratum, eleemoſynæ largitionem: ubi D. Thom. — Eſt „ enim odor Deo ſuavis, devotio offeren„ tium, & inter omnes hoſtias, multum „ valent eleemoſynæ — & univerſaliter 1. Pe„ tri 2. v. 5. dicitur: *Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum*. Hic enim omne opus bonum ſpiritualis hoſtia vocatur, Deoque acceptabilis, & propter hanc rationem fidelis quilibet dicitur Sacerdos. Apocal. 5. v. 10. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes*. Caſtigatio corporis noſtri per temperantiam, ejuſdemque Deo ſubjectio per arma juſtitiæ cultus Dei eſt, ad Rom. 12. v. 1. *Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*. Rem elucidat Auguſtinus *lib. 10. de Civit. cap. 6.* — Verum ſacrificium eſt omne „ opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate „ inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad il„ lum finem boni, quo veraciter beati eſſe „ poſſimus — & fuſe doctrinaliter explicans dat rationem, ex eo, quod fiat propter Deum — Unde ipſa miſericordia, qua ho„ mini ſubvenitur, ſi propter Deum non „ fit, non eſt ſacrificium — Minor non indiget probatione. Generali documento D. Pauli admonemur: *Omnia in Dei gloriam facite*: ad Rom. 10. v. 31., & in Scripturis, ubi agitur de votis vel faciendis, vel factis, ſemper includitur relatio ad Deum, patet itidem ex ipſa voti definitione, qua dicitur *Promiſſio facta Deo*, & ex effectu, quem inducit, videlicet firmare voluntatem in bono, quæ firmitas Deo placet; ergo votum eſſe Dei cultum negari nequaquam poteſt.

Virtutum opera in Deū ordinantur.

190 PROB. II. Quod non cedit in Dei honorem, ab ipſo non commendatur, nec illius factores laudantur, nec illud Deus exquirit; ſed Deus commendat votum, factum exquirit, executores laudat, eiſque præmia largitur; ergo votum cedit in cultum Dei. Minor oſtenditur Pſal. 37. v. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*. En exhortatio. Pſal. 65. v. 13. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea*. En ſollicitudo Sanctorum ad exequendum; Proverb. 15. v. 8. *Vota juſtorum placabilia*. En laus. Deut. 23. v. 21. *Non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, & ſi mortuus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. En exactio Dei, ubi illud occurrit advertendum, quod omiſſio executionis habetur a Deo pro peccato, quia data frangitur fides; ſi vero votum in ejus honorem non cederet, fractionis fidei non conquereretur. 1. Regum 1. Anna Deo votum facit ad prolem obtinendam, & exauditur; ergo votorum Religio non eſt vana, & inutilis; ergo Deo placens. Et ob hoc a Patribus commendatur; unde Nyſſenus *hom. 2. in Orationem Dominicam*, relatis quibuſdam Pſalmorum locis, ait — Quaſi id, „ quod ad votum pertinet, officium jam „ ante præſtitum eſſe conveniat, priuſquam „ per orationem Deus adeatur — innuere volens votorum adimplementum apte ad exorandum Deum deſervire.

Vota a Deo laudantur.

191 PROB. III. Opus cum ſanctitate conjunctum nequit non eſſe in reverentiam, cultum, & placitum Dei; ſed votum conjungitur cum ſanctitate; ergo tendit in Dei reverentiam, eique placet. Minor oſtenditur. Deut. 12. v. 26. *Quæ autem ſanctificaveris, & voveris Domino*. Ecce qualiter vota ſanctificationi conjunguntur; & ideo ibidem inter cetera ſacra obſequia Deo facta connumerantur, & in ſancto templi loco præcipit Dominus offerri; v. 11. *In loco quem elegerit Dominus Deus veſter, ut ſit nomen ejus in eo, illuc ea, quæ præcipio, conferetis, holocauſta, & hoſtias, ac decimas, & primitias manuum veſtrarum, & quidquid præcipuum eſt in muneribus, quæ vovebitis Domino*, quod ſi ad Dei cultum non pertinerent, neutiquam in loco Sacrificiorum vellet proferri. Pſal. 75. v. 12. dicitur: *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*. Suadet hic Propheta vota Deo facere, velut quædam munera ei oblata, ac proinde ſentit ejus cultum reſpicere: mens enim Pſalmiſtæ eſt populos ad agendas Deo grates ob profligatos Aſyrios excitare. Gen. 28. v. 20. Jacob: *Vovit etiam votum dicens . . . . & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei*. Vovit altare facturum ad Sacrificia offerenda, quod utique cultus Dei eſt. 1. Reg. 1. v. 11. de Anna matre Samuelis habemus: *Et votum vovit dicens: Domine Exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non aſcendet ſuper caput ejus*. Votum hoc placuiſſe Deo in aperto eſt; quia Deus, quod petebat, indulſit, & benedixit prolem, fecitque Prophetam magnum. Indubium porro eſt ad cultum Dei ſpectare votum hujuſcemodi: dicavit namque filium in obſequium Dei. His, aliiſque ſimilibus Scripturis evidens fit votum in Dei cultum cedere.

Votum in Dei cultum

192 DICES cum Calvino. In laudatis Scripturis non occurrit ſermo de votis rerum non præceptarum; unde non infertur vota rerum liberarum ad cultum Dei pertinere, eique placita fore.

RESP. Heterodoxi ultro allucinantur, ubi enim præceptum fuerat Annæ, ut filium, quem genuiſſet, Nazaræum faceret? ubi Jacob, quod proſpero itinere ſi reverteretur, lapidem conſecraret in aram Deo? ubi mandatum in variis illis generibus votorum, quæ Levitici 27.

per

per totum deſcribuntur ? Omnia libera ſunt, & ideo omnia liberæ voluntati ſubmittuntur per verbum illud *ſi voverit homo*, & ex eo manifeſte patet, quod in præcedentibus capitibus traduntur præcepta determinata, & expreſſi: præcepta quidem miſcentur circa modum adimplendi vota, atque commutandi ea ſuppoſitione, quod fiant: vota pariter, quæ recenſentur Num. 6., & 30. de Nazaræatu, vel continentiæ puellarum ad tempus, omnia libera ſunt, nulla de re præcepta, licet poſito, quod homo, vel mulier ea elegerit, ſervandæ præſcribantur conditiones: idem de his, quæ Deut. 12., & 23. leguntur, & tamen de omnibus dicit Scriptura Num. 30. v. 3. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit implebit*. Libera igitur vota Deo arrident.

Votum de re libera Deo placitum.

193 Veritas Catholica diſcurſu D. Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. roboratur I. Opus, quod ex ſuis eſſentialibus, vel elicitive, vel imperative pertinet ad virtutem Religionis, neceſſario Dei cultum involvere dicendum eſt; atqui votum de re non præcepta eſſentialiter, vel elicitive, vel imperative ad virtutem Religionis ſpectat; ergo Dei cultum involvit. Prob. min. Opus virtutis pertinet ad Religionem, ſecundum quod ad Divinam reverentiam ordinatur, qui eſt finis Latriæ; ſed votum ea ſuis eſſentialibus ad Divinam ordinatur reverentiam; eſt ſiquidem promiſſio facta Deo, & promiſſio nihil aliud eſt, quam ordinatio quædam ejus, quod promittitur in eum, cui promittitur; ergo votum pertinet ad virtutem Religionis; ubi advertendum eſt non qualemcumque ordinationem in Deum pertinere ad Religionem, ut patet in fide, ſpe, & charitate, quæ immediate Deum reſpiciunt, ſed eam, quæ eſt per virtutem Latriæ, hæc porro eſt proteſtatio ſummæ, & ſingularis excellentiæ; & tunc exercetur, cum nos, & actus noſtros, & res noſtras Deo ſubjicimus: in promiſſione vero voti mentis noſtræ actum ſubjicimus, & rem promiſſam in cauſa; cum vero rem promiſſam actu reddimus, rem ipſam ſubdimus; unde & vovere, & votum æque ad virtutem Religionis ſpectant, adeoque utrumque Dei cultum importat.

Ad virtutem Religionis votū ſpectat.

Roboratur II. Dubio procul opus illud in Dei cultum vergit, quod eſt melius, magis Deo gratum, magiſque meritorium; ſed opus factum ex voto eſt melius, magis Deo gratum, magiſque meritorium; ergo opus factum ex voto vergit in cultum Dei. Min. probatur. Opus tanto laudabilius eſt, quanto ex meliori voluntate procedit; porro quod voluntatem perficit, potiſſimum eſt firmitas, & ſtabilitas; hinc D. Paulus 1. Corinth. 15. hortatur dicens v. 58. *Stabiles eſtote, & immobiles*; ſed per votum voluntas in bono firmatur, quia in ſuo eſſentiali conceptu involvit promiſſionem, quæ ſtabilem facit voluntatem; hoc palam in humanis videre eſt; cum enim hominis voluntas fluctuans ſit, & mutabilis, ut firmentur contractus, promiſſiones, juramenta, tabulæ exiguntur; cumque magis ſibi debeat homo in his, quæ pertinent ad ſalutem, jam plane ſit optimum eſſe firmare ſe in bono per votum, quod apud Deum ejuſdem ponderis cenſetur, ac juramentum; ergo opus voto perficitur.

Laudabilis firmitas in bono.

Oſtenditur II. eadem minor propoſitio verbis D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 6. -- Ille qui vovet aliquid, & facit, plus ſe Deo ſubjicit, quam ille, qui ſolum facit; ſubjicit enim ſe Deo non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quantum ad poteſtatem, quia de cetero non poteſt aliud facere; ſicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit Anſelmus *in lib. de ſimilitudinis*, & inde eſt, quod etiam promittentibus, gratiæ aguntur, ut dictum eſt -- Hae de re plura habet S. Doctor *Opuſc.* 17. *cap.* 12., *Opuſc.* 18. *cap.* 12., 3. *contra Gentiles cap.* 138.

Oſtenditur III. auctoritate D. Aug. *Epiſt.* 45. -- Reddite quod voviſtis ... neque enim quod redditur reddendo minuetur, ſed potius ſervabitur, & augebitur ... Priuſquam eſſes voti reus, liberum fuit, quo eſſes inferior: quamvis non ſit gratulanda libertas, qua fit ut non debeatur, quod cum lucro redditur -- Declarat inſimul criminis gravitatem in voti violatione, ita quod maxima perfectio, quæ aliàs eſt in vovendo, ſi comparetur ad omiſſionis gravitatem, modica videatur -- Nunc vero, quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam juſtitiam invito; ſed a magna iniquitate deterreo -- *Lib. de ſancta virginitate cap.* 8. *tom.* 6. -- Neque enim & ipſa, quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur, quæ licet in carne ſervetur, ſpiritus tamen Religione, ac devotione ſervatur; ac per hoc ſpiritualis eſt etiam virginitas corporis, quam fovet, & ſervat continentia pietatis - & alia repetit in commendationem virginitatis, quia Deo voto dicatæ. Idem *Pſal.* 75. hortatur ad vovendum tanquam ad melius -- Quiſque quod poteſt, voveat, & reddat .... non ſitis pigri ad vovendum .... non ſitis pigri, qui poteſtis, quibus aſpirat Deus apprehendere gradus meliores, quia non iſta ideo loquimur, ut non voveatis, ſed ut voveatis, & reddatis -- Ad hoc facit conſuetudo Eccleſiæ invitans ad vovendum, & voventibus pugnare contra hoſtes Eccleſiæ indulgentias promittit, & privilegia, quod non contingeret, ſi melius non foret rem ex voto, quam ſine illo peragere.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

194 OBJIC. I. Omne illud cenſendum eſt peccatum, quod ex fide per verbum Dei concepta non oſtenditur a Deo æſtimari juxta illud ad Rom. 14. v. 23. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt?* Sed omnis voluntarius cultus, qualis per votum de re non præcepta habetur, non eſt ex fide; ergo.

Sed undequaque claudicat argumentum. Eo luci mens Apoſtoli non eſt de fide ſpeculativa, ſed practica, videlicet de conſcien-

ſcientia, quæ eſt proxima regula morum, & vult eos reprehendere, qui ex erronea quadam credulitate volebant concedere idolothyta, ſic communiter Patres, quo ſenſu inſtantia non urget; ſed dato cum Auguſtino *lib.* 4. *contra Julianum cap.* 3., & alibi, quod accipiatur pro vera fide, unde nam probatur Verbum Dei non æſtimare voluntarium votum, & libera hujuſcemodi pietatis exercitia, cum pluribus ſcripturis, & exemplis oſtenderimus Deum ſpontanea vota exigere? Cum in aperto ſit plurima bona opera conſulere? Cum ſæpenumero doceat ſibi fore accepta perfectiora virtutum? Non igitur eſt audiendus Calvinus.

Spontanea vota probat Deus.

DICES. Nomen voti ſecundum grammaticos ſtat pro deſiderio, & promiſſione. Votum pro deſiderio acceptat Deus, ſecus votum ut promiſſio eſt. Hinc de voto deſiderii loquuntur Scripturæ. Gen. 28., Proverb. 15., Num. 6., 15., 18., & probatur ex illo Pſal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*, ſi vota adſcribit omnibus afferentibus munera Domino Deo ſuo, jam plane elucet, non de voto promiſſionis hoc dicere, cum non omnes offerentes offerre promittant, licet offerre deſiderent. Hæc Richardus Armacanus *lib.* 6. *de pauperie* ultimis tribus cap., quæ doctrina Calvinianæ concinit intentioni.

RESP. Votum, de quo in præſenti, in idem redit, ac promiſſio, ſicut explicatum eſt in initio Controverſiæ Scripturarum auctoritate; votum porro promiſſionis diſtinguitur a voto deſiderii, ex eo, quod votum illud obligat, ejuſque tranſgreſſio culpabilis eſt, & damnationem infert, ſed ut infra probabimus, & ſuperius innuimus, vota, de quibus agit Scriptura, Deus exquirit ut obligantia, eorumque tranſgreſſionem crimini vertit: ergo Scripturæ loquuntur de voto promiſſionis. Nemo prudens inficias ibit votum Jacob Geneſ. 28. veram non involvere promiſſionem: cum ſe obſtrinxerit Deo ſub conditione, quod proſperum evaderet iter, & de facto votum abſolvit. Pariter vota recenſita ex Numerorum libro ſunt vota particularia, quæ cadunt ſub generali lege in Scripturis tradita, ut obſerventur ſub peccato; nec urget textus Pſalmi 75., nam Auguſtinus apertè illum explicat de voto promiſſionis diſtinguens ea, quæ communiter vovemus, ſeu adſtricti ſumus ſervare per præcepta affirmativa, & per negativa, & ea, quæ fideles peculiariter vovent; puta continentiam conjugalem, virginitatem, paupertatem, docens ſervanda eſſe promiſſa cum dicat Pſalmiſta: *Vovete, & reddite. Quiſquis quod vovere voluerit, voveat: illud attendat, ut quod voverit, reddat: unuſquiſque Deo quod vovet: ſi reſpicit retrorſum, malum eſt*, quod evincit doctrinâ Pauli exprobantis Viduas illas, quæ irritam fecerunt fidem in damnationem: hinc ſermonem ad eos convertens, qui a Monaſterio recedere volunt, ex quo, qui in Seculo ſunt, ſalvari poſſunt, ait: *Sed illi non voverunt, tu voviſti, tu retro reſpexiſti.*

Voti tranſgreſſio culpabilis.

195 OBJIC. II. Opus illud haud in Deum dirigi valet, quod ab ipſo reprobatur; ſed voti uſus de rebus non præceptis eſt hujuſmodi; ergo in Deum dirigi nequit. Prob. min. -- Docemur ut ſermo noſter ſit: eſt eſt, „ non non, quod amplius eſt, a malo eſt; „ cur non pariter quo ad voluntates, vel „ affectus? Sic ſancte docemur; ſit voluntas „ veſtra, ſeu affectus: eſt eſt, non non? -- ita Armacanus apud Waldenſem *tom.* 1. *lib.* 3. *art.* 12. *cap.* 21., ſi ergo prohibemur jurare, & ſi juramentum ſit actus Religionis; ita prohibemur vovere, ubi nulla datur cogens neceſſitas; quare ſicut non eſt melius rem facere cum juramento, ita non eſt melius rem facere cum voto.

RESP. Neg. minorem, quam non evincit probatio: non eſſe parilem rationem juramentum inter, & votum Dominus ipſe innuiſſe videtur; etenim cum in Scripturis frequens recurrat mentio de juramento, & voto, eorumque obligatione, ipſe ſolummodo de juramento ſermonem inſtituit, ejus frequentiam, atque uſum abſque neceſſitate prohibens; & ratio ex diverſitate ipſa juramenti, & voti deſumi jure poteſt; nam juramentum directe non reſpicit Dei cultum, nec per ſe ad illum ordinatur, ſed ſolum ex ſuppoſitione neceſſitatis interponendi Divinam authoritatem in firmandis promiſſionibus, quæ fiunt hominibus: etenim directus juramenti finis eſt humana veritas, quæ confirmatur; ſecus eſt de voto, quod directe, & per ſe Dei reſpicit cultum nullo alio priori præſuppoſito titulo, ſeu neceſſitate. Argumentum ſolvit in terminis S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 5. *ad* 1. -- Alia ratio eſt de voto, „ & juramento, nam per votum aliquid „ in Dei reverentiam ordinamus, unde ex „ hoc ipſo fit Religionis actus, ſed in jura„ mento e converſo reverentia Divini nomi„ nis aſſumitur ad promiſſi confirmationem, „ & ideo illud quod juramentum confirma„ tur, non propter hoc fit Religionis actus; „ quia ſecundum finem morales actus ſpe„ cies ſortiuntur -- ea propter laudabile eſt, & expedit, magiſque meritorium eſt vovere, ſecus jurare; ſiquidem quod non quæritur, niſi ad ſuccurrendum alicui defectui, non connumeratur inter per ſe appetenda, ut patet in medicina, juramentum quæritur ſolum ad ſupplendum defectum, quatenus unus alteri non credit; e contra votum aſſumitur ad firmandam voluntatem in bono, adeoque merito ut laudabile adoptandum eſt.

Diſcrimen juramentum inter, & votum.

DICES. Potiora vota de rebus liberis fiunt immediate creaturis, puta Sanctis, Prælatis, Xenodochiis, ut cum quis vovet dare centum pauperibus; ergo ſicut quia juramentum reſpicit creatam veritatem, non expedit jurare, nec eſt melius, quam non jurare, ita vovere creaturis non expedit; potiſſimum cum e re Chriſtiana non ſit cultum Dei proprium, qualis eſt cultus Religionis voto incluſus, Sanctis tribuere, ac proinde ſoli Deo facta inveniuntur vota in Scripturis, ſicut & Sacrificia.

Hac replica abutuntur Hæretici, quatenus nos inſimulant, quod Idololatræ ſimus, offerentes proprium ſolius Dei honorem creaturis; & Eraſmus *in Colloquio*, quod dicitur

Quo pacto vota fiant Sanctis.

citur *Naufragium* ſpecialiter carpit vota Sanctis facta ; in quo aperte errant ; ſiquidem in Eccleſia Dei uſus offerendi vota eſt vetuſtiſſimus, qua de re ſufficit teſtimonium Fauſti Manichæi apud Aug. *lib.* 20. *contra eumdem cap.* 3. dicentis -- Idola vertiſtis in Martyres, „ quos votis ſimilibus colitis -- quo oſtenditur morem fuiſſe colendi Sanctos . Euſebius *lib.* 13. *Præparationis Evangelicæ cap.* 7. de Martyribus , ait -- Nos . . . veræ pietatis „ milites , ut Dei amicos honorantes , ad „ monumenta quæque illorum accedimus , „ votaque illis facimus , tanquam viris San„ ctis , quorum interceſſione ad Deum non „ parum juvari profitemur -- Theodoretus *lib.* 8. *ad Græcos* , habet de iiſdem Martyribus -- Piè fideliterque precatos ea maxime „ conſequi , quæ deſiderant , teſtantur illa, „ quæ votorum rei perſolvunt , manifeſta „ nimirum adeptæ ſanitatis indicia . Nam „ alii quidem oculorum , alii verò pedum , „ alii manuum ſimulacra ſuſpendunt ex ar„ gento, aurove confecta -- Perantiqua igitur eſt conſuetudo vota Sanctis offerre . Nec argumentum probat idololatras catholicos fore . Nam ut optime notat Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 3. -- Dicendum, „ quod votum ſoli Deo fit , ſed promiſſio „ etiam poteſt fieri homini , & ipſa pro„ miſſio boni , quæ fit homini , poteſt ca„ dere ſub voto , in quantum eſt quoddam „ opus virtuoſum ; & per hunc modum in„ telligendum votum , quo quis vovet ali„ quid Sanctis , vel Prælatis , ut ipſa pro„ miſſio facta Sanctis , vel Prælatis cadat „ ſub voto materialiter , in quantum ſcilicet „ homo vovet Deo ſe impleturum , quod „ Sanctis , & Prælatis promittit -- Quibus apte diſſolvitur nodus difficultatis . In voto facto Sanctis duplex velut promiſſio implicatur , altera quaſi materialis , quæ ad Sanctos terminatur tanquam ad materiam , cui res , quæ cadit ſub voto , tribuitur , formalis altera , quæ ad Deum terminatur tanquam perſonæ excellentiſſimæ , cui fit promiſſio ; cumque voti actio ſit honorifica ſive ſecundum rem , quæ vovetur , puta jejunium , ſive ſecundum vim promiſſionis , qua ſupremam obteſtamur excellentiam ; ut includit rem voto obſtrictam , tendit ad honorandum proxime Sanctos , quatenus ſunt viri præcellentes in ordine ſupernaturali , participantes , mediâ gratiâ , Divinæ naturæ excellentiam ; ut vero includit promiſſionem , proxime tendit in Deum , quem ſupremæ excellentiæ recognoſcimus , in quo conſiſtit cultus religionis voti formalis , proindeque Sanctis non tribuimus Latriæ cultum , unde , & id quod in objectione involvitur , videlicet non eſſe frequentandum , ſeu expediens votum , quia ad rem creatam reſpicit ut juramentum, enucleatur ; nam reſpicit quidem materialiter Sanctos , ſed eos honorando , & colendo ; expedit autem Sanctos honorare , & colere .

196 OBJIC. III. Laqueus animarum in Dei obſequium ordinari non valet ; ſed votum eſt animarum laqueus ; ergo non eſt in Dei obſequium , & multo minus melius eſt agere ex voto , quam ſine illo . Minor eaplicatur 1. Corinth. 7. poſtquam Paulus doctrinam de Virginitate tradidit , ſubjunxit v. 35. *Porro hoc ad utilitatem veſtram dico , non ut laqueum vobis injiciam* . His plane fit Paulum ſub indifferentia virginitatem relinquere , ita ut nolit voto ad eam quemquam obligari , & votum laqueum nuncupat ; & meritò , quia votum exponit periculo peccandi .

Sed omnino voluntaria eſt Heteredoxorum interpretatio , & contra textum ; nam Paulus per ſubſequentem adverſativam ſuam eaplicat mentem : *Sed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi* . Aſſerit eos adhortari ad Virginitatem ſervandam , non quaſi quod velit illos illaqueare , & periculo exponere , ſed quia Virginitas eſt res honeſtior quam maxime ad Dei famulatum deſerviens , ſeu, ut Patres docent , reperit Apoſtolus doctrinam ſuperius traditam , quod de Virginitate non præceptum , ſed conſilium tradit ; univerſale præceptum Virginitatis laqueus eſſet, quia bonum propagationis ab intrinſeco deſtrueret , ſecus accidit in voto , quod eſt lex particulatis , quam liberè quis aſſumit ; unde non eſt laqueus , ſicut non eſt ſtrictum conjugii vinculum , quod quis ſponte ſibi imponit , licet aliàs valde rigoroſum ſit onus .

Non omnes virginitatem vovere debent.

DICES . Nec cedit in cultum Dei , nec expedit ultro eligere morale peccandi periculum ; ſed votum continet morale peccandi periculum ; nam in moralibus illud attendendum eſt , quod frequentius accidit ; ſed frequentius accidit , quod vota ab hominibus frangantur ; ergo dicendum eſt , quod in voto morale adſit peccandi periculum .

RESP. minorem propoſitionem eſſe falſiſſimam , nam periculum vel oritur ex ipſa voti honeſtate , vel ex obligationis vinculo , ex primo non oritur ; ſupra enim oſtendimus votum eſſentialiter honeſtum ; honeſtas porro operationis nullum includit periculum ; non ex ſecundo aliàs neque præcepta Dei admittenda forent , cum obligationem adſtruant , & ipſe Deus ſæpenumero offendatur ; quinimmo , ut noſter Waldenſis notat *loco cit.* nulli fides danda eſſet , nulla pacta ineunda, nullus contractus firmandus, quia in omnibus datur periculum , & omnia non rarò violantur ; addit S. Ambroſius *lib. de Viduis prope finem* -- Ergo nemo militet, „ ne aliquando vincatur : nec pedis utatur „ obſequio , qui gradiendi periculum refor„ midat , nec oculi intendat officio , qui „ concupiſcentiæ timet lapſum -- quare ſola generalis mutabilitas , & humanæ naturæ fragilitas periculum non facit ; attendendæ ſunt peculiares ſubjecti conditiones , una cum circumſtantiis voti , ut laudabile , vel imprudens cenſeatur ; ſi enim nobilis Senex , vel Matrona delicata voveat pedeſtre iter menſe Jannarii ad Virginem Lauretanam , votum imprudens erit ; ſi obligatus quotidiano labori quotidianum voveat jejunium , indiſcretus erit . Penſandæ itaque ſunt omnes circumſtantiæ , quo poſito ſi voventi conſtet moraliter poſſe votum ſervare , prudens erit electio ; ſi vero ex inclinatione ſubjecti , vel ex nimia operis arduitate prævidet

Votum ex ſe honeſtum

videat probabilius lapſum, non debet vovere; in votis de rebus, quæ unico actu complentur, nullum fere eſt periculum; in his vero, quæ multiplices involvunt actus, & pro longiori tempore, ibi attentius procedendum eſt; quia difficilius redditur adimpletio. Hinc prudenti conſilio Eccleſia, pro ſuſcipiendis votis Monachalibus prærequirit ætatem ſufficientia diſcretionis, & annum probationis.

Duo hic ſunt advertenda; primum, quod ſola indiſcretio non tollit obligationem voti; ſecundum, quod regula prudentiæ non eſt deſumenda potiſſime a carne, ſed a Deo principaliter: hinc docet Aug. *Pſal.* 75. -- Deficietis, ſi vobis præſumitis; ſi autem „ de illo, cui voveris, vovete, ſecuri reddetis -- *& Pſal.* 131. -- Nemo præſumat viribus ſuis ſe reddere, quod voverit. Qui „ te hortatur, ut voveas, ipſe adjuvat, ut „ reddas -- Quod vero aliqui ſint infideles in voti obſervantia non præjudicat nec voti excellentiæ, nec voventium perfectioni adverſatur; ſicut quod plures a fide receſſerint, nec fidei, nec fidelibus officit: ſicut optimo docet Apoſtolus ad Rom. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?*

197 OBJIC. IV. Quod fit ea neceſſitate, in Dei cultum non cedit, nec eſt quid melius; hinc illud prohibet Apoſtolus 2. Corinth. 9. *Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus*; ſed opus redditum ex voto eſt ea neceſſitate; ergo non cedit in cultum Dei. Utique tanto actus perfectio minuitur, quanto minuitur principium, unde ipſa exoritur; porro libertas radix eſt præcipua, unde perfectio boni operis habetur; cum autem illa tollatur per votum, jam plane fit non eſſe opus in cultum Dei vergens.

Argumentum deſumptum ex libertate, & ſtatu libertatis, qui eſt ſtatus gratiæ, eſt Crambe, quam ſæpe recoquunt Hæretici, ſed caſſo, irritoque labore. Duplex igitur eſt neceſſitas, alia a principio nobis extrinſeco proveniens, alia ab intrinſeco; libertas pariter eſt duplex, alia a coactione, indifferentiæ alia, neceſſitas ab extrinſeco proveniens, & voluntati repugnans minuit actus perfectionem, & totam forte tollit; ſed quæ a principio intrinſeco provenit, ideſt quam ſibi quiſque imponit ex inclinatione Divini amoris, ſummè commendabilis eſt, & actum egregiè perficit, hæc enim ſervum facit juſtitiæ: *Servi facti eſtis juſtitiæ*, ad Rom. 6. v. 8., hac ducti Sancti Martyres graviſſima naturæ contraria ſuſtinebant ſupplicia: hinc Machabæorum 2. cap. 6. v. 30. dicebat Eleazarus: *Duros corporis ſuſtineo dolores, ſecundum animam verò propter timorem Dei libenter hæc patior*; hanc commendat ad Ruſticum Monachum Hieronymus -- Non facias quod vis; comedas, quod „ juberis; veſtiare quod acceperis, operis „ tui penſum perſolvas: ſubjiciaris, cui non „ vis, laſſus ad ſtratum venias; ambulanſque „ dormitea, & needum expleto ſomno, ſurgere compellaris -- Hanc laudat Auguſt. *Epiſt. ad Armentarium, & Paulinam* -- Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple „ factis, ipſe adjuvabit, qui vota tua expetit; felix eſt neceſſitas, quæ in meliora „ compellit -- Hanc æquat Beatis S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 1. -- Sicut non „ poſſe peccare non diminuit libertatem, ita „ etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit libertatem, ut patet in „ Deo, & in Beatis; & talis eſt neceſſitas „ voti ſimilitudinem quandam habens cum „ confirmatione Beatorum -- & Thomas Waldenſis *art.* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. *Doctrina fidei*, habet -- Quæ natura eſt liberior, Angelorum an hominum? non ne Angelorum? Et tamen ſic ligati ſunt munere „ confirmationis altiſſimæ, ut nec ad momentum a facie Summi Principis avertere „ viſum poſſint; Angeli eorum enim in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui „ in cœlis eſt. Huic ergo ligamento confirmationis Angelicæ in Hierarchia cœleſti „ correſpondet Sacramentum voti in Hierarchia terreſtri; & ſicut cœleſtes ſpiritus „ habent ex munere confirmationis Beatitudinis neceſſitatem, & magnum ſuæ libertatis honorem: ita modo ſuo habent homines ea voti emiſſione, & merendi neceſſitatem, & confirmationem quandam „ in bono; & cum hoc augmentum decoris „ cum libero arbitrio; confirmatio ergo voti „ ſecuritatem quandam facit, ideo ipſam „ Pſalmiſta conſulit; quærite Dominum, & „ confirmamini -- Neceſſitas adveniens libertati ea fervore charitatis, nec actum imperficit, nec meritum minuit, ſed auget.

Duplex neceſſitas, & libertas.

Non omnis neceſſitas meritũ minuit.

DICES. Neceſſitas orta ex voto eſt neceſſitas, cui nos ſubdimus; ſed neceſſitas iſta impedit boni operis perfectionem, dicente S. Proſpero *lib.* 2. *de vita contemplativa cap.* 24. -- Sic abſtinere, vel jejunare debemus, „ ut non nos neceſſitati jejunandi ſubdamus, „ ne jam non devoti, ſed inviti rem voluntariam faciamus -- ergo votum imperficit actum bonum.

RESP. Neg. min. Auctoritati S. Proſperi facit ſatis Sanctus Thomas -- Auctoritas illa intelligenda eſt de neceſſitate „ coactionis, quæ involuntarium cauſat.... „ unde ſubdit, ne jam non devoti, ſed inviti rem voluntariam faciamus -- 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 6. *ad* 1., ſed quia nonnulli vim faciunt in verbis *Nos ſubdamus*, quod voluntariam innuunt ſubjectionem; in neceſſitate enim coactionis ſubdimur ab extrinſeco principio, ideo dicendum eſt ſecundum litteram S. Proſperi ſenſa verſari circa voluntaria jejunia extra prudentiæ regulas aſſumpta, quorum obſervantia vergebat in detrimentum fraternæ charitatis: en apertus contextus -- Ceterum ſi propter abſtinentiam „ ſpirituales fratres, quos novi mea remiſſione delectari, contriſto: abſtinentia mea „ non eſt virtus dicenda, ſed vitium, quoniam quidem ipſa abſtinentiæ, & jejuniorum continuatio, niſi fuerit, quando res „ exigit, prætermiſſa, & me inflat, & fratrem meum, cui charitas jubet ſervire, „ contriſtat -- Aſſertio verò noſtra procedit de votis prudenter elicitis; illa enim vincula ſunt, ſed aurea, quia a Divino amore im-

Voluntaria ſubtractio Deo placens.

perata. Apte Auguſt. ad illud Pſalmi 149. v. 8. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*. Petit, cur vincula ferrea, & non aurea pro Principibus? reſpondet -- Ferrea ſunt, „ quandiu timent, amant, & aurea erunt -- Jacob. 3. v. 3., habemus: *Si autem equis fræna in ora mittimus, ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus*. Optimum eſt fræno ſibi obedientes reddere equos, quos etiam decorat: ſic optimum eſt vinculis animam Deo perfecte ſubdere, & ornare. Ad hæc ſancta votorum fræna alluſit Propheta Zacharias: *In die illa erit, quod ſuper frænum equi eſt ſanctum Domino*, cap. 14. v. 20. Gratus Domino efficitur, qui his regitur frænis.

198 OBJIC. V. Cum præceptum obligationem inducat, non eſt melius ex præcepto operari; ſed etiam votum obligat; ergo non eſt melius operari ex voto. Major oſtenditur; Conſilia dicuntur de meliori bono: igitur melius eſt operari ex conſilio, quam ex præcepto; Conſilia pertinent ad ſtatum perfectionis, præcepta ad vitam communem; ſed melior eſt ſtatus perfectionis, quam vita communis.

RESP. Major falſa eſt. I. Melius enim eſt opus factum ex præcepto, quam ex conſilio; melius namque eſt, quod eſt ſimpliciter magis neceſſarium ad finem ſalutis, quam non ſimpliciter neceſſarium; primi generis eſt opus præcepti, ſecundi opus conſilii. II. Melius eſt, quod directe, & per ſe habet honeſtatem moralem, quam quod tantum indirecte; ſed opus præcepti directe, & per ſe habet honeſtatem moralem; hæc namque habetur per ſubjectionem ad legem, opus conſilii ſolum indirecte, & ex ſuppoſitione cadit ſub lege, ut alibi explicatum eſt. III. Melius eſt, quod magis connectitur cum charitate; ſed opus præcepti hujuſmodi eſt; cum charitas eſſentialiter in eſſe, & conſervari, a præceptorum obſervantia dependeat; conſilium autem connectitur ſolum conſecutive. IV. Melius eſt opus bonum conjunctum cum exercitio obedientiæ, quam abſque illo; hac conjunctione caret opus conſilii. Ceterum ſtatus perfectionis ille melior cenſendus eſt, qui tum præceptorum, tum conſiliorum involvit obſervantiam; ſicut melior eſt ſubſtantia cum accidentibus, quam abſque illis; quo etiam modo dicitur conſilium eſſe de meliori bono. Deinde poſſet argumentum retorqueri. Conſilium eſt de meliori bono; ſed votum pertinet ad conſilia; ergo eſt de meliori bono.

Subjectio ad legem perficit actum.

DICES. Non rarò exequimur vota abſque memoria eorum, & ſæpe cum triſtitia; quia pœnitet feciſſe votum; ergo non eſt univerſaliter verum, quod ſit melius operari cum voto, quam abſque illo.

RESP. inſtantiam non urgere: nam licet actu non habeat quis memoriam voti, remanet tamen in virtute perfectio illius primæ intentionis: ita D. Thom. 3. *contra Gentes cap.* 13. v. 8. -- Eſſet adhuc perfectior „ actus, ſi actuali memoria fieret, ſicut & „ adhuc perfectior foret, ſi reflexè ita votum „ adimpleret, quod ſi non feciſſet, adhuc „ faceret, ſub qua reflexione duplicatur uſus
A „ libertatis -- Quod, ſi cum pœnitudine ſtat voluntas adimplendi, adhuc eſt magis meritorium, quia -- Impletio voti eſt actus „ Religionis, quæ eſt potior virtus, quam „ abſtinentia, cujus actus eſt jejunare -- ait D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 6. *ad* 2.

DICES. Non ſtat perfectio virtutis cum peccato; ſed pœnitudo voti eſt peccatum; ergo executio voti cum pœnitudine non ſtat cum perfectione virtutis. Min. patet, quia pœnitere de bono promiſſo malum eſt rationi repugnans.

RESP. in hac pœnitudine duo eſſe conſideranda, videlicet pœnitere de bono
B promiſſo, & pœnitere de actione promiſſiva, hoc eſt, ſe applicuiſſe ad faciendum votum; primum dubio-procul peccatum eſt, nam pœnitentia de malis eſſe debet, ſecus de bonis, & quidem promiſſis, & hujuſmodi pœnitentia ita mutat voluntatem, ut non ſerventur promiſſa. Nec ſecundum perfectionem ſapit; verùm attendendæ ſunt circumſtantiæ an tales ſint, ut in bonam partem trahant pœnitudinem; ceterum negari nequit quod pœnitere ſe ſubjiciſſe voto non ſit contra perfectionem; quia tamen votum de non præceptis non eſt ad ſalutem neceſſarium, ideo ſicut non velle vovere licitum eſſe poteſt, ita velle non voviſſe, ſeu
C ſe non ligaſſe voto, licitum evadere poteſt; non poteſt tamen excuſari ab aliquo peccato, & quandoque a mortali, quia hæc pœnitudo infirmat voluntatem, affectum ad rem promiſſam attenuat, efficaciam enervat applicativam mediorum pro voti adimpletione; ea propter exponitur periculo non obſervandi votum: negligenter aſſumuntur prærequiſita, & ſtudioſe ea exquiruntur, quæ impediunt, ejuſdemque obſervantiam retardant: periculum hocce majus eſt, quando votum eſt de ſtatu diuturno, & de rebus habentibus plures actus; quia fervore deficien-
D te, parvipenduntur, quæ ad executionem deſerviunt. Cadit arbor ex toto, cui paulatim radices exſiccantur; qui ergo votum vovit Deo, acediam procul pellat, & deoſculetur vincula; quibus ſe in obſequium Domini conſtrinxit; chara enim ſunt, & pretioſa; unde Hieronymus *Epiſt.* 127. *ad Fabiolam*, ait -- Quique his fuerit colligatus, „ dicet: ſiniſtra ejus ſub capite meo, & „ dextera ejus complectetur me -- Si amplexus Sponſi ſunt, ipſi ergo placent, eique in honorem cedunt: deſinant igitur Heterodoxi ſubſanare vota Catholicorum tan-
E quam Deo non placentia, ad ejuſque cultum maxime pertinentia: ſed quid mirum quod vincula irrideant voluntaria, qui ſuavia Domini ſolvunt præcepta, & ut depravatæ libertati ſubſerviant, omni iniquitati indulgent?

De voto quoad pœnitentia mala.

CON-

CONTROVERSIA VIII.

AN DE REBUS PRÆCEPTIS POSSIT DARI VOTUM : UBI DE VOTO BAPTIZATORUM.

LUtherus *lib. de votis Monaſticis*, Calvinus *lib. 4. Inſtitutionum cap. 13. §. 6* docent votum ad colendum Deum eſſe non poſſe niſi de rebus præceptis, & quia in Baptiſmo Dei legem ſervare promittimus, ideo votum commune, & primarium eſſe dicunt illam promiſſionem, quæ vota omnia lavacrum regenerationis ſubſequentia irrita facit ; unde ad elucidandam veritatem duo ſunt exquirenda : videlicet an de rebus præceptis vota fieri poſſint, & an illa promiſſio facta in ſpirituali regeneratione ſit votum. Gerſon. *part. 2. Alphabeti 25. littera T., & part. 3. Alphabeti 67. littera S.* tenet actus præceptos non eſſe materiam voti, adeoque novam non addere obligationem ; unde infert Sacerdotem, & Religioſum accedentem ad mulierem non peccare, niſi contra caſtitatem peccato fornicationis, quem alii quidam ſequuntur addentes fieri injuriam legi Divinæ, & humanæ, quaſi quod ex ſe non ſint ſufficientes abſque nova promiſſione ; ea proportionali ratione, qua Novatores dicunt injuriam Deo fieri per additionem votorum, perfectionis conſequendæ cauſâ, & in hanc ſententiam trahunt Angelicum Doctorem.

Dicendum tamen eſt I. De rebus præceptis poſſunt fieri vota propriè dicta laudabiliter. Hæc concluſio eſt catholica, cujus oppoſita a Doctoribus dicitur valde erronea.

Eadem ratio voti, ac juramenti.

199 PROB. I. Quoad rationem vinculi in idem redit votum, & juramentum ; ſed abſque legis Divinæ injuriâ laudabiliter jurantur, quæ cadunt ſub præcepto ; ergo abſque injuria laudabiliter voventur, quæ ſunt aliunde præcepta. Min. oſtenditur *lib. 1. Eſdræ cap. 10. v. 5.*, ubi adhortante Eſdra, Iſrael juravit obſervaturum legem Dei — „ Adjuravit Principes Sacerdotum, & Levitarum, & omnem Iſrael. ut facerent ſecundum verbum hoc, & juraverunt — Verbum autem illud erat de reditu ad obſervantiam fœderis cum Domino initi, & de dimittendis uxoribus alienigenis. David Pſal. 118. v. 106. *juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ* ; quæ ex præcepto aliunde tenebatur obſervare, quem uſum approbat, & ſequitur Eccleſia ; hinc *cap. ego N. de jurejurando* formula ſervanda ab Epiſcopis in juranda obedientia, & ſubjectione Romanæ Eccleſiæ, cui tenentur ſubeſſe tanquam membra, refertur ; & *cap. Significaſti de electione*. Epiſcopo Panormitano tranſmittitur Pallium ſub conditione jurandi Papæ obedientiam. *Cap. Quamquam diſt. 23.* præcipitur promovendis ad Eccleſiaſticos Ordines, ut jurent Catholicam ſervaturos fidem, Canonicaſque Sanctiones, quibus aliàs adſtringebantur. Pius IV. In Bulla, in qua præſcribitur forma profeſſionis fidei, jubet ut in fine ponatur juramentum — Ego idem ſpondeo, voveo, „ juro — & tamen ibi plura ſunt, quæ ſub præcepto cadunt ; ſi ergo juramenti ſanctitas abſque injuria, & laudabiliter rebus præceptis additur, cur ſanctitas votorum addi non poterit ?

200 PROB. II. Si crimen commiſſum contra legem induat novam ſpecie malitiam in eo, qui vovit legem obſervare, votum tenet : hoc enim principio utitur adverſa opinio, quæ non agnoſcit novam malitiam, quia votum non tenere propugnat, atqui novam ſuperinducit malitiam ; ergo. Min. prob. pluribus Canonum Sanctionibus. Malitia ſacrilegii ſpecie differt a ſimplici fornicatione ; ſed hæc ſuperinducitur ab eo qui voto ligatus peccat ; unde 27. *q.* 1. *cap. Impudicas*. Lapſus carnis Monachorum dicitur ſacrilega contagio. *Cap. Virginibus ſacris ; & cap. Si quis ſacro* dicuntur conjugia Monacharum inceſta fœdera, & ſacrilega ; *cap. Meliore propoſito* dicitur lapſus a caſtitate ſanctiori, quæ vovetur Deo, adulteris eſſe pejores, *cap. Sciendum*. Sacrarum fœminarum violatores, ſacrilegi agnoſcuntur, ſiquidem, ut ibidem notatur, Scripturis comprobantur eſſe templa Deo ſacra. *Cap. Virgines* dicuntur pactum perdere Virginitatis ; ſi autem votum nullum eſſet, pactum non frangerent. *Cap. Viduæ* admonentur nubere, ſi non continent, priuſquam continentiam voveant ; quia poſtmodum ſui juris non ſunt : quod iterum *cap. Viduæ* præſcribitur ; ſi verò votum non teneret, poſſent adhuc poſt illud nubere ; hinc S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 10. Religioſum, quando votum violat caſtitatis, vel paupertatis, duplici reum crimine novit — Puta, ſi Religioſus fornicetur, vel „ furetur, quia fornicando facit contra votum continentiæ, & furando facit contra „ votum paupertatis, & non ſolum contra „ præceptum Divinæ legis — Si ergo ratione voti duplicatur malitia, jam palam fit votum valere, atque laudabiliter exerceri ; nam ſi, dum violatur, novum conſurgit crimen, geminabit bonitatem in adimpletione ; ſed valde laudabile eſt exercere opus duplici honeſtate condecoratum ; ergo.

Violatio voti novam addit malitiam peccato.

201 PROB. III. Honeſtum, multumque commendabile eſt in exequendis Dominicis præceptis mediis uti ad virtutis ſtudium excitantibus, plurimumque Divinorum mandatorum obſervantiam cuſtodientibus ; ſed addere votum rebus præceptis ſtudium virtutis promovet, quia votum includit promiſſionem, & promiſſio boni ad bonum extimulat, atque in eo magis voluntatem firmat, eamque magis immobilem reddit : immo hominibus magis curæ ſunt, & ſollicitius adimplent, quæ particulari onere ſibi imponunt, quam quæ communi vinculo adjunguntur. Quam rationem tangit Can. *Quamquam Diſt.* 23. — Solet enim plus timeri quod ſingulariter pollicetur, quam „ quod generali ſponſione concluditur — ergo.

Votum virtutem promovet.

202 PROB. IV. Non implicat, immo laudabiliter uſu venit, uno debitum titulo per alium titulum adſtringi ; ſed voti obligatio eſt novus titulus ; ergo non implicat eo reddi obligatam rem aliunde ex præcepto

Idem pluribus obligari poteſt.

debitam. Maj. prob. I. Ligatus per unam excommunicationem, qua impeditur, & privatur communione fidelium, puta ob percuſſionem Clerici, poteſt iterum aliâ, & aliâ ob aliam cauſam ligari, ut v. g. ob clauſuræ violationem, & poteſt ab una abſolvi; quin abſolvatur ab alia, ſicut patet *cap. Cum pro cauſa* de ſententia excommunicationis. II. Obligatus ad recitandas horas Canonicas titulo beneficii adſtringi iterum poteſt per Ordinis Sacri ſuſceptionem, & quidem diviſibiliter; etenim unus titulus ſtat ſine alio; & unus addit obligationem ab alio diſcretam; obligatus namque ob beneficium partem fructus, ſi officium omittat, reddere tenetur. III. Privatio gratiæ debita peccatori propter homicidii crimen fit iterum debita per peccatum blaſpemiæ, & efficitur duplicis ſpeciei moraliter. IV. Chriſtus debitor Patri titulo gratitudinis, & obedientiæ ſuperaddit titulum juſtitiæ: Maritus ante conjugium obligatus ad non accedendum ad alienam, per conjugium iterum ligatur; ergo.

203 PROB. V. auctoritate, & ratione D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. — Sed „ quia votum promiſſionem voluntariam importat, neceſſitas autem voluntatem excludit; id quod eſt abſolute neceſſarium eſſe, vel non eſſe, nullo modo ſub voto cadit: ſtultum enim eſſet, ſi quis voveret ſe eſſe moriturum, vel ſe non eſſe volaturum. Illud vero, quod non habet abſolutam neceſſitatem; ſed neceſſitatem finis, puta, quia ſine eo non poteſt eſſe ſalus, cadit quidem ſub voto, in quantum voluntarie fit, non autem in quantum eſt neceſſitatis — Executio, quia libera eſt, poteſt fieri hoc, vel illo modo: ſicut quia jejunium quadrageſimale mihi liberum eſt quoad intentionem, poſſum illud altiori exequi motivo ad magis merendum, puta, ut placeam Deo, qua ſumme bono, adeoque motivo charitatis; ut ſatisfaciam pro peccatis, adeoque motivo pœnitentiæ; ut gratias agam Deo pro Redemptionis beneficio, adeoque motivo gratitudinis. Quis igitur prohibet, quod utar motivo Religionis, quod in voto includitur? quid nobis magis neceſſarium, quam flagella, & tribulationes pati, quas nobis Deus immittit, & quæ nullo ſtudio evitare poſſumus? & tamen quia ea poſſumus libere acceptare, atque lubenti animo ſuſtinere, nobis utilia ad ſalutem, meritoria, & ſatisfactoria evadunt, ut docet S. Thom. *quæſt.* 15. *Supplementi art.* 2. — Unde ſi flagella, quæ pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquomodo ipſius „ patientis, rationem ſatisfactionis accipiunt; fiunt autem ipſius in quantum „ ea acceptat ad purgationem peccatorum „ cis utens patienter — ideo ad Rom. 5. v. 3. dicitur: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, ideſt a peccato purgationem*, ait Gloſa. 2. Reg. 16. v. 11. David dicebat de Semei: *Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus aſſlictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna*. Concil. Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 9.

Quodnam neceſſarium cadere poteſt ſub voto.

A — Sed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis a Deo „ inflictis, & a nobis patienter toleratis „ apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum „ ſatisfacere valemus—Si ergo, quia e re noſtra eſt flagella inevitabilia patienter ſufferre, ea facimus Religioſa, quare non poterimus opera nobis præcepta, libera quoad uſum, per votum ad virtutem Religionis elevare? & ſicut flagella patienter ſuſtinere virtutis exercitium, quod non eſt in ipſa præciſa tolerantia, ſuperaddit, ita jejunare, præcepto votum addendo, ſuperinduit virtutis exercitium, quod non eſt in ipſa jejunii adimpletione.

B 204 DICENDUM II. Promiſſio, quæ fit in Baptiſmo, non eſt propriè votum, prout ſcilicet votum liberam dicit promiſſionem, novam obligationem, novumque ſpontaneum vinculum inducentem, cujus fractio ſit peccatum, quod non eſſet aliâs hujus generis; large enim, & improprie ſumi poteſt, nempe ut dicit acceptationem legis ſibi impoſitæ, & voluntatem aſſumendi ſtatum, quem antea non habebat; verum ſecundum hanc intelligentiam non inſtituitur quæſtio.

PROB. ergo I. Votum in proprietate illud eſt, quod dicit promiſſionem, quam quis, ſi voluntarie nolit facere, non peccat, C juxta illud Deut. 23. v. 21. *Si votum voveris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris*; ſed omiſſio promiſſionis, quæ eſt in Baptiſmo, non eſt abſque noxa, cum ex Divina lege ſuſceptio Baptiſmi ſit de neceſſitate ſalutis. Joan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*.

Ad vovendum nemo tenetur.

205 PROB. II. Votum proprie dictum, ab homine ſub pupillari ætate elicitum non obligat, niſi ratum a parentibus D habeatur, juxta illud Num. 30. v. 4. *Si mulier in domo Patris ſui, & adhuc in puellari ætate aliquid voverit, non teneatur voti rea, niſi Pater ejus conſenſerit*, e contra ſi parentes quidquam filiorum nomine v. g. cœlibatum voverint, niſi filius in adulta ætate ſponte ratificet, votum non urget; atqui promiſſio facta in Baptiſmo ſubſiſtit, etſi filius inviris baptizetur parentibus; & baptizatus a parentibus in infantia non poteſt adultus Divinæ legis onus rejicere; ergo promiſſio illa non eſt in proprietate votum. Minor in aperto eſt: dicitur enim Matth. 28. v. 19. *Baptizantes eos &c. Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*, cap. 19. E de adoleſcentulo legitur v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, & cap. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum*; *ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum Cœlorum*, & alibi ſæpe; unde Concilium Trident. *Can.* 7. *Seſſ.* 7. habet — „ Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum „ ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, „ non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ, „ anathema ſit — & de hac obligatione baptizatos frequenter a Parentibus, & Concionato-

Votum liberè eliciendum.

natoribus admonendos tradunt Patres, Concilium Pariſienſe VI., S. Carolus Borromeus *in Inſtructionibus Concionatoris*, & *Catechiſmus Concil. Trident. 1. p. in expoſitione ſecundi articuli Symboli n. 12.*

206 PROB. III. Illa promiſſio vel implicite votum eſt, vel explicite; neutrum dici poteſt: non explicite, quia æque eà ligantur, qui baptizantur abſque ſolemnitate ceremoniarum, ac qui cum ea; atqui in primo caſu nullus occurrit ritus, quo exprimatur votum illud; cum ſimplex forma Baptiſmi proferatur; ergo explicite illud non elicitur votum; neque in caſu quo exerceantur omnes ceremoniæ, ulla eſt, per quam explicite votum indicetur. Tria ſunt verba, quæ profert Baptizandus, vel Patrinus nomine ipſius, *Volo*, *Credo*, *Abrenuncio*. Nullum porro ex his habet vim voti, ut patet, *Volo* intentionem denotat regenerationis, *Credo* fidem explicat, qua fidei aſſentitur articulis, *Abrenuncio* animum, ſeu volitionem dicit, qua Mundi pompas, & Diaboli rejicit mancipatum, quod fit abſque ulla promiſſione, & voto; in cujus ſignum, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, per contritionem carni abrenunciant, & mundo, & tamen non vovent. Non implicite; ſi enim foret implicite, ideo eſſet, quia novus eligitur vitæ Chriſtianæ ſtatus, ſicut implicite vovet, qui Sacros ſuſcipit Ordines; ſed hoc non; quia Chriſtiana Religio eſt neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, & ex inſtitutione Dei; adeoque conſtitui debet per leges a Deo inſtitutas, & non per leges voluntarias, nobiſque liberas.

Nullum votum in baptiſmo.

SOLVUNTUR UTRIUSQUE PARTIS ARGUMENTA.

207 OBJIC. I. adverſus primam partem. Votum additum rei præceptæ injuriam facit legi, & Legiſlatori; ſed hoc dici non poteſt; ergo dicendum eſt de re præcepta non dari votum. Major prob. Addendo obligationem declaratur, quod lex ex ſe ſit inſufficiens ad obligandum; & quod Legiſlator non habeat auctoritatem ſufficientem ad ligandum, quod abſque injuria dici nequit.

RESP. Neg. maj., cujus probatio diſtinguenda eſt, ſi de inſufficientia in omni linea ſermo habeatur, major eſt vera; ſi loquatur de inſufficientia abſolute, falſa eſt; error namque eſt aſſerere, quod præceptum non ſufficiat ad obligandum circa propriam materiam, ſibique debitam honeſtatem; quia tamen eadem res multiplicem habere poteſt honeſtatem, atque moraliter ad plures ſpectare virtutes, hinc fit, quod res aliàs præcepto exequenda per novum vinculum aliam ſortiri poteſt honeſtatem; quæ duplex dici valet, objectiva una, quatenus alterius affert bonitatem virtutis, altera velut ſubjectiva, quatenus voluntas magis in bono firmatur; utramque honeſtatem habet votum de re ſive præcepta, ſive non.

Lex, quam vim obligandi habet.

DICES. Jure civili *ff. ſed ſi rem*, & *ff. ex contrario*, *Inſtit. de legatis*. Nemo promittit uni, quod illi debet; ſed res præcepta debita eſt; ergo nemo illam voto promittit.

RESP. Major admitti poteſt, quando promiſſio ejuſdem eſt qualitatis, ſecus autem quando diverſæ; unde & ipſi Juriſtæ non renuunt vincula addere vinculis; cum promiſſiones contractuum ſæpe exigant juramento firmari, etiam ſi jure naturæ teneant, & in utroque foro obligent, ex quo concluſionis roboratur veritas.

208 OBJIC. II. Eadem eſt ratio de vinculo præcepti, & de vinculo voti; ſed rem voto promiſſam non poſſumus alio voto promittere; alias poſſent addi vincula in infinitum; ergo neque rem, ad quam ligamur præcepto, promittere poſſumus.

RESP. minorem poſſe ſumi dupliciter: ſi rem ſemel voto oblatam quis iterum voveat animo præciſe idem renovandi votum, & firmandi voluntatem in eodem, tunc non eſt dubium, quod non inducit novum onus, ſi vero iterum vovendo intendat novam obligationem ſibi imponere, etſi vota ſint ejuſdem rationis, non eſt inconveniens, quod vota multiplicari poſſint ad libitum; cum enim hoc lex ſit particularis ſecundum intentionem voventis obligans, non abſonum eſt, quod velit quis ſe pluribus ligari obligationibus. Deinde neganda eſt major; quia votum, & præceptum ſunt diverſæ rationis vincula, & ad diverſas virtutes pertinent, adeoque multiplicant obligationes; hinc eadem res Petro promiſſa ſub juramento, & Deo per votum ſub duplici jure cadit, cujus violatio eſt duplex peccatum, etiam ſi juramentum, & votum pertineant ad Religionem; quia ſub eadem virtute contineri poſſunt diverſarum ſpecierum honeſtates, & ſub Religione ſunt Oratio, Sacrificium, Votum, Juramentum, & ſimiles; hinc fit quod omiſſio Sacri die feſto, Deo voto oblati ſit duplex peccatum in confeſſione aperiendum, etiam ſi auditio Sacri ſit actus Religionis: votum autem ejuſdem materiæ additum alteri voto ſimili ejuſdem qualitatis eſt, neque novam vim addit, ſed priorem repetit, & in aperto eſt, quia actus unius ſpeciei totam naturam ſpeciei exhaurit; unde ſi alius ejuſdem ſpeciei actus addatur, nihil novi addit de ſpecie, ſed ſpeciem eandem numero multiplicat, ita vinculum unius ſpeciei totam vim poſſibilem obligativam illius ſpeciei imbibit, ea propter ſi aliud ſimile addatur, nova non inducitur obligatio, ſed prior repetitur; dixi ſimile votum, ut ad eam non deveniam quæſtionem, qua quæritur, an qui voto ſimplici, deinde Eccleſiaſtico in ſuſcipiendo Sacerdotio, denique Religionem profitendo, caſtitatem Deo conſacrat, triplici jure ſit ligatus; ita quod violatio ſit triplex peccatum; cum tria hæc vota ſpecie differre videantur, & hoc plerique ſuſtineant.

De eadem re an duplex votum.

209 OBJIC. III. Si ſubſiſteret votum de re præcepta, violatio foret duplicis malitiæ; ſed non eſt; quia Presbyteri, qui vovent caſtitatem, ſi frangant, dicuntur ſimplices fornicarii. *Cap. Quia cum de Bigamis*, & *cap. Presbyter diſt. 25.* hinc plerique Juriſtarum lapſum Clerici cum ſoluta fore ſimplicis fornicationis propugnant.

RESP.

RESP. Neg. min., cujus oppoſitum pluribus ſuperius oſtendimus: Canon ergo ſopponit ſpeciem ſacrilegii ratione voti, & vim facit in fotoicatione in ordine ad alios effectus, & reſpectus. *Cap. Presbyter* attendit præciſè crimen ea parte complicis, ſi ſit perſona ſoluta, an ligata conjugio in ordine ad effectum pœnitentiæ ſubeundum, qua etiam ratione *Cap. Autem* attendit lapſum, in ordine ad judicandum bigamiam, & capacitatem diſpenſationis ad executionem muneris Sacerdotalis. Juriſtæ autem negantes fore ſacrilegium falsò innituntur fundamento; putant enim quod continentia Sacerdotalis, non ea voto, ſed ex ſolo præcepto Eccleſiaſtico proveniat, adeoque novam non inducere obligationem; nos autem loquimur de voto rebus præceptis addito, & tunc dubio-procul violator eſt ſacrilegus; unde adoleſcens, qui vovit caſtitatem uſque ad nuptias, ſi labatur, duplicis criminis reus efficitur.

Continentia Sacerdotalis ex voto.

DICES. Æque potens eſt voluntas communis Legiſlatoris ad obligandum, ac voluntas privati hominis; ſed lex Principis addita materiæ præceptæ jure naturali novam non addit obligationem, ut patet in furto, & homicidio; ergo neque lex privata voti.

RESP. non ſolum eſſe æque potentem, ſed potentiorem voluntatem communis Legiſlatoris, cum reſpiciat bonum commune, quod eſt majus, & Divinius; ſed defectus non oritur ex minoritate potentiæ, ſed aliunde, videlicet ex eo quod ſupponitur legem humanam furtum, & homicidium ſub motivo ejuſdem ſpecificæ honeſtatis, ſub quo præcipit lex naturalis, prohibere; votum verò ſub diverſo motivo: ceterum ſi etiam lex humana procedat ſub motivo diverſæ honeſtatis, utique diverſam inducit obligationem; lex naturalis titulo juſtitiæ prohibet furtum indifferenter, ſive loci ſacri, ſive profani; lex autem humana id prohibet in loco ſacro, titulo Religionis, & duplicatur vis, & malitia.

Quid rerum ſpecies multiplicat.

210 OBJIC. IV. Votum ex natura ſuæ definitionis eſt opus ſulius ſupererogationis, & de meliori bono; ſed res præcepta, nec eſt opus ſupererogationis, nec de meliori bono; ergo non cadit ſub voto. Indubium eſt, quod materia voti eſſe debet conſona Divinæ voluntati, quæ eſt ſanctificatio noſtra, & quæ vult, ut qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc; unde quantum eſt ex ſe, cupit, ut faciat homo ſemper melius, ac proinde non placet ei, nec acceptat, quod ita ſe ad minus bonum determinet, & obliget, ut ſe reddat inhabilem ad melius bonum agendum; in quo diſcriminatur ab homine, qui ſuum reſpicit commodum, & non ad majorem promittentis profectum, ideoque licet plus exoptet, tamen in promiſſionibus ſpontaneis bonum, quod illi offertur, ſive magnum, ſive modicum acceptat: quare votum de minori bono non tenet; cum moralem auferat poteſtatem exequendi melius.

RESP. neg. minorem, ſiquidem res præcepta ſub novo titulo, & nova honeſtate Deo oblata inducit operis ſupererogatorii rationem: non enim omnis modus præcipitur. Ulterius res præcepta eſt melius bonum, quia eſt ceteris præferenda, & illud melius dici poteſt, quod aliis præferri debet. Porro axioma illud: *Votum eſt de meliori bono*: non intelligitur contrapoſitive ad præcepta, ſed ad ſuum oppoſitum; ideſt, illud eſt melius bonum, quod eſt melius ſuo oppoſito; ex quo ſequitur, quod materia voti eſſe non debet abſolute opus melius: ad cujus intelligentiam pro praxi. Actus bonus comparari poteſt dupliciter reſpective ad oppoſitum, poſitive, & negative, poſitive intelligitur, quando unus actus bonitatis inferioris comparatur cum actu bonitatis ſuperioris, puta, ſilentium cum oratione; negative, quando actus bonus cum carentia ſui comparatur, puta ludus honeſtus cum ſui carentia. Rurſus in comparatione poſitiva intereſſe poteſt impedimentum actuale, & habituale, tunc actuale datur impedimentum, quando ex ſuppoſitione, quod unum exerceo, aliud non poſſum exercere, ut ex ſuppoſitione quod ſtudeo, nequeo habere concionem, ſed tamen ſi ſtudium omittere volo, non pecco, & poſſum habere concionem: habituale impedimentum tunc adeſſe cenſetur, quando ita ſum determinatus ad hoc, ex quo moralem, hoc eſt, licitam non habeo potentiam ad aliud exercendum: quod evenire contingit in electione ſtatus, ut cum quis elegit honeſtatem conjugii, impeditur, habitualiter ad eligendum Religionis ſtatum.

Quæ nam materia voti.

Nunc ſic: quando eſt actus bonus comparatus ad alium actum meliorem incompoſſibilem ſolum actualiter, tunc poteſt eſſe materia voti cum libertate eligendi meliorem, ſed ex ſuppoſitione, quod nolit quis illum eligere, ad primum tenetur, puta, vovet ſeptimâ, & octavâ horâ ſingulis diebus ſtudere, obligat votum, ita quod ſi opus melius occurrens nolit aſſumere, ſtudiis incumbere debet, & non poteſt ambulare, vel fabulari, nihilominus e re ſua eſt abſque crimine ſtudium omittere, ut faciat orationem, quæ melius ſupponitur opus. Quod urgeat votum, palam fit, ex quo materia eſt actus bonus, & melior efficitur, ſi per additionem honeſtatis Religionis fiat; nec impedit majus bonum, quia illud poſſum eligere, ſi autem comparatio habeatur cum carentia actus, quæ eſt melior, quam ejus oppoſitum, quod accidit in materia Eutrapeliæ, & in his, quæ ad commodum ſpectant naturæ, tunc actus eſſe nequit materia voti, quia abſolute majus impedit bonum, nec relinquit libertatem ad extremum melius: hinc licet honeſtus ludus actua ſit bonus, ſicut & honeſta confabulatio, calefactio, deambulatio tamen votum de hiſce rebus nequaquam vim habet obligandi, quare votum de ludendo nullum eſt, quia ejuſdem carentia, quæ eſt oppoſitum extremum, melius eſt bonum: poſſunt tamen prædicta ſolummodo cadere ſub voto conditionaliter, hoc eſt, voveri poteſt (& tenet votum) de non committendo ullo peccato ex ſuppoſitione, quod eligo honeſte fabulari, honeſte recreari. Quando verò impedimentum eſt habitualiter incompoſſibile, tunc actus etſi bonus non

cadit

Digitized by Google

cadit ſub voto abſolote loquendo, nec tenet votum, quia iuhabilitat ad melius; & immobilitat ad carentiam tranſeundi ad illud, quod ſolet accidere in electione ſtatus conjugalis, qui omnino tollit libertatem amplectendi ſtatum perſectionis, ſive Religioſæ, ſive continentiæ; quod intelligitur etiam de matrimonio rato, quod, licet permittat tranſitum ad Religioſum ſtatum; tamen ſicut illud matrimonium eſt contra finem intrinſecum conjugii, ita non eſt materia voti, maxime cum ſit periculoſum valde, & quandoque alteri parti injurioſum; quod a fortiori dicendum eſt de matrimonio rato utriuſque conſenſu, conjungendo cum ſociali cohabitatione: eſt enim valde periculoſum: dixi abſolute loquendo, quia in aliqua ſuppoſitione cadere ſolet, & poteſt ſub voto, & hoc in triplici caſu; & primo, quoties matrimonium cadit ſub præcepto, puta ob publicæ pacis, vel ſalutis Regni neceſſitatem, ad legitimandus filios in morte, ad evitandum alterins damnum; tunc enim voveri poteſt conjugium; caſus alter eſt concupiſcentiæ remedium; cum ſcilicet ad ſedandam, ſeu vincendam concupiſcentiam nulla ſuppetit via, ita ut moraliter impoſſibile, vel non ſine graviſſima difficultate novit quis tum de præſenti, tum de futuro abſtinere poſſe; tunc enim huic nubere eſt de meliori bono, verificatur enim illud Pauli: *Melius eſt nubere, quam uri*, quod intelligitur ſi præſupponantur appoſita media orationis, mortificationis, & ſimilium; quod omnino neceſſarium eſt; matrimonium ſiquidem ſimpliciter perfectionis ſtatum impedit, & concupiſcentia aſſiduo virtutum ſtudio refrænari poteſt; tertius caſus eſt, quando quis vovit ducere pauperem periclitantem, aut mulierem perditam, ut eam a periculo liberet, quod intelligitur, caſu quo nolit cœlibatum ſervare; ſi enim velit illum conſervare, non tenetur ad votum, quia retinet libertatem tranſeundi ad ſtatum meliorem: igitur etiam quando abſolute quis vovet hanc periclitantem ducere mulierem, & ſi votum ſimpliciter non liget ad nubendum; ligat tamen ad hanc, ſi velit nubere; ergo licet non obliget abſolute ad nubendum, obligat tamen ad hanc circumſtantiam pietatis; ſicut qui aliquid vovet poſſibili, & impoſſibili, licito, & illicito mixtum, licet non teneatur ad impoſſibile, ad illicitum, & inutile, tenetur tamen ad poſſibile, ad licitum, & utile juxta regulam juris *Utile per inutile non vitiatur*: utique ſi voveret conditionate, ſi nubam, ducam hanc Virginem, eam deberet ducere; ergo etiam ſi voveat abſolute, quia illa conditio implicatur, & ſubintelligitur in forma abſoluta; hinc habes valere votum de ſuſcipienda laxiori Religione; quia eſt ſtatus conjugio melior, & ad perfectionem aſcendere poteſt; ſed de his nobis ſatis.

211 OBJIC. V. contra ſecundam concluſionem, D. Auguſt. *in Pſal.* 75. habet — Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes communiter — & enumerat, quæ ſunt vovenda: credere, ſperare, Deumque diligere, non furtum facere, neque adulterium, & alia hujuſmodi; hinc Eccleſia baptizatos cogit ea ſervare, quæ in regenerationis lavacro promiſerunt, ſecus infideles, qui tamen naturali tenentur lege ad non furandum, & de facto baptizati legem naturalem violando gravius peccant, quam Ethnici, ut docet Angelicus Doctor 4. *Sent. diſt.* 38. *quæſt.* 1. *ad* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1.; ergo compertum ſit promiſſionem in baptiſmo factam habere rationem voti, quo nomine eam nuncupat eo loci laudatus Thomas.

RESP. cum Angelico Doctore loco in objectione citato dupliciter accipi votum proprie, & ſimpliciter, improprie, & ſecundum quid, proprium eſt lex illa, quam ſibi quiſque de his imponit, ad quæ vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum modum non tenetur, & hoc vocat ſingulare; improprie eſt implicita, vel explicita acceptatio obligationis, quam Deus imponit vel per ſe, vel per humanam poteſtatem, & hoc vocat commune, quod illis explicat verbis — Quotum „ eſt neceſſitas conditionata, non abſoluta — ideſt, quia non abſolute illud promittimus, ſed acceptamus conditione poſita quod nobis injungitur ut neceſſarium ad ſalutem, unde diviſionem voti in commune, & ſingulare analogam eſſe docet: ſicut diviſio entis in ſubſtantiam, & accidens, quo ſenſu loquitur laudato loco Auguſtinus, qui ibidem agnoſcit votum proprie dictum, & ſingulare fuſe pluribus exemplis, quæ ſuperius dedimus. Cogit Eccleſia baptizatos legem obſervare, quia per Baptiſmum ſubditi facti ſunt, & filii, ſecus infideles; peccant itidem gravius, quam Ethnici, quia ſpeciali dilectione fuere a Deo donati; novam quidem aliquam deformitatem contrahunt, ſed non novam peccati ſpeciem, quod apte explicat S. Doctor *ibidem ad* 3., *ſicut ad* 4. exponit, quomodo pueri teneantur ſtare promiſſis per Patrinum factis: ex his habes perperam trahi S. Thomam in eorum partem, qui dicunt de rebus præceptis non dari votum proprie dictum, cum hic S. Doctor de ſimplici acceptatione legis injunctæ, non autem de additione honeſtatis alterius ſpeciei, per alium titulum abſolutum, & liberum ſermonem habeat.

Votum aliud proprie, aliud improprie tale.

CONTROVERSIA IX.

AN VOTUM OBLIGET IN CONSCIENTIA CORAM DEO.

212 UNiverſus Heterodoxorum conatus contra votorum ſanctitatem eo tendit, ut eorum vinculum frangant, & pretioſa potiſſimum Religioſi ſtatus ligamina rumpant, ſpecioſo libertatis titulo, quo incauti decipiuntur, & in obſequium Dæmonis pertrahuntur; ex primis, qui docuerunt vota non tenere enumerantur Lamperiani, qui apud Damaſcenum *lib. de hæreſ.*, & apud Prateolum verbo *Lamperiani* dicebant poſſe Religioſos facere, quidquid vellent: idem pro-

propugnarunt Fratricelli, clauſtralis inſtituti hoſtes acerrimi, apud Turrecrematam *lib.* 4. *Summa Eccleſiæ punct.* 2. *cap.* 37. Hos ſecutus eſt Joannes Wiclephus apud Waldenſem *tom.* 3. *cap.* 75., ſed Lutherus habenas omnino laxavit *libro de Votis Monaſticis* -- Vota Monaſtica ſunt impia, gentilia, judaica, ſacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, hypocratica, apoſtatica, etiam Sanctorum exemplis adverſantia; quare cum fiducia revocanda, & deſerenda ſunt, etiam ſi pia, & ſeria opinione emiſſa fuerint -- & in eodem libro -- Cupio eradicata, extincta, & abolita eſſe omnia Monaſteria, quæ utinam Dominus igne, & ſulphure cœleſti ad exemplum Sodomæ, & Gomorrhæ demergat, adeo ut ne memoria quidem illorum ſuperſit; neque enim ſatis fuerit illis anathema imprecari -- Nec meliora proferunt alii Novatores, qui nedum doctrinâ, ſed exemplo ſacra vota diſſolvendo, ſequaces ſibi plurimos fecerunt. Andreas Carolſtadius primus ſolemni ritu nuptiali, videlicet, Miſsâ profano ſpiritu compoſitâ, Eccleſiaſticum cœlibatus votum perfregit, viam ſternens Sacerdotalibus nuptiis, incredibili omnium Apoſtaticorum Clericorum gaudio, plurimoſque habuit Sectatores, quorum unus cum laudans ait -- In multis quidem illum ante hac lumen ingenii ſui oſtendiſſe, ſed nihil præclarius ad æternam nominis gloriam ab eo factum, quam quod primus ex eo Ordine publica ſolemnitate conjugem ducere auſus fuerit -- Martinus Lutherus primus inter Monachos ſolemnia vincula calcans, Deo ſacratam Virginem, duxit Catharinam Borè Monaſterii Nimicenſis Sanctimonialem, & claſſicum cupidinis cecinit -- Tunc, ait Florimundus *inſtit. hær. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 3., ſcalæ Monaſteriorum muris ſunt admotæ, tunc eorundem fundamenta fuere ſubruta; complures Monachi juvenes ſaltu Monaſteriorum ſepta tranſilientes, ſummo fervore fœminas perſequebantur, præſertim eas, quæ eodem Lutheri claſſico excitatæ, abjecto velo, in eadem caſtra transfugerant, ſolis Vetulis, quaſi pro habitationis pretio relictis -- Equidem nihil magis Diabolo cordi eſt, quam Apoſtatis ſuadere ſacrarum fœminarum conſuetudinem pluſquam ceterarum delectationis habere, eo nempe quia turpius peccatur, dum ſacrum Deo domicilium violatur; licet autem ad everſionem hujuſmodi erroris faciant, quæ ſuperius dedimus, & infra, ubi de tribus Conſiliis Evangelicis, abundantioris doctrinæ cauſa

Dicendum eſt vota ſemel emiſſa eſſe adimplenda, nec pro libito ſolvi poſſe.

Vota adimplenda.

213 PROB. I. Quod Deus adimpleri præcipit, ad libitum hominis prætermitti nequit; ſed Deus vota ſemel emiſſa præcipit adimpleri; ergo non ſunt pro libito ſolubilia. Minor oſtenditur Num. 30. v. 3. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit, implebit.* Eccleſ. 5. v. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio; ſed quodcumque voveris, redde, multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere.* Baruch. 6. v. 33. ad oſtendendam Deorum Gentium vanitatem habetur: *Neque ſi quid mali patiuntur ab aliquo, neque ſi quid boni, poterunt retribuere; neque Regem conſtituere poſſunt, neque auferre; ſimiliter neque dare divitias poſſunt, neque malum retribuere; ſi quis illis votum voverit, & non reddit, neque hoc requirunt.* Ex adverſo verus Deus votorum adimpletionem requirit; ergo obligant. Hinc in Scripturis ſub terminis obligationem involventibus proponuntur vota. Num. 21. v. 2. legimus: *At Iſrael voto ſe Domino obligans ait*, & cap. 30. v. 14. *Si voverit, & juramento ſe conſtrinxerit.* Judith. lib. 22. *Et mox ut purificati ſunt, obtulerunt omnes holocauſta, & vota, & repromiſſiones ſuas.* 2. Mach. 3. v. 35. *Heliodorus autem hoſtia Deo oblata, & votis magnis promiſſis ei.* Porro phraſes hujuſmodi obligari, conſtringi, promittere, conſecrare, indubie vinculum ſignificant, & vim ligaminis includunt.

214 PROB. II. Res, cujus omiſſio criminoſa eſt, gravem ſupponit obligationem; ſed non adimpletio voti eſt criminoſa; ergo votum obligationem ſupponit, & includit. Min. prob. Deut. 23. v. 21. *Cum autem voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; nam requiret illud Dominus Deus tuus, quod ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Prov. 20. v. 25. *Ruina eſt hominis vota retractare*; non ob aliud vota retractare, hoc eſt non implere, eſt ruina, ideſt peccatum, niſi quia includunt vim ligandi. 1. ad Timoth. 5. v. 12. *Habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*, quem locum vidimus eſſe de Viduis, quæ vidualis continentiæ votum fregerant, ob quod in pœnam damnationis inciderant, proindeque peccaverant. Has inter Apoſtatas connumerat Concilium Tolet. 4. *cap.* 55., & anathematis pœnâ ſubjicit, ſi ad pœnitentiam reverti retractent. Has adulteras decernit, damnationis pœnâ plectendas, Concilium Cartaginenſe IV. *cap.* 104. Hinc Scriptura Sacra in Prophetis loquens de votis legis gratiæ, ut ſollicitudinem circa eorundem adimpletionem deſcribat, futuritionem ſolutionis apponit. Iſaiæ 19. v. 21. *Vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Nahum cap. 1. v. 15. *Celebra Juda feſtivitates tuas, & redde vota tua*, & Job 22. v. 27. *Rogabis Deum, exaudiet te, & vota tu reddes*, quibus docet poſtulandum eſſe auxilium a Deo ad devincendas difficultates in votorum adimpletione occurrentes: quod ſane, haud neceſſe foret, ſi obligationem non importarent.

Vis obligandi in voto.

215 PROB. III. Quoties in veteri lege votum occurrit valide emiſſum, toties legimus adimpletum; ſed ſi obligationem non induceret, & negligi pro libito poſſet, hoc nequaquam contigiſſet; difficile namque eſt, ad unum omnes ſtetiſſe promiſſis ſine obligatione; aliàs eorum obſervatio ponitur in teſtimonium probitatis, & Religioſi cultus præſtandi obſequium Deo per votorum obſervantiam. Pſal. 21. v. 26. *Vota mea reddam.* Pſal. 60. v. 9. *Reddam vota mea de die*

Reus eſt, qui vota negligit.

in

In diem. Pſal. 65. v. 13. *Reddam tibi vota mea*. Pſal. 115. v. 18. *Vota mea Domino reddam*. Adimplevit autem Salomon omnia, quæ voverat Pater ſuus David, quæ ipſe adimplere vivens non potuit; nam habetur 2. Paralip. 5. v. 1. *Intulit igitur Salomon omnia, quæ voverat David pater ſuus*, idem legitur cap. 15. v. 18. Proverb. 7. v. 14. *Hodie reddidi vota mea*, & alibi ſæpe. Utque res clareſcat, notandum eſt, quod Scriptura votis adjicit verbum *Redde*, ut adimplendi debitum innuat. Pſal. 4. v. 19. *Redde altiſſimo vota tua*. Num. 30. v. 10. *Quidquid voverint, reddent*. Sicut etiam declarat id, quod per votum Deo ſacratum eſt, ſanctum fore, adeoque nonniſi ſacrilege revocari poſſe: *Si quis voverit, Sanctum erit*. Dices cum Lutheranis vota ad certum tempus emiſſa tenere, atque elici poſſe, ſecus illa, quæ ad perpetuam rerum obſervantiam adſtringunt: hæc namque Chriſtianæ libertati adverſantur.

Obligat votum etſi perpetuum.

Sed hæc inania ſunt. I. Laudatæ auctoritates univerſales ſunt ad quodlibet votorum genus ſive de rebus temporaneis, ſive perpetuis; unde ad certum genus arbitrarie coarctantur. II. Quæ vota Deus tenere non vult, expreſſit, ut videre eſt de votis mulierum parentibus, vel maritis ſubjectarum. Num. 30. Sicut quæ voluit in alias res commutari, ut in Levitico, ac proinde ſatis apparet cetera obligare. III. Regum 1. legimus Annam Samuelem Deo per votum perpetuò dicaſſe, atque rite, ſanctèque obſervatum fuiſſe; toto enim ſuæ vitæ tempore Nazaræorum ſtatum profeſſus eſt Samuel. IV. Par ratio eſt legis univerſalis pro omnibus de Republica, ac particularis pro ſingulari, ſed lex univerſalis tam ad tempus, quam perpetua obligat; ergo etiam particularis. Hujus generis eſt votum. V. Deo ſervire in perpetuum nedum Chriſtianæ refragatur libertati, ſed debitum eſt, & neceſſarium; ſed votum de rebus perpetuis conſtituit ſervitutem erga Deum perpetuam; ergo Chriſtianæ libertati non adverſatur. Mirum ſane eſt, quod Chriſtianæ libertati repugnare nolint ſtatum ſervitutis matrimonialis, & nervis omnibus contendant evincere ſervitutem votorum de rebus perpetuis in Dei obſequium Chriſtianam evertere libertatem.

216 PROB. IV. A ſacra traditione, quæ legitima eſt Scripturarum interpres non eſt recedendum; ſed hæc docet vota obligare, & ſervanda eſſe ſive de rebus perpetuis, ſive non: hinc Baſilius *in quæſtionibus fuſè explicatis q.* 14. ait -- Qui ſeipſum Deo ſemel devovit, hic ſi ad aliud deinde vitæ genus tranſiverit, ſacrilegii ſe ſcelere obſtrinxit, quippe qui ſe ipſum Deo, cui ſe conſecraverat, velut ſubterfuratus ſit -- S. Joan. Chryſoſtomus ad Theodorum lapſum *Epiſt.* 6. -- Te jam ſervare non convenit privilegia nuptiarum: Angelorum enim ſocietati ſemel junctum illam relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere eſt -- S. Ambroſius in Lucam *cap.* 20. -- Quam gravia vincula promittere Deo, & non ſolvere. Melius eſt non vovere, quam vovere, & non reddere -- Idem repetit ad Virginem lapſam *cap.* 5. S. Auguſt. *lib. de bono viduitatis cap.* 11. ait -- Quapropter non poſſum quidem dicere a propoſito meliore lapſas, ſi nupſerint, fœminas, adulteria eſſe, non conjugia; ſed plane non dubitaverim dicere, lapſus, & ruinas a caſtitate ſanctiori, quæ vovetur Deo, adulteriis eſſe pejores -- S. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap.* 3. -- Quiſquis . . . in corde ſuo continentiam Deo voverit, non ſolum ſi mortifero fornicationis crimine maculetur, verum etiam ſi aut vir uxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, ſecundum Apoſtoli ſententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit -- Leo Magnus *Epiſt.* 92. *ad Ruſticum cap.* 14. -- Ambigi non poteſt crimen magnum admitti, ubi & propoſitum deſeritur, & conſecratio violatur. Nam ſi humana pacta non poſſunt impune calcari, quid in iis manebit, qui corruperint fœdera Divini Sacramenti? -- Pluribus omiſſis id in laudatis auctoritatibus notandum occurrit, Patres fere ſemper mentem ſuam explicare exemplo voti caſtitatis perpetuæ, ut hinc compertum Achatolici habeant, & vota de rebus perpetuis obligare, & votum caſtitatis, adverſus quod potiſſimum inſurgunt vel ſub Eccleſiæ primordiis fuiſſe in uſu.

217 PROB. V. Magis obligat promiſſio Deo facta, magiſque tenenda eſt, quam facta hominibus; ſed promiſſio honeſta hominibus facta ligat ad obſervantiam; ergo votum, quod eſt promiſſio facta Deo, obligat. Majorem nemo unus ſanæ mentis inficias ibit: Dei enim dignitas infinite excedit hominis conditionem. Minor indubia eſt: etenim datam fidem ſervare neceſſarium eſt ad ſocietatem humanam; & ſtare promiſſis pertinet ad humanam veritatem, quæ & dictis, & factis cuſtodienda eſt; hinc dicit D. Aug. *lib. de mendacio cap.* 20. -- Fides enim appellata eſt in latina lingua ex eo quia fit, quod dicitur -- & per hoc jura naturalem jubent obſervare obligationem ex promiſſione ortam: inter alia *titulo* 35. *de pactis cap.* 3. habetur -- Studioſè agendum eſt ut ea, quæ promittuntur opere compleantur -- quanto magis ergo ſtudendum eſt, ut Deo promiſſa ſerventur? Sic arguit Aug. apud D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 3. -- Si inter homines ſolent bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolvi, quanto magis pollicitatio, quam cum Deo pepigit, ſolvi ſine vindicta non poterit? & *lib. de bono viduitatis cap.* 11. -- Si enim quod nullo modo dubitandum eſt ad offenſionem Chriſti pertinet, cum membrum ejus fidem non ſervat marito, quanto gravius offenditur, cum illi ipſi non ſervatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum; cum enim quiſque non reddit quod non imperio compulſus, ſed conſilio commonitus vovit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi neceſſitatem -- ſic pariter S. Leo loco ſuperius laudato -- Si humana pacta non poſſunt impunè calcari, quid in iis manebit, qui corruperint fœdera Divini Sacramenti? --

Promiſſio Deo facta fortius obligat, quam facta homini.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

218 Achatolici plurima contra catholicam veritatem congerunt; quoniam verò expreſſe verſantur adverſus tria Evangelica Conſilia, ne bis ea repetere cogamur, & ne ſeriem rerum confundamus, omittenda ſunt impræſentiarum, & præcipue ea proponenda, quæ directe faciunt contra obligationem voti; ſicut Caſuiſtis relinquenda, quæ ſui ſunt juris.

OBJIC. ergo I. Doctrina, Chriſtique exemplum ſunt agendorum regula; ſed Chriſtus ſuæ libertati homines relinquebat, ut habemus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata &c. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes*; ergo vi voti nullus implerè tenetur, quod promiſit; potiſſimum, cum vovere inter opera Conſilii connumeretur, & Conſiliorum obſervantia libera ſit, adeoque etiam votorum.

RESP. ex Angelico *Quodlibeto* 3. *art.*12. Major eſt obligatio ſervandi primæ tabulæ mandata, quæ ad Dei dilectionem ordinantur, quam ſecundæ ad proximi dilectionem pertinentia; cum autem impletio voti ad Latriam, quæ pertinet ad primam tabulam, referatur, jam in aperto eſt graviſſimam fore obligationem vota exequendi, & oppoſitum docere, non aliud plane eſt, quam male audire de fide, ſicut aſſerere adulterium eſſe licitum; duplex igitur eſt libertas una phyſica, moralis altera; Chriſti doctrina, aut præceptorum conditio phyſicam relinquit libertatem, ſecus moralem; præcepta namque moralem neceſſitatem imponunt, idest in tali ſtatu hominem conſtituunt, ut non poſſit Divinam amicitiam, & ſalutem aſſequi, niſi ea adimpleat; verum ſi damnari velit, liber eſt abſolute: porro laudata Chriſti verba, æternam felicitatem contendentibus, neceſſitatem moralem involvunt, ut mandata exequantur; ſicut volentibus ſtatum aſſequi perfectionis, ut Conſilia Evangelica ſectentur. Homines tamen ſunt abſolute ſui juris, nempe in ſtatu omnimodæ libertatis, & indifferentiæ circa adimplementum. Hac poſita laudabiliter agunt, ſecus damnabiliter; quod de præcepto dicitur, voto applicandum eſt. Quamvis enim etiam moraliter in ordine ad ſalutem liber ſit homo ad vovendum, ſuppoſito tamen quod voverit, promiſſa ſervare debet. Ad Conſilia pertinet vovere, quia ad ea non tenemur, ſed poſito voto ad præcepta pertinet: hinc D. Aug. *Epiſt. ad Armentarium, & Paulinam* -- Quia jam voviſti, „ jam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non „ licet; priuſquam eſſes voti reus, liberum „ fuit, quo eſſes inferior --

Duplex libertas.

219 OBJIC. II. Simplex pollicitatio non inducit obligationem, ut habemus *lib.*1., & 3. *ff. de pollicitat.*: ſed votum non eſt, niſi quædam pollicitatio, ut dicitur *Can. Scimus* 12. *quæſt.* 1., & meritò ſane, nam, ut dicitur *l.* 3. mox citata, pollicitatio eſt -- „ Offerentis ſolius promiſſum -- Votum non eſt, niſi ſolius offerentis promiſſum; ergo eſt ſimplex pollicitatio.

RESP. Quidquid ſit; an ſimplex polli-
A citatio liget, vel non; poſſet enim univerſaliter negari propter auctoritatem *Cap. Quicumque Epiſcopi ſuffragio* 12. *quæſt.* 2., & *quæſt.* 5. *Cap. Quia Joannes*, & *gloſſa ſupra citat. Cap. Scimus*, ubi colligitur, etiam ſimplicem promiſſionem eſſe ſolvendam, & poſſe exigi; neganda eſt minor, nam promiſſio acceptata non eſt nuda pollicitatio, ſed pacti naturam induit, quod *eſt duorum conſenſus, & conventio*. Deus enim votum acceptat ad ejus honorem factum; cum & gratum illi ſit, & placeat, ut ſuperius innuimus; eaque propter ſtandum eſt promiſſis. Quare *Can. Scimus* nomen pollicitationis accipitur pro rigoroſa promiſſione, ut evidenter demon-
B ſtrat contextus -- Quicumque veſtrum com„ munem vitam ſuſceptam habet, & vovit „ ſe nihil proprium habere, videat, ne pol„ licitationem ſuam irritam faciat, ſed hoc „ quod Domino eſt pollicitus, fideliter cu„ ſtodiat, ne damnationem, ſed præmium „ ſibi acquirat -- & proſequitur gravitatem peccati oſtendere; unde in *l.* 2. *ff. de pollicitatione* dicitur -- Si quis rem aliquam vove„ rit, voto obligatur -- Compertum itaque ſit, ipſum lumen rationis hujuſcemodi obligationem dictare; eo namque ducti Gentiles reos voti vocabant, qui promiſſa Diis non
C reddebant. Apud Macrob. *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 2.

Votum Deo gratum, & acceptum.

220 OBJIC. III. Si omiſſio voti non eſt peccatum, jure cenſendum eſt non obligare; ſed non adimplere votum non eſt peccatum; ergo: & quidem. Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei; ſed votum non eſt lex Dei, ſed particularis hominis, qui non eſt conſtitutus a Deo legiſlator; ergo. Et ratio ulterior eſt, quia firmitas effectus debet originari a firmitate ſuæ cauſæ; ſed cauſa dans voto firmitatem eàdem caret; nam hæc cauſa eſt deliberatio voluntatis humanæ, quæ non
D habet firmitatem: Sapientiæ 9. v. 14. *Cogitationes enim hominis ſunt timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ*; ergo in votum non poteſt refundi firmitas.

RESP. Neg. min. Dicitur enim *Cap. Licet de voto* -- Licet univerſis liberum ſit ar„ bitrium in vovendo, uſque adeo tamen „ ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, ut ſine „ proprio ſalutis diſpendio alicui non liceat „ reſilire -- & 17. *q.* 1. *cap.* 1. -- Voven„ tibus Virginitatem non ſolum nubere, ſed „ etiam velle nubere damnabile eſt -- Eſt ergo peccatum non reddere votum, & quidem graviſſimum ex genere; magna enim
E irreverentia eſt Servi infidelitas ad Dominum, *l.* 1. *de conſtituta pecun.*, & eo major, & gravior culpa, quo major, & gravior eſt perſona, cui fides frangitur, ſicut deducitur, *l.* 1. *melior ff. depoſiti*; nec valet inducta probatio, nam votum non eſt propriè lex; cum non oriatur a juriſdictione, ſed tantum ſimilitudinarie, quantum ad effectum obligationis, ſed eſt vera promiſſio; ſicut Scripturæ proclamant. Hinc Ambroſius *lib.*9. *in Lucam ad cap.* 20. ait -- Quam gravia „ vincula promittere Deo, & non ſolvere -- Porro lex Dei naturalis, & poſitiva promitten-

Infidelis eſt, qui votum non implet.

tentem ſtare cogit promiſſis, & ex hoc oritur etiam ſtabilitas, quæ eſt in voto; & quamvis deliberatio ſit variabilis, rectitudo tamen legis naturalis, quæ dictat, quod promittitur Deo eſſe ſervandum, eſt invariabilis, & hoc dat neceſſariam obligationem voto, inquit D. Thom. 4. *Sent. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2.

221 OBJIC. IV. Votum de re, quæ non eſt in ſua poteſtate, nequaquam urget; unde inepte quis Deo voveret ſe fore Epiſcopum, Apoſtolum, Principem, aut Regem, cum ſciat in ſua non eſſe poteſtate; ſed qui vovet caſtitatem, ſicut & aliam virtutem, de re diſponit, quæ ſui juris non eſt; cum ſit ſolius Dei donum, quod accipere non offerre poteſt homo; ergo. Sic Lutherus.

Sed quo tendat intentio arguentis in aperto eſt, videlicet, ut fallacem adſtruat libertatem, atque Chriſtianam evertat profeſſionem: cum enim cautum ſit Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*, & 2. Corinth. 3. v. 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ſequitur abrenuntiationem mundi, & Satanæ factam in Baptiſmo, & ſuſceptam fidei profeſſionem non valere, quia ex nobis obſervare non poſſumus; licet ergo ex nobis nihil poſſimus, poſſumus tamen Divino adjutorio, unde Apoſt. ad Philip. 4. v. 13. dicebat: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Si omnia; ergo quemcumque actum virtutis. Marci 11. v. 24. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Si ergo caſtitatem, paupertatem, miſericordiam, & alia bona volumus exercere, volumus vovere, præſto eſt Dei auxilium, quo poſſimus; ſecus eſt de poteſtate ad Epiſcopatum, ad Regnum, quia hæc non pertinet ad virtutis opera, ſed ſunt dignitates quædam aliquibus concedendæ, non omnibus, adeoque non ſunt de illis, quæ Deus paratus eſt omnibus largiri. Quod autem dicitur votum de re, quæ non eſt in noſtra poteſtate, non valere, non appellat ſupra impotentiam, quam habemus ad bene agendum, attentis noſtris viribus, ſed ad eam, quam habemus ex indigentia concurſus alterius creaturæ, quem nos ſupplere nequimus, vel ex indigentia alicujus cauſæ phyſicæ, vel naturalis virtutis, quam devincere non poſſumus, ut ſi quis voveret pedeſter peregrinationem valde longam, & arduam, & eſſet ſenex valde debilis.

Dei adjutorio omnia poſſumus.

222 OBJIC. V. Quoties votum cedit in grave voventis detrimentum, non ligat, ſicut ſi efficiatur nimis oneroſum; atqui votum cedit in maximum voventis detrimentum; nam inferre poteſt peccatum illius violatio; ergo. Deinde votum ad longum tempus eſt onus graviſſimum; ergo interpretandum eſt ſemper ſubeſſe conditionem, ſi animum non mutemus; ſic ex conſimili argumentatione Lutheri.

Venenatam tegit æquivocationem argumentum: detrimentum quod alicui evenire poteſt ex voto, ex duplici cauſa oriri poteſt, vel ex proprii arbitrii uſu, vel ab extrinſeco accidenti, quod ſupervenit; quotieſcumque nocumentum unice ab uſu liberi arbitrii provenit, toties non eſt cauſa ſufficiens ad excuſandum; quod enim mihi noceat votum, ex mea malitia eſt, quam poſſum, & debeo evitare, & tale eſt nocumentum, quod ex voti violatione contingit; aſſimilatur namque damno, quod ex violatione præcepti habetur; quando autem nocumentum advenit ab extrinſeco, & eſt grave vel phyſice, vel moraliter, ideſt vel in linea phyſica, vel in linea moris, eſtque talis conditionis, quod prudenter prævisum rationabiliter retraxiſſet a vovendo, tunc votum ſub ea circumſtantia deſinit obligare, quæ ſi evacuetur, reviviſcet obligatio, ſi eſt de re perpetua, vel diuturna. Ad ſecundum. Arduitas, quæ præciſe ex ipſa temporis diuturnitate exoritur, nuſquam ab onere adimplendi votum excuſat; hæc enim ad ſubſtantiam voti pertinet, & eſt ſufficienter prævisa; ſecus eſt de illa, quæ accidentaliter advenit ab extrinſeco, quæ talis eſt, ut ſi prævideretur, rationabile non eſſet votum; ex quibus palam ſit votum illam habere ſtabilitatem, quæ ad ſtatum proprie dictum conſtituendum prærequiritur.

Duplex difficultas in voti adimpletione.

CONTROVERSIA X.

AN STATUS EPISCOPALIS SIT STATUS PERFECTIONIS EXERCENDÆ.

Vidimus ad ſtatum perfectionis requiri immobilitatem, & ad hanc tribuendam apprime deſervire votum, quod vinculum includit indiſſolubilitatis, & bona opera majoris efficit meriti; impræſentiarum, cui conveniat ſtatus perfectionis, videamus, ut hinc doctrinam perfectionis debito ordine ab erroribus vindicemus; porro ab Epiſcopatu exordimur, cum primum locum inter Hierarchicos gradus habeat, de quo ea præcisè tangemus, quæ ad hanc materiam attinent, aliàs longe ab inſtituto aberraremus, ſi de tota Epiſcopali Dignitate agere vellemus. Ad rectam itaque intelligentiam duo ſunt ſupponenda.

223 Primum eſt ſtatum perfectionis intelligi dupliciter; acquirendæ videlicet, & exercendæ, ſeu acquirentium ſibi, & perficientium alios: ſtatus acquirendæ eſt ſchola, ſeu diſciplina ordinata ad conſequendum perfectionem, per quædam exercitia removentia charitatis impedimenta, ſeu eſt quoddam ſtudium, & ſtadium, in quo inſtruuntur homines, ut perfectionem & diſcant, & obtineant, ſtatus vero exercendæ ille eſt, in quo quis perfectionis opera tenetur exercere, ut ex virtutum velut redundantia alios perficiat; utrumque ſtatum S. Thomas innuit 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. -- In genere autem „ perfectionis ſecundum Dionyſium Epiſcopi „ ſe habent ut perfectores, Religioſi autem „ ut perfecti, quorum unum pertinet ad „ actionem, alterum ad paſſionem --

Status perfectionis acquirendæ, & exercendæ.

224 Secundum eſt ſtatum perfectionis acquirendæ dividi in ſtatum Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, quam diviſionem

Perfectionis ſtatus dividitur.

fionem

ſionem in præambulis hujus Diſputationis dedimus; denominatio horum ſtatuum deſcendit ex charitate ad perſonas: charitas enim hos ſuſcipit gradus, ut habet Aug. *lib. de natura, & gratia cap.* 70. -- Charitas incohata, „ incohata juſtitia eſt; charitas provecta, „ provecta juſtitia eſt; charitas magna, ma„ gna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta „ juſtitia eſt -- *& Tract.* 5. *in Epiſt.* 1. *Joannis* -- Ut perficiatur, naſcitur; cum fue„ rit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, „ roboratur; cum fuerit roborata, perfici„ tur -- Ubi notes velim quadrimembrem diſtingui a Beato Antiſtite charitatem, non quia quatuor ſtatus diſtinguat, ſed quia in primo membro ſubſtantiam charitatis enumerat; ſiquidem eſſentia rei prius ſupponenda eſt, quam ſtatus aſſignentur, niſi velis tres primos gradus ad ſtatum viæ pertinere, ultimum patriæ: gradus hujuſcemodi omni virtuti attribuit S. Gregorius *lib.* 2. *in Ezechielem homil.* 15. *ad illa verba cap.* 40. *Venit ad portam, & aſcendit per gradus ejus*, ubi -- Quia unaquæque virtus quaſi quibuſ„ dam gradibus agitur, alia namque ſunt „ virtutis exordia, aliud profectus, aliud „ perfectio -- Et refertur a D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 183. *art.* 4.

225 Porro hæc graduatio attendi poteſt penès latitudinem intenſivam, ita quod ea dicatur incipiens, quæ remiſſe in ſubjecto radicatur, proficiens, quæ magis, perfecta, quæ ſumme intenſa reperitur, & quidem apte, & proportionate ad naturam habituum, qui actibus augentur; attendi etiam poteſt penès objectivam latitudinem. Ex S. Bonaventura *tom.* 1. *Opuſc. de grad. virt. cap.* 2. incipiens dicitur, quæ extenditur ad amicos, proficiens ad inimicos in neceſſariis, perfecta ad inimicos in ſupererogatoriis; ſecundum latitudinem materialem dicitur incipiens, quando comprehendit obſervantiam mandatorum, proficiens, quando obſervantiam conſiliorum connotat, perfecta, quando mortem pro ſalute proximorum ſuſtinet. Secundum verò latitudinem formalem incipiens cenſetur, quando difficulter prorumpit in actus, proficiens, quando expedite, & prompte, perfecta, quando delectabiliter. Verum propria ratio penès diverſa ſtudia, quibus homo promovetur ad perfectionem deſumitur, quod optime explicat S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 24. *art.* 9. -- Ita etiam, & di„ verſi gradus charitatis diſtinguuntur ſe„ cundum diverſa ſtudia, ad quæ homo per„ ducitur per charitatis augmentum; nam „ quidem primò incumbit homini ſtudium „ principale ad recedendum a peccato, & „ reſiſtendum concupiſcentiis ejus, quæ in „ contrarium charitatis movent, & hoc per„ tinet ad incipientes, in quibus charitas eſt „ nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur; „ ſecundum autem ſtudium ſuccedit, ut ho„ mo principaliter intendat ad hoc, quod in „ bono proficiat; & hoc ſtudium pertinet ad „ proficientes, qui ad hoc principaliter in„ tendunt, ut in eis charitas per augmen„ tum roboretur; tertium autem ſtudium „ eſt, ut homo ad hoc principaliter inten„ dat, ut Deo inhæreat, & Deo fruatur, „ & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt „ diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; ſicut etiam „ videmus in motu corporali, qui primùm „ eſt receſſus a termino, ſecundùm autem „ eſt appropinquatio ad alium terminum, „ tertiùm eſt quies in termino -- Quare ex principalis ſtudii, ſeu ſollicitudinis diſcrimine hujuſmodi diviſio, & denominatio habetur, & licet revera in quolibet ſtatu detur charitas, & augeatur, tamen horum ſtatuum, & graduum diſcretio ab ea principali intentione, cui incumbit, deſumitur; quam doctrinam didicit S. Doctor a D. Bernardo *de vita ſolitaria*, & quidquid hac de re dici poteſt, perſpicuè explicat; & quidquid objici, dilucide ſolvit.

Unde deſumitur denominatio graduum perfectionis.

226 Plerique Hæreticorum in eam devenerunt ſententiam, ut Epiſcopi, ſi Apoſtolorum ſanctitatem non æmulentur, ſi eas omnes non habeant conditiones, animique dotes, quas deſcribit Apoſtolus ad Titum *cap.* 1., & alibi, ſi quidquam terrenarum rerum poſſideant, dignitatem, & caracterem ſive Sacerdotalem, ſive Epiſcopalem nequaquam habeant. Sic Albigenſes, Apoſtolici, Waldenſes, aliique, verum impræſentiarum de hoc nullum diſſidium. Supponimus namque hæreſim hanc exploſam, ubi diſputavimus, an obediendum ſit Dominis pravis, & an mali Miniſtri Sacramenta conficiant, & an liceat Clericis habere bona temporalia. Nunc itaque inquirimus, an Epiſcopalis gradus ſecundum ſe ſit ſtatus perfectionis obligantis Epiſcopum ad excellentiora charitatis exercenda, quæ dotes ſunt, ac perfectioris ſtatus conditiones. In hac materia fuit error Beguinorum, hoc eſt quorumdam Pſeudofratrum Ordinis Minorum, qui docebant, quod ſtatus Fratrum Minorum eſt ſtatus perfectior ſtatu Epiſcoporum; & velut in duas dividebant Eccleſias, unam velut carnalem, & divitiis, & commodis affluentem, & in hac eſſe dicebant Papam, Epiſcopos, alioſque Miniſtros; alteram ſpiritualem decoram virtute, & ſanctitate conſpicuam, & in hac ipſi cum ſuis Sectatoribus deſcribebantur, hancque priori perfectiorem commendabant, immo hanc ſolam perfectam volebant. Apud Sanderum *hær.* 162., Turrecrematam *p.* 2. *lib.* 4. *ſummæ de Eccleſia*, Guidonem *de hæreſibus titulo de Beguinis*, alioſque. Error hujuſmodi, unà cum ceteris damnatus reperitur Extrav. *Glorioſam* a Joanne XXII. emanatam, ſicut & Sectam a Clemente V. Ad dilucidationem igitur veritatis

Qui Sanctitatis gradus in Epiſcopis per Hæreticos.

Dicendum eſt ſtatum Epiſcopalem eſſe ſtatum perfectionis exercendæ. In hujuſce Concluſionis probatione non eſt a D. Thoma recedendum, qui rem hanc egregie verſat, & ab eo argumenta deſumenda ſunt univerſa.

227 PROB. Igitur I. Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis; ſed non eſt ſtatus perfectionis acquirendæ; ergo exercendæ. Major explicatur, ex D. Thom. *Opuſc.* 18. *cap.* 15., *&* 2. 2. *q.* 184. *art.* 5. Status perfectionis eſt perpetua obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis cum aliqua ſolemnitate; unde ille eſt in ſtatu perfectionis, qui ſeipſum ſimpliciter propter Deum ſe ei perpetuò dicavit. Porro Epiſcopi ſe totaliter devoverunt ad ea, quæ

Quinam dicatur in ſtatu perfectionis.

ſunt

ſunt perfectionis, profeſſionem facientes, qua obligantur ad curam gregis Chriſti; unde dicitur 1. Timoth. 6. v. 12. *Certa bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus*; & hoc quidem fit per ſolemnem conſecrationem, juxta illud 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, quod intelligitur de gratia Epiſcopali ſecundum gloſſam, & inde fit, quod Servi efficiuntur in Chriſto, dicente Paulo Epiſcoporum nomine 2. ad Corinth. 4. v. 5. *Non enim prædicamus nos ipſos, ſed Jeſum Chriſtum, nos autem Servos veſtros per Jeſum*; & hinc habemus minoris propoſitionis probationem: nam ſtatus perfectionis acquirendæ eſt quædam paleſtra, in qua homines inſtruuntur, ut perfectionem adipiſcantur; ſed ſtatus Epiſcopalis eſt velut fons, unde perfectio in alios defluat, quod aptis ſimilitudinibus explicatur Matth. 5. v. 13. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos eſtis lux mundi, non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt*. Hæc Apoſtolis dicta, affabre Epiſcopis, qui eorum ſunt ſucceſſores, conveniunt, & inſimul aperte declarant ſtatum Epiſcopalem fore perfectionis exercendæ; hinc apte colligit ibidem S. Thomas -- Quod Epiſcopi „ debent eſſe ſal in vita, & moribus, lux „ in doctrinis, & prædicationibus, civitas „ in præſidiis, lucerna in accenſionibus --

228 PROB. II. Status, cui ex toto incumbit ſublimiora, atque excellentiora charitatis erga proximum amplecti, dubioprocul eſt ſtatus perfectionis exercendæ; ſed ſtatus Epiſcopalis eſt hujuſmodi; ergo ſtatus eſt perfectionis exercendæ, adeoque aliis perfectior. In majori non eſt immorandum. Tota enim perfectio in dilectione conſiſtit, quæ ſpectat ſive quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſive quæ ſunt conſilii, & eo hæc perfectior eſt, quo conſilii opera ſunt excellentiora; unde ſi ad hæc perpetua obligatio accedat, jam plane ſtatus perfectionis habetur. Minor declaratur. Perfectio fraternæ dilectionis, quæ eſt divinæ complementum charitatis in his, quæ conſilii ſunt, juxta tria regulatur: primò, ſecundum extenſionem, quatenus inimici non in communem tantum, ſed etiam in particulari amore proſequuntur, & non ſolum implicite, ſed etiam actu, ut extra caſum neceſſitatis affectio in eos dirigatur, eis obſequendo, atque beneficia largiendo: ſecundo, attenditur juxta intenſionem amoris, quatenus propter amatum cetera nihili fiunt, & in hoc excellens habetur latitudo, prout diverſa ſunt, quæ elargiri poſſunt: exteriora proximis miniſtrari valent, ut legitur Cant. 8. v. 7. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*; damna ſuſtinere quis poteſt propter proximum, Proverb. 12. v. 26. *Qui negligit damnum propter amicum, juſtus eſt*, & hunc laudat Apoſt. ad

Tota perfectio in dilectione.

Heb. 10. v. 34. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis*. In commodum fratrum vitam valet exponere, 1. Joan. 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Habetur itidem dilectio, ſi ſpiritualia diſtribuantur, vel ordinis inferioris, ut conſulere dubitanti, ignorantem inſtruere, revocare errantem, Job 4. v. 3. *Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti: Vacillantes confirmaverunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti*, vel ſuperioris ordinis, ut doctrinam Divinorum tradere, Sacramenta adminiſtrare, ad Deum manuducere; ad Gal. 3. v. 5. *Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, & operatur in vobis virtutes*. Atqui Epiſcopalis gradus hanc proximi expoſtulat dilectionem; munus quippe Epiſcopale eſt cura univerſæ Eccleſiæ ſibi commiſſæ, unde dicitur Act. 20. v. 8. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Porro hæc cura talem expoſcit perfectionem, ut Epiſcopus ſit revera diſpoſitus ad prædictos dilectionis gradus exercendos, & ſæpe numero talibus incumbere tenetur: in Eccleſia enim mali ſunt, blaſphemantes, perſequentes, mordentes, contradicentes, & ideo dicitur Matth. 10. v. 16. *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum. Sicut oves*, quia tenentur Epiſcopi patienter iſtorum ſuſtinere contumelias, in medio eorum ſtare eis oportet, ut ipſos convertant, 1. ad Corinth. 4. v. 12. *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus*. Paſtor eſt Epiſcopus, eaque propter oves deſerere nequit, ſed pro eorum ſalute debet corpus ſuum, & laboribus, & morti exponere: ſcriptum eſt enim Joan. 10. v. 11. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*.

229 PROB. III. Status, qui ita aliis præcellit, ut qui in eo verſatur, eſſe debeat mediator Deum inter, & homines, dubioprocul eſt ſtatus perfectionis exercendæ; atqui Gradus Epiſcopalis hujuſmodi eſt; ergo. Min. habetur ad Heb. 5. v. 2. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*: Epiſcopus enim ex officio eſt ſequeſter pacis inter Deum, & homines, juxta Chriſti exemplar, qui Dei, & hominum mediator eſt, cujus figuram gerens Moyſes Deut. 5. v. 5. dicebat: *Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, & vos in tempore illo*. Unde precibus, obſecrationibus, oblationibus Deum placare debet, ac proinde dignum ſe reddere, ut exaudiatur, nec fruſtra *aſſumptus eſt ex hominibus*, ait Apoſtolus, nam ceteris debet eminere virtute, prudentia, ſanctitate, ut dignior ſit. Hinc Chriſtus Joan. 21. a Petro, quem Paſtorem conſtituere volebat, popoſcit, an plus aliis diligeret, & hoc ter, ut excellentiorem innueret Prælatorum dilectionem. *In his, quæ ſunt ad Deum*, ſubdit, quia Epiſcopale munus Divinis incumbere debet, & non temporalibus, unde Timotheo Epiſcopo dicebat 2. Epiſt. cap. 2. v. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*,

Epiſcopus mediator Dei, & hominum.

ribus, & 2. Corinth. 10. v. 4. de Apoſtolis: *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia*. Epiſcopus autem militat Deo, tanquam Dux, ideo pro hominibus conſtituitur.

230 PROB. IV. Ubi prærequiritur in ſubjecto perfectio magiſterii, eſt ſtatus perfectionis exercendæ; ſed ſtatus Pontificalis talis eſt; ergo. Explicatur minor. Pontificatus honor ſpirituale magiſterium eſt. 1. ad Timoth. 2. v. 7. *Poſitus ſum ego Prædicator, & Apoſtolus (veritatem dico non mentior) Doctor gentium in fide, & veritate*. Hinc S. Dionyſius *cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* dicit — Quod Ordo Epiſcoporum eſt perfe„ctivus -- & clarius 1. Petri 5. v. 2. *Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei*, & 1. Corinth. 10. v. 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*, Malachiæ 2. v. 7. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt*, Matth. 5. v. 14. *Vos eſtis lux mundi; non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt*, ut igitur quis ad hæc idoneus reperiatur, præcellentem perfectionem præhabeat, neceſſe eſt; nam ut dicit Dionyſius 3. *Cæleſtis Hierarch.* purgativos ordines oportet ex abundantia purgationis aliis tradere de propria caſtitate; & D. Thom. *cap. 19. Opuſc.* 18. habet — Ridiculum autem eſt perfectionis „ magiſterium fieri qui perfectionem per ex„ perimentum non novit -- eaque propter Num. 11. v. 17. *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis*, dixit Dominus ad Moyſem Principem populi, quia abundare ita debet copiâ

Epiſcopus ut alios perficiat perfectus ſit.

ſpiritualis perfectionis Epiſcopus, ut ſibi, & aliis ſufficiat, quapropter optime argumentatur Angelicus *cap. 17. præcit. Opuſc.* -- Ma„ nifeſtum eſt autem majorem perfectionem „ requiri ad hoc quod aliis perfectionem „ aliquis tribuat, quam ad hoc quod aliquis „ in ſe ipſo perfectus ſit; ſicut majus eſt „ poſſe facere aliquem talem, quam eſſe ta„ lem, & omnis cauſa potior eſt ſuo effe„ ctu. Relinquitur ergo Epiſcopalem ſta„ tum, majoris perfectionis eſſe, quàm ſit „ ſtatus cujuſcumque Religionis -- Unde palam fit graviorem eſſe Epiſcopalem obligationem obligatione Religionis.

231 PROB. V. Status, qui in ſubjecto illum profitentem exigit perfectionem, quæ debet deſervire ut regula, ut forma, ut exemplar aliorum, certò certius eſt ſtatus perfectionis exercendæ, & major ſtatu perfectionis acquirendæ; regula enim eſt in ſe recta, & perfectior regulato; atqui ſtatus Epiſcopalis hujus eſt conditionis; ergo. Minor habetur 1. Petri 5. v. 2., & 3. *Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum; neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntarie neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo*. In hiſce verbis luce clarius oſtenditur

Epiſcopus gregis forma, & exemplar.

ſublimitas Epiſcopalis perfectionis, ut ſubditorum perfectum evadat exemplum, & inſimul conditiones traduntur ad hoc requiſitæ. Forma debet eſſe Prælal, qua ſubditi informentur & ſalutaria mente, & ſpiritu concipiant; ſicut ad aſpectus virgarum oves Jacob concipiebant ſecundum quos videbant colores, inquit S. Thomas adjiciens -- Sed „ quomodo poſſent alios formare, qui in „ ſeipſis ſunt informes, & monſtruoſi? Hinc Apoſtoli, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, ſe aliorum regulam offerebant, dicente Paulo ad Phil. 3. v. 17. *Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*. Paſcite gregem, non voſmetipſos, ſicut illi, quibus iraſcitur Deus. Ezechielis 34. v. 2. *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos; nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis; gregem autem meam non paſcebatis*. Paſcite verbo, exemplo, & ſpirituali ſubſidio, & ideo ter dictum eſt Petro *Paſce oves meas*. Ejus muneris eſt ſpiritu infirmos conſolidare, ægrotos ſanare, vulneratos alligare, errantes reducere, ignorantes inſtruere, ſanos conſervare, bonos promovere, & quidquid ad ſalutem neceſſarium eſt providere ſubſidiis: unde v. 4. per Prophetam graviſſime conquæritur Deus, & ſeveriſſime punit paſtores. *Quod infirmum fuit, non ſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, & quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia*. Epiſcopalis enim gradus non eſt dominationis, ſed humilis adminiſtrationis; *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non ſic*. *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*, dicebat Apoſtolis Veritatis Magiſter. Dignitas Pontificalis non eſt negotiationis officium, non turpis lucri gratià adoptanda; abſit quæſtus amor, nec honoris appetitus animum moveat; quæ Dei ſunt, exquirat, Divina, & quidem ex animo, peragat. Ad quod ſumma in Prælato exigitur perfectio, propter quod inquit D. Thomas *Quodlib. 3. q. 4. art. 9.* -- Charitatem, „ per quam aliquis eſt idoneus ad officium „ Paſtorale non poteſt aliquis certo ſcire ſe „ habere, & ideo ſemper eſt vitioſum Pon„ tificatum petere -- & Paulus Apoſtolus ad Titum 1. v. 7. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. *Oportet*, inquit, quia taliter eſſe debet, ut ſuo munere fungitur, ut palam ſit illa cauſali, *Ut potens ſit*. Eaſdem, immo & excellentiores exigit conditiones, 1. ad Timoth. 3 v. 2. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c.*, & hoc propter exempli neceſſitatem, & v. 7. *Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis &c.*, ubi D Thom. *lect.* 1. concludit Epiſcopatum non eſſe appetendum -- Quia Præ„ latus ſecundum gradum, & convenien„ tiam debet omnes alios excedere in con„ verſatione, & contemplatione; itaut in „ reſpectu ſui alii ſint grex: & hanc ido-

„ neita-

„ neitatem de ſe præſumere eſt maximæ ſu-
„ perbiæ -- Hac de cauſa *Onus Angelicis hu-
meris formidandum* vocat Tridentinum Ec-
cleſiarum regimen *Seſſ. 6. cap. 1. de Refor-
matione*, quia ovium cuſtodiæ ita incumbere
debent, quod harum ſanguinem de Paſtorum
manibus exquiret Deus, ſi quæ pereat vel
ignorantia, negligentiave, vel pravo ipſo-
rum exemplo -- Cum certiſſimum ſit (*inquit*
„ *laudata Synodus ubi ſupra*) non admitti
„ Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves co-
„ medit, & Paſtor neſcit -- Ob hoc dicit
Chryſoſt. *hom. ult. ad Heb.* -- Omnium quos
„ regis, mulierum, & virorum, & puero-
„ rum a te reddenda eſt ratio, & tanto igni
„ caput tuum ſubjicis? miror an fieri poſſit,
„ ut aliquis ex rectoribus ſit ſalvus -- Simi-
lia tradunt reliqui Patres; quibus comper-
tum ſit Epiſcopatum fore ſtatum exercendæ
perfectionis.

232 Quare S. Dionyſius *de Eccleſ. Hie-
rarchia cap. 5.* de Epiſcopatu habet -- Pon-
„ tificum ordo ſacratior: primus eſt Divina
„ ſpeculantium ordinum, idemque eſt ſum-
„ mus, & ultimus . . . Eſt igitur Pontifi-
„ calis ordo, qui conſummanti virtute ſuf-
„ fultus, perficientia quæque Hierarchiæ
„ præcipuo, & proprio peragit munere --
Hæc conſonant his, quæ poſtmodum tradi-
dit *Trident. Seſſ. 23. cap. 4.*, ubi Epiſcopa-
tum affirmat primum gradum Hierarchiæ, &
Seſſ. 24. de Reformatione cap. 1. habet -- Multò
„ magis elaborandum eſt, ut in electione
„ ejus, qui ſupra omnes gradus conſtituitur,
„ non erretur; nam totius familiæ Domini
„ ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiri-
„ tur in corpore, non inveniatur in capite --
Innocentius III. *Can. Ex multa de voto* ait --
„ Epiſcopi, qui, ſicut dignitate præcellunt,
„ ſic & Religionis debent aliis præeminere --
& Symmachus *Epiſt. ad Laurentium Mediol.*
prius dixerat -- Viliſſimis comparandus eſt,
„ niſi præcellat ſcientia, & ſanctitate, qui
„ eſt honore præſtantior -- Epiſcopi Ægy-
ptiorum *in Epiſt. ad Felicem II.* habent -- Et
„ ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ colum-
„ næ, ideſt Epiſcopi, qui Eccleſiam ſuſti-
„ nere, & propriis humeris portare debent,
„ tibi ſunt confirmatæ -- Ad Epiſcoporum
reverentiam provocans Mauritium Imperato-
rem S. Gregorius *lib. 4. Epiſt. 31.* eam aſſu-
mit rationem -- Nam in Divinis eloquiis
„ aliquando Sacerdotes Dii, aliquando An-
„ geli vocantur -- Et proſequitur allegare
Scripturas. In Clement. *lib. 5. tit. 8. de pœ-
nis cap. 1. §. 2.* decernitur gravior pœna pro
offenſione Epiſcoporum nam -- Ex dignitate
„ offenſi pœna metiri deceat offendentis;
„ Epiſcopi enim dicuntur Sanctiſſimi, Chri-
„ ſti legati exiſtunt, ſpirituales ſunt Patres,
„ noſtrique fratres, & Coepiſcopi, colum-
„ næ comprobantur Eccleſiæ -- Hiſce nomi-
nibus ſæpe honorantur in Epiſtolis, ſicut &
in primis Eccleſiæ Conciliis, ut inde inno-
teſcat Epiſcopalem ſtatum eſſe perfectionis,
non qualiſcumque, ſed excellentioris gra-
dus: ſicut enim nulla eſt dignitas major
Pontificali, nulluſque gradus ſublimior in
Eccleſia, ita nulla eſt obligatio major, nulla
major ſanctitatis neceſſitas -- Ne ſit honor
„ ſublimis, & vita deformis, ne ſit Deifica
„ profeſſio, & illicita actio; ne ſit Religio-
„ ſus amictus, & irreligioſus provectus --
inquit S. Ambr. *cap. 3. lib. de dignitate Sa-
cerdotali*.

SOLVUNTUR ARGUMENTA BEGUINORUM.

233 OBJIC. I. Simplex miniſterium non
pertinet ad ſtatum perfectionis;
ſed Epiſcopatus eſt ſimplex miniſterium; ergo
non eſt ſtatus perfectionis, & multo minus
exercendæ. Major declaratur. Simplex mi-
niſterium pertinet ad gratiam gratis datam,
ſtatus perfectionis ad gratiam gratum fa-
cientem, quia perficit ſubjectum, unde tan-
tum diſtat a perfectionis ſtatu, quantum
minoris eſt æſtimationis gratia gratis data,
quam gratum faciens. Min. habetur ad
Epheſ. 4. *Alios autem Paſtores, & Doctores ad
conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii*;
& alibi ſimilia.

RESP. Neg. maj. Licet enim Epiſco-
patus ad aliorum ordinetur ſalutem, non
eſt tamen ſimplex, & nudum miniſterium,
nec ſimpliciter gratia gratis data; ſiquidem
eſt gradus permanens in Eccleſia, per ſpe-
cialem conſtitutus conſecrationem, ordina-
riam poteſtatem habens in ſubditos; porro
hæc ad aliorum bonum ordinatio eſt itidem
ipſiuſmet ſubjecti perfectiva, ſive quia præe-
xigit in eo ſanctitatem, & ad eam exercen-
dam obligat, ſive quia alios ad perfectio-
nem nequit excitare, niſi per excellentes
virtutum actus, & per ſanctiora exercitia,
ex quibus fructus, & ſpirituale incrementum
in ipſam Epiſcopi perſonam redundant. Chry-
ſoſt. *lib. 3. de Sacerdotio* dicit -- Epiſcopum
„ certè convenit, & ſtudio acri, & perpe-
„ tua vitæ continentia tanquam adamanti-
„ nis armis circumſeptum, quoquoverſus
„ circumſpicere -- Unde *lib. 6.* fatetur illis
multò majorem vitæ integritatem fore neceſ-
ſariam, quam Religioſis, & Juſtinianus
leg. 42. eorum vitam debere eſſe puram, &
incorruptam affirmat.

Epiſcopi perfectio tum ad ſe, tum ad alios ordinatur.

234 DICES. De ratione ſtatus perfe-
ctionis eſt immobilitas permanendi in eo;
atqui Epiſcopatus hujuſmodi non habet im-
mobilitatem: etenim quoad curam paſtora-
lem, cui adnexa eſt obligatio exercendi he-
roica, dimitti poteſt, & aliàs character hanc
obligationem non inducit; eſt namque tan-
tummodo poteſtas quoſdam exercendi hierar-
chicos actus, puta Ordinationem Miniſtro-
rum, Eccleſiarum conſecrationem, & ſimiles.

Inſtantia gravem habet difficultatem in-
ter Doctores controverſam, videlicet, qualis
ſit indiſſolubilitas Epiſcopalis vinculi cum ſua
Eccleſia. Putat Vaſquez cum aliis *in 3. part.
Diſput. 241. tom. 3.* eam indiſſolubilitatem
fore juris Divini poſitivi, quatenus poſita
Divina inſtitutione Epiſcopatus, hoc ipſo
quod quis in Epiſcopum alicujus Eccleſiæ
aſſumitur, oritur vinculum indiſſolubile ju-
ris Divini: fundamentum deſumit ex doctri-
na *Can. Inter corporalia de translat. Epiſc.*,
ubi

Epiſcopus quo pacto Eccleſiæ ſponſus.

ubi poſtquam dixit vincula ſpiritualia diffici-
lius ſolvi, quam corporalia, habet Innocen-
tius III. -- Cum ergo fortius ſit ſpirituale
„ vinculum, quam carnale, dubitari non
„ debet, quin Omnipotens Deus ſpirituale
„ conjugium, quod eſt inter Epiſcopum, &
„ Eccleſiam, ſuo tantum judicio reſervaverit
„ diſſolvendum, qui diſſolutionem etiam
„ carnalis conjugii, quod eſt inter virum,
„ & fœminam, ſuo tantum judicio reſerva-
„ verit, præcipiens, ut quos Deus conjun-
„ xit homo non ſeparet: non enim humana,
„ ſed potius Divina poteſtate conjugium ſpi-
„ rituale diſſolvitur, cum per translationem,
„ depoſitionem, aut ceſſionem auctoritate
„ Romani Pontificis (quem conſtat eſſe Vi-
„ carium Jeſu Chriſti) Epiſcopus ab Eccle-
„ ſia removetur -- quod repetitur *Can. Licet*
ſub eodem titulo -- Sicut legitimi matrimo-
„ nii vinculum, quod eſt inter virum, &
„ uxorem, homo diſſolvere nequit, Domi-
„ no dicente in Evangelio: quos Deus con-
„ junxit, homo non ſeparet; ſic & ſpirituale
„ fœdus conjugii, quod eſt inter Epiſco-
„ pum, & Eccleſiam, quod in electione
„ initiatum, ratum in Confirmatione, &
„ Conſecratione intelligitur conſummatum,
„ ſine illius auctoritate ſolvi non poteſt, qui
„ Succeſſor eſt Petri, & Vicarius Jeſu Chri-
„ ſti -- quibus ſatis clare videtur indicari
Divini juris vinculum eſſe.

Spirituale Conjugium Epiſcopi cum Eccleſia unde ſolubile.

235 Suarez cum aliis *tom. 3. de Relig. lib. 1. de ſtatu perfectionis cap. 16.* contendit
non eſſe juris Divini, & movetur, quod re-
nuntiatio abſoluta Epiſcopatus abſque tranſ-
latione Divino juri nequaquam adverſatur,
cum *Cap. Niſi cum pridem* prohibetur, ut non
fiat abſque licentia Romani Pontificis, nulla
facta mentione Divini juris, proindeque obli-
gatio hujuſce juris non erit, & quidem I.
Quia hujuſmodi renunciationes frequenter
fiunt, & acceptantur, cauſis non ſemper ex
gravioribus occurrentibus, quod non poſſet
fieri, ſi obligatio juris eſſet Divini, in quo
diſpenſatio raro, & ex gravi cauſa facienda
eſt. II. Non eſt contra Divinum jus, quod
ab initio aliquis conſecretur in Epiſcopum
abſque titulo, atque obligatione, ut quan-
doque factum eſt. III. Facile translationes
fiunt ſine gravi cauſa, & ſolum præcipitur,
ne fiant contra præſcripta Majorum, ſicut
videre eſt in Concilio Antiocheno *cap. 21.*
ne fiant ſine aliqua cauſa, quæ quandoque
eſt ſola particularis utilitas. IV. Paritas
corporalis conjugii non eſt ad æqualitatem
accipienda; ſiquidem uni Epiſcopo datur
quandoque duplex Eccleſia, ſecus uni viro
duplex ſponſa; unus Epiſcopus, ſi unam Ec-
cleſiam relinquit, aliam poteſt aſſumere, ſe-
cus in conjugio corporali; unus Epiſcopus
dimittit Eccleſiam, quæ alteri traditur, nullâ
ſibi retentâ, ſecùs in humano matrimonio;
concludit itaque dictum Innocentii, nempe
jure Divino diſpenſationem reſervari Roma-
no Pontifici, intelligendum eſſe radicaliter,
quatenus auctoritas Sedis Apoſtolicæ a Deo
promanat, non autem quod proximo jure
Divino fit.

236 Sanctus Thomas, quem aliqui
ſequuntur, ut Soto *lib. 10. de juſtitia quæſt. 2.*
art. 4., Waldenſis *tom. 3. doctrinalis fidei lib.*
3. tit. 2. cap. 17. videtur ſentire, quod im-
mobilitas Epiſcopalis oriatur ex voto perpe-
tuo ſolemni, ſicut immobilitas Monachalis:
id habet expreſſè *2. 2. quæſt. 189. art. 7.* illis
-- Obligari autem voto perpetuo, & ſolemni
„ ad vacandum divinis obſequiis competit
„ propriè Epiſcopis, & Religioſis, Presby-
„ teri autem Curati, & Archidiaconi non
„ obligantur voto perpetuo, & ſolemni ad
„ curam animarum retinendam, ſicut ad hoc
„ obligantur Epiſcopi -- Et Epiſcopos ſe
obligare cum quadam ſolemnitate ſæpe do-
cet, ut *quæſt. 184. art. 4. 5.*, *& 8. quæſt. 185.*
art. 4., *Opuſc. 18.*, & alibi parificans cum
ſtatu Religioſo, cujus profeſſionem docet ce-
lebrari quadam ſolemnitate, & voto perpe-
tuo: affirmatque ſolemnitatem, & perpe-
tuam obligationem eſſe neceſſariam, & eſſen-
tialem ad conſtituendum ſtatum perfectionis,
docet inſuper ad Papam ſolum ſpectare di-
ſpenſationem voti Epiſcopalis verbis imme-
diate ſequentibus ad citata, *& art. 4. q. 185.*
habet -- Soli enim Papæ licet diſpenſare in
„ voto perpetuo, quo quis ſe ad curam
„ ſubditorum adſtrinxit Epiſcopatum ſuſci-
„ piens -- Cajetanus in ſuis Commentariis
vult, quod non loquatur S. Doctor de voto
propriè dicto, nullibi enim certa legitur for-
mula hujuſmodi voti, nec ullibi traditur jus
obligans, ſicut nec explicite in uſu eſt ſive
in electione, ſive in conſecratione; fit qui-
dem fidei profeſſio, & quædam juramenta
humana pro conſervandis Eccleſiæ juribus,
pro fideli adminiſtratione bonorum, & pro
ſimilibus, nunquam tamen votum formaliter
elicitur, quare immobilitas Pontificalis ori-
tur ex impoſitione ipſiuſmet officii, obligan-
tis perſonam ad permanendum in ſuſcepto
ſtatu, eumque ſpontanea voluntate non di-
mittendum; oritur ex pacto electum inter,
& eligentes, quo mutuis officiis ſibi ſpon-
dent; oritur ex quadam ſpecie contractus
voluntarie adoptati, quo Eccleſia ſe obligat
ad ſuſtentandum Epiſcopum alimentorum
ſubſidio, ut ab eo alimentum Sacramento-
rum recipiat, firmatur autem ultimatè au-
ctoritate juris Canonici: porro hæc immo-
bilitas ſufficit ad conſtituendum perfectionis
ſtatum, ad quem non requiritur obligatio
major morali.

Indiſſolubilitas Epiſcoporum inter, & Eccleſiam ex voto.

INSTABIS. Perfectio ſtatus menſura-
tur penès perfectionem obligationis firman-
tis ſtatum; ſed firmitas obligationis Epiſco-
palis eſt minor Regulari; nam illa eſt per
Papam diſpenſabilis, hæc autem non; ergo
ſtatus Epiſcopalis non eſt regulari perfectior.

RESP. min. non eſſe certam quoad
ſecundam partem: Canoniſtarum namque
doctrina eſt vota Religioſa eſſe diſpenſabilia
per Papam, quam nonnulli ex Theologis
adoptarunt, verum ſtante ſententia negante,
major negatur. Non enim perfectio ſtatus
menſuratur penès firmitatem obligantem ad
perſeverandum in eo, ſed penès obligatio-
nem operum exercendorum in ſuſcepto ſtatu;
hæc verò perfectiora ſunt Epiſcopalia, quam
Regularia, & taliter quod requirunt Epi-
ſcopum purgatum, ut docet S. Gregorius in
Paſtorali. Hinc S. Thom. *2. 2. quæſt. 185.*

art.

art. 1. *ad* 1. ait -- Requiritur autem, ut ſit
„ perfectus aliquis ad hoc, quod poſſit alios
„ ad perfectionem adducere, quod non
„ præexigitur ab eo, qui debet ad perfectio-
„ nem adduci -- Epiſcopi ad perfectionem
adducunt, adducuntur Religioſi.

237 OBJIC. II. Tantò minus eſt per-
fectus Epiſcopalis ſtatus ad Regularem,
quantò charitas proximi minus excedit cha-
ritatem Dei; a perfectione enim charitatis,
quæ eſt ſumma, deſumitur perfectio ſtatus;
ſed ſtatus Epiſcopalis ordinatur ad charita-
tem proximi, Regularis ad charitatem Dei.
Epiſcopatus enim, teſte Auguſtino *lib.* 19. *de
Civitate Dei cap.* 19. -- Nomen eſt operis,
„ non honoris; Græcum eſt enim, atque
„ inde ductum vocabulum, quod ille qui
„ præficitur eis, quibus præficitur, ſuperin-
„ tendit, curam eorum ſcilicet gerens --
ergo.

RESP. Charitas proximi præciſivè, &
ſecundum ſe accepta comparata ad charita-
tem Dei eſt minus perfecta, quam ipſa cha-
ritas Dei, ſed ſi ex abundantia charitatis Dei
dimanet, conſtituit quid melius. Porro cha-
ritas proximi, ad quam ordinatur Epiſcopa-
tus, eſt ex abundantia charitatis Dei, unde
dicit Apoſtolus 2. Corinth. 5. v. 14. *Charitas
Chriſti urget nos*, videlicet ad procurandam
ſalutem proximorum ex officio Apoſtolatus,
urgere aſſeritur, quia ſtudium dilectionis
proximi ex ſtudio dilectionis Dei habetur.
Ad Rom. 9. poſtquam magnitudinem chari-
tatis ſuæ erga Deum declaravit, ita quod ni-
hil puterat ipſum a Dei amore ſeparare, ſub-
dit cap. 10. v. 3. *Optabam ego ipſe anathema
eſſe a Chriſto pro fratribus meis*. Pro conver-
ſione Judæorum, & Gentilium paratus erat
privari ad tempus æternâ felicitate; quia ex
abundantia divinæ charitatis diffluebat chari-
tas proximi. Antequam Chriſtus Petrum Ec-
cleſiæ præſignaret, ter petiit an ipſum dili-
geret? ut ceteros inſtrueret, dilectionem
ad fratres exundare debere ex charitate Dei;
per formam igitur perfectiorem conſtituitur
ſtatus Epiſcopalis, quam Regularis.

Charitatis perfectio ad alios extenditur.

238 DICES. Vita contemplativa eſt
ſimpliciter activâ perfectior, magiſque ex ſuo
genere meritoria; ſed ſtatus Pontificalis per
ſe ordinatur ad vitam activam, Regularis ad
contemplationem; ergo ille non eſt iſto per-
fectior. Majorem probat S. Thomas 2. 2.
quæſt. 182. *art.* 1. octo rationibus ex Philoſo-
pho deductis, quæ continentur Pſal. 26. v. 4.
*Unam petii a Domino hanc requiram, ut in-
habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ
meæ, ut videam voluptatem Domini*. Prima
ratio in eo eſt, quod vita contemplativa
paucioribus indiget, quam activa; unde di-
citur *Martha Martha ſollicita es, & turba-
ris erga plurima*: & hæc clare innuitur,
dum dicitur *Unam petii*, cui reſpondet illud
Chriſti: *Porro unum eſt neceſſarium*. Secun-
da. Vita contemplativa magis propter ſe di-
ligitur, activa ad aliud ordinatur, & ideo
ſollicitè expetitur: *Hanc requiram*. Tertia.
Contemplativa in quiete, & vacatione qua-
dam conſiſtit: *Vacate, & videte*, & ideo Ma-
ria ſedebat ſecus pedes Domini, & hinc *Ut
inhabitem*. Quarta. Contemplativa eſt ſecun-
dum Divina, activa diffluit ad humana, &
A ideo ſubdit: *In domo Domini*. Quinta. Illa
eſt magis diuturna: *Omnibus diebus*. Sexta
& potiſſima. Contemplativa homini compe-
tit ſecundùm optimum, quod eſt in ipſo,
videlicet ſecundum partem intellectivam, &
verſatur circa objecta intelligibilia, activa
autem occupat etiam vires inferiores, quæ
ſunt communes brutis, & exteriora reſpicit,
& propter hoc dicitur: *Ut videam*. Septima.
Prima majorem habet delectationem, quam
altera, ea propter Magdalena jucundabatur,
turbabatur Martha: *Voluptatem*, non qua-
lemcumque, ſed *Domini*, quæ eſt æterna, &
ob hoc dicebat Auguſtinus *de verb. Domini
B Serm.* 27. -- Non tu malam, ſed illa melio-
„ rem. Audi, unde meliorem? quia non
„ auferetur ab ea; a te autem auferetur ali-
„ quando opus neceſſitatis; æterna eſt dul-
„ cedo veritatis -- & hæc eſt octava ratio;
ex his palam fit vitam contemplativam ma-
gis fore meritoriam, ut probat S. Doctor
art. 2., quia immediatius, & directius per-
tinet ad dilectionem Dei: dicente Auguſtino
lib. 19. *de Civit. Dei cap.* 19. -- Otium ſan-
„ ctum quærit charitas veritatis -- Minor
indubia eſt, & patet illo Marci ultimo: *Præ-
dicate Evangelium*, quod præcipuum munus
eſſe Epiſcoporum declarat Trident. *Seſſ.* 5.
C *cap.* 2., *ſeſſ.* 24. *cap.* 4., & in Pontificali
Romano in Conſecratione Epiſcopi interpre-
tatio Scripturæ, quam fidelibus proponit,
dicitur propria ipſius, & in VII. Synodo
habetur *cap.* 2. *poſt actionem* 7. -- Subſtantia
„ Summi Sacerdotis noſtri ſunt eloquia di-
„ vinitus tradita, ideſt vera Scripturarum
„ Divinarum diſciplina --

RESP. Conceſſa maj., quam non om-
nes concedent, diſt. min. Status Pontificalis
ordinatur ad vitam activam velut ex redun-
dantia vitæ contemplativæ, conceditur, ab-
ſtractivè, & abſolutè negatur; etenim quod
aliis tradit, ex contemplationis radice eru-
D ctare debet Epiſcopus; haurire ex Deo de-
bet, quod ſubditis porrigit. Origenes *hom.* 6.
in Levit. -- Hæc duo ſunt Pontificis opera,
„ ut aut a Deo diſcat legendo Scripturas
„ Divinas, & ſæpiùs meditando, aut po-
„ pulum doceat, ſed illa doceat, quæ ipſe
„ a Deo didicerit -- & Gregorius *hom.* 5. *in
Ezechielem* fatetur, quod de perfectis viris
redeuntibus ex Divina contemplatione dici-
tur -- Memoriam ſuavitatis tuæ eructabunt --
& in Paſtorali *part.* 2. *cap.* 1. -- Sit, ſupple
„ Præſul, actione præcipuus . . præ cunctis
„ contemplatione ſuſpenſus . . . internorum
„ curam in exteriorum occupatione non mi-
E „ nuens. exteriorum providentiam interiorum
„ ſollicitudine non relinquens -- Illuminandi
officium Epiſcopis competit. Porro non niſi
accenſo lumine, aliis prælucet lucerna, &
ignis charitatis erga proximum non niſi
ex contemplatione Divinorum pabulum ac-
cipit: *Et in meditatione mea exardeſcet
ignis*, hinc Concil. Tolet. XI. *cap.* 2. de Epi-
ſcopo habet -- Quantum quis præcelſi culmi-
„ nis obtinet locum, tanto neceſſe eſt præ-
„ cedat ceteros gratiâ meritorum, ut in eo
„ quod præſidet ſingulis, ſingulariter orne-
„ tur eminentiâ ſanctitatis, habens ſemper

„ In ore gladium veritatis , & in opere effi- „ cientiam luminis — D. Thom. *Opuſc.* 18. *cap.* 18. — Oportet ipſum, & in actione præ- „ cellere . . . & in contemplatione præci- „ puum eſſe , ut ea Deo hauriat, quod ho- „ minibus tradat — & 1. ad Timoth. cap. 3. lect. 1. habet — Quia Prælatus ſecundum „ gradum , & convenientiam debet omnes „ alios excedere in converſatione , & con- „ templatione , itaut reſpectu ſui alii ſint „ grea —

239 INSTABIS . Status Religioſus contemplativam ſimul , & activam complectitur vitam : plures namque Religioſi ex instituto tenentur prædicare , docere populum, Gentibus defferre Evangelium ; ergo perperam dicitur, quod ſtatus Pontificalis ſit Regulari perfectior .

RESP. Regulares illa non exequuntur munia ordinario , & intrinſeco jure , ſicut Epiſcopi , ſed delegato , & privilegiato , ſubordinatoque juri Epiſcoporum , ac proinde longe magis præſtat in Prælatis , quam in Regularibus . Inſuper Epiſcopi poteſtate Ordinis actiones exercent Hierarchicas , eaſque ſublimiſſimas , quas neutiquam peragere valent Regulares , & poteſtate juriſdictionis jus competit , dum ad Concilia conveniunt , fidei dogmata definiendi .

240 OBJIC. III. Status perfectionis non ſtat cum poſſeſſione divitiarum , dicente Scriptura Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade , & vende omnia , quæ habes* . Sed Epiſcopi divitias poſſident ; ergo .

RESP. Abdicatio divitiarum , alia eſt realis , alia affectiva , illa ad perfectionem ſe habet ſolum ut inſtrumentum , & diſpoſitio : eſſentialis eſt altera : Epiſcopi Eccleſiaſticos poſſident reditus , non quidem ut Domini , ſed ut Œconomi , & diſpenſatores , affective autem tenentur eos abrenunciare , quatenus parati eſſe debent omnia pro ſalute ovium contemnere , & revera , cum urget neceſſitas , id exequi : unde Greg. *hom.* 14. *in Evang.* in illud *Ego ſum Paſtor bonus* de Epiſcopis habet — Primum nobis eſt exteriora noſtra miſericorditer ovibus ejus im- „ pendere ; poſtremum verò ſi neceſſe ſit , „ etiam mortem noſtram pro eiſdem ovibus „ miniſtrare . . . qui non dat pro ovibus „ ſubſtantiam ſuam, quando pro his daturus „ eſt animam ſuam ? — Et D. Thomas *Opuſc.* 18. *cap.* 18. idem docet , & ubique , ubi hac de re occurrit ſermo .

241 DICES . Epiſcopi non ſolum divitias poſſident ſub munere diſpenſatoris , ſicut Prælati Regularium, ſed titulo veri dominii , cum bonorum Patrimonialium veri ſint Domini , & ex Eccleſiaſticis pleroſque fructus faciunt ſuos ; ſed hoc genus poſſeſſionis pugnat directè cum ſtatu perfectionis , in gradu ſaltem ſublimiori ; deficit enim ab ea perfectione , quam habet ſtatus abrenunciantium tale dominium ; ergo abſolutè propugnari nequit Epiſcopatum perfectiorem fore ſtatu Religioſorum .

Aſſerunt nonnulli nequaquam hujuſmodi dominium adverſari perfectioni , grave ſiquidem involvit onus ; Epiſcopi namque , quibus patrimonialia bona ſufficiunt, Eccleſiaſticis uti non poſſunt , & qui primis carent , ex aliis uti non poſſint , niſi pro frugali , & modeſta ſuſtentatione ; cetera verò in pios uſus erogare tenentur . Aptior tamen ea eſt ſolutio , quam ſupra innuimus , videlicet materialem abdicationem non pertinere ad intrinſeca perfectionis , ſed ſolam affectivam, quæ utique adeſſe poteſt in poſſidentibus , & ideo dixit Chriſtus pauperes fore beatos , ſed qui tales ſunt ſpiritu ; animus ſincere paratus ad realiter abdicanda bona , ubi opus erit , pro Domino , & pro ovibus , ſufficit ad ſtatus perfectionem , quod nobis declaravit Paulus ad Phil. 4. v. 12. *Scio abundare , & penuriam pati* , quibus palam fit animi promptitudo ad dimittenda bona . *Diſt.* 41. *cap.* 4. dicitur— „ Quod dicit Dominus in Evangelio (*Juſti- „ ficata eſt Sapientia ab omnibus filiis ſuis*) „ oſtendit filios ſapientiæ intelligere nec in „ abſtinendo , nec in manducando eſſe juſti- „ tiam , ſed in æquitate tolerandi inopiam — Si Religioſus cilicinas induens veſtes , ruſticoque inhabitans cubiculo , deſideriis ſerica indumenta affectet , & periſtromatibus ornata palatia concupiſcat , ſi fabas comedens , ſatiari perdicibus optet , Evangelicus pauper non eſt , ſic ex adverſo , ut optime docet S. Proſper relatus *eadem diſt. cap.* 2. — Nec „ delitiæ quælibet , ſi abſque deſiderio per- „ cipiantur , officiunt , & viles cibi plerum- „ que abſtinentiæ profectum , ſi appetenter „ accipiantur , impediunt ; hinc eſt quod „ S. David aquæ in ſe concupiſcentiam ca- „ ſtigavit , atque eam ſibi a ſuis oblatam , „ ne deſiderio ſuo ex ea ſatisfacere videretur, „ effudit : Sancto Eliæ perceptio carnium „ non concupita , non nocuit — Verùm quidem eſt abrenuntiationem realem ad concipiendam , efformandam , & conſervandam affectivam abrenunciationem apte deſervire ; & ex adverſo realem divitiarum poſſeſſionem rarò ſine affectu haberi .

242 INSTABIS . Quia Apoſtoli erant in ſtatu perfectionis , etiam realem abdicationem habuerunt , ſed Epiſcopi ipſam non habent ; ergo non ſuccedunt in ſtatu perfectionis . Maj. hab. Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum , neque argentum , neque pecuniam in zonis veſtris , non peram in via neque duas tunicas , neque calceamenta , neque virgam* ; quibus nuda ſatis paupertas indicatur .

RESP. Ut in prima Controverſia notavimus Apoſtoli votis , quibus ligantur Religioſi, erant adſtricti , ex propter rerum omnium carebant Dominio ; deinde hæc dixit Apoſtolis quando primò miſſit ad inſtruendos Judæos , quorum mos erat alere Prædicatores ; cum verò poſt paſſionem eis Gentium converſionem præcepit , permiſit ut aliquid ad uſum haberent . Hinc Lucæ 22. quærit ab eis : *Quando miſi vos ſine ſacculo , & pera , & calceamentis , nunquid aliquid defuit vobis?* Et reſpondentibus : nihil: ſubdit v. 36. *Sed nunc qui habet ſacculum , tollat & peram* . Quibus inſtruere Eccleſiæ Miniſtros voluit , non ſolum licere eis aliquid ad nutrimentum habere , ſed etiam ad pauperum levamen , quorum Patres ſunt . Ubi etiam advertendum eſt , quod ſacculum dixit Chriſtus non ſaccum , ut intelligant , paucis debere con-

tentos

tenios eſſe, quodque ſupereſt in peram reponendum pro pauperibus; Patres enim filiis theſaurizant. Hac vivendi ratione Athanaſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Nazianzenus, Carolus Borromeus, Franciſcus Saleſius, & plerique alii Epiſcopi ad excelſum Sanctitatis gradum pervenerunt.

243 OBJIC. IV. Si Epiſcopatus eſſet exercendæ perfectionis ſtatus, votum de non ambiendo nullum foret; ſed hoc videtur erroneum; ergo non eſt ſtatus perfectionis exercendæ. Maj. prob. I. Votum quod opponitur majori bono, nullum eſt; ſed hoc votum eſſet hujuſmodi: ſiquidem ſtatus Epiſcopalis eſt perfectior Regulari, & alias compertum eſt, quod Regularis, petita a Superiore venia, licet non obtenta, tranſire poteſt ad arctiorem, Epiſcopus autem abſque expreſſa Papæ facultate tranſire nequit ad ſtatum perfectiſſimum, & arctiſſimum Religionis, ut habetur cap. *Licet de translatione*, & cap. *Niſi cum pridem de renunciatione*. II. Math. 16. Dum Chriſtus dixit Petro: *Tibi dabo claves*: ipſum, ut Patribus placet, totius Eccleſiæ Epiſcopum inauguravit; ſed niſi opus eſſet perfectum, & optimum, Chriſtus ad tale munus illum non elegiſſet, ergo qui per votum ei adverſatur, nihil agit. III. Votum, quod communi ſpirituali bono opponitur, non tenet, cum Spiritui Sancto ad ſanctiora excitanti obicem ponat; atqui perfectio eſſentialis Epiſcopatus tendit ad commune ſpirituale populorum incrementum; ergo. IV. In cap. *Unico diſt.* 85. Jubet Gregorius inquirere, an quidem Florentius Archidiaconus in Epiſcopum Anconitanum electus ſe adſtrinxiſſet juramento non aſcendendi; ſed ad hanc inquiſitionem non deveniſſet, ſi votum, ſeu juramentum teneret; ergo. V. Sicut ad Epiſcopatum magna requiritur perfectio, ita etiam ad Sacerdotium, ſed votum de non ſuſcipiendo Sacerdotio non tenet, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *ad* 2.; ergo.

DEFENDITUR VOTUM DE NON AMBIENDO.

ANtonius Volpi *reſolut. morali* 199. ob præcitata momenta propugnat votum de non aſcendendo ad Epiſcopatum nequaquam obligare, atque inſimul docet licitum eſſe Epiſcopatum procurare, ſi præcipue ad Populorum ſalutem exoptetur, quamvis inde honor ſequatur, atque invalidum votum deprædicat, immo reum facit, qui oblatum refugit Epiſcopatum. In eandem ſententiam nonnullos convenire affirmat. Prædicta fortius urget, ſi votum taliter fiat, quod non ſit quis acceptaturus Epiſcopatum, niſi ſuperioris adſtringatur præcepto; nam Patres ad unum omnes perpetui ſunt in aſtruendo melius fore ſimplici verbo Prælati obtemperare, quam expectare præceptum; & ſane quoties majus obſequium præſtatur Deo, acceptando Epiſcopatum, quam recuſando? unde indubie perfectioni repugnat, ſe tali vinculo adſtringi, ut a præcepto dependeat: quod ſi de ferventioribus, atque doctioribus Religioſis ſermo inſtituatur, multò magis votum hocce inane dicendum eſt: directè enim Eccleſiæ intentioni, & bono communi adverſari cenſendum eſt; nam intendit Eccleſia, quod doctiores, & ſanctiores aſſumantur, vult itidem, quod hi magis communi bono, quam inferioribus miniſteriis incumbant, ut habetur cap. *Licet de Regularibus* -- Sicut majus bonum minori præ„ponitur, ita communis utilitas ſpeciali „utilitati præfertur -- Hæc, quæ pugnant contra votum de non ambiendo Epiſcopatum, proportionaliter urgent contra votum non ambiendi Regulares, & Monachales Prælationes, cum etiam iſtæ circa commune Regularis obſervantiæ bonum verſentur, & in Prælatis major ſanctitas exquiratur. Prælatio hujuſmodi magis habet de munere Marthæ, quam ſubjectio: porro cap. *Niſi cum pridem de Renunc.* ponitur ratio quia activa — Eſt magis utilis: cum in fœcunditate ſo„bolis lippitudo Liæ Rachelis pulchritudini „ſit prælata -- ac proinde majori utilitati opponitur votum.

244 RESP. Doctrina hujuſmodi male audienda eſt, nulloque modo adoptanda. Etenim votum de non ambiendo tum domeſticas, tum extraneas Prælationes nedum licitum, & obligatorium, ſed valde ſanctum eſt, aptumque perducere ad perfectionis culmen, atque communi Regularium Ordinum bono ſatis utile. Paucis res clareſcet. Votum profitendi Religionem ſtrictioris obſervantiæ nemo inficias ibit fore licitum, atque obligatorium, ſed pleræque Religiones ſtrictioris juris vota eliciunt de non ambiendo nec intra, nec extra; ergo hæc vota obligare debent, & eſſe de meliori bono; alias nec votum has profitendi Religiones valeret, cum præcipuæ partes ſtatus Regularis ſint vota, ſive eſſentialia, & conſtitutiva, ſive ſuperaddita, quæ præceptis æquivalent; porro hujuſmodi vota adduntur, ut roborentur eſſentialia, magiſque firmetur obſervantiæ vigor; ſuntque proinde integrantia primarium voti Religionis objectum.

245 Secundò. Eccleſia in poſitiva approbatione Ordinum Regularium nequit errare, ut alibi probatum eſt; ſed Eccleſia approbat poſitive pleraſque Religiones hujuſmodi votum profitentes, ut patet de Carmelitis Diſcalceatis Italicæ Congregationis, cujus Conſtitutiones fuerunt approbatæ ab Urbano VIII. an. 1631. 22. Martii; in his porro habetur quartum votum de non ambiendo, graviter obligans; legitur namque 1. *p. cap.* 1. *n.* 5. -- Sola trium votorum ſo„lemnium, & quarti de non ambiendo „gravis tranſgreſſio, & Divini officii omiſ„ſio mortalis eſt -- Patet etiam de Auguſtinianis Diſcalceatis Congregationis Italiæ, in quorum Conſtitutionibus a Paulo V. die 5. Maji 1620. approbatis *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. ita ſtatuitur — Præter tria ſolemnia vota „quartum contra ambitionem ultimo loco „emittent, voventes ſe nunquam directè, „vel indirectè per ſe, aut per alium intra „Congregationem ullam prælationem, aut „officium per Conſtitutiones prohibitum „prætenſuros, & pariter extra Congrega-

„ tionem neque directè, neque indirectè per
„ ſe, aut per alium ullam prælationem præ-
„ tenſuros, vel oblatam acceptaturos, niſi
„ aſtringantur præcepto ejus; qui jure præ-
„ cipere poſſit — Inſtitutum pariter Societa-
tis votum de non ambiendo habet *cap.* 10.
Conſtit. §. 6., & approbatur a Gregorio XVI.
Bulla, quæ incipit: *Aſcendente Domino*, &
S. Ignatius rogavit Paulum III. hoc illæſum
omnino ſervare, & ab Urbano laudato an.
1636. Bulla, quæ incipit: *Cum, ſicut acce-
pimus*, ſtatuitur non relaxari hoc votum per
tranſitum ad laxiorem, & in altera an. 1643.
emanata hujus voti diſſolutionem ſibi reſer-
vat, & ibi loquitur non ſolum de Societate,
ſed de Diſcalceatis Carmelitis, & Eremitis
S. Auguſtini, & Clericis Regularibus mini-
ſtrantibus infirmis, & aliis.

RESP. Adverſarius haſce Conſtitutiones
nihil probare, ſed ſolum ea ſuppoſitione
voti jam facti diſponere, quod non relaxe-
tur per tranſitum, nec auctoritate Superio-
rum Regularium, ceterum nihil innovare,
circa naturam voti, quod remanet, ſicut an-
tea erat, invalidum.

Solutio hæc a veritate longe aberrat.
Quando Eccleſia Regulares Ordines confir-
mat, itidem confirmat talem vivendi for-
mam ad perfectionem conducere, tanquam
medium de meliori, ac proinde hocce vo-
tum eſt de utili, & meliori; ergo nequit
eſſe oppoſitum perfectioni, & meliori bono;
ergo cenſeri nequit ut inutile, & peccami-
noſum, ut docet Adverſarius, adeoque ab-
ſolute obligat: & ſane Eccleſia non poteſt
approbare malum ut rectam vivendi for-
mam. Certe Urbanus expreſsè ſupponit va-
lere, cum ad ejus obſervantiam illud Pſalmi
77. uſurpet: *Vovete, & reddite*, & aperte
innuat vel ſolemnia fore, vel eandem habere
efficaciam — Ac etiam ſi vota prædicta tan-
„ quam emiſſa in manibus Superioris Regu-
„ laris dicantur ſolemnia, vel ſaltem voti
„ ſolemnis efficaciam habeant, Regularium-
„ que Conſtitutiones ſint confirmatæ aucto-
„ ritate Apoſtolica — His momentis decla-
rat reſervatam eſſe relaxationem, atque omne
attentatum per quamcumque perſonam cu-
juſcumque Dignitatis, etiam Nuncii a late-
re, per quodcumque Privilegium univerſale,
aut particulare quomodolibet conceſſum irri-
tat; hujuſmodi loquendi modus palam facit
vim, quam habent illa vota, quamque illis
tribuit Pontifex, qui etiam hac de re om-
nem tollit dubitationem, omnemque inter-
pretationem vetat; ſed una ea interpretatio-
nibus eſt, quod non valeant; ergo nulla eſt.

246 Tertiò. Votum de optimo du-
bio-procul ſubſiſtit; votum de non ambiendo
eſt de optimo, adeoque tenet. Explicatur
minor. Reſecare præcipuam malorum, &
iniquitatum radicem optimum plane eſt;
hanc radicem evellit hoc votum; cum ten-
dat ad deſtruendam ambitionem, quæ ſecun-
dùm Scripturas omnium malorum eſt radix.
Ex ea enim invidiæ, fraudes, doli, calum-
niæ, contentiones, diſſenſiones, & quidquid
perturbare ſolet commune bonum, dimanant;
unde dicitur Eccleſ. 11. v. 32. *Sicut eructant
præcordia fœtentium .... ſic & cor ſuperbo-
rum*. Sicut illa non niſi male olent, ita &
A iſti prava moliuntur. Apoſtolus 2. ad Timoth.
3. v. 1., & ſeq. mala, quæ evenient ſub
temporibus Antichriſti in ſuperbiam regerit.
*Hoc autem ſcito, quod in noviſſimis diebus in-
ſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines
ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi*. Et
revera nil a ſanctitate, & perfectione magis
alienum eſt, quam ambitionis vitium. Au-
diatur Bernardus *Serm.* 6. *in Pſal. Qui habi-
tat* — Subtile malum, ſecretum virus, peſtis
„ occulta, doli artifex, livoris parens, vi-
„ tiorum origo, criminum fomes, virtutum
„ ærugo, tinea Sanctitatis, excæcatrix cor-
„ dium, & remediis morbos creans, gene-
B „ rans ex medicina languorem — idem *Epiſt.*
42. 126. Hæc indubia ſunt, cum in hanc
ſententiam Patres, immo & Philoſophi con-
fluant, & ipſamet experientia teſtatur. Hinc
Symachus Papa *in Synodo Romana cap.* 1. —
„ Quos amor dominationis invaſit, & ju-
„ gum diſciplinæ Eccleſiaſticæ fecit reſpue-
„ re — Bene deſcribit Bonifacius cap. *Quo-
rumdam de Elect. in* 6. confuſiones, & mala,
quæ Religioſis cœtibus ex ſpiritu ambitionis
obveniunt; hunc doctrina, & exemplo ſtu-
duit Chriſtus e Diſcipulorum cordibus evel-
lere; & Matth. 20. v. 25. in eo diſcrimen
appoſuit Eccleſiaſticos inter, & Gentiles,
C quod hi ambitione ducuntur, ſecus illi: *Sci-
tis, quia Principes Gentium dominantur eo-
rum, & qui majores ſunt, poteſtatem exer-
cent in eos: non ita erit inter vos*; ad quod
alludens Chryſoſtomus ſuper hunc textum ci-
tatus a D. Thom. *in Catena aurea* habet —
„ Volens ergo Dominus, & duorum Fra-
„ trum Zebedæi, & aliorum indignationem
„ extinguere introducit differentiam inter
„ Principes mundiales, & Eccleſiaſticos,
„ oſtendens, quia primatus in Chriſto nec
„ ab aliquo appetendus eſt non habente, nec
„ alteri invidendus eſt habenti — Graviſſima
ſunt, quæ non Patres tantummodo, ſed &
D Concilia, & Canones urgent adverſus am-
bitionem, quibus apertiſſimè conſtat fon-
tem eſſe malorum maximum, proindeque
optimum eſſe ei occurrere, & quo efficacius,
eo melius; occurritur autem indubie per vo-
tum de non ambiendo, ut prudens quilibet
facile conjicere poteſt.

247 Quartò. Nequit, ut inepta voti
materia rejici, quod a Sanctiſſimis Viris
comprobatum eſt; ſed Viri Sanctitate cele-
bres a dignitatibus ſponte oblatis abhorruere;
ergo. Minor pluribus poſſet evinci, paucis
tamen rem abſolvemus. Apud Sozomenum
lib. 6. *Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 30. Ammonius ne in
E Epiſcopum eligeretur ſibi auriculam præcidit,
paratus & linguam obtruncare. S. Marcus, ut
habetur *in Prologo Gloſſa Ordin. in Evangel.
Marci*, ſibi digitum amputavit, ne Sacerdotio
inauguraretur, & refertur a S. Thoma 2. 2.
quæſt. 185. *art.* 2. S. Ambroſius publicas mu-
lieres ad ſe adducere curavit, ut iniquus re-
putaretur, & ſic Epiſcopalem effugeret di-
gnitatem. S. Auguſtinus non niſi compul-
ſus, atque coactus creatus fuit Antiſtes.
S. Martinus arte e Monaſterio eductus, mi-
litibus ſtipatus, atque ad Eccleſiam deductus
conſecratus eſt. S. Cæſarius in ſepulchris la-
tita-

ritavit, ne ad Epiſcopatum aſſumeretur. S. Gregorium Magnum totis viribus Pontificatum reſugiſſe legitur. S. Epiphanius quaſi violenter ductus eſt ad altare, ut conſecraretur. S. Joanoes Chryſoſtomus inter lacrymas Epiſcopali conſecratione aſſumptus eſt. S. Laurentius Juſtinianus ter reſtitit Eugenio Papæ. S. Thomas Archiepiſcopalem Inſulam ab Urbano IV. oblatam recuſavit. S. Baſilius, Nazianzenus, Malachias, aliique plures fugâ, precibus, modis omnibus a dignitatibus abſtinere conati ſunt. Porro ſi hoc excellens non foret virtutis actus, nequaquam tanto ſtudio obſtitiſſent Viri omni virtutum exercitio incumbentes, & aliàs quam maxime de proximorum ſalute ſollieiti; horum exempla commendat Eccleſia, & inter præcipua ſanctitatis argumenta reponit, & populis velut quaſdam ſublimes perfectionis notas imitanda proponit, qua propter excellentiſſimum actum exercet, qui voto ſe impedit ad ſuſcipiendas dignitates.

248 DICIT Volpi, qui vovent non eſſe graviter damnandos, quia probabiliter id agunt; cum unuſquiſque ſuo ſenſu ducatur; causâ enim humilitatis id vovent.

Hæc reſponſio artem involvit omnia vota eludendi; omnia namque, prætextu aliquo, poſſunt ad motiva probabilitatis trahi. Valde quidem diſcriminatur, probabilitate a gravi noxa excuſari, & certò laudabiliter operari. Sancti, qui nervis omnibus Epiſcopatum reſugerunt, tanquam heroicæ virtutis exempla commendantur, atque exhibentur; plerique eorum Spiritu Sancto dirigente, media elegerunt prima facie reprobanda, ut de S. Marco Pollicem ſibi amputante ſcribit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad* 3. S. Gregorii ſugam miraculis illuſtravit Deus; unde Romani Pontifices hæc vota approbaverunt, velut media apprime ad perfectionem conſequendam utilia, ac proinde plane laudabilia, atque indubie obligantia. Hinc ſolvuntur momenta, quæ objectione IV. ſuperius adducta fuere.

249 RESP. igitur ad primum. Status Epiſcopalis ſecundùm ſe eſt perfectior Regulari, ſed etiam periculis involutus; ſiquidem culmen honoris, poteſtas Dominationis, divitiarum affluentia, & potiſſimum grave onus paſtoralia exercendi munia æternam ſalutem in diſcrimen adducunt; ea propter moraliter melius eſt ipſum reformidare, ab eoque reſugere: hoc enim ſecuriùs, a periculo præſumptionis diſtantius; ſtatus verò Regularis valde ab hoc elongatur, cumque ſit diſcipulatus ad perfectionem, aptus plane eſt ad conſequendam ſalutem, hinc meritò optari poteſt, & votum de eo non ſuſcipiendo velut oppoſitum majori bono reprobatur. Decretales citatæ ſermonem habent, dum Epiſcopus plurimum proximorum ſaluti deſervit; tunc enim, motivo melioris ſtatus, non permittitur tranſitus ad Religionem; quoniam verò contingere poteſt, quod ſpecie humilitatis quis decipiatur cum detrimento proximorum, ideo non eſt e jure Prælatorum pro libito Monachatum aſſumere; e contra permittitur tranſitus Regularium ad arctiorem in quibuſdam circumſtantiis abſque Prælatorum veniâ, quia per ſe eſt evidens mutatio in melius. Facilius quoque in Monachis conceditur aſcenſus ad Pontificalem dignitatem, quia exercitati in virtutum paleſtra, & ſcientiis eruditi, laboribus aſſueti, utiliores reperiuntur pro augenda, & promovenda populorum ſalute.

250 Ad ſecundum. Concedimus Chriſtum eligendo Petrum, ſicut & ceteros Apoſtolos in Epiſcopos optimum dediſſe ſtatum, ſed arduum, & non niſi efficaciter Spiritu Sancto vocante, aſſumendum. Quod exemplo, & doctrina palam fecit, exemplo, quia ipſe elegit eos, nec ſemetipſum clarificavit, ut fieret Pootiſes, ſed qui locutus eſt ad eum: *Filius meus es Tu*, ad Heb. 5. v. 4. *Quia nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* Doctrinâ, quia non promiſit Petro claves, niſi prævia confeſſione Chriſtum eſſe Filium Dei, & quidem non ex revelatione carnis, aut ſanguinis, ſed æterni Patris, ut intelligant, qui ad Prælationem aſſumendi ſunt, quod nullimode acquieſcere debent carni, & ſanguini, ſed cœleſtibus incumbere. Inſtituit inſimul Chriſtus ſermonem de ſua paſſione, ut Vicarium ſuum erudiret, ut prompto animo pro ovibus vitam impenderet, cum Ipſemet pro humano genere ſanguinem ſudit, ideoque dixit: *Tu me ſequere*. Hoc porro illud eſt bonum, quod in deſiderio Epiſcopatus includitur, martyrium videlicet, ſicut Patres exponunt; & quando Joan. 21. Petrum Summum Eccleſiæ Paſtorem inauguravit, repetitum dilectionis teſtimonium exquiſivit, ut abunde innueret excellentiorem requiri perfectionis gradum in Prælato, quem ſi quis exiſtimet ſe habere, præſumptuoſus eſt; propterea qui voto ſe impedit ad ſpontaneam acceptationem, non opponitur optimo, ſed ſuæ conſulit ſaluti.

251 Ad tertium. Tunc communi bono votum hocce adverſaretur, quando omnino abſolutum foret; videlicet de non acceptando Epiſcopatu etiam pro caſu neceſſitatis, & accedente Superioris præcepto, immo ſub his circumſtantiis non ſubſiſteret, prout dicit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad* 3., & hinc dignoſcitur melius fore pro communi bono, quod præcepto debeant cogi ad acceptandam prælationem, quia evulſa ambitionis radice, aptiores facti ſunt, & accedente obedientia certiores fiunt tum de Divina voluntate, tum de ſecuritate Divini auxilii.

252 Quartum, nl fallor, Adverſarium ferit. Romanus ſiquidem Pontifex admonitus de qualitatibus Florentii Anconitanæ Eccleſiæ Archidiaconi electi in Epiſcopum, mandat inquiri de veritate circa tria, quæ ad infirmandam electionem objiciebantur, quod nempe longevæ ætatis erat, quod erat nimis tenax; nunquam enim amicus domum ejus ingreſſus fuerat; demum quod tactis Evangeliis juraverat non aſcendere. Si juramentum hoc non obligaret, perperam de veritate exquiſiviſſet; Gloſſa quidem dicit votum fuiſſe temerarium, ſed non id aſſerit, quia aſſet de non acceptando Epiſcopatu, ſed quia vel incaute, & abſque ſufficienti ne-

neceſſitate, aut deliberatione elicitum, vel quia generaliter, ita quod ad quoſcunque caſus extenderetur; ut per Gloſſulam oſtenditur.

253 Quintum corruit undequaque, I. aſſirmando votum de non aſcendendo ad Sacerdotium fore invalidum; eſt enim tanta dignitas, quod motivo humilitatis, & reverentiæ recuſari poteſt, & de facto plerique Sanctorum laudabiliter omnibus viribus obſtiterunt, ſicut Eccleſiaſticæ referunt hiſtoriæ; nec laudatus Angelicus de Sacerdotio ſermonem habet: en verba S. Doctoris -- „ Cum aliquis jurat ſe non intraturum in „ Religionem, vel quod non fiet Clericus -- Porro altum intercedit diſcrimen Clericum inter, & Sacerdotem. Unum ſtatum excludit Eccleſiaſticum, qui cœlibatum involvit, ſicut & debitum peculiariter militandi Deo, aliud verò hoc non excludit, ſed ſolummodo reverentiæ causâ altiorem refugit gradum, & hac ſuper re laudatiſſimum præſto eſt exemplum in Sancto Franciſco Aſſiſinate, qui Clericatum aſſumpſit, Sacerdotium conſtantiſſimè recuſavit. II. Æquiparando Epiſcopatum cum Sacerdotio. Eſt quidem Sacerdotium excellens gradus, excellentiorem exigens Sanctitatem, ſed tamen ſtatum non importat perfectionis; Epiſcopatus verò ſtatum dicit perfectionis non qualiſcumque, ſed exercendæ & Magiſterii; unde perfectiora tenetur exercere Epiſcopus, quam Sacerdos, & majora, durioraque habet ille onera, quam iſte; ultro quidem Adverſario damus non requiri Epiſcopum ut D. Paulum, aut D. Petrum fore perfectum, attamen, ut Patres docent, ſicut in dignitate, ſic in Sanctitate oves debet præcellere. Damus itidem quod niſi aliquid expreſsè obſtet, quemlibet præſumi juſtum, & ſtatum Epiſcopalem opus eſſe bonum in eo, qui licet a perfectione aliqualiter deficiat, ad eam tamen poteſt devenire: non enim deturpatur miniſterium, ex quo Sanctitas deſideretur in Miniſtro. Verum hoc id unum evincit poſſe Collatorem hunc eligere, quando aptiores non habet, vel non cognoſcit, non tamen ſat eſt, ut ſponte quis ſe offerat, & volens, lubenſque acceptet; qui enim ſe idoneum putat pro Epiſcopatu præſumptuoſus eſt, ut diximus.

254 Nec ſuperius inſerta additamenta contra votum hocce urgent. Non primum: nam ſecluſo caſu valde raro, in quo tanta ſit neceſſitas Eccleſiæ, ut charitas ad Epiſcopatum acceptandum impellat, aut in quo certò manifeſtaretur Dei voluntas, ſemper melius eſt expectare præceptum, quam ſimplici ordinationi obtemperare; quod compertum ſit, ex quo ſic omnia ad votum evenient: etenim pericula facilius evitantur, rectus ſervatur ordo, cura ſiquidem providendi ſubditorum incremento, altius ad Superiorem, quam ad privatum ſpectat: Superiori magis ſolet eſſe perſpecta publica, quam particularis neceſſitas, proptereaque certius judicare poteſt de idoneo Miniſtro; præcavetur inordinati affectus ſuſpicio in eligente, & occluditur deceptio in electo. Cum enim in propria cauſa nemo recte judicet, difficile plane eſt, omnia ſarta tecta fore, A quando præceptum non expectatur, ſed ſimplici ordinationi ſubmittitur, ac proinde difficile pariter eſt prudens efformare judicium, an majus præſtetur obſequium Deo acceptando, quam non acceptando, & an hujuſmodi electione pericula oneri connexa præcaveantur. Quare optima ſunt, & obligatoria eorum vota, qui promittunt ſe non acceptaturos, niſi adſtringantur præcepto, etiam in caſu, quo Superior videret eſſe expediens, ſed nollet præcipere; niſi tamen circumſtantia talis occurreret, in qua præceptum charitatis urgeret: ſemper enim ſui amor ad fallendum promptus eſt.

B 255 Illa verò Patrum regula, quod laudabilius ſit ſimplici ordinationi annuere, quam expectare præceptum, intelligenda eſt quoad ea, quæ communius contingunt, atque naturali adverſantur inclinationi, ſecus in his, quæ nobis arrident, ut bene explicat S. Gregorius *lib. 35. moralium cap. 10.* -- „ Sciendum ſummopere eſt, quod obedientia aliquando, ſi de ſuo aliquid habeat, „ nulla eſt; aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat, minima -- Cum jubentur proſpera, quæ expetuntur, obedientia nulla eſt; cum jubentur adverſa, ſi libenter non acceptentur, minima, primum probat C Moyſis exemplum, qui Iſraelitici populi regimen recuſavit, & Pauli, qui aſcendit libentius Jeroſolymam, ubi a Propheta audivit ſibi parari vincula: deinde ſubdit -- „ Præeunte ergo utrorumque Ducum infracta virtute inſtruimur, ut ſi obedientiæ „ palmam apprehendere veraciter nitimur, „ proſperis hujus Seculi ex ſola juſſione, adverſis autem etiam ex devotione militemus -- quæ doctrina refertur *cauſa 8. quæſt. 1. cap. Sciendum*, eamque propugnat Angelicus *2. 2. quæſt. 104. art. 2. ad 3.*, ubi egregie advertit -- Quod etiam in proſperis obedientia aliquid de ſuo habens, non propter D „ hoc ſit minus laudabilis, ſi ſcilicet, propria voluntas obedientis, non minus devote attendat ad impletionem præcepti -- Igitur in rebus valde momentoſis, quibus poteſt prudentialiter ſuccumbere humana infirmitas, aut in rebus proſperis, præceptum expectare melius eſt. Hinc deducit P. Suarez in Religionibus, in quibus ſit profeſſio miſſionum, ſicut eſt Societas, & noſtra, quæ votis ſolemnibus adjungit propoſitum eundi ad miſſiones, laudabilius eſſe obedire ſimplici ordinationi, quam expectare præceptum, & perfectius conſilium adhuc eſſe, ſponte ſe offerre, quam invitatum, & miſ- E ſum ire; & ratio eſt, quia in his non intervenit honorificentia dignitatis, utilitas, & hujuſmodi, ſed laboris arduitas, ſalutis animarum lucrum, quibus non deeſt Dei auxilium, ex quo Religio hoc genus operum adoptavit.

256 Non ſecundum, quia ut jam dictum eſt, hoc votum non opponitur communi bono, cum non excludatur acceptatio, accedente præcepto, quod facillimè dare poteſt Pontifex, ſi expediens judicaverit, quare Religioſi hoc voto non ſe impediunt, ſed magis agunt juxta Eccleſiæ intentionem, quia aptio-

aptiores fiunt ad melius communi bono inſerviendum.

Non tertium, quia hujuſmodi vota non jam officiunt, ſed apte regulari obſervantiæ deſerviunt, non tamen uſus invaluit ad domeſticas prælationes expectare præceptum, quia votum de hoc non emittitur; & meritò ſane: nam major eſt neceſſitas, ut aliqui has ſuſcipiant prælationes, & minora in illis occurrunt pericula.

257 DICES. Si Epiſcopatus eſſet ſtatus Regulari perfectior, habens votum Religionis ei ſaceret ſatis per aſſumptionem ad Epiſcopatum; ſed hoc non videtur verum; ergo. Major habetur Can. *Pervenit 2. de jurejurando*, ubi dicitur -- Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat -- & ratio in aperto eſt, quia vinculum majus ſolvit minus: hinc matrimonium diſſolvit ſimplex Religionis votum; ſed vinculum matrimonii ſpiritualis eſt majus; ergo. Pariter votum ſolemne in Religione laxiori ſolvit vinculum voti de ingreſſu ad ſtrictiorem. Ulterius ligatus voto ſolemni Religionis aſſumi poteſt ad Epiſcopatum; ergo multo magis antequam profiteatur. Minor habetur cap. *Per tuas de voto*, ubi electus habens votum Religionis debet renunciare, ut voto faciat ſatis.

Quidam ex Canoniſtis ſicut nonnulli ex Theologis probabiliter docent voto ſatisfacere ſi quis habens votum Religionis eligatur ad Epiſcopatum; hinc plura excogitaverunt, ut laudatum Canonem *Per tuas* eluderent; verum in re tanti momenti Pontificum Sanctiones omnino ſervandæ ſunt cum interpretationes non niſi ambitionem fovere manifeſtum ſit. Canon itaque ſequentia habet -- Nos igitur tuæ diſcretioni conſulimus, „ ut ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam, „ regimen reſignes Eccleſiæ memoratæ, ac „ reddas Altiſſimo vota -- Ubi notandum occurrit, quod ibidem in idem redit *conſulo*, ac *reſpondeo*, ut contextus palam facit. Illud enim *ſanare conſcientiam* importat medium ad ſalutem neceſſarium, ſicut quod additur *Reddas Altiſſimo vota*, ſupponit vim voti extare, quod verum non foret, ſi facta eſſet commutatio; & ſane ſtatus Religioſus eſt compoſſibilis cum Epiſcopatu, & aliqua conſilii opera exercenda includit, quæ Epiſcopatus non importat, ut ergo illi particulari perfectioni, ad quem ſe obligavit per votum ſatisfaciat, tenetur Religionem ingredi. Rurſus: ſunt diverſæ rationis iſti ſtatus; Regularis per ſe primò ordinatur ad propriæ ſalutis ſtudium, & ad hoc ordinat media: Epiſcopalis verò ſtatus primò ſpirituale aliorum incrementum reſpicit: hinc fit, quod primus eſt per ſe appetibilis, non autem ſecundus; ea propter non omnes occurrunt conditiones, ut commutatio habeatur in melius; porro regula ſuperiùs deſcripta adoptanda eſt, ſi ſpectatis omnibus commutatio fiat in melius, quod impræſentiarum non contingit; ſtatus namque Religioſus in ordine ad æternam ſalutem melior eſt, licet, facta comparatione, perfectior ſit Epiſcopatus; in commutationibus autem votorum, ut aliquid melius dicatur, circumſtantiæ perpendendæ ſunt; nec inducta ratio quidquam urget; non enim ſpectanda eſt ſola ratio majoris vinculi, ſed etiam major voventis perfectio. Deinde non eſt verum, quod vinculum matrimoniale votum diſſolvat. Si enim matrimonium ſit ratum, prævalet votum Religionis, adeoque adimplendum; ſi ſit conſummatum, impeditur quidem, ſed mortua uxore obligat. Votum verò ſolemne in mitiori inſtituto emiſſum ſolvit votum ſtrictius amplectendi; utrumque enim eſt ſtatus perfectionis ſequitendæ: demum Profeſſus in Religione rectè in Epiſcopum conſecratur, cum adhuc Religioſus perſeveret, ſecus non Profeſſus; igitur peccat, ſi votum non impleat, & Epiſcopatum aſſumat, cumque debet dimittere, ut votum impleat, quod ſi fuerit confirmatus, tenetur petere veniam a Papa; contraxit namque validum vinculum cum Eccleſia, quod non eſt diſſolubile ſine licentia Papæ, cui debet, cum petitur venia, votum declarare; nam illud fuit abſolutum indigens vera, & propria diſpenſatione; in rem autem incognitam non operatur Papalis auctoritas. Rurſus ut votum relaxetur, adeſſe debet juſta cauſa, ut enim perpetua vincula diſſolvantur, juſta exigitur cauſa, eſt enim poteſtas diſpenſandi in ædificationem, non in deſtructionem, ad hoc autem prærequiritur cognitio, ac proinde manifeſtatio voti, ſi votum fuiſſet elicitum poſt aſſumptum Epiſcopatum, tunc haud neceſſe eſt votum manifeſtare, ſed ſat eſt facultatem petere ad ſtatum Regularem tranſmigrandi; illud quippe conditionatum cenſetur, ſi nempe Pontifici bene viſum fuerit; qua de re paritas præſto eſt; ſi enim Religioſus voveat jejunium, ex quo eſſentialiter votum hocce ſit conditionatum, ſufficit poſtulare veniam; ex his altius noſtra firmatur doctrina; ſi enim aſſumptio ad Epiſcopatum votum non ſolvit ingrediendi Religionem, quia hic tutiùs de æterna ſalute agitur, a fortiori ſtabit votum de non aſcendendo, ut permaneat in priori Religioſo ſtatu, cum adhuc non ſit contractum ſpirituale vinculum matrimonii cum Eccleſia, ſicut contrahitur per actualem aſſumptionem; quare commendandi ſunt, qui hujuſmodi humilitatis vota emittunt, ſive de non acceptando Epiſcopatu, ſive de non aſcendendo ad Sacerdotium, ſeu ad altiorem gradum; ſiquidem ut innuimus, materia voti debet eſſe de meliori bono comparative, non autem ſimpliciter, & abſolutè; debet enim eſſe talis, quod attentis omnibus reddat voventem cautiorem ad ſalutem, gratioremque Deo: porro ad majorem ſpiritualem profectum, loquendo de Laicis vocatis ad laborem, atque ad inſerviendum in temporalibus, humilis ille ſtatus conducit, magiſque ſecuri vivunt, cum maneant in vocatione, qua vocati fuerunt a Deo.

258 REPLICABIS. Vota de non ambiendo, ſicut de non aſcendendo ad altiorem gradum non ſunt de meliori bono, non abſolute, ut patet, nec comparative; nam comparatio non tollit aliud extremum eſſe melius; & aliàs qui in inferiori gradu conſtituti ſunt, altiora appetunt, quod ſi per votum ſe noſcant præpediti, anxiantur, pœnitent,

tent, ita ut ejuſdem obſervantia plurimum periclitetur, potiſſimum cum vota ſunt ſtrictiora, ut ea, quæ operationes excludunt tum directas, tum indirectas, quarum occaſiones ſæpe numero præſto ſunt; aliunde ablato hoc impedimento, excitantur magis viri Religioſi, ut ad dignitates aptentur; & inde majus ſequitur Reipublicæ bonum, dum plures ad regimen idoneos habet.

Indubie hujuſmodi argumentum ſpiritum ambitionis ſapit. Nullum eſt invenire vitium, quod virtutis colore ſe tueri non conetur, hocque præcipue, quod variis theenis ſe defendit. Ceterum non eſt cenſenda injuſta lex, ſi occaſione legis perpetrentur delicta: defectus perſonales non arguunt reprobandam doctrinam, nec culpanda eſt via, ſi quis ab ea recedens in foveam cadat, & tamen adeo cæci ſumus, quod inconſiderate ambulantes, ſi in lapidem offendamus, ei perperam mala precamur; ceterum Inſtantia nos cogit explicare votum de non ambiendo.

EXPLICATUR VOTUM DE NON AMBIENDO.

259 QUoniam nonnulli votum de non ambiendo male audiunt, cum ex eo crimini dimanare propugnent, operæ pretium erit brevi calamo rem explicare, ut hinc compertum fiat non voti vitio, ſed peccantium pravitati vertendum, ſi quid mali inde habeatur. In reſolutione caute, & ſincere incedendum eſt, ne vel nimis indulgendo, vel nimis arctando damnabilibus anguſtiis conſcientiæ illaqueentur; quod ut dilucide fiat, voti formulam prout apud Noſtrates emittitur ſubjiciendam duxi. Emiſſis itaque tribus votis additur -- Inſuper pro„mitto me unquam directe, vel indirecte, „per me, aut per alium intra Congrega„tionem ullam prælationem, aut officium „per Conſtitutiones prohibitum prætenſu„rum; & pariter extra Congregationem ne„que directe, neque indirecte, per me, „aut per alium ullam prælationem præten„ſurum, aut oblatam accepturum, niſi „adſtringar præcepto ejus, qui jure præci„pere poſſit -- Sub iiſdem terminis elicitur votum hocce a PP. Diſcalceatis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, iiſdem a PP. Diſcalceatis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

260 Antequam ad rem noſtram propius accedamus, ſupponendum eſt I. ſub hoc voto non contineri affectum pure internum ad dignitates, nec earundem deſiderium, aut complacentiam, quamvis per hujuſcemodi actus vovens ambitioſus habeatur apud Deum; hacque de re nulla eſt Controverſia; & meritò ſane; verba ſiquidem, quibus deſcribitur, non niſi externos actus important. Peccaret tamen contra votum, qui intra ſe ſtatueret externas illas actiones a voto prohibitas exercere, licet poſtmodum pœnitens reſipiſceret; ſiquidem actus ille, tanquam objectum, materiam illicitam, atque malam reſpiceret, proindeque actum vitiaret, quod clare conſtat, dum exterior actus vel præcipitur, vel prohibetur; ea propter ſi quis deliberare ſtatuat non audire Sacrum die feſto, aut non jejunare, inſtante præcepto, indubie peccat, etſi mutato animo Sacrum audiat, atque jejunet.

261 Supponendum II. votum ſtrictius urgere per illas particulas *directe, vel indirecte, per me, aut per alium*, quam ſi tantummodo directa, & per ſeipſum impediretur procuratio: conſtat namque aliam eſſe directam ab indirecta cauſalitate, ſicut eam, quæ per ſeipſum, ac per alium habetur: una ſiquidem ab alia quit ſeparari. Unde palam fit arctius fore votum laudatorum, aliorumque Ordinum, in quo deſcribitur *indirecte, & per alium*, quam votum, & juramentum eorum, qui talia prætermittunt, ea propter hi, ſi alio mediante, prælationem aliquam exquirerent, non peccarent, eo plane pacto, quo ſi latum foret anathema contra occidentes, prætermiſſis conſulentibus, & mandantibus, iſti nullimode, ſecuto homicidio, cenſurâ eſſent irretiti; quod clare evincitur, ex quo vota, & juramenta obligant juxta verbalem ſignificationem; cumque ſint obligatoria, coarctando libertatem, non debent extendi. Prædicta diximus valere, ſi voti formula ſpectetur: etenim alia eſſe poteſt jurantium, & voventium intentio ex mente totius Religionis, ut dubio-procul contingit in præcitatis Inſtitutis, in quibus juxta communem intelligentiam excludere volunt quancumque prætenſionem ſive per ſe, ſive per alium, ſive directam, ſive indirectam. Res clareſcet exemplo voti, quod emittunt apud Carmelitas Diſcalceatos Donati Fratres, ſeu Laici; non eſt iiſdem prohibita procuratio mutationis habitus, aut aſcenſus ad altiorem gradum indirecte, & per alium, quia neutrum in formula exprimitur. Dicit enim -- „Inſuper promitto me nunquam prætenſu„rum aliquam mutationem habitus, vel „aſcenſum ad gradum aliquem altiorem eo, „ad quem a Deo vocatus ſum -- Porro quod in vinculis onerоſis non exprimitur, ſuperaddi nequaquam debet. Si ab Epiſcopo caſibus reſervatis accenſeatur homicidium, non facta mentione *per alium, vel etiam indirecte* perpetratum, non comprehenderetur mandans, aut non obſtans; agitur ſiquidem de ligamine gravante. Certum eſt vi formulæ in voto a Choriſtis emiſſo, plus aliquid per illas expreſſas particulas ſubintelligi; alias ſuperfluæ eſſent, & repetitæ nihil operarentur, quod in legibus maxime cavendum eſt; ergo in voto Donatorum prætermiſſæ aliquid operantur. His adſtipulatur Conſtitutio *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 6., ubi agendo de Donatorum profeſſione mandat, ut emittatur profeſſio a Donatis ſub eadem verborum forma, qua Choriſtæ Fratres utuntur; non tamen idem aſſerit de quarto voto, pro quo ſpecialem formulam deſcribit; propterea in aperto eſt utramque formulam vim eandem non habere; quod non contingeret, ſi adhuc non expreſſis particulis *indirecte, & per alium*, nihilo tamen minus eodem modo obligaret. Fateor, quod, qui per alium facit, per ſe facere dicitur; unus enim eſt modus influendi

Votum Donatorum dilucidatur.

in

in effectum, verùm itidem notum eſt in quæſtionibus juris, & facti aliter diſcurrendum eſſe; unde quandoque oneri, & pœnis ſubjicitur, qui directe in aliquem effectum concurrit, ſecus qui indirecte. Ulterius admitto phraſem illam: *Me nunquam prætenſurum* eſſe in aliquo ſenſu generalem. Utique qui per alium prætendit, vere dicitur prætendere, ſed non abſolute; ſiquidem per ſeipſum revera non prætendit; ſicut qui pro fratre, pro amico prætendit, certe prætendit; quoniam verò in neutra formula exprimitur pro alio, ideo in illa generali clauſula prætenſio pro alio non comprehenditur.

Diximus vi formulæ ſecundùm cujus verba in foro externo fertur judicium; nam ſecundùm intentionem voventis, ideſt Religionis comprehenditur etiam procuratio per alium. Religio ſiquidem intendit, quod potiſſimum per ſe conducit ad finem præintentum in lege de voto humilitatis eliciendo; ſed prohibitio procurandi per alium maxime ad hunc præintentum finem conducit; ſiquidem noverunt ad unum omnes, facilius ab inferioribus obtineri mutationem ſtatus, & hujuſmodi alia, inſtantibus viris Principibus, quam ſi per ſeipſos id curent. Dubio-procul repellet Religio inſtantias Fratrum noſtrorum Donatorum, ſi ab ipſa exquirant mutationem habitus: urget namque in contrarium votum ab ipſis in Profeſſione emiſſum: Pontifex itidem ob idem momentum eos dimittet inanes, ſi autem id expoſtulent per Imperatorem, aut Principem, difficilius rejicientur. Magnatum namque poſtulationes quandam coactionis ſpeciem præſeferunt. Hinc eſt quod ſemper obſtitit Religio, quoties inſtarunt pro mutatione habitus, & dum poſtremò id attentarunt, eorum Procurator tum Italus, qui eruditam efformavit allegationem, tum Hiſpanus, qui non mediocriter laboravit, hoc non ſunt uſi argumento; quod ſane fuiſſet via compendiaria ad finem conſequendum, apprime ſcientes votum obligare ad mentem Religionis, quæ alia ſane non eſt, quam omnem tollere procurationem etiam per alium. His poſitis.

262 Procuratio directa ea eſt, quæ poſitivâ actione, rectâque viâ terminatur ad conſecutionem, ſeu prætenſionem officii prælationis immediate per ſeipſum, vel mediate per alium. Accipe doctrinam PP. Salmanticenſium *de vitiis, & peccatis diſp. 10. dub. 6.* §. 5. *n.* 141. dum explicant volitum directum -- Tunc dicitur volitum directe, quando „ volitio poſitive, & via recta ad illud terminatur, ſive immediate volendo illud expreſſe, ſive mediate volendo aliquid, in quo continetur, quatenus in eo continetur -- Procurationem per alium ſub directa comprehendi nullus Theologorum inficias ibit. Directus dicitur occiſor præcipiens, mandans, conſulens; ſicut & fur cenſetur præcipiens, conſulens, mandans. Audiamus S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *in corpore* -- Quod quidem contingit dupliciter, dire„ cte ſcilicet, & indirecte: directe quidem „ quando inducit aliquis alium ad accipien„ dum, & hoc quidem tripliciter &c. -- Ratio autem habetur ex regula juris *in 6.* -- Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi fa„ ciat per ſe ipſum -- Ubi Gloſſa rem duobus explicat exemplis, contrahentis nempe matrimonium per Procuratorem, & verberantis Clericum per famulum. Neque hac in re ulterius immorandum, cum non niſi ſponte cæcutientes lateat.

Procuratio directa exponitur.

263 Majori indiget expenſione procuratio indirecta; majorem quippe habet extenſionem, magiſque periculis obnoxia eſt. Procuratio itaque eſt quædam cauſalitatis, & volitionis ſpecies; ea propter eodem modo intelligitur indirecta procuratio, ac indirecta cauſalitas, & indirecta volitio. Porro cauſalitas, & volitio indirecta dupliciter intelligi valet, primò, quando actio ad unum ordinata, ad aliud ſimulato titulo dirigitur, ſecundò, quando actio ad unum tendit, ex quo aliud ſequitur per hoc quod amoveantur, vel non amoveantur impedimenta; unde removens, vel ponens impedimenta dicitur cauſa indirecta. Nullo prætermiſſo labore ſtudui venari mentem D. Thomæ quoad hanc indirectam cauſalitatem, ſicut & volitionem indirectam, & perpenſis ultra triginta locis, in quibus hoc verſat, comperi doctrinam ad duos illos modos, & præcipue ad ſecundum reduci: primus ergo modus in eo conſiſtit, quod actionem aſſumat quis ad alium effectum tendentem, & ab agente ſimulate trahitur, ſeu fit animo movendi Superiorem, ut illud ad dignitatem extollat. Rem dilucidat P. Suarez in Religioſo, qui majoribus obſequia præſtaret, animo ſibi viam parandi ad dignitates: actio hujuſmodi cenſenda eſt indirecta prælationis procuratio. Religioſus rem ſibi oblatam, atque acceptatam dat alteri, prætextu mutui, animo tamen non repetendi; hæc eſt indirecta donatio per Bullam Clementis VIII. *De largitione munerum* prohibita; explicantibus Doctoribus indirectam donationem eam eſſe, quæ quæſito colore ſimulatur, ac tegitur. Indirecte ad reſtitutionem adſtringitur, qui rem furatam, vel furem occultat, ut docet laudato loco S. Thomas, quod communiter intelligitur, ſi intentione occultandi fiat, ſecus ſi id fiat ſive titulo conſanguinitatis, ſive alio ſimili. Eâdem pariter quæſtione *art.* 2. *ad* 4., qui impedit, ne quis obtineat beneficium, ut ob Eccleſiæ bonum detur digniori, laudabiliter facit, ſi verò ex pravo animo illi nocendi dignum impediat, etſi ſimulet Eccleſiæ utilitatem, peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Actio namque impeditiva ſub illo pravo interiori motivo evadit indirecta cauſa alterius nocumenti. Ex eodem Angelico *in Cap.* 1. *Epiſt.* 5. *Jacobi* notatur diſcrimen ex Gloſſa Deum inter, & Dæmonem quoad tentationem; licet enim Deus, & Dæmon eundem poſſint excitare affectum in homine, Deus tamen non dicitur tentare, cum per illum affectum non intendat hominem perdere, bene verò Dæmon, ex quo ejuſdem exoptet ruinam. His ſuppetias fert jus civile *l.* 2. §. *Idem Labeo ait ff. de aqua pluvia arcenda* -- Qui avertit tor„ rentem, ne ſibi noceat, unde factum ſit, „ ut vicinus noceatur, cum eo aquæ pluviæ „ arcendæ agi non poſſe a vicino, ſi modo

Exponitur procuratio indirecta.

„ hoc animo fecit, ut vicino noceat, ſed ne „ ſibi noceat — Hic palam ſit eandem actionem ex pravo animo fore peccaminoſam, atque damnabilem, quæ ſine illo cenſetur honeſta: interior namque affectus effectum aliàs cum cauſa non connexum unit, atque conjungit. Indirecte itaque expetere, ſeu ambire prælationes conſiſtere in eo, quod quia hujuſmodi exteriores actiones exerceat, ex affectu ſibi ad eaſdem parandi viam, docet laudatus Suarez explicans votum Societatis de non ambiendo, & quotquot videre potui Doctores ejuſdem Societatis, hac de re tractantes. Si hæc intentio exprimatur, tunc erit directa, & expreſſa procuratio, ſi non exprimatur, indirecta; eapropter dona, ſalutationes, obſequia, & hujuſmodi alia, quæ ſiunt apud potentes promovere ad gradus, & dignitates, ſunt contra votum, ſi eo dirigantur affectu, ut promoveatur; idem cenſendum eſt de depreſſionibus, & detractionibus dignorum, animo factis, ut hi excludantur, aliique includantur.

264 Modus alter, iſque univerſalior explicandi indirectam cauſalitatem, aut volitionem in eo conſiſtit, ut amoveantur, vel non amoveantur impedimenta alicujus effectus: ſic S. Thomas 1. *p. quæſt.* 104. *art.* 1., *&* 2., ubi declarat cauſam indirecte conſervativam eam eſſe, quæ corrumpentia removet impedimenta, & 3. *p. quæſt.* 47. *art.* 1. eam vult cauſam indirectam alicujus, quando effectum non impedit, cum poſſit; idem ſæpe numero alibi repetit. Hinc ad rem noſtram deveniendo, indirecta erit procuratio, quando quis eas peculiares actiones, & obſequia non amovebit, quæ prævidet influere, animoſque electorum movere, ut ad prælationes aſſumatur, etiamſi ea tali non peragat animo; quia v. g. titulo nationalitatis frequentat Superiorem, & advertit ex his inclinari, moverique ad Prioratum ipſi procurandum, ratione voti ab hoc abſtinere debet; evidens quippe eſt juxta S. Thomæ doctrinam indirecte influere, proindeque prætendere. Univerſalis porro ratio eſt, quia hæc formula — Promitto me nunquam dire„ ctè, vel Indirecte per me, vel per alium „ ullam prælationem prætenſurum — ſi ſincere inſpiciatur, in idem redit, ac ſi dicerent: *Promitto me nullo modo prætenſurum &c.* quod in voto de non ambiendo, quod Clerici Regulares, infirmis Miniſtrantes emittunt, exprimitur, cum dicatur: *Nec indirecte quidem, ſeu quovis modo*; ſed indubie ſinguli modi ſuperiùs enunciati ſunt modus aliquis prætendendi, & procurandi; ergo quilibet ſub voto comprehenditur: quod iidem evincitur ex fine a Religione præintento, qui ex duobus conſurgit, ex perſonali videlicet Religioſorum perfectione, & ex perfectione externi regiminis; quantum ad primum compertum eſt quocunque ex prædictis modis, ſeu artificiis impediri, minui perſonalem perfectionem, & ſanctitatem, cum a cœleſtibus diſtrahat; quantum ad alterum luce clariùs apparent depravatio, & vitium electionum, quæ potius flenda forent, quam exponenda.

265 Huc uſque locuti ſumus de peculiaribus actionibus, ſtudiiſque, ut compertum habeatur non eas comprehendi actiones, quæ ſecundùm Regulas, & Conſtitutiones ſunt ex debito, quamvis ferventer exerceantur, unde bonum nomen; ea propter contra votum non operatur, qui per exactam legum obſervantiam curam omnem impendit ad ſanctitatem acquirendam, quamvis prævideat aſſumendum eſſe ad prælationem; idem dictum volumus de eo, qui ſcientiis ſeriò incumbit, etſi advertat, inde aſſumendum fore ad Religionis gubernium; unuſquiſque enim tenetur in ſpiritualibus proficere, atque Religionis bonu conſulere; immo criminandus eſt, qui aliter agit; quod ſi quis laudabiliter ea præſtet, quæ debet, intendens prælationes, erit coram Deo ambitioſus, non tamen reus ſacrilegii; cum votum non niſi per peculiares indebitas actiones violetur; iſtæ namque exorbitant; ſicut non ſolùm illæ (loquendo de indirecta procuratione) quæ immediate exercentur in obſequium eligentium, ſed etiam quæ mediate, puta, ſi quis mediis aliis bonum nomen acquirere ſatagat apud Generalem.

266 DICES. Qui novit aliquem Religioſum ipſius nomine ei aliquam procurare dignitatem, & cum facilè poſſit, non impedit, indirecte procurare meritò cenſetur, quia illum influxum non removet; atqui hoc non videtur contra votum; ſiquidem tantummodo permiſſive ſe habet; ergo indirecta procuratio, juxta ſecundum explicandi modum non cadit ſub voto.

RESP. Major propoſitio dupliciter intelligi valet, vel taliter ut Religioſus alteri, qui ipſius nomine operatur, aliqua peculiaria præſtiterit, advertens ex illis moveri ad procurandam ei dignitatem, & tunc adeſt indirecta procuratio, quam tenetur impedire, nec pure negative, & permiſſive ſe habere, vel nullum præſtitit officium, unde alter excitetur, ſed aliunde movetur, & in hoc ſenſu nulla erit indirecta, ſed mere permiſſiva procuratio; nulla namque eſt connexio eum illo influxu ſive ex parte alicujus externæ actionis, ſive ex parte interioris affectus exterius applicati: quælibet enim indirecta cauſalitas aliqualem cum effectu exigit connexionem.

267 INSTABIS. Se expurgaré ab exceſſibus ſibi objectis, ne aliquod pro aſſequendis dignitatibus impedimentum occurrat, eſt quædam actio poſitiva, indirecte ſaltem influens; ſed actio hujuſmodi non eſt contra votum, cum non ſit niſi ablatio obicis, quæ ſane non eſt dicenda procuratio: non ergo omnis influxus connexus, tanquam ambitionis vitio infectus, cenſendus eſt.

Quoad præſentem inſtantiam caute incedendum eſt. Siquidem exceſſus eſſe poſſunt veri, vel conficti; ſi ſint veri, & ab illis quis conatur ſe ob eum finem coram Electoribus expurgare, dubitandum ſane eſt, ne ſit ambitioſus; quia eſt ſpecialis procuratio boni nominis ex intentione dignitatis. Verùm hac omiſſa ſolutione aliam damus. Quod quis non impediatur ab aſſequendis dignitatibus, ſpectari quit in genere, & in abſtracto, ſicut & in concreto, in his ſcili-

cet circumſtantiis, in quibus de aliqua electione agatur; ſi in abſtracto loquamur, nulla eſt difficultas, quod liceat ſe defendere; etenim ſicut fas eſt, immo unuſquiſque tenetur ſe aptum reddere ad dignitates, ita licitum erit removere impedimenta, quæ officiunt; ſi verò ſermo habeatur in caſu particulari, illicitum erit, quia defenſio illa ob præſentaneam occaſionem connectitur, & ſpeciem quandam prætenſionis præſefert. Itaque qui ſe gravatum ſentit, curet bonum nomen, ſed abſoluta electione. Hinc habes voti violatorem dicendum fore, qui ut propriæ famæ conſulat, aliud procurat gubernium, non quidem animo perſeverandi, ſed illud reſignandi; ſiquidem iſte vere prætendit, quod per votum reprobatur.

268 INSTABIS iterum. Idem eſt procurare dignitatem, ac curare ne eâdem expolietur; conſervatio enim eſt continuata productio; ſed ſecundum non videtur contra votum; ergo neque primum.

RESP. Inſtantia urget adverſus votum a noſtratibus emiſſum; cum in eo dicatur: *Me non prætenſurum*: videtur autem ſpecies quædam prætenſionis ſtudium, & cura habitam conſervandi dignitatem. Ceterum meritò dubitatio occurrere poteſt, contra votum agere eum, qui ob criminoſam vitam foret officio ſpoliandus, etenim ad illud jus amiſſit, & eſt jure privatus. Si quis autem propugnare velit non eſſe contra votum procurare habitæ dignitatis conſervationem, dicat oportet particulam illam *prætenſurum* limitandam eſſe ad procurationem dignitatis habendæ per electionem, vel novam confirmationem; quod explicari valet ex eodem voto prout ad dignitates extra Religionem extenditur: dicitur enim: *me non prætenſurum*, *vel oblatam acceptaturum*, ubi verbum illud *prætenſurum* ſupra eandem appellat dignitatem, ſupra quam cadit *vel oblatam acceptaturum*; ſed hoc reſpicit dignitatem nondum habitam; ergo etiam illud; ergo etiam in voto de non ambiendo intra Religionem cadet ſupra non habitam prælationem.

269 REPLICABIS. Qui aſſumit aliquid exterius indifferens ad finem ambitionis, haud agit contra votum, quod eam determinate intendit evellere; ſed obſequia, munuſcula, & hujuſmodi ſunt exterius indifferentia ad finem ambitionis; ergo ea media adoptare non erit contra votum, licet ex intentione conſequendi dignitatem; intentio ſiquidem eſt interior, & votum eſt de exterioribus.

Indifferentia alia phyſica, moralis altera.

RESP. Major propugnari poteſt, dum aliquid tum moraliter, tum phyſice indifferens eſt, ſecus ſi tale ſit ſolummodo phyſice, non verò moraliter. Porro illæ actiones ſunt quidem phyſice indifferentes, non moraliter: etenim prout ab interiori intentione regulantur, moraliter ambitione vitiantur. Superiùs declaravimus exemplis actionem aliàs indifferentem evadere pravam, non niſi ea prava intentione. Ultro fatemur votum eſſe de externis, eaque propter externæ prohibentur actiones, ut in ordine morali per viciatam intentionem conſtituuntur; hæc quippe complet volitionem, & indirectam cauſalitatem. Votum autem etiam indirectam procurationem excludit.

270 SUBSUMES. Si prædicta intentio determinat actionem ad eſſe morale ambitionis, intentio habendi dignitatem animo regularem perfectionem promovendi extrahet actionem ab ordine morali ambitionis; ergo qui prælationem procurat, non jam ob ejus excellentiam, ſed ob Religionis bonum, ut nempe ad ferventiorem obſervantiam ſubditos extimulet, dubio-procul ab omni labe ſacrilegii erit immunis.

RESP. neg. ant. Etenim votum procurationem ſive directam, ſive indirectam prohibet; ſed hoc ipſo quod quis ad dignitatem pervenire ſatagit; eâque de re media aſſumit, jam procurare dicitur; quamvis a bono fine reguletur. Siquidem finis hujuſmodi non tollit, quin dignitas procuretur. Prohibet votum omnem prætenſionem exterius exercitam reſpectu dignitatis acquirendæ, quocunque fine habeatur. Sicut votum caſtitatis prohibet uſum mulieris etiam ſub fine aliàs bono, puta, nuptiarum. Unde non aliud intercedit diſcrimen in adductis caſibus, niſi quod in priori intentio v. g. offerendi munuſcula ob conſequendam dignitatem, eam trahit ad ſpeciem indirectæ cauſalitatis; intentio verò promovendi ſpiritualem profectum, involutam procurationem alio titulo colorat. Propterea in hiſce nil magis cavendum, quam iſte prætextus divini cultos; viri namque hoc zelo ferventes plerumque miſere decipiuntur. Qui hoc ſpiritu aguntur, exemplo, conſiliis zelent zelum legis, Deo enixas fundant preces pro regularis perfectionis augmento, & omnia proſpere evenient.

Per media illicita non habetur bonus finis.

271 DICES ultimo. Procuratio dignitatum non eſt peccaminoſa, quoties per contrariam conſuetudinem explicatur non comprehendi ſub voto; atqui procuratio indirecta ſuperiùs explicata, impræſentiarum oppoſitam habet conſuetudinem; cum paſſim hujuſcemodi actiones habeantur, & quidem cum effectu; qui enim eas adoptant, promoventur, ſicut qui ambulant in ſimplicitate cordis, nullius ſunt nominis; ergo quoad hoc non obligare votum in aperto eſt.

Hæc inſtantia, quæ ſuperbis tantummodo arridere poteſt, duo falſa ſupponit; & primò quidem ſupponit adeſſe conſuetudinem in contrarium. Si enim ſermo habeatur de voto in noſtra Religione elicito, nulla fingi poteſt conſuetudo; ſiquidem in ſingulis Generalibus Comitiis abuſus quicunque revocatur, & aliàs bis in anno ſolemnis Profeſſio renovatur, in qua humilitatis votum iterum emittitur; Novitii itidem ſub eadem forma, & tenore ad profeſſionem admittuntur; non ergo Religio conſentit, ſed poſitive reſiſtit; porro non-conſentiente Legiſlatore, immo poſitive repugnante, nuſquam induci poteſt conſuetudo. Verùm etſi annueret Religio, adverſatur Apoſtolica Sedes, quæ hocce votum acceptavit, eique robur dedit confirmando Conſtitutiones. Sedes autem Apoſtolica circa relaxationem, atque Regularis obſervantiæ defectum nequaquam conſentit, niſi ſpecialiter conſulta ſit, & poſitive reſpondeat. Siquidem perpetuò plenam legum

obſervantiam urget; habet enim poteſtatem in ædificationem, non verò in deſtructionem; aliàs interpretationes de tacito conſenſu, quatenus delinquentes non punit, nullius ſunt momenti; nam non eſt e re Pontificia immediate legum violatores pœnis afficere, quovis etiam tempore vult exactam earundem obſervantiam, cum ſemper velit ſtatum Monaſticum eſſe tutiorem ſalutis viam. Caveant ergo, qui talia propugnant; non enim Deus allucinabitur.

Supponit ſecundò per conſuetudinem minui, aut auferri poſſe vim voti, quod ſane erroneum eſt. Votum namque obligat naturali, & ſupernaturali jure; liberum quidem eſt homini vovere, ſicut liberum eſt eidem ſacro regenerari lavacro; verùm ſi votum eliciatur, ſuſcipiaturque baptiſma, conſurgit obligatio juris naturalis, & divini, contra quod nulla conſuetudo poteſt prævalere.

Foret explicandum, an pro adimpletione voti, dum quis ad dignitates extra Religionem promovetur, requiratur Pontificium præceptum, ut acceptetur v. g. Epiſcopatus, an ſufficiat, quod Pontifex ſciens votum, illum offerat. Non eſt hujus loci hac de re quæſtionem inſtituere; mihi videtur requiri juſſionem; votum namque ab Apoſtolica Sede approbatum id aperte declarat; hæc porro manifeſta declaratio, aliquid indubie operari debet, quod non contingeret, ſi ſola oblatio dignitatis cum ſcientia voti ſufficeret, & a tempore, quo Romæ commoratus ſum, compertum habui Papam habentem ſcientiam de hujuſmodi voto per ſimplicem oblationem non intellexiſſe Candidatum voto ſatisfeciſſe.

OSTENDITUR OFFICIUM CURATI NON HABERE STATUM PERFECTIONIS.

272 OBJIC. V. Sicut Epiſcopus ordinatur ad alios perficiendos, ita etiam Curatus, qui eſt ordinarius animarum Paſtor, alios verbo, & exemplo inſtruere obligatus, atque potens intercedere ad Dominum pro populo; ſed Curatus non eſt in ſtatu perfectionis exercendæ, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 8.; ergo neque Epiſcopus.

Verſat objectio difficultatem amarulentiæ plenam, an ſcilicet ſtatus Curati, Presbyteri, Archidiaconi ſit perfectionis, atque potior Religioſorum ſtatu; in hac elucidanda Controverſia charitatis leges ſervandæ ſunt, ne dum veritas exquiritur, ſcandalum patiantur Fideles. Illud quidem indubium eſt graviſſimam fore utriuſque partis obligationem, & ſalutis diſcrimen imminere, niſi quælibet ſtudium omne impendat, ut ea, ad quæ tenetur, ſollicite ſervet. Pro ſolutione igitur difficultatis pauca referam ad mentem D. Thomæ, quibus compertum fiet mutua inter utrumque ſtatum præeminentia, atque utrumque fore excellentem. Diſtinguit in Clericis Angelicus ſtatum, ordinem, atque officium; ad ſtatum pertinet, quod ſint ſeculares; ad ordinem, quod ſint Sacerdotes, vel Diaconi; ad officium, quod curam habeant animarum, hæc iiſdem in Monachis novit S. Doctor, ſtatum, quatenus ſunt Religioſi, ordinem, quatenus ſunt Sacerdotes, officium, quatenus nonnulli ex Regularibus ex debito ſui muneris animarum ſaluti incumbunt. Juxta præſens diſcrimen Laicus Monachus eſt dignitate minor Clerico ſacris inaugurato, Monachus Sacerdos non Curatus eſt dignitate æqualis Clerico Sacerdoti, erit minor officio, ſi Clericus ſit Curatus; ſi autem Monachus animarum curam ſit ſortitus, æqualis erit officio. Tota itaque præeminentiæ ratio devolvitur ad comparationem ſtatus cum officio; ubi pariter duo diſtinguit, bonitatem ſcilicet, & difficultatem; ſi ſpectetur difficultas, officium Curati potius eſt, ſi bonitas, & ſecuritas, potior eſt Monachalis ſtatus; ex quo clare evincitur, quod abſolute loquendo Monachatus eſt ſtatus perfectionis, ſecus ſtatus Curati, Presbyteri, aut Archidiaconi.

Tria tum Clericis, tum Regularibus conveniunt.

Quod probat Angelicus. Ad veram rationem ſtatus perfectionis neceſſaria eſt perpetua, ſolemnis conſecratio ad opera perfectionis; ſed Monachatus perpetuò, idque ſolemniter vitam ſuam obligat ad perfectionis opera exercenda; ergo vere, & proprie eſt ſtatus perfectionis, ſecus autem ſe habet Curatus: etenim iſte nulla præcedente conſecratione aliis præficitur, ſed per ſimplicem deputationem; quo pacto minoris ordinis Miniſtri a Rege ad peculiaria Curiæ munia deſtinantur, Epiſcopus quidem ad ea, quæ ſunt ſui muneris, ſolemniter conſecratur. Curatus inſuper non obligat perpetuò vitam ſuam ad perfectionis opera: poteſt namque abſque peccato officium dimittere, licet, quo tempore in eo perſeverat, quædam difficiliora exequi teneatur.

Mirum tamen eſt quoſdam his adverſari, propterea que nonnulla collegere in favorem Clericatus adverſus ſtatum Monachalem, & argumenta inſtituerunt ab officio Curatus, conſecrationis, perpetuæque obligationis emendicata, quorum ſpecialiora ſeligam ex D. Thoma, qui *Opuſc.* 18. *cap.* 20., *& ſeqq.* ſingulis abunde ſatisfecit. Moderni namque nil novi adinvenerunt, ſi leviuſcula quædam aliàs in illis contenta excipias, quæ fuſiori calamo proſequuntur.

273 Adverſus rationem conſecrationis ſic arguunt. Verba, quibus conſecratur Epiſcopus, ſunt etiam Sacerdotibus communia; ſed illi ſunt in ſtatu perfectionis; ergo etiam iſti.

RESP. Illa verba ſunt utriſque communia, quæ Sacerdotem conſtituunt cum poteſtate conſecrandi Chriſti corpus, ſecus ea, quæ ad differentiam Epiſcopalem ſpectant. inauguratur namque Epiſcopus per manus impoſitionem, capitiſque unctionem. Porro licet gradus Sacerdotalis magnam exigat ſanctitatem, ejus tamen conſecratio non reſpicit Perſonam, ut ad opera perfectionis obligetur, ſed panis converſionem in corpus Chriſti. Obligatio autem ſpecialiùs obſequendi Deo oritur a ſanctitate miniſterii: Sancta enim ſancte tractanda ſunt.

Diſcrimen Epiſcopi inter, & Sacerdotem.

274 DICES. Regalis unctio ſit in

ca-

capite, & tamen nemo dicet Reges per unctionem in ſtatu perfectionis conſtitui; ergo, ex quo Epiſcopi unguntur in capite, perperam dicitur fore in laudato ſtatu. Et ſane perfectio non habetur per conſecrationem, ſed per bonitatem operum; ea propter juſtior non eſt, qui eſt in majori gradu, ut dicitur *diſt.* 40. *cap. Multi*, non ergo major conſecratio excellentiorem innuit gradum.

RESP. Argumentum ſtat pro re noſtra. Ideo namque Reges in capite liniuntur, quia ipſis principalis Regni ſollicitudo incumbit, Miniſtri verò non unguntur, quia peculiaribus officiis, Regum arbitrio, deputantur. Non dicuntur tamen conſtitui per unctionem in ſtatu perfectionis, quia Regale gubernium B circa temporalia verſatur: Epiſcopus verò præcipuam ſuſcipit Eccleſiæ curam in ſpiritualibus, & inferiores Clerici ab ipſo pro determinatis muneribus aſſignantur. Ratio, quæ in argumento aſſertur, æquivocatione laborat: alius enim eſt ſtatus meriti, alius perfectionis: bonorum operum exercitium ad ſtatum meriti ſpectat; perpetua verò, ſolemniſque obligatio ad perfectionis opera peragenda ſtatum conſtituit perfectionis.

Alius ſtatus meriti, perfectionis alius.

275 INSTABIS. Conſecratio capitis ad ſignum ſpectat gradus Sacerdotalis, non autem Ordinem alium a Sacerdotio conſtituit; ſed perfectio charitatis non pertinet ad C gradum Ordinis, ſed ad meritum ſanctitatis, proindeque non colligitur Epiſcopum eſſe in ſtatu perfectionis, non verò Sacerdotem.

RESP. Epiſcopatum non eſſe Ordinem -- Hoc manifeſte continet falſitatem, ſi ab„ ſolute intelligatur: expreſſe enim dicit „ Dionyſius eſſe tres ordines Eccleſiaſticæ „ Hierarchiæ ſcilicet, Epiſcoporum, Presby„ terorum, & Diaconorum... Habet enim „ ordinem Epiſcopus per comparationem ad „ corpus Chriſti myſticum... ſed quantum „ ad corpus Chriſti verum non habet ordi„ nem ſupra Presbyterum -- Sic ait S. Thomas *laud. Opuſc. cap.* 23. Proinde per con- D ſecrationem conſtituitur in ſtatu perfectionis. Equidem ſolemnis conſecratio non eſt ipſa perfectionis cauſa, verùm eſt conditio ad conſtituendum ſtatum requiſita.

276 REPLICABIS. Epiſcopus inveſtit Plebanum, & Archidiaconum baculo, vel annulo; ergo non illis deeſt hoc requiſitum.

RESP. Nulla ibidem intervenit conſecrativa benedictio, ſed eſt ſimplex ceremonia, quæ parum ab ea diſcriminatur, qua Princeps in civilibus per baculum, aut annulum alicui jus tribuit feudale: benedictio E autem, & Epiſcopalis unctio eſt vera conſecratio, adeoque non eſt ubique par ratio.

277 Circa obligationem permanendi in ſtatu arguunt. Ex quo Curatus poſſit oves deſerere abſque ullo crimine, & ad Religionem tranſire, non inde ſequitur, quod ſtatus Religioſus ſit perfectior Clericali; quia etiamſi fructuoſior ſit iſte, Monachalis tamen ſecurior eſt, ut dicitur cap. *Niſi cum pridem de renunciatione*; eaque propter datur tranſitus; quod duobus exemplis eluceſcet. David 1. *Reg.* 17. non valens, Saulis armis indutus, pugnare, fundam aſſumpſit, & vicit, ita Curatus deſerit arma, quæ majorem A expoſcunt fortitudinem, & robur, & ad Religionem accedit, quæ humilitatis, & ſecuritatis ſtadium eſt; ex adverſo Uxoratus Religionem ingredi nequit, quamvis in perfectiori ſtatu non ſit conſtitutus; ſiquidem uxori, quam deſerere non poteſt, alligatus eſt.

RESP. Illatio optima eſt, quam corroborat ratio S. Thomæ, qui eum Apoſtatam dicit, qui ſtatui perfectionis obligatus, ad alium tranſit, quod evincit ex Apoſtolo 1. *ad Timoth.* 5., ubi agit de Viduis, quæ luxuriatæ fuerant &c., & ex *Gloſſa ibidem*: & meritò ſane; eſſet enim retro reſpicere, quod dubio-procul damnabile eſt; ideoque ſi Cu- B ratus, Archidiaconus forent in ſtatu perfectionis, ſi officium dimitterent, non tranſeundo ad Religionem, Apoſtatis accenſerentur: ceterum animarum curam deſerere ipſis ultro conceditur, abſque onere alium aſſumendi ſtatum; immo ſi non forent ſacris initiati, ut quandoque contingit, inire poſſent matrimonium; compertum itaque eſt, prædicta officia nequaquam perfectionis ſtatum conſtituere. Perperam deinde dicitur Canones Clericis concedere tranſitum ad ſtatum Monachalem, quia ſecurior, ſed quia etiam melior: habemus enim 19. *q.* 1.--Cle„ rici, qui Monachorum propoſitum appe- C „ tunt, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, „ liberos eis ab Epiſcopis in Monaſteriis lar„ giri oportet ingreſſus -- Additque S. Thomas *cap.* 25. -- Ex quo habetur, quod ideo „ licet eis tranſire, quia melius eſt, & non „ ſolùm quia ſecurius -- Hinc colligas non eſſe imperfectiorem ſtatum, ad quem fiat deſcenſus ob infirmitatem; immo ex hoc probatur excellentia ſtatus Monachalis; nam ob male affectam valetudinem a ſtrictiori ad mitiorem Religionem fit tranſitus, ſed diſpenſatione accedente, a Religione verò ad ſtatum ſecularem Curati nullus conceditur tranſitus, quod manifeſtat hujuſce ſtatus imper- D fectionem reſpectivam. Exemplum uxorati nobis adſtipulatur ob indiſſolubilitatem, quæ eſt in conjugio; ibi ratio ſtatus adinvenitur; quoniam verò non eſt in ordine ad ſpiritualia, ideo deficit a ſtatu perfectionis; ex quo igitur Monachus indiſſolubilem habet obligationem ad ſpiritualia opera exercenda, erit indubie in ſtatu perfectionis.

278 DICES. Ex quo quis excidat a charitate, non inde colligi poteſt, quod eam non habuerit; ergo ex quo Presbyter a cura animarum recedat, non juvat inferre, quod non fuerit in ſtatu perfectionis. Immo ſi indiſſolubilitas ad rationem ſtatus eſſet prorſus E neceſſaria, nemo de ſtatu ad ſtatum poſſet tranſire, quod falſum eſt.

RESP. Ultro concedimus primam propoſitionem, quia a charitate nemo unquam recedit ſine peccato, bene verò ab officio Curati; non ergo eſt ſtatus perfectionis; aliàs aliquod interveniret peccatum; etenim ſicut ad charitatem ſervandam tenetur quilibet ex Divina lege, ita qui perfectionis ſtatum profeſſus eſt, tenetur ex lege peculiari in eo permanere, ita quod nequit innoxie illum deſerere. Indiſſolubilitas autem tranſitum impedit ad ſtatum minoris perfectionis, ſe-

Licitum eſt ad perfectio[illegible] [illegible] ſtatum tranſire.

cus

Google

tus ſi major in eo habeatur perfectio; iſte namque illum involvit, adeoque tranſitus licitus erit.

279 INSTABIS. Presbyteri, qui majores dicuntur, tranſire poſſunt, accedente Pontificis conſenſu, ad ſtatum Regularem, & antequam hoc foret Eccleſiaſtica Sanctione vetitum, illis fas erat tranſire nullâ exquiſitâ licentiâ, & tamen in altiori perfectionis ſtatu ſunt conſtituti; ſed etiam Curatus nequit animarum curam dimittere ſine Epiſcopi approbatione, quod ſi aliter faciat, pœna mulctatur. *Extra de renunciatione cap. Admonet*; ergo.

RESP. Curatus nequit abſolute gregem relinquere, Epiſcopo inconſulto; verùm ex Apoſtolicis Sanctionibus imprudenter dicitur, ait S. Thomas *cap.* 25., quod non poſſit ſine Epiſcopi licentia, dimiſsâ curâ, Religionem intrare -- Dicitur enim expreſſe 19. „ *q.* 1. *cap. Duæ* quod etiam contradicente „ Epiſcopo poſſunt Clerici ſeculares, Eccle- „ ſiis ſuis dimiſſis, Religionem intrare -- Ceterum falſo aſſeritur non poſſe Epiſcopos ad Religionem tranſire ex Eccleſiæ decreto; ſiquidem hoc nequeunt ratione proprii muneris, ut habetur 1. ad Corinth. 9. *Neceſſitas mihi incumbit &c.* Hanc porro neceſſitatem declarat Eccleſia, quæ, urgente cauſa diſpenſare poteſt.

Pontifice annuente, Epiſcopus tranſire poteſt ad Religionem.

280 INSTABIS. Religioſus ſecularium curam aſſumere poteſt, & tamen erit in ſtatu perfectionis; ergo ex quo Curatus Religioni ſe devoveat, nequaquam fas eſt aſſerere, non fuiſſe in ſtatu perfectionis.

RESP. Religioſus, dum curam aſſumit animarum, nec ſtatum, nec obligationem, quam profeſſus eſt, dimittit, legitur enim 16. *q.* 1. de Monachis, qui diù morantes in Monaſteriis -- Si poſtea ad Clericatus Ordi- „ nes pervenerint, ſtatuimus non debere eos „ a priori propoſito diſcedere -- Secus accidit in Curato; dimittit enim animarum curam, & inſimul connexam obligationem, & onus: unde paritas non urget.

Religioſus aſſumens curam animarum non liberatur ab onere.

281 Inſtituunt demum Adverſarii argumenta, contendentes probare Curatos eſſe in ſtatu. Dicunt ergo. Nemo dejicitur a ſtatu, ſi in eo prius non erat; atqui Curatus, & Archidiaconus, ſi delinquant, a ſtatu dejiciuntur. Sic enim habetur *Diſt.* 81. *cap. Si quis* -- Si quis amodo Epiſcopus, Pre- „ sbyter, aut Diaconus fœminam acceperit, „ vel acceptam retinuerit, a proprio gradu „ decidat -- Item 14. *q.* 4. *cap. Si quis* -- „ Si quis oblitus timorem Domini, & ſan- „ ctarum Scripturarum . . . de gradu ſuo „ dejectus, alienus habeatur a Clero -- Immo prædicti ejiciuntur de ſtatu, & detruduntur in Monaſterium ad agendam pœnitentiam, ut fertur *diſt.* 81. *cap. Dictum eſt*, *& cap. Si quis Clericus*; ergo Curatus vere eſt in ſtatu: potiſſimum quia ſtatus dicitur a ſtando; Curatus autem ſtat, cum immobilis, & fortis perſeveret in periculis pro ſalute ovium ſibi concreditarum; nec Religionum inſtitutio eis officere poteſt; cum ante earundem exordium in ſtatu foret perfectionis, dicente Apoſtolo 1. ad Timoth. 5. v. 17. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*; ergo.

A RESP. Laudati Canones nuſquam de ſtatu, ſed tantummodo de gradu mentionem faciunt, ut textus palam facit; & meritò quidem, ubi enim ordo ſuperioris, & inferioris intervenit, gradus reperiri oportet. In Clericis porro talis Ordo adinvenitur, adeoque & gradus. Quoad id quod additur, quod Clerici ob delictum in Monaſteria detruduntur, audiamus Angelicum *laudato Opuſc. cap.* 23. -- Arbitrantur Clericos eſſe „ in ſtatu perfectionis, non autem Mona- „ chos, propter pœnitentiæ altitudinem, „ quam Monachi voluntarie ſuſcipiunt in- „ nocentes, ad quam coguntur Clerici de- „ linquentes. Qui quidem ſtatus tantò eſt

Clericorū delicta quomodo antiquitus punita.

B „ apud Deum altior, quantò in mundo fue- „ rit abjectior, ſecundùm illud Luc. 14. *Qui* „ *ſe humiliat, exaltabitur*, & Jacobi 2. *Ele-* „ *git Deus pauperes in hoc mundo, divites in* „ *fide, & heredes Regni*. Sed mundanam „ gloriam ambientes illa ſtare reputant, quæ „ ad gloriam pertinent, atque illa eſſe deje- „ cta, quæ videntur humilia -- Concedimus ſtatum dici a ſtando, ſed nil pro re nata; ſiquidem loquimur de ſtatu, prout eſt ſervitutis, vel libertatis: eſt autem in ſtatu perfectionis, qui indiſſolubili vinculo ſe perpetuò ad perfectionis exercitia devovet; ea propter qui ſui juris eſt, ut ab operibus per-

C fectionis recedere valeat, nequaquam in ſtatu dicendus eſt. Fatemur itidem inſtitutionem Monachatus nequaquam officere Clericatui, lubentes admittimus duplici honore dignum Presbyterum, qui bene præeſt; verùm quid contra nos? Omni, qui præeſt, debetur honor, & obedientia, & omni bene operanti gloria, dicente Paulo ad Rom. 2. v. 10. *Gloria & honor, & pax omni operanti bonum*. Sed hoc non conſtituit ſtatum.

282 Inſtant tamen Adverſarii, ut evincant, quod ſtatus Curati ſit majoris perfectionis, quam Monachatus. Officium quod fructuoſius eſt, dubio-procul majoris eſt per-

D fectionis; ſed Curati, & Archidiaconi munus fructuoſius eſt, ut habetur *Extra de renunc.*, *cap. Niſi cum pridem*; ubi declaratur vita activa fructuoſior, contemplativa verò ſecurior; ergo.

RESP. Vita contemplativa non ſolùm ſecurior eſt, ſed etiam melior, de ea namque ſcriptum eſt Luc. 10. v. 43. *Optimam partem elegit ſibi Maria*: hinc fit, quod cum melior ſit contemplatio actione, majoris ſimiliter eſt argumentum charitatis; ait namque S. Thomas *cap.* 23. -- Quantò contemplatio „ melior eſt actione, tantò plus pro Deo vi- „ detur facere, qui dilectæ contemplationis

E „ aliquod detrimentum patitur, ut ſaluti „ proximorum propter Deum intendat. In- „ tendere igitur ſaluti proximorum cum ali- „ quo detrimento contemplationis propter „ amorem Dei, & proximi ad majorem per- „ fectionem charitatis videtur pertinere -- Quod explicat exemplo Pauli, qui a cœleſtis Patriæ Beatitudine retardari cupiebat, ut fratribus prodeſſet. Porro Religioſi viri, ut proximorum ſaluti incumbant, parati ſunt divinorum dulcedine privari. Addas velim Religioſos ex inſtituto aſſumi ab Epiſcopis in partem ſollicitudinis, ſive media verbi Dei præ-

Religioſi proximorum ſaluti incumbunt.

prædicatione, ſive adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ; ea propter undequaque eiſdem accreſcit perfectio.

283 DICES. Ubi charitas major eſt, magiſque meritoria, ibi major intelligitur perfectio; ſed hoc in Curatis abunde apparet; etenim animam ponunt pro ovibus; nulla porro major charitas eſſe poteſt, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ut dicitur Joan. 15. Videntur hinc plus omnibus mereri, cum magis laborent juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Plus omnibus laboravi*.

RESP. Status perfectionis non inde habetur, ex quo quis magis mercatur, majoremve habeat charitatem; ſiquidem Thebani Milites ſanguinem pro Domino ſuderunt, quod ſane excellentiſſimæ charitatis argumentum eſt, ut evincunt Adverſarii, & tamen nemo unus dicet milites eſſe in ſtatu perfectionis; fas igitur eſt laborem, & charitatem conjungi cum perpetuâ obligatione eadem exercendi. Et ſane ſepe contingit uxoratos excellentiora virtutis opera patrare, quam Epiſcopi exerceant, verùm quis uſquam dicet illos, non illos fore in ſtatu perfectionis: bonus ſimiliter eſt cœlibatus, & tamen niſi voto firmetur, non conſtituit ſtatum. Cum igitur Clerici, licet virtutis opera proſequantur, ſe ipſos tamen ad ea exercenda non obligent; neutiquam dicendi ſunt in ſtatu perfectionis; quare ex quo SS. Laurentius, Stephanus, Vincentius, aliique heroica peregerint, non inde dicendum eſt Diaconatum fore ſtatum perfectionis; ſiquidem Diaconatus non importat obligationem talia exercendi.

284 INSTABIS. Status ille eſt perfectior, qui proximior eſt ſtatui Epiſcopali, qui aliàs eſt ceteris ſublimior; ſed Clericatus magis aſſimilatur Epiſcopatui, ita ut juxta Gloſſam eodem nuncupetur nomine, ut videre eſt Act. 20. verſ. 28. *Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; & 1. ad Timoth. 5., ſicut ad Titum cap. 1. Paulus Presbyteros accenſet Epiſcopis, & *Diſt. 93. Can. Legimus* habetur, quod excepta Ordinatione Epiſcopus non diſcriminatur a Presbytero, qui ſedet in ſua Parœcia, ſicut Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu; & ſicut Epiſcopus bona habet non ſua, ſed pauperibus elargienda, ita & Parochus; itidem eorum bona ſunt communia. 12. *q.* 1. *Can. Expedit*, & ad hoſpitalitatem tenentur. 42. *Diſt. cap.* 1.

RESP. In Epiſcopis duo conſideranda occurrunt, animarum cura, & perpetua obligatio ad opera perfectionis, quoad primum Parochis, quoad ſecundum potiſſimum Religioſis æquiparantur, hinc Gloſſa, priori ſpectatu munere, æquales facit Parochis. Falſum tamen eſt, quod eodem modo in ſua cura ſedeat Curatus, ſicut Epiſcopus in ſua; ſiquidem hic ſedet curam habens præcipuam, Curatus verò ſicut deputatus ab Epiſcopo; primus ut independens, alter ut ſubordinatus; ex jure namque habemus Presbyteros nihil agere poſſe ſine præcepto, atque Epiſcopi conſilio. Habent quidem bona nonnulla communia, ſed patrimonialibus

Curatus Epiſcopo ſubordinatur.

non abrenunciant ut Religioſi, tenentur ad hoſpitalitatem, unde quædam inſumunt. ſed perfectior dubiu-procul eſt rerum omnium abdicatio, ex qua quis impotens redditur ad hoſpitalitatem, ut apte urget S. Hieronymus adverſus Vigilantium Evangelicam paupertatem carpentem.

285 URGEBIS. Ubi profeſſio vitæ eſt excellentioris ſacrificii, ibi majoris perfectionis ſtatus adinvenitur; ſed Curatorum profeſſio eſt hujuſmodi, dicente Magno Gregorio, nullum fore ſacrificium, quod Deo ita placeat, quam zelus animarum, ſicut teſte Bernardo *lib. de divino amore*, plures trahere ad Dei amorem argumentum eſt grandioris charitatis: Profeſſio autem Curatorum, non verò Monachorom zelum habet animarum.

RESP. Illud eſt inter ſacrificia excellentius, quod holocauſtum dicitur; in eo ſiquidem victima conſummitur. Monachorum ſacrificium hujuſmodi eſt, cum totum hominem Deo immolet; nec in eiſdem animarum zelus deſideratur; hic namque tripilicem gradum habet, primus eſt in ordine ad propriæ animæ ſalutem, eam purificando a mundanis affectibus, juxta illud Eccleſ. 30. v. 24. *Miſerere animæ tuæ placens Deo*. Alter is eſt, cum quis in ſe perfectus ad aliorum procurandam ſalutem progreditur. Tertius demum, iſque perfectiſſimus, quando voto, & profeſſione, perfecto vinculo firmata, aliorum profectui incumbit; hoc competit Monachis, quorum eſt animarum ſalutem ex vi ſuæ profeſſionis orationibus, doctrina, Sacramentorum adminiſtratione, & hujuſmodi promovere.

Zelus animarum triplicem gradum habet.

286 INSTABIS ultimò. Chryſoſtomus *lib. 6. Dialogi* habet -- Si aliquem mihi „ talem adducas Monachum, qualis, ut ſecundùm exagerationem dicam, fuit Helias . . . non tamen illi comparandus eſt, „ qui traditus populis, & multorum ferre „ peccata compulſus, immobilis perſeveravit, & fortis -- & infra ſubdit -- Si quis „ mihi proponeret optionem, ubi malem „ placere, in officio Sacerdotali, ac in ſolitudine Monachorum, ſine comparatione „ eligerem illud prius, quod dixi -- Auguſtinus *Epiſt. ad Valerium* -- Nihil eſt in hac „ vita, maxime hoc tempore, difficilius, & „ laborioſius, & periculoſius Epiſcopi, aut „ Presbyteri, aut Diaconi officio; ſed apud „ Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator jubet -- & in Epiſtula ad Aurelium vulgare quorundam dictum reprobat, nempe -- Malus Monachus, „ bonus Clericus eſt -- cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat. Poſtremo S. Hieronymus ad Ruſticum Monachum ſcribens habet -- Sic vive in Monaſterio, ut Clericus eſſe merearis -- Præterea non licet de majori ad minus tranſire, ſed de ſtatu Monaſtico licet tranſire ad officium Presbyteri curam habentis, ut dicit Gelaſius Papa, & habetur 16. *q.* 1.; ergo dignior eſt Clericalis ſtatus.

RESP. Laudatæ auctoritates nihil evincunt. Prima enim agit non jam de ſimplici Curato, ſed de Epiſcopo, illiſque momentis

tis ſe, & Baſilium conſolatur Chryſoſtomus. Nec ibidem ſtatum cum ſtatu comparat, ſed difficultatem ſure majorem oſtendit perſiſtendi in bono relate ad eum, qui populis præeſt, quam in eo, qui ſolitariam vitam ducit; ille ſiquidem fluctus inter, & procellas agitatur, unde majus meritum inde habet, ſi fortis perſeveret inter pericula labendi; ſubdit tamen S. Thomas *cap.* 20. -- Nec tamen dici „ poteſt, quod converſari inter malos ad „ ſtatum perfectionis pertineat, cum hoc ſe„ cundùm ſacræ Scripturæ documenta pru„ dentiùs declinetur -- Ad ſecundam auctoritatem reſpondet eo loci laudatus Angelicus -- Confiderandum eſt, quod non dicit, „ quod mallet eſſe in officiu Sacerdotali, „ quam in ſolitudine Monachorum, ſed „ quod mallet ibi, quam hic placere Deo; „ quia in Sacerdotali officio abſque peccato „ manere difficilius eſt, quam manere abſ„ que peccato in ſolitudine Monachorum -- Hinc proſequitur aliis auctoritatibus ſacere ſatis -- Ex his apparet ſolutio ad verba Au„ guſtini, quibus aſſeritur nihil eſſe pericu„ loſius, & laborioſius officio Epiſcopi, & „ Sacerdotis, & Diaconi; ſi bene exercea„ tur, nihil eſſe Deo acceptabilius. Ex hoc „ enim ipſo, quod eſt laborioſum, & diffi„ cile, immunem ſe a peccato conſervare in „ in hujus officii executione, majoris virtutis „ eſſe oſtenditur, & ſecundùm hoc Deo ac„ ceptabilius, non tamen ex hoc ſequitur, „ quod ſtatus Sacerdotum Parochialium, aut „ Archidiaconorum ſit majoris perfectionis, „ quam ſtatus Religionis -- Ceteræ inductæ auctoritates laicalem Monachi conditionem cum dignitate Ordinis, quæ eſt in Clericis, comparant, non autem conditionem ſtatus Religioſi, cum ſtatu Clericali. Ultro concedimus Monachum in Clericum aſſumi, non quidem per tranſitum a minori ad majus, ſed per additionem ad eam, quam prius habebat, perfectionem, ſecus accidit in tranſitu Curati ad Monachatum; non enim retinet officium, nec profeſſionem; ea propter ſemper ſtat Regularem ſtatum majoris eſſe perfectionis. Curatus itaque quoad aliquid magis aſſimilatur Epiſcopo, nempe quoad curam animarum, ſecus autem quoad perpetuam obligationem ſolemniter profeſſam, & in hac conſiſtit major perfectio ſimpliciter dicta, quæ in Monachis, ſecus in Curatis adinvenitur.

CONTROVERSIA XI.

AN MONACHATUS SIT STATUS ACQUIRENDÆ PERFECTIONIS.

287 HÆretici tum veteres, tum recentiores vires omnes adverſus Religioſos Ordines exerunt, atque ad nauſeam uſque non jam validis momentis, ſed contumeliis ipſos vexant. Audiamus Wiclefum in Conſtantienſi Concilio damnatum: habes igitur *art.* 21. — Si quis ingreditur Religio„ nem privatam qualemcunque tam poſſeſſio„ natorum, quam mendicantium, redditur „ ineptior, & inhabilior ad obſervantiam „ mandatorum Dei -- *art.* 23. — Religioſi vi„ ventes in Religionibus privatis non ſunt „ de Religione Chriſtiana -- Demum *art.* 35. — Ingredientes Religionem, aut aliquem „ Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad ob„ ſervandam divina præcepta, & per con„ ſequens ad perveniendum ad Regna Cœ„ lorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem -- Propoſitiones hujuſmodi directe adverſantur titulo Conttoverſiæ, in cujus deſenſionem plura jam dedimus, majora in ſequentibus dicturi; impræſentiarum ad ſervandam doctrinæ methodum in genere loquemur.

Dicendum itaque Monachatum eſſe ſtatum acquirendæ perfectionis. Veritatem hanc fides docet, plurimis Patrum teſtimoniis corroboratam, ex quibus

288 PROB. I. Profeſſio ſtabilis hominem obligans ad charitatis opera exercenda, quibus peculiariter ſervitur Deo, eſt perfectionis ſtatus; ſed Monachatus hujuſmodi eſt; ergo. Major propoſitio refert ſtatus perfectionis deſcriptionem: etenim perfectio eſſentialis, & communis ſita eſt in aſſecutione charitatis, ut in ſuperioribus innuimus, & juxta hoc Chriſtiana conſtituitur Religio; hæc ſiquidem a religando dicitur, ſeu ab eo, quod uni aſtringitur, ſeu uni famulatur; Deo autem ligatur homo per fidem, cujus profeſſio Latria eſt; unde Religio dicitur Dei cultus; hinc prima Religio, quam communem, eſſentialem, & neceſſariam nuncupamus, ea eſt, qua quis per fidem ſe obligat ad debitum Dei cultum, hoc eſt, ſacro regeneratioois lavacro Chriſtianæ Religionis obſervantiam in his profitetur, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Religio altera ea eſt, quæ non tantùm intendit charitatis aſſecutionem, ſed etiam ejuſdem perfectionem; & eſt ſtudium quædam peculiaria pietatis exercitia peragendi, quibus ſpeciale Deo præſtatur obſequium: porro ut rationem ſtatus ſortiatur, firmetur oportet ſtabili, perpetuoque vinculo. Utriuſque Religionis notio habetur Jacobi cap. 1. v. 27. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* His innuitur ad Religionem conſtituendam pietatis exercitia, & emundationem a ſeculi inquinamentis exquiri; hujuſcemodi autem emundatio dupliciter contingit, primò ſi terrena infra Deum in pretio habeantur, eaque potius relinquere homo velit, quam Deum graviter offendere: ſecundò ſi non ſolùm a ſecularibus, verùm etiam ab ipſo ſeculo elongetur. Itidem pupillos viſitare, quo cetera pietatis exercitia ſubintelliguntur, dupliciter intelligi valet, primò quidem pro caſu neceſſitatis, eis ſubveniendo, ut ſat eſt ad eorundem ſublevandam miſeriam; ſecundò extra caſum indigentiæ, eos abunde, & ad delicias uſque ſuccurrendo; modus primus ad communem Religionis rationem ſpectat, alter verò ad peculiarem: ex his palam fit probatio minoris probationis;

In Monachatu peculiariter ſervitur Deo.

quid

quid enim aliud eſt Monachatus, niſi quædam ſpecialis profeſſio operum virtutis pro acquirenda charitatis perfectione, ut inde peculiariter Deo ſerviatur; ea propter Monachi ad promiſſionem, qua in lavacro Satanæ, & mundo abrenunciant, alias quoque ſuperaddunt promiſſiones ad virtutum exercitium ſpectantes, quæ in Regulis, atque Conſtitutionibus deſcriptæ ſunt, ad quarum obſervantiam perpetuo ſe adſtringunt ligamine, proindeque dubio-procul eſt ſtatus non jam acquiſitæ, ſed conſequendæ perfectionis. Hinc D. Thomas 2. 2. *q.* 184. *art.* 5. *ad* 2. -- „ Homines ſtatum perfectionis aſſumunt, „ non quaſi profitentes ſeipſos perfectos eſſe, „ ſed profitentes ſe ad perfectionem tendere: „ unde & Apoſtolus dicit ad Philipp. 3. Non „ quod jam comprehenderim, aut jam perfectus ſim, ſequor autem ſi quo modo „ comprehendam; & poſtea ſubdit: quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus -- Ideſt, quicunque in ſtatu perfectionis verſamus. Hi ſunt, de quibus dicebat S. Gregorius *hom.* 20. *in Ezechielem* -- Quiſquis „ itaque contemptis rebus temporalibus æternitatis contemplatione paſcitur, cœleſtis „ regni gaudia rimatur -- ergo Monachatus eſt ſtatus perfectionis, de quo Euſebius Emiſſenus *hom.* 9. *ad Monachum* ſcribit -- Venire „ ad Eremum ſumma perfectio eſt, non per„ fecte in Eremo vivere ſumma damnatio „ eſt --

289 PROB. II. Ille eſt ſtatus acquirendæ perfectionis, in quo impedimenta removentur, quæ Dei obſequium retardant, atque media aſſumuntur ad charitatis perfectionem; atqui Monachatui hæc affabre aptantur; ergo. Declaratur pars prima propoſitionis. 2. ad Timoth. 2. v. 4. legitur: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*: porro per Religioſam profeſſionem ea abdicantur, quæ animum a divino cultu retrahunt: equidem rerum terrenarum cupiditas mentem a cœleſtibus avertit; & hæc per paupertatis votum coercetur; corporalium voluptatum illecebræ ad ſenſibilia deprimunt affectus, atque ad perdite agendum inclinant, atque extimulant, ſed iſtæ voto caſtitatis, & obedientiæ ſuffocantur, atque hinc eliminatur ſollicitudo circa exteriora, circa curam familiæ, circa liberam actuum ordinationem. De uxoratis dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. v. 33. *Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*, de abnegatione verò propriæ voluntatis habetur 1. Petri cap. 5. v. 7. *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eo, quoniam ipſi cura eſt de vobis*. Pars altera propoſitionis ſic evincitur. In Monachatu, & vota adimplentur, & pleraque fiunt ſupererogationis opera, quibus aſcenſiones diſponuntur in corde, proficiendo de virtute in virtutem: unde Abbas Moyſes *Collat.* 1. *cap.* 2. dicebat -- Jejunium, „ inediam, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectiones, ceteraſque virtutes de„ bere nos ſuſcipere novimus, ut ad perfe„ ctionem charitatis iſtis gradibus poſſimus „ aſcendere -- Ea propter perperam dicebat Wiclefus per ingreſſum in Religionem ineptiorem reddi hominem ad obſervanda divinæ legis mandata; cum Religio potiſſimum deſerviat ad excellentiora charitatis opera eliciendo. Hinc S. Bernardus *Hom. in cap.* 13. *Matthæi* ſcribit -- Nonne hæc eſt Religio ſan„ cta, pura, & immaculata, in qua homo „ vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velo„ ciùs, incedit cautiùs, irroratur frequen„ tiùs, quieſcit ſecutiùs, moritur fiduciùs, „ purgatur citiùs, præmiatur copioſius? -- Non ergo mandatorum Dei impedit adimplementum, ſed ad hoc, & ad perfectiora adſtringit, adeoque Regni cœleſtis viam non jam claudit, ſed aperit.

Vitiis pravæ affectiones coercentur.

290 PROB. III. Qui omnia, quæ habet, immo & ſeipſum Deo offert, eidem obſequium præſtat, quod innuit Apoſtolus ad Rom. 12. v. 1. *Obſecro vos itaque fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*; proindeque eo melior cenſebitur Dei cultus, hominiſque perfectio, quo potior erit oblatio; atqui Monachatus potiorem connotat oblationem: etenim inter ſacrificia illud perfectius jure, meritoque cenſetur, quod holocauſtum nuncupatur; per hoc ſiquidem victima in odorem ſuavitatis conſummitur; ſacrificium Monachorum hujuſmodi holocauſti naturam æmulatur; quidquid enim habent Deo offerunt. Et ſane tria ſunt hominis bona, animæ videlicet, corporis, & fortunæ; illa per obedientiæ votum Deo dicat, cum voluntatem, quæ omnibus potentiis, & habitibus utitur, Domino conſecrat: bona corporis voto continentiæ, quo terrenas quaſcunque delectationes refugit; demum bona fortunæ voto paupertatis, quo divitias abjicit. De hoc ſacrificio loquitur S. Gregorius *Hom.* 20. *in Ezechielem* -- Cum „ quis ſuum aliquid Deo vovet, & aliquid „ non vovet, ſacrificium eſt, cum verò omne „ quod habet, omne quod vivit, omne quod „ ſapit, omnipotenti Deo voverit, holocauſtum „ eſt: nam ſunt quidam, qui adhuc mente in „ mundo retinentur, ſed tamen ea poſſeſſis „ rebus ſubſidia egentibus miniſtrant; op„ preſſos defendere feſtinant: iſti in bonis, „ quæ faciunt, ſacrificium offerunt, quia & ali„ quid de actione ſua Deo immolant, & ali„ quid ſibi metipſis reſervant, & ſunt qui„ dam, qui nihil ſibimetipſis reſervant, ſed „ ſenſum, linguam, vitam, atque ſubſtan„ tiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo „ immolant, quid iſti niſi holocauſtum Do„ mino offerunt? immo magis holocauſtum „ fiunt --

Profeſſio Monachorum holocauſtum eſt.

In Dei Eccleſia duplex occurrit juſtorum ordo, eorum ſcilicet, qui præcepta legis ſervant, & eorum, qui ſupererogationis opera adjiciunt, quod juxta Bedæ ſententiam a Gloſſa relatam innuitur 3. Reg. 6. v. 7., ubi de ædificatione Domus Dei ſermo habetur: *De lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt*; & v. 18. *Omnia cedrinis tabulis veſtiebantur; nec omnino lapis apparere poterat* -- Nunc quoque ſunt plures (*ait Beda*) „ qui legalibus contenti præceptis, ſibi ſuffi„ cere credunt, ſi ad vitam venire mereantur; ſunt alii, qui ad perfectionem niten-

O „ tes,

„ tes, omnia ſua vendunt, & ſequuntur Dominum dicentem: Vos qui ſecuti eſtis me, „ in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & „ vos: hi ad parietes templi de albo lapide „ factos, illi ad cedrinas pertinentes tabu„ las, præmia perpetuæ lucis a Domino, „ quaſi auri flammas, quibus decorentur, „ expectant — Porro Monachi ad hunc ordinem ſpectant, propterea que eorum ſtatus eſt perfectionis. Ubi obiter adverſus Wiclefum placet advertere, Monachos, ea quo peculiarem proſequantur regulam, haud fore extra Eccleſiam, ſed ad ejuſdem pulchritudinem ſpectare, quo pacto tabulæ cedrinæ non erant extra templum, ſed ipſum exornabant.

291 PROB. IV. Qui ſpecialem Chriſti ſequelam adoprant, dubio procul perfectionis ſtatum eligunt; ſiquidem ad perfectionem ſpectat Chriſtum imitari; ipſe ſiquidem non ea tantummodo, quæ ſunt legis, adimplevit, verùm & ſupererogatoria elegit; hinc erat pernoctans in oratione, duriora jejunia, temporalium abdicationem, caſtimoniam, obedientiam, & hujuſmodi alia exactiſſime proſecutus eſt; ſed Monachi ſpecialem Chriſti ſequelam elegerunt, ea propter peculiaria ſpondent, puta caſtimoniam, paupertatem, obedientiam, atque orationibus, vigiliis, jejunis Chriſtum imitari conantur; ergo perfectionis ſtatum elegerunt, de quo dicit Bernardus *ad Fratres de Monte Dei* — Altiſſima „ eſt profeſſio veſtra. cœlos tranſit, par An„ gelis eſt, & Angelicæ ſimilis puritati; non „ enim ſolùm voviſtis omnem ſanctitatem, „ ſed omnis ſanctitatis perfectionem, & om„ nis conſummationis finem . . . . Aliorum „ eſt ſervire Deo, veſtrum adhærere — His palàm fit longè aberrare Wiclefum contendentem Religioſos, utpote a Chriſto non inſtitutos, ad Eccleſiam non pertinere. Facto eos Chriſtus inſtituit, quibus ſequenda virtutum exempla exhibuit; unde ſicut ea Deo ſunt virtutes, ita ea Deo ſunt ipſius imitatores. Pulchre Ambroſius *lib. 3. de fide ad Gratianum* — Ut docet præſentis lectio „ teſtimonii, virtutes, quibus æternæ vitæ „ fructus acquiritur in Deo factas æſtimare „ debemus, charitatem, pietatem, Religio„ nem, fidem, & alia hujuſmodi, quæ in „ voluntate Dei facta ſunt; ergo ſicut in „ voluntate Dei Patris, ita etiam in Chriſti „ voluntate; & virtute facta ſunt, ſicut legi„ mus Epheſ. 2. v. 10. *Creati in Chriſto* „ *in operibus bonis* — Superabundantes in Chriſti obſequio ad Eccleſiam pertinere docet Paulus ad Epheſ. 3. v. 20. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis; ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu in omnes generationes ſeculi*. Itaque ſupererogatio in operibus bonis a Chriſto eſt. Et revera a Wiclefo ſciſcitari juvat, cum landabilia vivendi ratio, quam Jeroſolymis fideles proſequebantur, quorum omnia communia erant, foret a Chriſto, atque illi eſſent de Eccleſia? ſi inficiatur, Scripturæ eus commendanti refragatur; ſi concedit; ergo etiam Ægyptii, quibus eandem vivendi rationem S. Marcus tradidit, ad Chriſtum pertinebant; ergo itidem Chriſti erunt Monachi omnes, qui eum æmulantur, atque tanquam ſuæ inſtitutionis exemplar adoptantur.

Monachi Chriſti imitatores.

292 PROB. V. Status, qui ad expurgationem animæ ordinatur, atque per ſingulos dies ſpirituali incumbit virtutum incremento, indubie perfectionis cenſendus eſt: hominis quippe perfectionem in puritate conſcientiæ ſitam fore nemo unus inficias ibit; Chriſtus namque Eccleſiam ſanguine ſuo lavit, ut eam mundam faceret ab omni macula, & inquinamento; quotidianum itidem ſtudium proficiendi certò certius animam perficit; ſed ſtatus Monachorum eſt hujuſmodi; ergo. Quot enim in Religionibus occurrunt media, quæ a peccatis retrahunt, atque a perpetratis noxis expurgant? Quot pietatis exercitia, quæ charitatem, ceteraſque adaugent virtutes? Continua mortificatione conſepelitur homo cum Chriſto, & ſui abnegatione exuens veterem hominem divinam in ſe transformat imaginem, ut meritò S. Bernardus *Ser. 20. in Cantic.* Religionem Martyrium appellare non dubitaverit, & quidem eo durius, quod Martyres ſuſtinuere, quia longius — illo quidem, quo „ membra cæduntur ferro, horrore mitius, „ ſed diuturnitate moleſtius — quod innuebat Propheta Pſal. 43. v. 22. *Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*. Status itaque Monachalis eſt continui meriti, atque profectus, adeoque perfectionis. Hæc de re egregia plane ſcribit Chryſoſtomus exponens Epiſtolam 1. ad Timotheum *hom. 14. in Expoſit. Morali*, ex quibus pauca referre operæ pretium erit — „ Vere domus luctus Monaſteria ſunt, ubi „ cinis, atque cilicium, ubi ſolitudo, ubi „ riſus nullus, nullus negotiorum ſecularium „ ſtrepitus, ubi jejunia, ubi terrenorum du„ ritia lectulorum, ubi munda ſunt omnia, „ nullus ibi nidoribus locus, abſunt procul „ ſanguinis rivi, perturbationes, curæ, tu„ multus; tranquillo in portu navigant, ac „ veluti luminaria ſunt ſublimi de loco na„ vigantibus fulgore ſuo iter aperientes. In „ littore placido ſedent, omnes ad quietem „ ſuam invitantes, ac pertrahentes, neque „ naufragium pati ſinentes eos, qui ſe in„ tuentur, non permittunt in tenebris de„ gere eos, qui ſuas aſpiciunt ſedes. Perge „ itaque ad illos, quære, hoſpitio ſuſcipe, „ accede, tange ſacros pedes; longe enim „ honorabilius eſt illorum pedes, quam alio„ rum caput attingere . . . Quaſi enim de „ terra in cœlum, ita ad ſancti cujuslibet „ viri monaſterium de propriis domibus itur: „ non ibi conſpicis ea quæ domi mundus eſt „ locus ille, alia ibi quies, atque ſilentium „ eſt. Meum, & tuum inde prorſus elimi„ natum eſt . . . Nullus illic famulum vocat; „ quiſquis enim ſufficit ſibi, non eget veſti„ bus plurimis, nihil opus habet excutere „ ſomnum; ſimul enim atque oculos ape„ rit, diutius vigilaſſe videtur, quod illâ „ ſobrietatis ratione contingit . . . Nemo „ ſtertentes audit hic, aut hiantes ſomno, „ nullus jactari quempiam per ſoporem vi„ det,

Perfectio in puritate animæ, atque virtutum incremento.

„ det, nec nudari, ſed dormiunt, honeſtiùs
„ vigilantibus compoſiti; hoc autem totum
„ ex animi diſciplina, & animi honeſtate
„ proficiſcitur. Ibi profectò ſunt Sancti, at-
„ que inter homines Angeli; ſummus nam-
„ que Dei timor non ſinit hos profundo ſo-
„ pore demergi, animumque a ſuo vigore
„ laxari, ſed ferme in ſuperficie eſt, ipſoſ-
„ que reficit ſolùm . . . Non fiſtula, non ci-
„ thara, non ullum alium inſtrumentum
„ muſicum tam dulces efficit modos, quam
„ Sancti illi ſumma in ſolitudine, & quiete
„ pſallentes -- Quid nobilius, aptiuſve pro
re nata?

HÆRETICORUM ARGUMENTIS FIT SATIS.

HAud poſſumus brevibus referre, quæ adverſus Monaſticæ vitæ ſanctitatem evomunt Heterodoxi; horum tamen vis potior ſita eſt in contumelioſis dicteriis, quibus Religioſorum Ordinum contemptum apud Laicos parere ſatagunt. Wicleſus quatuor ſectas ab Eccleſia exterminandas fore dicit, Clerum videlicet, Sacerdotes nempe temporali dominio inſignes, quorum Princeps eſt Papa, Monachos bipartitos, quorum Patronus eſt Benedictus, & regula ex ejus ſententia a S. Gregorio eſt compoſita; Canonicos, quorum S. Auguſtinus inſtitutor, Fratres demum, qui diverſis ritibus multiplices conſtituunt Ordines, quos merdoſos vocat, apoſtemata, globos, & conglobatos, novos, inutiles larvatos. *Sic Tract. de Septem Donis cap.* 7.

293 Impii hujuſce hominis primum argumentum eſt. Ille ſtatus non eſt perfectionis, qui non eſt a Chriſto; ſed regulares Ordines ab eo non ſunt; ergo non dicunt perfectionem ſtatus. Majorem contendit abunde probatam, ex quo aſſerat, quod in idem redit dicere Regulares Ordines eſſe a Chriſto, ac ipſum facere culpabilem, atque imperfectum. Minorem probat: Chriſtus unam Religionem, quæ omnibus communis eſt, inſtituit; unde colligit Regulares Ordines novitatem ſapere nullimode in Chriſto fundatam.

RESP. Superius oſtendimus Monachatum a Chriſto eſſe, & in Controverſia, ubi probavimus Monachatum fuiſſe ſub primordiis novæ legis, alia dedimus; impræſentiarum placet advertere, quod Auguſtini ævo idem argumentum adverſus Monachos a Donatiſtis divulgabatur, quibus S. Doctor inſtabat, qualem a Chriſto inſtitutionem velint? ſi litteralem; oſtendant, dicebat Auguſtinus, ubi ſcriptum ſit Agoniſticorum nomen, quod ipſi adoptabant? Nos verò dicemus oſtendat Wicleſus, ubinam Chriſtus Apoſtolos ſuos nuncupaverit Sacerdotes? ergone, cum nullibi hoc vocari nomine habeantur, Sacerdotes non fuerunt a Domino inſtituti? Si approbativam, ac doctrinalem quærunt; virtutum profeſſores approbavit Chriſtus, quos nos Monachos dicimus. Verùm fortius inſtemus: Eremita Joannes Ba-

A ptiſta erat ne de Religione Dei, an non? Si non: quomodo Chriſtus Judæos ad deſertum mittebat, ut eum admirarentur, velut ſanctitatis exemplar? Quomodo de ipſo dicebat: *Inter natos mulierum non ſurrexit major*: ſi concedatur; ergo Eremiticum vivendi genus a Chriſto probatum habemus. Placet itidem exquirere: Beatæ Mariæ virginitas erat ne juxta Chriſti legem, an non? ſi hoc; ergo Beata Virgo non erat ex Chriſto, quod blaſphemum eſt. Si oppoſitum propugnetur; ergo ejuſdem imitatores ex Chriſto ſunt. Idem argumentum inſtituas de Apoſtolorum paupertate. Itaque una eſt Chriſti Religio, ſed unitate myſtici corporis, unitate ad mo-

Religio Chriſti una velut myſticum corpus.

B dum Civitatis, ubi plures ſunt Miniſtri, pluraque, eaque diverſi Ordinis officia, atque gradus. Stat ergo in eadem Civitate Dei diverſitas hominum, atque officiorum: ſunt itaque Laici, ſunt Clerici, ſunt & Monachi, ſunt pariter variæ inſtitutionis Religioſi, qui omnes Deo obſequuntur, atque famulantur; cumque horum diſcrimen ſub exordio naſcentis Eccleſiæ haberetur, perperam dicitur Regulares Ordines novitatem ſapere, nullimode in Chriſto fundatam.

294 DICES. Haud commendari poteſt illa Religio, quam Chriſtus funditus everſam voluit; ſed hujuſmodi ſunt Mona-

C chorum Ordines, ait Wicleſus 4. *Trialogi cap.* 38. Chriſtus ſiquidem ut ſectam ſuam magnificaret, quamque unice ſufficere contendebat, privatas alias ſectas, puta Sadducæorum, Judæorum, & hujuſmodi everſas voluit; atqui in iſtis modo comprehenduntur Regulares Ordines, cum non diſcriminentur ab illis, niſi per diverſos ritus, atque indumenta; ergo.

Fauſtus Manichæus ſimile argumentum urgebat, ut Patrum ſacrificia reprobaret, quia cum ſacrificiis Gentilium ſimilitudinem quandam præſeferebant, cui S. Auguſtinus *lib.* 20. *cap.* 21. *adverſus eundem* -- Sicut ideo

D „ non contemnenda, vel deteſtanda eſt vir-
„ ginitas Sactimonialium, quia & Veſtales
„ Virgines fuerunt, ſic non ideo reprehen-
„ denda ſacrificia Patrum, quia ſunt & ſa-
„ crificia Gentium; quia ſicut inter illas vir-
„ ginitates multum diſtat . . . Sic inter ſa-
„ crificia Paganorum, & Hebræorum mul-
„ tum diſtat eo ipſo, quod hoc ſolum diſtat,
„ quæ, cui ſint immolata, & oblata -- Et
ſicut Sacerdotium in lege nova non eſt reprobandum, quia illud Aaronicum fuit evacuatum, ita non eſt deſerenda Chriſtiana Religio, quia Judaica præceſſit. Docet S. Pau-

E lus ad Rom. 2., quod circumciſio abſque legis obſervantia ſit præputium, & præputium æquiparatur circumciſioni, ſi adſit legis obſervantia: quibus innuere vult circumciſionem, vel præputium bonitatem, vel malitiam ſortiri, prout bono, vel malo ſpiritu ſuſcipitur. Porro ſectæ illæ, de quibus Wicleſus, plura involvebant ſuperſtitioſa, atque a Dei cultu aliena, adeoque meritò evertendæ erant; Monachatus autem, ultra communem Chriſtianorum vivendi rationem, non addit, niſi obligationem pleraſque exercendi virtutes a Chriſto commendatas, quod dubio-procul ad Dei obſequium ordinatur.

Quod ſi loquamur de Eſſenis, qui laudabilem vivendi rationem amplectabantur, dicemus cum Apoſtolo, nunc quoque rectum, ſanctumque, nempe ſpiritualem dari Judaiſmum, ſic laudato loco ad Romanos v. 28. *Non enim qui in manifeſto Judaus eſt, neque qua in manifeſto, in carne eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito, Judaus eſt; & circumciſio cordis in ſpiritu non littera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* His compertum habemus non jam carnalem, ſed ſpiritalem antiquæ legis intelligentiam in præſenti prodeſſe poſſe; ſpiritualis namque intelligentia refertur ad Chriſtum; ea propter qui ſpiritu Chriſti ritum aliquem adoptat, haud damnandus eſt, qui eo docitur, gratum Deo præſtat obſequium, adeoque ei laus ex Deo. Nec rituum, aut ceremoniarum diſcrimen ſanctitatem vitiat Religionis, aut impedit a Deo eſſe; ſiquidem cum Julianus Auguſtino affigeret, ut ipſemet teſtatur *lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 5.*, quod aſſereret nuptias non eſſe a Deo, quia dixerat fomitem nuptialis vitioſæ concupiſcentiæ a Deo non eſſe repetendum, reponit S. Doctor ſe id nunquam propugnaſſe; hinc oſtendit nuptias, ſive cum in Paradiſo factæ ſunt, ſive cum a Chriſto ſunt laudatæ, ſive cum ab Hebræis contractæ fuerunt, a Deo eſſe, quod idem plane eſt, ac dicere, eas a Deo eſſe, ſive hebraicis, ſive chriſtianis ceremoniis celebrentur; ſic pro re nata omnis Religio ſive ſub his, ſive ſub diverſis ceremoniis inſtituta a Deo eſt; quælibet enim Evangelica ſervat Conſilia; & hoc eſt Sacramentum illud Chriſti cum Eccleſia, quia ſub hoc rituum diſcrimine plures ſpirituales nuptiæ contrahuntur. Nec diverſitas quoad ritus impedit, quin a Deo ſit; etenim adverſus Wicleſiſtas argumentum Auguſtini urgere poſſemus: Libro itaque *de Opera Monachorum cap. 11.* habet — Sub lege quidem non „ erat (*Paulus*) ſicut illi, qui ſerviliter operabantur, ſed tamen in lege Dei, & Chriſti; non enim alia lex erat illa, & alia lex Dei, ſicut perditi Manichæi ſolent dicere — Ajebant itaque Manichæi: lex Chriſti lex Dei eſt; ergo lex Pauli non erat lex Dei; Wicleſiſtæ ſimiliter argumentantur: Religio communis eſt Dei; ergo Religio Monachorum non eſt Dei. Utraque Dei eſt, ſive hæc, ſive illa; utraque Chriſtum audit, utraque Chriſti doctrinam, & virtutes æmulatur, utraque ergo laudabilis.

Judaiſmus ſpiritalis nunc prodeſſe poteſt.

295 INSTABIS. Religio illa non eſt perfectionis, aut Chriſti, quæ peculiaribus gravatur ſignis, & ritibus, quibus Chriſti lex caret; ſed quilibet Monaſticus Ordo bujuſmodi eſt; ergo nec perfectionis, nec Chriſti cenſendus: unde Monachi, concludit Wicleſus, adulteræ illius generationis ſunt, quæ ſigna quærit. Et ſane Chriſti Religio ceteris præeminet, quia dictum eſt: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Reliquæ ergo tot ritibus oneratæ non ſunt perfectionis; atque de iſtis cum Auguſtino *Epiſt. 119. cap. 19. ad Januarium* dici meritò poteſt — Quamvis „ neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen Religionem, quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ita ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum —

Hoc argumento ſæpenumero abutuntur Hæretici tum ad plures comprobandos errores, tum adverſus ſacras ceremonias, quas pro conferendis Sacramentis adoptavit Eccleſia, puta adverſus exorciſmos in Baptiſmo, genuflexiones, adorationes in Euchariſtia, & bujuſmodi alia; ſiquidem, ajunt, hæc in ſimplicitate fuere a Chriſto inſtituta; aliàs Chriſti Inſtitutio, aliâ quâliber, melior eſt. Igitur ſi argumentum urget, jure dicendum eſſet veterem legem fore novâ perfectiorem: illa ſiquidem levis erat; præcepta namque habebat de externis actibus, hæc autem & internos, qui dubio-procul arduiores ſunt, præcipit: antiquis dictum eſt diliges amicum tuum, nunc diligere debemus & inimicos; illis præceptum fuerat non occidere, nobis prohibetur iraſci, & ſic de aliis pluribus, quod argumentum innuit, ſed inſimul ſolvit Chryſoſtomus, ſeu quisquis alius Auctor Imperfecti *hom. 28.* probans ſuavitatem legis Chriſti non a minori mandatorum numero, ſed a gratia, & charitatis ſpiritu venandam eſſe — Nec ideo ſolùm gratia levis eſt (*ideſt* „ *lex gratia*) quia levia ponit mandata, ſed quod fieri præcipit, & ipſam in nobis faciendi operatur virtutem: ecce enim lex præcipit: diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum; gratia autem jubet: diligite inimicos veſtros; non ne gravius eſt gratiæ mandatum, quam legis? Et tamen facilius eſt nobis per gratiam hæc impoſſibilia adimplere, quam Judæis per legem illa poſſibilia, quia in gratia Dei totum poſſumus, ſine gratia autem nihil, dicente Apoſtolo: omnia poſſum in eo qui me confortat — Idem habes ex Auguſtino *lib. de perfectione juſtitia cap. 10.* — „ Perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam levem, non ſolùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ſublevantem vice pœnarum... Commendantur ergo non eſſe gravia, & cui gravia ſunt, intelligat nondum ſe accepiſſe donum, quo gravia non ſint; nec arbitretur ea ſe perficere, quando ita facit, ut gravia ſint: hilarem enim datorem diligit Deus — Et S. Bernardus egregie hoc argumentum verſat *lib. de natura, & dignitate amoris cap. 5.* palam faciens præcepta legis gratiæ eſſe difficilia, & tamen ſpiritu charitatis, quæ legi gratiæ apte convenit, levia fieri — Qui prius non poterat portare præcepta legis, poſtea levia ſunt præcepta Evangelii per cooperantem gratiam; qui primum adimplere non poterat: non occides, poſtea leve habet pro fratribus animam ponere, & ſic de reliquis — Rem affabre ſimilitudine explicat — Sic & panis „ durus, qui per ſe tranſire non poteſt, adjectione lactis, vel alterius liquoris colabilis fit in gutture — charitas lac eſt, quod duritiem emollit mandatorum. Quamvis ergo Monachorum auſteritates carni adverſentur, ſpiritui tamen dulce ſapiunt; hinc Auguſtinus *de opere Monachorum cap. 29.*

hos

hos adhortatur ad fortiter ferendum pondus legis, ſpe futurorum bonorum -- Sane omnibus, & nobis, & vobis pro gradu veſtro „ & officio laborantibus, & arcta via eſt in „ labore, & ærumna, & tamen in ſpe gau„ dentibus; jugum enim ejus leve eſt, & „ ſarcina levis; qui nos vocat ad requiem, „ qui prior tranſitum fecit a convalle plora„ tionis, ubi nec ipſe ſine preſſuris fuit -- Quare ſcribens ad Januarium non reprobat copiam rituum ordinatam, & ſalutarem, ſed eam execratur, quæ ex animi levitate fuit inſtituta; ibi enim aperte ritus ab Eccleſia adoptatos laudat, atque admittit.

296 Urget Wiclefus *in libello Dialogi*, qui inſcribitur: *Speculum Militantis Eccleſiæ cap.* 13. -- Nulla talis perfectionis Religio „ eſt amplioris perfectionis, quam ſit Reli„ gio Chriſti vulgaris: ſed majoritas meriti „ correſpondet perfectioni in illo, quod ſit „ medium ſubſtantiale ſic merendi; ergo „ nulla talis perfectrix Religio tranſcendit „ vulgi meritum -- Hæc ille, qui alibi addit -- Communis Chriſti ſecta eſt optima, „ quam homo poteſt habere; quoniam Chri„ ſtus omnipotens, & omniſapiens, & om„ nivolens ſic ordinavit ſectam decentem pro „ quolibet homine --

In hoc argumento, quod ſæpe legitur apud Wiclefum, vis omnis continetur hæreſis ſuæ, ad cujus pleniorem intelligentiam juvat advertere, apud Adverſarios triplici ſenſu communem, ſeu vulgarem Religionem dici perfectiorem Monachali, intenſive, ut quidam dicunt; hoc eſt, habet prædicta Religio altiorem gradum, ſpectata morali bonitate, extenſive autem Monachatus excedit, plura ſiquidem opera ſuperaddit mandatis; ſecundò apud nonnullos dicitur perfectior ſimpliciter, quia ſub ſe continet, velut ſpecies, ceteros Ordines; abſolute demum, & ſolitarie, quatenus ſola communis Religio perfecta eſt, reliqui verò Ordines profani, atque damnabiles. Verùm quoad omnia errat doctrina: & ſane. Templum totum, & ſecundùm omnes ſuas partes ſanctum eſt, & tamen aliquis ſacratior locus veneratur, ut Altare, quod Scripturæ peculiariter ad cultum exhibent; ita tota, qua late patet, Eccleſia, & quoad omnes partes ſancta eſt, verùm nemo prudens inficias ibit aliquas ejuſdem partes fore ſacratiores. Sed

Perfectio Chriſtianæ vitæ habet gradus.

quid plura. Ipſemet Chriſtus vitæ Chriſtianæ latitudinem tradidit Matth. 13. parabolâ de ſeminibus cadentibus in terram bonam; unum ſiquidem ex illis fructum dedit centeſimum, alium ſexageſimum, & aliud triceſimum; Doctores pro fructu centeſimo virginitatem, pro ſexageſimo vidualem continentiam, pro triceſimo continentiam conjugalem intelligunt. In hac ergo latitudine perfectionis vita communis conjugatorum aliam perfectiorem ſupponit. Notandum tamen, quod laudata enumeratio alios gradus non excludit perfectionis, ut tradit S. Auguſtinus *de ſancta Virginitate cap.* 46. -- Domi„ num arbitror tres voluiſſe fructificationis „ commemorare differentias, & cetera in„ telligentibus reliquiſſe. Nam & Evange„ liſta alius, qui ſolùm commemoravit cen„ tuplum, non ideo putandus eſt alia duo

A „ improbaſſe, vel ignoraſſe, an non potius „ intelligenda reliquiſſe -- Quod in aperto eſt; martyrium ſiquidem virginitatem præcellit, & perfectior eſt virginitas cum voto, quam ſine illo. Patet igitur Monachatum eſſe verum perfectionis ſtatum ſupra communem, & vulgarem. Hinc ad argumentum dicimus, medium ſubſtantiale merendi fore charitatem, ut docet Scriptura, & concedit Adverſarius; porro charitas tribus perficitur, atque augetur juxta Auguſtinum *lib. de perfectione Juſtitiæ cap.* 8. jejunio nempe, oratione, & eleemoſyna, quæ ſunt velut tria prima genera omnem perfectionem continen-

B tia -- Jejunio ſcilicet univerſum corporis ca„ ſtigationem ſignificans; eleemoſynis om„ nem benevolentiam vel beneficentiam, vel „ dandi, vel ignoſcendi; oratione inſinuans „ omnes regulas ſancti deſiderii -- Cumque Monachatus perpetuam caſtitatem, quæ inter corporis caſtigationes præcipua eſt, abdicationem rerum omnium, per quam diſpenſationis ſumma attingitur, obedientiam demum, quæ ſancti deſiderii ſuprema eſt regula, profiteatur, jam plane fit ad gradum majoris perfectionis ſpectare. Equidem omnis perfectio a charitate oritur, ſed ipſa multipliciter juxta virtutum diverſitatem

C operatur, ſicut aliter in floribus, in fructibus aliter, rorem agere compertum eſt.

Nec inde infertur cum Wiclefo perfectionem alienam eſſe a Chriſtiana Religione; ſiquidem ipſa adæquate intellecta in ſe omnes alias præcontinet Religiones, quæ ſpeciales important differentias. Res clareſcet exemplo: Epiſcopalis perfectio in Chriſtiana Religione eſt, nec tamen dicitur Religio communis, licet eam includat, quia ſupra communem ſuperaddit gradum aliquem, ad quem omnes non pertinent, nihilominus Religio Chriſtiana adæquate accepta gradum connotat Epiſcopalem. Quod luculentius in-

D telliges, ſi advertas Religionem communem importare obligationem ea ſolummodo ſervandi, quæ ad ſalutem neceſſaria cenſentur, Religionem verò peculiarem ad eadem adſtringere, ſed profiteri inſimul alia adimplere, per quæ faciliùs ſervare poſſit præcepta, & cumulatius promereri præmium. Porro Chriſtus hæc doctrinâ, & exemplo approbavit. Omnes de Religione communi, dum ſacro regenerationis lavacro abluuntur, abrenunciant Diabolo, mundo, & pompis ejus, quatenus obligantur nuſquam commutabile bonum appretiative Deo præferre; Monachi autem prædictis abrenunciant fugiendo,

E uſum, & rerum dominium etiam in licitis abdicando. Itaque Chriſti Religio optima eſt; optima eſt conſiderata ut communis; cum media plane congrua, & ſancta ordinavit, quibus quilibet ad æternam pervenire valet felicitatem, ſed & melior eſt, quatetenus media alia ſuperaddit ad faciliùs, ſecuriuſque ſalutem conſequendam; & in eo Chriſti bonitas, & ſapientia elucet, quod omnibus ſufficienter proviſum voluit, quibuſdam verò abundantiùs. Sunt ergo de Religione Chriſti Monachi, ſicut & ceteri fideles, ſed illi excellentiùs emicant, ſicut

ad

ad eandem Principis familiam pertinent Equites, & Servi; ſed illi ad nobiliora deputati, iſti ad inferiora.

297 OBJIC. II. Non jam perfectionis, ſed ſuperſtitionis cenſendus eſt ſtatus ille, per quem Decalogi præcepta evertuntur; ſed Monachatus hujuſmodi eſt; ergo. Magdeburgenſes, qui *in* 10. *c.* 4. *Cent.* pluribus veterum Eremitarum vitiis relatis ſermonem ſequentibus abſolverunt -- Sed quis non hæc „ hominum monſtra execretur ut in inimi- „ cos humanæ ſocietatis, & contra totam „ ſecundam tabulam delinquentes -- aſſumptum in ſuis Centuriis ſparſim probare contendunt, plurima ſomniantes, plurimaque falsò venditantes. Ajunt itaque Monachatum quarto Decalogi præcepto de honorandis, colendiſque parentibus adverſari; juvenes namque, invitis parentibus, ad Religionem admittuntur, quod paſſim contingere ſolet; quintum præceptum non occidendi evertere, cum rigide nimis jejuniis, flagellationibus, aſſiduis vigiliis, atque aſperitatibus corpora ad necem uſque affligere Monachi non ceſſent; ſuperſtitioſam itidem vivendi rationem adoptare, vivendo in eminenti columna, ut de Simeone, & Daniele quodam ejus diſcipulo referunt Hiſtoriæ; deſtruere ſextum: *Non mœchaberis*, cum ſuaſuor ſit ſponſam, cui data eſt fides, deſerere, ut de Malcho legitur, qui uxorem poſthabuit, ut Monaſtice viveret; de Leobardo, qui, reluctantibus parentibus, promiſſioni factæ mulieri ſtare noluit; de Papula, quæ ſub virili indumento triginta annis in Monaſterio delituit, contemnente meditatas a parentibus nuptias; præceptum dilectionis proximi horrere, cum ab humana ſocietate homines avertat, ipſos velut feras in ſpeluncis claudentes, immo naturæ jura violare, ut videre eſt de eo, qui ab adoleſcentia Monaſticum inſtitutum profeſſus, Deo vovit nuſquam parentes inviſere, cumque poſt annos 40. per Superiorem juſſus ad ſolatium Sororis ipſam adjiſſet, nec eam allocutus eſt, aut vidit, ſed brevi temporis ſpatio cum ea commoratus receſſit; fuit & Mutius quidam inhumanus adeo, ut ex Abbatis imperio filium in flumen projicere paratum novimus: hæc porro eſtne proximi dilectio a Chriſto commendata? Fruſtra ne clamat Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. v. 8. *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior?* Addunt itidem Monachatum primum Decalogi mandatum impetere; quia Monachos exponit Dæmonum illuſionibus, qui eos ad ſui adorationem, & cultum cogunt, hinc Hilarion, & Antonius miras paſſi ſunt calamitates a Cacodæmone, qui perſæpe eos corporaliter arripiebat in pœnam Monaſticæ ſuperſtitionis, ut inde novum hocce vivendi genus deteſtarentur alii. Hæc ſummatim ex Magdeburgenſibus.

Verùm enim verò incertum plane eſt, num Centuriatorum argumentum nos magis, an ipſos feriat? Etenim inficias ire non poſſunt Monachatum præteritis floruiſſe temporibus, cum ipſimet antiqua Patrum referant exempla: equidem mira omnia, quæ de iiſdem tradunt Hiſtoriæ, ad ſuperſtitionem, ſeu ad vanitatis pruriginem revocant, perperam tamen, cum a Scriptoribus indubiæ fidei commendata: nonne apud Sozomenum *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 29. legimus Apollonium in Thebaide præ miraculorum multitudine celebrem extitiſſe? Piammonem in Ægypto, cum ſacrum faceret, vidiſſe circa ſacram menſam ſtantem Angelum Dei, atque adſtantes Monachos in libro deſcriptos? Beniamin circa Scetin in Monaſtico inſtituto ita profeciſſe, ut ſolo manus tactu ægrotos liberaret? Innumera fere ibidem, ſicut & in præcedentibus Monachorum portenta ſubdit laudatus Auctor. Nonne habemus apud Socratem *lib.* 4. *Eccleſiaſt. Hiſt. cap.* 18., *& ſeqq.* plura de Monachis, quæ eorundem vivendi genus quam maxime commendant? In Nitria monte videre erat Ammonem una cum Sponſa cœlibem vitam agere, cujus animam in cœlum ſublatam vidit Antonius, Didymum, qui toto vitæ ſpatio nullius unquam hominis ſocietate, & conſuetudine uſus eſt, duos Macarios pietate, & ſanctimonia percelebres; nonne, ſi non majora, ſimilia tamen occurrunt apud Evagrium in ſua Hiſtoria? Hæc ſane nec vanitatem, nec ſuperſtitionem ſapiunt, ſed Monaſtici inſtituti perfectionem deprædicare in aperto eſt. Neque enim Deus ſuperſtitioſos ritus miraculis comprobat. *Mira a Monachis perpetrata.*

Scio ut fabuloſas narrationes prædicta criminati; attamen ſi hujuſmodi, aut ſimilia, quæ paſſim apud Patres leguntur, conficta cenſeri debent, jam de humana Hiſtoricorum fide actum eſt. Si non credimus Evagrio, Sozomeno, Socrati, Theodoreto, Athanaſio, Hieronymo, aliiſque, quibuſnam fidendum erit?

Ultro concedimus unum, aliudve confingi poſſe miraculum, ſicut unum, vel alium auctorem decipi, ſed quod tanta miraculorum copia ſimuletur, quod tot Auctores in eundem confluant errorem, a veritate longe aberrat. Potiſſimum cum etiam tunc temporis profanos irriſores habuerit Monaſticum inſtitutum, adverſus quos inſurrexerunt Patres, ut videre eſt in S. Hieronymo de vita Pauli, & Hilarionis. Nec momenti eſt, ſi dicatur, S. Doctorem, ubi de Monachis egit, Rhetorum more luſiſſe; nam contextus veritatem elucidat, dum candide fatetur ſatius optare Pauli tunicam cum ſuis meritis, quam regalem purpuram una cum Regum divitiis, & aliàs teſtatur ad Paulum Concordienſem ſtylum depreſſiſſe in referenda Pauli vita -- Miſimus interim te tibi, ideſt Paulo „ ſeni Paulum ſeniorem, in quo propter „ ſimpliciores quoſque multum in dejiciendo „ ſermone laboravimus -- Wiclefus, ut Hieronymi infringat auctoritatem, clauſtrum refugiſſe, putrido mendacio, venditat, cum indubie primùm in Syriæ Eremo vitam egerit Monaſticam, dein poſt obitum Damaſi, cui in conſeribendis Epiſtolis, atque in Eccleſiaſticis negotiis operam ſuam commodaverat, Bethlehem ſeceſſit, ubi conſenuit in Monaſterio, ibique nonagennario major ad immortalem vitam, clarus meritis, multiſque pro Eccleſia laboribus perfunctus migravit.

298 Nunc reſpondendo ad primum, quo

quo Magdeburgenſes contendunt ingreſſum in Religionem, invitis parentibus, quartum Decalogi præceptum impetere, dicimus falsò omnino id propugnari; quod oſtenditur

A

I. Eccleſia nuſquam filiorum conjugia, invitis parentibus, celebrata diſſolvit, quod Heterodoxi admittunt, quin eoſdem de violato quarto præcepto criminentur; ergo invitis parentibus licebit ſpiritale connubium, cum excellentior Sponſus ſit Deus. Argumentum eſt S. Ambroſii ad Marcellinam Sororem *de Virg. lib.* 1. -- Si hominem amarent filiæ veſtræ, per legem poſſent eligere, quem vellent, quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? --

B

II. Quoties ſpirituale bonum periclitatur, tenemur deſerere parentes, dicente Chriſto Matth. 10. v. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquam me . . . non eſt me dignus*; ſed dum Religioſæ vitæ inſtitutum prohibetur, dubio-procul bonum ſpirituale impeditur; retrahitur namque quis a perfectiori Chriſti ſequela: unde dicitur Lucæ 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & Uxorem, & filios, & fratres, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Argumentum habes apud Gregorium *hom.* 37. *in Evangel.* -- Quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo neſciamus -- &

C

S. Hieronymus pro re nata ſcribit *in cap.* 10. *Matth.* -- Ne quis pietatem Religioni anteferret, ſubjecit dicens: qui amat &c., & in Cantico legimus Canticorum: ordinavit in me charitatem: hic ordo in omni affectu neceſſarius eſt -- Ea propter perperam dicitur contra ordinem charitatis fore relinquere parentes ob majus bonum. Rem hanc egregie verſat S. Auguſtinus *Epiſt.* 38. *ad Latum*, & S. Bernardus *Epiſt.* 3. Heliæ Monachi nomine ad ejuſdem parentes data habet -- Sola cauſa, qua non licet obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit:

D

qui amat Patrem, aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Si vere me, ut boni, & pii parentes diligitis, quod me Patri omnium Deo placere ſatagentem inquietatis, & ab ejus ſervitio, cui ſervire regnare eſt, retrahere tentatis? Verum nunc cognoſco, quod inimici hominis domeſtici ejus: in hoc vobis obedire non debeo; in hoc non agnoſco vos parentes, ſed hoſtes. Si diligeritis me, gauderitis utique, quia vado ad meum, atque veſtrum, immo univerſorum Patrem: alioqui quid mihi, & vobis? quid a vobis habeo, niſi peccatum; & miſeriam? --

E

III. Qui magis Deo, quam parentibus obedit, non jam violat, ſed præceptum adimplet; ſcriptum eſt enim ad Heb. 12. v. 9. *Non multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?* ſed qui parentes deſerit, ut Religioſum ſtatum aſſumat, obedit Deo inſpiranti, præmiiſque pollicenti juxta illud Gen. 12. v. 1. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi*; ergo. Argumentum habes ex D. Hieronymo *Epiſt. de ſuſpecto Contubernio* -- Si quis te corripit, quod ſis Chriſtiana, quod ſis virgo, non cures, quod matrem deſerveris, ut in Monaſterio inter virgines viveres. Talis detractio laus tua eſt. Item crudelitas iſta pietas eſt: illum enim præfers matri, quem præferre juberis & animæ tuæ --

IV. Haud præcepti violator cenſendus eſt, qui id peragit, quod Chriſtus ſuo exemplo innuit eſſe faciendum; ſed Chriſtus ſuo exemplo oſtendit parentes nihili faciendos eſſe, ut Deo ſerviamus; nam cum prædicaret, dictum eſt ei Matth. 12. v. 47. *Ecce mater tua, & fratres tui foras ſtant*; cui reſpondit Jeſus v. 48. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* oſtendens cognationem ſuam quodammodo non agnoſcere. Momentum hoc dilucide exponit S. Auguſtinus *Epiſt. ad Latum* -- Ita ne matrem terrenam non habebat Imperator tuus? Qui tamen cum ei cœleſtia agenti nunciaretur, reſpondit, quæ mihi mater, aut qui fratres? & extendens manus in diſcipulos dixit: non pertinere ad cognationem ſuam, niſi qui facerent voluntatem Patris ejus; in quo numero profectò etiam ipſam matrem benignus incluſit: faciebat enim & illa voluntatem Patris; ita optimus Magiſter, atque divinus, & maternum nomen, quod ei quaſi privatum, propinquumque nunciaverat, quia terrenum erat, in comparatione cœleſtis propinquitatis abjecit -- & Theophilactus in *cap.* 19. *Joann.* ſcribit -- Oportet quidem parentibus ad pietatem obſiſtentibus non parere, non obſiſtentibus autem omni cura ſervire --

V. E Chriſti doctrina eſt ſpecialem ejuſdem ſequelam adoptare, etiam refragantibus parentibus; adoleſcentulo enim, quem Chriſtus ad ſui ſequelam vocaverat, volenti prius Patri ſuo ſuprema perſolvere reſpondit Luc. 9. v. 60. *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos*; quibus docere voluit omnia amandanda fore, ut Chriſtum ſequamur. Sic laudatus Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Heliodorum* -- Gladium tenet hoſtis, ut me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam Chriſti deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſâ non debeo, quam etiam omnibus ejus cauſâ debeo? -- Ibidem iisdem habet -- Licet parvulus e collo pendeat Nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat, licet in limine pater jaceat, percalcatum perge patrem, ſiccisque oculis ad vexillum Crucis evola; ſolùm pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem --

VI. Fas eſt laudabilia Apoſtolorum geſta imitari; atqui Apoſtoli, inconſultis parentibus, Chriſti ſequelam amplexati ſunt: Matth. 4. v. 20. *At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum*. Ubi S. Hilarius apud D. Thomam -- Ex quo docemus Chriſtum ſecuturi, & ſecularis vitæ ſollicitudine, & paternæ domus conſuetudine non teneri --

VII. Auguſtinus hac ſuper re egregie diſputat *Epiſt. ad Latum*, ex quo ſequens inſtituitur diſcurſus. Equidem durus eſſet in matrem filius, ſi matris querelas non audiret, dum alios alere filios nequiret, niſi ipſo adju-

adjuvante; porro Mater Eccleſia filios ſuos per alios nutrit filius, ſed nec apte, nec ſufficienter, niſi per excellentiores, atque a terrenis potiſſimum ſegregatos, quique per virtutum exercitia ceteris præmineant: durus itaque foret Chriſtianus, qui ut carni, & ſanguini acquieſceret, Eccleſiæ filiis opem non ferret adoptando perfectionis inſtitutum, quo aptus reddi valet ad ſuccurrendum indigentibus. Placet addere diſcurſum alterum D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 6. *ad* 2. Subjectio filii ad Patrem eſt naturalis, Servi verò ad Dominum eſt in pœnam peccati, ideoque per ſervitutem aliquid adimitur homini, quod aliàs ei competeret, ne ſcilicet de ſe Ipſo libere poſſit diſponere; Servus enim id quod eſt, Domini eſt; filius autem quod perſonam ſui juris eſt, propterea que valet divinis ſe mancipare obſequiis; notat tamen Angelicus *in reſp. ad* 2. Filium inter Clauſtra præceptum de parentibus colendis ſervare -- Orando, & eis reverentiam, &
„ auxilium impendendo, ſecundum quod
„ Religioſos decet, quia etiam illi qui in
„ ſeculo vivunt, diverſimode parentes ho-
„ norant ſecundùm eorum conditionem --

Liberum eſt itaque filiis, cum ſtatum pubertatis nacti ſunt, & cum parentes eorundem ope ſimpliciter non indigent, ſine ipſorum conſenſu, immo ipſis Adverſantibus, Religioſum ſtatum amplecti; unde damnandi ſunt, qui eis obſiſtunt, ſicut & qui cogunt invitos ad Religionem: hinc antiqui Canones præſcribebant, ne mulieres velamen ſuſciperent, niſi poſt annos quadraginta probatæ virginitatis, ut indemnis earum haberetur libertas; & noviſſime Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 18. *de Regularibus, & Monialibus* ſtatuit anathemare quoſcunque, & quomodocunque cogentes Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum Religioſum habitum. His compertum ſit & jure, & meritò de mendacio criminandos eſſe Novatores, aſſerentes nos libertatem filiis adimere quoad ſtatus electionem, cum Eccleſia, nervis omnibus, eorundem libertatem propugnet.

Fas eſt Religionem ingredi invitis parentibus.

299 Quoad ſecundum. Mirum ſane eſt adeo inſanire Hæreticos, ut præclariſſimos viros, quos Deus innumeris pene decoravit miraculis, homicidii reos declament. Etenim ſi in longum ſenium vivere, quo pacto ſui homicidæ cenſendi ſunt? Jejuniis inter, & flagella ſupra centeſimum annum vitam duxerunt Paulus, & Antonius; ſi Eccleſiaſtica evolvantur monumenta, paſſim occurrent Monachi ſive nonagenarii, ſive octogenarii, itaut compertum fiet plerosque duros inter labores, atque aſperitates longiùs vixiſſe, quam qui mollibus nutriuntur. Hujuſmodi vivendi rationem incuſat, qui neſcit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; qui ignorat æternum gloriæ pondus, quod operatur in nobis pœnitentia; qui demum refugit ſervire Deo, ut corpori indulgeat. Ceterum ſi pœnitentes Monachos carpere audent, ecur Moyſem, Eliam, immo & ipſum Chriſtum non culpant, qui quadraginta dierum jejunio ad pœnitentiam invitarunt?

Fruſtra item lacerant illud divinæ virtutis prodigium, Simeonem videlicet, & Danielem, de illo namque ſcribit Evagrius *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 13. -- Eiſdem temporibus
„ floruit, inque magna gloria fuit Simeo-
„ nes, vir & inſignis pietatis, & memoriæ
„ perceleberis: hic primus ſtationem in col-
„ lumna inſtituit, domiciliumque in ea,
„ cujus menſura via duos continebat cubitos,
„ conſtruxit . . . Iſte Simeones vitam cœle-
„ ſtium poteſtatum in carne æmulatus, & a
„ rebus terrenis abſtrahere laboravit, vim
„ afferre naturæ, quæ ſolet ſuopte nutu
„ deorſum ferri, res in ſublimi locatas per-
„ ſequi & inter cœlum, & res cœleſtes quaſi
„ medius interjectus, cum Deo colloqui,
„ cum pariter cum Angelis laudibus extol-
„ lere, & tum preces pro hominibus e terra
„ in cœlum ſublevans, Deo offerre, tum mi-
„ ſericordiam Dei de cœlo in terram defe-
„ rens, hominibus impertiri . . . Cum Si-
„ meones iſte, qui in terra Angelus, in
„ carne cœleſtis Hieroſolem civis fuit, pe-
„ regrinam hanc vivendi viam, hominibus
„ plane incognitam inſtitueret, Sanctæ Ere-
„ mi Incolæ mittunt quendam ad illum, jo-
„ bentque ut ab eo ſciſcitaretur, quid hæc
„ nova, & inuſitata vitæ ratio ſibi vellet, &
„ quamobrem tritâ vivendi via, & Sancto-
„ rum preſſâ veſtigiis relictâ, aliam quan-
„ dam peregrinam, & hominibus omnino
„ ignotam ſequeretur: cumque hortantur
„ per nuncium, ut ex ſuo domicilio deſcen-
„ deret, viamque electorum Patrum imita-
„ ret. Quod ſi alacri animo, ac paratum de-
„ ſcendere videretur, mandarunt, ut ei ſua
„ ipſius vivendi via inſiſtendi poteſtas fie-
„ ret -- Ita contigiſſe refert, nam ut acceſſit nuncius, Patrum mandato expoſito, ille extemplò alterum produxit pedem, ut deſcenderet. Quis porro cœleſte hoc vivendi genus, non niſi impie, ſuperſtitioſum dixerit? Admirabilem Sanctiſſimi hujus viri ſanctitatem miraculis reſtatam voluit Deus ad Evagrii uſque tempora, cum ipſemet *citato libro cap. ſeq.* referat ſe vidiſſe ſtellam, quo die ejuſdem anniverſaria ſolemnitas celebratur -- Ad lævam columnæ in uno cancello-
„ rum ipſe equidem cum tota agricolarum
„ circa columnam incedentium multitudine,
„ ibi in unum coacta, vidi ſtellam inuſitata
„ magnitudine diſcurrentem per totam ri-
„ mam, jubarque fundentem: neque id qui-
„ dem ſemel, biſve, aut ter, ſed ſæpius,
„ eandemque crebro evaneſcentem, & ex
„ improviſo apparentem denuò; quæ ſolùm
„ in iſtius Sanctiſſimi viri die feſto cerni-
„ tur --

300 Quoad tertium. Novum prorſus modum ſextum explicandi præceptum excogitarunt Heterodoxi, affirmantes peccare peccato Mœchiæ Conjuges, qui mutuo conſenſu continenter vivunt. Damnandi ergo erunt Sanctiſſimi Conjuges Maria, & Joſeph, qui voto virginitatem Deo conſecrarunt. Perperam igitur Patres præclariſſimis laudibus Deiparæ virginitatem commendarunt? Decepta eſt ne Catholica Eccleſia, dum Helvidium blaſphemantem Mariam quovis tempore non fuiſſe virginem execravit?

Conjuges mutuo conſenſu abſtinere poſſunt a maritali commercio.

vit? Mariam, & Joſeph veros fuiſſe conjuges aperte teſtatur Matthæus cap. 1. v. 18. *Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph*; & v. 20. *Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; ſicut & v. 24. *Et accepit conjugem ſuam*; quod ultrò concedunt Magdeburgenſes *lib. 1. Cent. 1. cap. 10.*, Bucerus *in cap. 1. Matth.*, & Calvinus *in cap. 1. Lucæ*, impie tamen aſſerunt B. Virginem, & Joſeph ita contraxiſſe conjugium, ut voluerint ſtatuto tempore filios procreare; porro qui, ſervando virginitatem, excellens adeo exemplum imitari volunt, quomodo ſunt redarguendi? Optime hac ſuper re Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum *lib. 2. cap. 1.* -- Hoc exemplo magnifice inſinuatur „ fidelibus conjugatis, etiam ſervatâ pari „ conſenſu continentiâ, poſſe permanere „ conjugium, non permixto corporis ſexu, „ ſed cuſtodito mentis affectu --

Et ſane quoties ſubſiſtit inter conjuges finis, & cauſa opus aliquod honeſtans, toties illud exercere fas eſt; ſed hoc contingit, dum conjuges mutuo conſenſu a maritali commercio abſtinent; ſiquidem datum eſt conjugatis ſe continere ad vacandum Deo, ut docet Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipſum*. Cauſa igitur conjugalem continentiam cohoneſtans eſt ſtudium vacandi orationi, jejuniis, aliiſque piis operibus: ea propter ſi conjuges toto vitæ tempore ſpecialius velint divinis ſe mancipare obſequiis, licite poterunt ſemper ſe continere; quod opportune innuebat S. Gregorius *lib. 9. Epiſt. 39. ad Theotiſtam* -- Si verò utriſ„ que conveniat continentem vitam ducere, „ hoc quis audeat accuſare, quando certum „ eſt, quod omnipotens Deus, qui minora „ conceſſit, majora non prohibuit? -- Si ergo conceſſum eſt ad tempus, orationis causâ, continere, haud idem vetitum erit toto vitæ tempore. Id tamen prudenter peragendum eſt, ut monet Apoſtolus, ut nempe id fiat mutuo conſenſu: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu*; causâ iiſdem vacandi Deo; continentia namque mire deſervit ad divina; quod demum non ſubſit peccandi periculum; ideoque ſubdit: *Et iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram*, ideſt ob pronitatem ad carnales delectationes, ex qua inſurgit tentatio. Subdit tamen: *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium*, ut compertum ſit poſſe ad mortem uſque perſeverare in propoſito, qui fortes adinveniuntur, ut inſidiantem Dæmonem devincant, ſecus qui eidem reſiſtere non valent. Ex quo corruit, quod confingunt Adverſarii, videlicet, quod ceſſaret generatio, ſi morem gerere vellent homines conſulenti Paulo: *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum*: etenim optime noverat hoc omnibus datum non eſſe, ideoque proſequitur: *Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic*. Unde plures futuri erant, qui hujuſmodi perfectionis ſtatum refugiſſent.

His palam fit laudabiles fore conjuges, qui mutuo conſenſu a maritali commercio
A abſtinent, ſicut & illi, qui ante conſummationem aufugiunt, ut Dei ſequelam adoptent. Qua de re videnda ſunt, quæ diximus *Tract. de Matrimonio Diſp. IV. Controv. IV.*, ubi ex profeſſo probatum eſt ſolemnem Profeſſionem diſſolvere Matrimonium ratum; unde evaneſcunt dicteria, & ſophiſmata tum Magdeburgenſium, tum aliorum Novatorum adverſus Catholicam veritatem.

Eremitarum vita commendatur.

301 Quoniam verò Centuriatores non tantum adverſus Monachos, ſed etiam adverſus Eremitas inſurgunt, operæ pretium erit ſigillatim laudabilem hanc vivendi rationem propugnare. Itaque, cum Oſeas cap. 2.
B v. 14. ad legem gratiæ proſpiciens dixerit: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*, perperam male feriati Novatores ſolitariam Eremitariam vitam carpunt; cum eos ad ſolitudinem vocet Deus, ut ad altiſſimam rerum cœleſtium contemplationem perducat, atque in Joanne commendet, Matth. 11. v. 11. *Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*: porro Præcurſorem Eremi incolam fuiſſe aperte docet Lucas cap. v. 80. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſerto uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael*. Quibus luce
C clarius apparet Joannem ad tempus uſque, quo ad prædicandum exivit, Eremiticam vitam duxiſſe.

Ut argumenti vim eludant Magdeburgenſes, reſpondent *lib. 1. Cent. 1. cap. 10.* -- Fuit Joannes in deſerto; hoc eſt in regio„ nibus circa Jordanem, utpote quæ ob vi„ cinos montes deſerta vocabantur, cum ta„ men in eo tractu circa Jordanem, utpote „ piſcoſo loco, pratis irriguo, & paſcuoſo, „ plurimi homines habitarent -- Hinc deſerti nomine oppida prope deſerta loca conſtructa intelligunt.

Eremus locus eſt ab hominum frequentia remotus.

Verùm arbitraria interpretatio facile de
D mendacio revincitur, & quidem I. Quoties in Evangelio abſolute, & abſque ulla additione ponitur deſertum, toties in proprietate intelligi debet pro loco a communi hominum conſuetudine diſcreto, ſic legitur Matth. 4. v. 1. *Tunc Jeſus ductus eſt in deſertum*: cap. 15. v. 33. *Unde ergo nobis in deſerto panes?* cap. 24. v. 26. *Ecce in deſerto eſt, nolite exire*: Marc. 1. v. 12. *Expulit eum in deſertum*. Luc. 5. v. 16. *Secedebat in deſertum, & orabat*; cap. 8. v. 29. *Agebatur a Dæmonio in deſerta*; cap. 15. v. 4. *Nonaginta novem in deſerto*; Joann. 6. v. 40. *Manducaverunt Manna in deſerto*. Quare ergo ubi de Joanne agitur, deſerti nomen
E in aliena ſignificatione uſurpandum eſt?

II. Per Magdeburgenſes ideo Joannis deſertum eſt locus aliquis peculiaris, quia ibidem *in œconomia ſacrorum Parentum* fuit educatus; ſed hoc adverſatur Scripturæ, quæ eorundem habitationem in Civitate Judæ deſcribit Luc. 1. v. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in Montana cum feſtinatione in Civitatem Juda; & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth*. Non ergo in deſerto erat paterna domus Joannis, ſed locus nativitatis alius plane fuit a loco converſationis.

III. Si deſerti nomine locus intelligi
deberet, ubi plures habitarent, ut conten-
dunt Adverſarii, Joannes dubio-procul notus
fuiſſet hominibus: ex quo enim locus, ubi
natus eſt, multâ hominum frequentiâ erat
inſignis, ideo mira, quæ in ejuſdem nativi-
tate evenerunt, evulgata fuere ſuper omnia
Montana Judææ, & poſuerunt omnes, qui
audierant in corde ſuo dicentes, quis putas,
puer iſte erit? ſed quando prædicatoris mu-
nus aſſumpſit, ignotus habebatur, ut patet
Joann. 1. cum Sacerdotes miſerint ad inter-
rogandum: Tu quis es? Quod ſane abs re
fuiſſet, ſi innotuiſſet populo; ergo locus ha-
bitationis Joannis erat ab hominibus ſepara-
tus. Idem colligi poſſet, ex quo referant Ni-
cephorus *lib. 1. cap. 14.*, & Cedrenus *in
Compendio Hiſtoriæ* Matrem ejus receſſiſſe in
Eremum, ut Herodis tyrannidem declina-
ret, atque in ſpelunca delituiſſe, ibique fato
functam fuiſſe, Angelum verò aſſumpſiſſe
curam infantis, qui, dum in deſertum ſe-
ceſſit, ſexdecim abſolverat menſes; verùm
hac de re judicent alii.

IV. Perperam docent Centuriatores
Joannem fuiſſe in deſerto -- Hoc eſt in re-
„ gionibus circa Jordanem, utpotequæ ob
„ vicinos montes deſerta vocabantur -- ſiqui-
dem præter hocce deſertum, aliud aſſignat
Scriptura, in quo morabatur Joannes. Ete-
nim Luc. 3. v. 2. legitur: *Factum eſt verbum
Domini ad Joannem Zachariæ filium in deſer-
to, & venit in omnem regionem Jordanis, præ-
dicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem pec-
catorum*. Regio itaque circa Jordanem non
erat locus ejuſdem domicilii, ſed locus, ad
quem ex Dei juſſu venerat, ut enunciaret pœ-
nitentiam. Equidem non inficias imus etiam
locum, ubi prædicabat, potuiſſe deſertum
nuncupari, cum dicatur Matth. 30. v. 1. *In
diebus illis venit Joannes baptiſta prædicans in
deſerto Judææ*; ſed ab intima, & recondita
Eremi parte exivit, atque in exteriori, ad
quam nonnulli ex vicinis Oppidis conflue-
bant, ſive ad piſcandum, ſive ad paſcenda
armenta, cœpit prædicare; hinc ita percre-
buit fama, ut etiam ex Jeroſolymitana gente
auditores habuerit; ea propter laudabilior ea
eſt ſententia, quæ unum deſertum in duas
partes diſcriminatur, in exteriorem ſcilicet,
& interiorem; in hac morabatur Præcurſor,
in illa verba faciebat ad populum.

V. Si frequens fuiſſet Joannis converſa-
tio, cur multitudo ob inuſitatum ſive viven-
di, ſive veſtiendi modum admirabatur? ut
innuit Chriſtus Matth. 11. v. 7. *Quid exiſtis
in deſertum videre? Arundinem vento agita-
tam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mol-
libus veſtitum?* Latuit ergo in deſerto, unde
tanquam ſpectaculum factus eſt, cum homi-
nibus apparuit; quod declarat Euſebius *lib. 9.
Demonſtrat. Evangel. cap. 5.* -- Procedebat ex
„ deſerto inuſitatum indutus habitum, om-
„ nemque communem hominum conſuetu-
„ dinem declinans: nam neque in vicum ul-
„ lum, neque in urbem, neque in commu-
„ nem aliquem virorum cœtum commea-
„ bat --

His concinunt Patres: Euthymius *in
cap. 11. Matth.* de Præcurſore habet -- Quis
„ ab infantia ita ſolitariam, & Eremiticam
„ duxit vitam, taleque elegit exercitium?
„ Certe nullus hominum -- Chryſoſtomus
hom. 38. in Matthæum -- Semper in hymnis,
„ ſemper in orationibus fuit; nulli homi-
„ num, antequam ad baptizandum accede-
„ ret, Deo autem ſoli ſua ſemper offerebat
„ colloquia. Neminem vidit unquam con-
„ ſervorum, nec ab aliquo horum viſus fuit,
„ non lacte nutritus, non lecto ſuſceptus,
„ non tecto, non foco, non alia re humana
„ uſus erat: tamen mitis ſimul, & acer,
„ quorum alterum ex converſatione ſua cum
„ diſcipulis, alterum ex reſponſione ſua ad
„ Judæos, atque ad Regum liberâ, facile
„ perdiſcas -- Theophilactus *in Lucam cap. 1.*
-- Quare (*Joannes*) erat in deſertis? Ut ne
„ multitudinis malitiæ particeps fieret, & ut
„ neminem reveritus libere reprenderet; nam
„ ſi fuiſſet in mundo, fortaſſis conſuetudine
„ amicorum, & ſocietate coinquinatus fuiſ-
„ ſet, ſed ut fide dignus haberetur, qui præ-
„ dicaret Chriſtum, utpote Eremita, vitâ-
„ que excellens alios -- Ejuſdem labii ſunt
reliqui Patres.

302 Laudabilem fore ſolitariam, &
eremiticam vitam comprobavit Chriſtus, qui,
ut orationi vacaret, a populi frequentia re-
cedebat: Luc. 5. v. 16. *Ipſe autem ſecede-
bat in deſertum, & orabat*. Marc. 6. v. 46.
Et cum dimiſiſſet eos, abiit in montem orare;
& Matth. 14. v. 23. *Et dimiſſâ turbâ aſcen-
dit in montem ſolus orare*. Hac conſuetudine
docebat cœleſtis Magiſter ſolitudinem pro re-
rum ſupernarum contemplatione mire deſer-
vire. Ad hanc conſequendam apte condu-
cunt tum animi tranquillitas, tum profi-
ciendi ſtudium, tum alienatio a terrenis;
hæc porro præſtat ſolitudo, teſte Nazianzeno
Orat. 16. de pauperum amore -- Pulchræ ſunt
„ ſolitudo, & quies, quod me docet Eliæ
„ Carmelus, Joannis deſertum, ac mons
„ denique ille, in quem Jeſum ſæpe ſeceſ-
„ ſiſſe, ſecumque animo quieto eſſe con-
„ ſtat -- & Chryſoſtomus *hom. 3. in Marcum*
hac ſuper re habet -- Erat in die cum diſci-
„ pulis, in nocte orationem ſuam pro nobis
„ Patri dedicabat, & quando volebat orare
„ intenſius ſecedebat -- Solitudinem ad con-
templationem viam ſternere vel Philoſophi
noverunt, ut oſtendit S. Hieronymus *lib. 2.
adverſus Jovinianum cap. 7.* -- Nam & Pyta-
„ goræi hujuſmodi frequentiam declinantes,
„ in ſolitudine, & deſertis locis habitare
„ conſueverant; Platonici quoque, & Stoici
„ in templorum locis, & porticibus verſa-
„ bantur, & admoniti anguſtioris habitaculi
„ ſanctitate, nihil aliud quam de virtutibus
„ cogitarent; ſed & ipſe Plato cum eſſet di-
„ ves, & thoros ejus Diogenes lutatis pedi-
„ bus conculcaret, ut poſſet vacare Philoſo-
„ phiæ, elegit academicam villam ab Urbe
„ procul, non ſolùm deſertam, ſed peſti-
„ lentem, ut curâ, & aſſiduitate morbo-
„ rum, libidinis impetus frangeretur, di-
„ ſcipulique ſui nullam aliam ſentirent volu-
„ ptatem, niſi earum rerum, quas diſce-
„ rent; quoſdam legimus effodiſſe ſibi ocu-
„ los, ne per eorum viſum a contemplatione
„ Philoſophiæ avocarentur --

Solitaria vita a Philoſophis commendata.

303 Ca-

303 Catholici ad unum omnes fatentur laudabilem eſſe cordis puritatem, atque innocuam vivendi rationem; ſed ſolitudo, atque Eremiticæ vitæ inſtitutum ad hoc quam maxime deſervit, ut declarat laudatus Hieronymus *loco cit.* -- Si quis exiſtimat & abun-
„ dantia ciborum, potionumque ſe perfrui,
„ & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt, & ver-
„ ſari in delitiis, & delitiarum vitiis non
„ teneri, ſeipſum decipit. Cum enim pro-
„ cul ab his remoti ſæpe capiamur naturæ
„ illecebris, & cogamur ea cupere, quorum
„ copiam non habemus, quantò magis ſi
„ circumdati rebus voluptatum, eſſe nos
„ liberos arbitremur? Senſus noſter illud
„ cogitat, quod videt, audit, odoratur,
„ guſtat, attrectat, & ad ejus rei trahitur
„ appetitum, cujus capitur voluptate, quod
„ mens videat, & mens audiat, & quod ne-
„ que audire quippiam, neque videre poſſi-
„ mus, niſi ſenſus in ea quæ cernimus, &
„ audimus, fuerit intentus --

Hinc ſæpe numero apud Patres Eremiticæ vitæ laudes occurrunt: Chryſoſtomus *hom.* 8. *in Matth.* habet -- Si quis nunc ad
„ Ægypti veniat ſolitudinem, Paradiſo pror-
„ ſus omnem illam Eremum viderit dignio-
„ rem, & innumeros Angelorum choros in
„ corporibus fulgere mortalibus -- Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Eliodorum* -- O deſertum
„ Chriſti floribus vernans! O ſolitudo, in qua
„ illi naſcuntur lapides, de quibus in Apo-
„ calypſi Civitas magni Regis adſtruitur! O
„ Eremus familiarius Deo gaudens! -- Auguſtinus, pluribus omiſſis, *lib.* 1. *de moribus Eccleſiæ cap.* 31. -- Nihil de iis dicam, qui
„ ſecretiſſimi penitus ab omni hominum
„ conſpectu, pane ſolo, & aqua contenti,
„ deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes
„ colloquio Dei, cui puris mentibus inhæ-
„ ſerunt, & ejus pulchritudinis contempla-
„ tione beatiſſimi, quæ niſi Sanctorum in-
„ tellectu percipi non poteſt -- Videatur Thomas Waldenſis, ubi plura pro re nata.

304 Dicunt tamen I. Centuriatores. Damnandum eſt Eremitarum inſtitutum, cum pluribus ſeſe exponant periculis labendi in peccatum, niſi dicatur ipſos hoc vivendi genere Deum tentare, clamante Matthæo cap. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*.

Utique qui abſque neceſſitate, vel utilitate ſe periculo peccandi exponit, Deum tentat; ceterum qui Eremiticam vitam elegerunt ob ſummam utilitatem, acquirendi videlicet ſanctitatem, haud criminandi ſunt, ſed meritò laudandi: quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Si humanæ vires ſpectentur, mira ſunt, quæ peregerunt Sancti, ſi autem gratiæ auxilium, facilia novimus. Ultro damus Dæmonem variis tentationibus Monachos, & Eremitas vexare, & eo acriùs, quo ferventiùs Deo famulantur, ſed itidem certum eſt, præſto eſſe Dei adjutorium, quo hoſtes conſringantur; ut inde victores majori donentur præmio. Audiatur S. Thomas *in cap.* 4. *Matth.* explicans, cur tentari debeant Chriſtiani --

Tentantur juſti ob plures fines.

„ Et nota quinque rationes, quare quis poſt
„ acceptam ſpiritualem gratiam tentatur,
„ prima, ut accipiat experimentum ſuæ ju-
„ ſtitiæ: Eccli. 34. v. 9. *Qui non eſt tentatus,*
„ *qualia ſcit?* ſecundo ad reprimendam ſu-
„ perbiam: 2. Corinth. 12. *Ne magnitudo*
„ *revelationum extollat me, datus eſt mihi*
„ *ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui*
„ *me colaphizet*. tertiò ad confundendum
„ Diabolum, ut ſciat quanta ſit virtus Chri-
„ ſti, ut eum ſuperare non poſſit; hujus
„ exemplum habetur Job. 1. *Nunquid conſide-*
„ *raſti ſervum meum Job?* quartò ut fortior
„ reddatur, ſicut milites fortes redduntur
„ per experientiam; Judith. 3. *Quare voluit*
„ *dimittere hoſtes cum filiis Iſrael?* quintò
„ ut ſuam dignitatem cognoſcant, quia
„ quando Diabolus aggreditur aliquem, hoc
„ cedit ad honorem, quia Diabolus Sanctos
„ aggreditur. Job. 40. *Cibus ejus fænum, &*
„ *habet fiduciam, quod influat Jordanis in os*
„ *ejus* -- Quibus abunde factum fuit ſatis huic objectioni.

305 Dicunt II. Solitarii mutuæ charitatis negligunt officia contra Apoſtolum ad Heb. 10. dicentem: *Adjuvemus nos invicem*; ſecedentes namque in Eremum, nemini utiles ſunt.

S. Joannes Chryſoſtomus *de Comparat. Regis, & Monachi* perbelle oſtendit, qualem afferant fructum Sanctorum Eremitarum orationes -- Nonne Achab Judæorum Rex per
„ famem, & Annonæ charitatem in Eliæ
„ precibus ſpem poſuit ſuam? Nonne Oco-
„ zias illud idem imperium, illum eundem
„ Principatum obtinens æger, ac jam jam
„ moriturus, inſtantem ſibi mortem cum vi-
„ deret, ad eundem Prophetam confugit,
„ tanquam morte potentiorem, ac vitæ lar-
„ gitiorem? Atque bello erumpente, Pale-
„ ſtinâque in tantum adductâ periculum,
„ ut funditus excidenda eſſet, Judæorum
„ Reges miſſo exercitu, miſſis peditibus,
„ Sagittariis Ducibus, duobus Centurioni-
„ bus ad Eliſei preces ſe receperunt -- Nec in lege gratiæ ſimilia deſiderantur momenta: Magnus Conſtantinus, ut legere eſt apud Ruffinum *lib.* 1. *cap.* 8. *Eccleſ. Hiſt.* ad Antonium Abbatem, velut ad unum ex Prophetis, litteras ſuppliciter miſit, ut pro ſe, ac liberis ſuis Deum deprecaretur apud Sozomenum *lib.* 7. *cap.* 22. Theodoſius per Eutropium nuncium ſuum Joanni Eremitæ in Thebaide commoranti ſe, Imperiumque in maximis calamitatibus conſtitutum plurimum commendavit; Imperator Juſtinianus in novellis Conſtitutionibus *Conſt.* 133. declarat, quod ſi Eremi Incolæ pro Republica Deo preces fuderint, res omnes bene ſe habebunt: ſi ergo hujuſmodi viri Chriſtiano Populo orationibus proſunt, quomodo inutiles dicentur? Parumne eſt iratum Numen placare, parentibus inter ſeculi vanitates verſantibus divinam gratiam exorare, omnibus demum virtutis exemplum præbere? Equidem eleemoſynas non largiuntur; verùm quid erogare debent, cum omnia reliquerint? infirmis præſto non ſunt; ſed quo pacto illis ſuccurrere valent, cum procul abſint? Ceterum charitas non eodem modo proximum adjuvat, cum ex Apoſtolo non omnia membra eundem actum habeant. Diſcant Hæretici ab

Eremitæ orationibus Reipublicæ proſunt.

P 2 Au-

Auguſtino Manichæos redarguente *lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap.* 31. amari poſſe homines, quos non videmus -- Quid eſt quæſo,
„ quod vident, qui non poſſunt hominem
„ non diligere. & tamen poſſunt hominem
„ non videre? Profectò illud, quidquid eſt,
„ præſtantius eſt rebus humanis, cujus con-
„ templatione poteſt homo ſine homine vi-
„ vere? --

306 Dicunt III. Si parentes deſerunt, ſi nec eoſdem inviſere, aut pietatis officia cum ipſis exercere, ſive ipſos ſalutare, ſive ad ipſos litteras dare, quo pactu Patrem, & Matrem juxta Divinum mandatum honorant?

Carnalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ex corporali abſentia perperam innuitur alienatio animi; quos corporaliter non vident, Deo commendant. Rectè parentes diligunt, dum eorum ſaluti per orationes incumbunt. Ab eorum frequentia abſtinent, ne a divinis diſtrahantur. Apte Theophilactus in illud Matth. 8. *Dimitte mortuos, ut ſepeliant mortuos ſuos* -- Poſtquam
„ quis ſe tradiderit Deo, non debet denuo
„ ad vitæ hujus curas converti, oportet ſane
„ & parentes venerari, ſed magis oportet
„ venerari Deum . . . ſi autem illi neque Pa-
„ trem ſepelire licuit, væ iis, qui Monaſti-
„ cen profeſſi ad mundana regrediuntur ne-
„ gotia -- Ea propter maxime laudandus eſt Monachus ille Magdeburgenſibus adeo inviſus, qui juſſus poſt plurimos ſolitudinis annos ire ad Sororem, quæ eum videre exoptabat, obtemperavit, ante ipſam ſtetit, ſed poſt aliquod temporis, nullo facto verbo, ad Eremum regreſſus eſt. Hic namque non acquievit carni, & ſanguini, ſed charitate fervidus ab aratro manum non retraxit, nec reſpexit retro, unde factum eſt, ut tantæ virtutis exemplo commota Soror, ablegatis ſeculi vanitatibus, ſe Deo devoverit:

Illud tamen impræſentiarum notandum occurrit Eccleſiaſticas Sanctiones decernere, ut nullus filiorum Religionem ingrediatur, ſi eis indigeant parentes, ut intra Monaſterium degentes ex labore manuum illis in neceſſitatiis ſubveniant, ut priorum ſeculorum Eremitis contigiſſe compertum eſt, itidem, ut ex antris, & ſpeluncis exeant ad Evangelium prædicandum, ad Hæreticos revincendos, ut de S. Antonio contra Arianos accidiſſe novimus, demum ut nemo ære alieno gravatus, niſi præſtita ſolutione, ad habitum admittatur. Videant Centuriatores quantum Monachis cordi eſt domeſticorum, & proximorum levamen.

307 Dicunt IV. Damnandi ſunt Eremitæ quippe qui jejuniis, & voluntariis caſtigationibus corpus affligunt contra Apoſtolum dicentem ad Coloſs. 2. *Habeto honorem corpori.*

Quoad voluntarias corporis caſtigationes jam abunde ſuperiùs in reſponſione ad ſecundam Objectionem; ceterum Apoſtolus hoc non habet in noſtra vulgata; legitur namque in laudata Epiſtola v. 23. *Non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*, quæ verba nullimode Hæreticis ſuppetias ferunt; ſiquidem Paulus ibidem damnare intendit eos, qui dogmatizando propugnabant legis ceremonias ſervandas eſſe ut neceſſarias ad ſalutem, eaſque potiſſimum, quæ ad ciborum delectum ſpectabant, quorum abſtinentia, utpote inanis, & ſuperſtitioſa, ad nihil deſerviebat; non enim ad æternam conſequendam beatitudinem utilis erat, cum ea carnali ſpiritu dirigeretur. Videatur S. Thomas in hunc locum. Mirum tamen eſt confugere Novatores ad Paulum, qui perpetuus eſt in docenda corporis caſtigatione: habet namque 1. ad Corinth. 9. v. 26. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*: ad Coloſs. 3. v. 5. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*. 2. ad Corinth. 4. v. 10. *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris*; poſtremò ad Heb. 11. v. 37. recenſet, atque commendat Sanctorum aſperum vivendi genus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ*. Eximiis hiſce viris dubio procul accenſendus eſt Præcurſor Domini, de quo dicitur Matth. 3. v. 4. *Habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos, eſca autem ejus erant locuſtæ, & mel ſilveſtre*.

Magdeburgenſes volunt quidem Joannis veſtem ex pilis Camelorum contextam, ſed quidem ferebat conditio hominum inibi commorantium: Joannes Victorinus Strigerius *in cap. 1. Marci* ait -- In Oriente tenuiores
„ homines veſtiebantur panno contexto ex
„ pilis Camelorum: non igitur imaginan-
„ dum eſt Joannem monſtruoſa veſte, vide-
„ licet ex pelle Camelorum indutum fuiſ-
„ ſe -- & Chytræus *in cap. 3. Matth.* -- Ve-
„ ſtis Joannis erat contexta ex pilis Cameli,
„ ſimilis ei quam hodie vulgo a Camelis vo-
„ camus *de Ciambel sto*; non fuit ſordida
„ veſtis, neque etiam valde pretioſa, ſed
„ mediocris -- De cibo autem audiamus citatos Magdeburg. -- Fuerunt autem illæ lo-
„ cuſtæ ſpecies Cancrorum, terreſtrium locu-
„ ſtarum aliquam ſpeciem repræſentantes,
„ ſiquidem Chelis carent, habent tamen
„ quaſi ſpinas quaſdam in Criſta, & cornua
„ longiora, quam ceteri cancri. His forte
„ uſus eſt Joannes, quia piſcatores Judæi
„ eos abjecerunt tanquam prohibitos piſces,
„ Joannes verò pro libertate Evangelica eos
„ comedit -- *lib. 1. Cent. 1. cap. 6.*, quibus, modis omnibus, admirandum Sancti Præcurſoris auſteritatem eludere conantur.

Verùm mentita eſt iniquitas ſibi: Chriſtus enim, qui fallere non poteſt, ipſos redarguit, dum Matth. 11. v. 8. turbas alloquens de Joanne ait: *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum?* qua phraſi aperte declarat aſperum fuiſſe Joannis indumentum, & v. 18. de eodem ſubdit: *Joannes non manducans, neque bibens*, quaſi diceret: Joannis cibus tenuis adeo, & vilis erat, ut pro nihilo haberetur; hoc porro vivendi genus apprime congruebat muneri, quod exercebat, prædicandi pœnitentiam, ad quod mire prævium ejuſdem conducebat exemplum. Perperam autem venditant Centuriatores Evangelicâ libertate vetitos cibos come-

comediſſe Joannem ; ſiquidem ſi lex gratiæ nondum erat enunciata, quo pacto ab obſervantia veteris legis poterat excuſari ? Patrum itaque communis ſententia eſt cibum, veſtemque Joannis vilem fuiſſe, & aſperam. Audiamus Ambroſium *Serm.* 8. *de Sanctis* -- „ Quæ major cauſa humilitatis in Propheta, „ quam, contemptis mollibus indumentis, „ pilorum aſperitate veſtiri ? . . . . Quæ præ„ clarior abſtinentia, quam ſpretis vitæ hu„ jus deliciis, ſtridulis veſci locuſtis, & „ melle ſilveſtri ? -- Chryſoſtomus *hom.* 10. *in Matth.* -- Joannes neque tecto indiguit, „ neque lecto, non menſam, vel alia hu„ juſmodi requiſivit, propterea etiam veſti„ mentum de pilis Camelorum Joannes ha„ buit, ut habitu ipſo doceret mundi con„ temptum, & omnem ſuperbiæ rationem „ conculcandam : homines quoque ad om„ nem laborem ipſo habitu præpararet -- ſic & alii Patres. Quid verò locuſtæ illæ fuerint, non ſatis ex Græco verbo colligitur ; hoc enim æque ſignificat animalia quædam ſaltantia, quæ locuſtæ nuncupantur, ac genus aliquod herbæ vilis, & ruſticanæ.

308 Dicunt ultimò Chriſtum prohibuiſſe Eremiticam vitam Matth. 24. *Ecce in deſerto eſt, nolite exire*, Paulum ſimiliter ; nam ad Hebræos ſcribens habet cap. 10. *Non deſerentes collectionem noſtram.*

Sed ad rem nihil deſerviunt Hæreticorum cavillationes. Primus ſiquidem textus expreſſe refertur ad Antichriſtum ; eo namque tempore dicent quidam Chriſtum veniſſe ; ut autem fideles non decipiantur, prævie eos inſtruit, ne credant : *Tunc ſi quis vobis dixerit : Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere . . . Ecce in deſerto eſt, nolite exire*. S. Thomas in hunc locum habet -- „ Notandum quod vera doctrina fit in pu„ blico. Supra Joann. 10. quod dico vobis „ in occulto, dicite ſuper tecta ; ſed falſa „ ſemper quærit angulos. Proverb. 1. Sa„ pientia dat vocem in Plateis, unde veritas „ eſt lumen, & quærit in lumine videri, ſed „ ſi fuerit perverſum dogma, quærit occulta. „ Proverb. 9. Sapientia ſedet in foribus. „ Aquæ furtivæ dulciores ſunt ; unde deſer„ tus eſt locus occultus, quia caret homini„ bus, vel quia eſt interclusus ; unde ſi di„ xerint . . . Ecce in deſerto eſt . . . nolite cre„ dere, nolite a bona ſocietate, & congre„ gatione ſeparari -- His S. Doctor admonet non eſſe diſcedendum a vera Eccleſia, atque bonorum converſatione, ut audiantur Hæretici, qui in occulto virus evomunt, ut perdant fideles ad ipſos accedentes.

Locus alter eſt de charitate, de qua ibi Apoſtolus. Vult enim mutuæ charitatis officia ad praxim reduci, & ea removere contendit, quæ ei adverſantur, inter quæ Principem locum obtinet ſingularitas, eorum videlicet, qui ſuperbiâ elati nolunt cum aliis convenire in exercitio bonorum operum ; hos in triplici differentia deſcribit Angelicus ibidem ; ſunt enim, qui ab aliis ſe ſeparant apoſtatando a fide, alii prælatione fungentes oves derelinquunt pericliſantes, alii demum æſtu ſuperbiæ alios refugiunt -- Aliqui verò „ ex ſuperbia, quia cum poſſent eſſe utiles „ ad regendum, cum nota ſuperbiæ ab aliis „ ſe ſeparant : Judæ 1. Hi ſunt, qui ſegre„ gant ſe ab aliis, animales, ſpiritum non „ habentes, quaſi ſub ſpecie majoris perfe„ ctionis --

309 OBJIC. III. Et proſequuntur Novatorum argumenta adverſus perfectionem Monaſtici ſtatus. Nequit ille cenſeri ſtatus perfectionis, qui undequaque ſuperbiæ ſpiritu inflatur ; ſuperbia namque eſt proprius Satanæ character ; ſed Monachatus hujuſmodi eſt ; Monachi ſiquidem ubique pleno ore ſe, ſuamque Religionem commendant, nerviſque omnibus contendunt ſe extollere, quos redarguit Chriſtus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum Proſelytum* : Monachi verò dilatant Phylacteria, ut adoleſcentes alliciant ; hinc jurgia, & diſſenſiones, ut Spiritus Sanctus proclamat Proverb. 28. *Qui ſe jactat, & dilatat, jurgia concitat*, & quidem quot contentiones tum Monachos inter, & Monachos, tum inter Monachos, & Clericos ? Spiritus Chriſti ille eſt, quem 2. ad Corinth. 4. innuit Apoſtolus : *Non enim nosmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum* ; & cap. 10. *Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat* : Monachatus igitur, cum his careat, perfectionis ſtatus nequaquam cenſendus eſt.

Novum non eſt argumentum. Duplex itaque eſt ſui, ſuorumque commendatio, alia inanis, & vacua, quippe quæ vel falſa, vel ſpiritu jactantiæ deprompta, laudabilis altera, & recta, utpote veritati innixa, atque ad aliorum profectum ordinata. Juxta priorem intelligentiam locutus eſt Chriſtus Joann. 8. v. 54. *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt* ; juxta ſecundam idem dicebat Joann. 5. v. 19. *Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit* ; miraculis namque intendebat divinæ filiationis veritatem comprobare. Apoſtolus ſimiliter in ſuis Epiſtolis ſcribit juxta præcitatum diſcrimen : 2. ad Corinth. 10. v. 12. loquitur ſecundùm priorem ſenſum : *Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant* ; ſecundùm alterum 1. ad Corinth. 15. v. 10. *Abundantiùs illis omnibus laboravi*. In aperto igitur eſt ſui ipſius commendationem bonam eſſe poſſe, & malam. Cur ergo abſolute reprehenduntur Monachi, ſi ſeipſos commendant ? oſtendant oportet Hæretici Monachos vel falſa loqui, vel ſpiritu jactantiæ id peragere ? Si ipſorum ſanctiones vanitatem execrantur, ſi jactantiam puniunt, ſi vituperant elationem, cur commendationem, quam aliquando inter loquendum commiſcent, in malam partem detorquent Acatholici ? Si jejunia, orationes, ſilentium, paupertatem, vigilias laudant, ut aliis proſint, cur criminandi erunt ? ſi quis verò inſipienter vana loquatur, cur omnes reprehenſibiles dicuntur ?

Commendatio ſui quando laudabilis.

Nec ad rem objiciuntur Scripturæ : etenim cœleſtis Magiſter non damnat Phariſæos, ex quo facerent Proſelytos ; id enim laudabile eſt, quo pacto Chriſtianis fas eſt, Gentes ad fidem convertere, atque ob hoc Catholicam Religionem meritis laudibus commen-

mendare, ſed adverſus illos inſurgit, qui dum ſciebant ſenſum legis, graviſſima crimina perpetrabant, atque ipſos Proſelytos pravo corrumpebant exemplo. Laudato Proverbiorum loco ſermo de illis eſt, qui ſeipſos commendando, contentioſe gloriam ſuam quærunt; quo ſenſu ſimilia explicari debent. Monachi ad publicam utilitatem plurima peragunt, quæ, ut feliciùs contingant, bonum nomen requirunt. Laudabilis enim Evangelizantium auctoritas mire ad Apoſtolica munia deſervit, ea propter Apoſtolus in ſuis Epiſtolis Timotheum, alioſque commendat.

310 DICES. Juxta Chriſti doctrinam qualitas arboris ex fructibus dignoſcitur; ſed ex quo Monachi ſeſe commendent, nil boni inde provenire compertum eſt; ergo ſui commendatio, quæ communiter a Monachis adoptatur, alia ſane ab illa eſt, quæ a Scripturis approbatur. Minor probatur I. In ſuis obeundis muneribus ſtudent hominibus placere, hinc in concionibus utuntur verbis compoſitis ad alliciendum, artificiis curant nobilium virorum ſibi animos conciliare, in Eccleſiis vanos inſtituunt apparatus, ut populorum frequentiam habeant, ſæpenumero adulationibus audientes demulcent, quæ dubio procul reprobantur a Deo. Pſal. 52. *Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent. Confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos*; & ad Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*. II. Vane lætantur de proſperis, ſibi plaudunt, ſi quis ex ipſis excellat ſive in concionando, ſive in docendo, ſive in ſanctimonia vitæ, reclamante Scriptura Jerem. 9. v. 23. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua*, & Luc. 10. *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciantur*; ergo ſui commendatio apud Monachos non eſt laudabilis.

Hæc ſunt detrahentium, & invidentium voces. Quis enim Hæreticos Monachorum conſtituit Judices? num ſicut Deus ſcrutatores ſunt cordium? Oſtendant oportet hæc inordinate agi, cum aliàs probe valeant exerceri. Itaque placere hominibus dupliciter contingere poteſt, primò quidem ibi quaſi in fine ſiſtendo, ſecundò illud aſſumendo tanquam medium perducendi alios ad Deum; primo modo ſtudium placendi hominibus non tantùm omni caret laude, ſed vituperabile eſt, & de hoc loquuntur Scripturæ; alio modo a Domino commendatur: Matth. 5. v. 18. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Ad hoc hortatur Apoſtolus ad Rom. 15. v. 2. *Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem*. & 1. ad Corinth. 10. v. 32. *Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo*. Ut Deo animas lucrentur, Apoſtoli ſtudium æmulantur Monachi; nec criminandi ſunt, ſi de donis, & mirabilibus, quæ Deus per ipſos operatur, gaudeant: hoc quippe dupliciter contingere poteſt, primò gaudium ipſum referendo in Deum, eumque ut principium agnoſcendo, ſecundò non referendo, ſed ſibimet complacendo; hoc malum eſt, & a Scripturis exceratum, illud bonum, unde Luc. 10. v. 20. vult Chriſtus, quod de ſua gauderent prædeſtinatione Apoſtoli: *Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*; ſic gaudebat Paulus ad Philipp. 4. v. 1. *Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea*. Cum Barnabas Antiochiam miſſus, *vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt*. Act. 11. v. 23. Barnabas, & Paulus tranſeuntes Phœnicem, & Samariam *narrantes converſionem gentium, & faciebant gaudium magnum cum omnibus fratribus*. Ibid. cap. 15. v. 3. Gaudet juſtus de bonis operibus, quia æternam promerentur felicitatem; gaudet vir Apoſtolicus de peccatorum reſipiſcentia, quia gaudent Angeli ſuper uno peccatore pœnitentiam agente; gaudet de Infidelium converſione, quia bonus Paſtor de inventa ove gratulatur; gaudet Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter de impiorum emendatione, quia Paterfamilias filio prodigo revertenti paravit convivium. Hujuſmodi ſunt Monachorum gaudia, & exultationes in mirabilibus Dei, hæc Clauſtralium lætitia in operibus ſuis; quod ſi quis aliter gaudeat, quid inde? Non ideo eradicandum frumentum, ſi zizania aliqua pullulent.

Laudabiliter poteſt quis placere hominibus.

311 OBJIC. IV. Status perfectionis radicatur in humilitate, & charitate: etenim omnis perfectio per imitationem Chriſti habetur, qui dicebat: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*, quique proximi dilectionem apprime commendavit; atqui Monachatus præcellit ſuperbiâ, & impatientiâ erga proximum; ergo nullimode cenſendus eſt perfectionis ſtatus. Minor propoſitio pluribus dicteriis oſtendere conantur non ſolùm Acatholici, ſed nonnulli ex Laicis, qui Monachos male audiunt; quoniam verò popularia ſunt, & ab antiquis hoſtibus emendicata, brevibus perſtringuntur. Probant ergo I. Monachi detractoribus reſiſtunt, repelluntque detractiones, cum tamen Luc. 6. v. 28. ſcriptum ſit: *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos*, & Pſal. 91. v. 15. innuitur, quod patientes eſſe debent injurias tolerando: *Bene patientes erunt, ut annuncient*; debent iidem lubenti animo audire corripientes Eccli. 21. v. 7. *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris*. II. Contentioſi ſunt, lites intentando pro Eccleſiarum juriſdictione, pro redditibus, pro erigendis Monaſteriis; quod ſane perfectioni plane adverſatur. Dicitur namque contendentibus ad perfectionem Matth. 5. v. 40. *Qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*; & cap. 10. v. 14. *Quicumque non recipit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris*. 1. ad Corinth. 6. v. 7., & ſeq. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos; quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* & cap. 11. v. 16. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*. III. Vindictam ſumere ſtudent de perſecutoribus, eaque propter eos accuſant, atque

Digitized by Google

quæ puniri flagitant, cum tamen aliter ſe habeat ſpiritus ſinceræ perfectionis: Matth. 10. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*; ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes*: hinc dicebat Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 13. §. 15. -- In moribus quanta ſit „ diſparitas, quid attinet ſingillatim expo- „ nere? Hoc conſtat nullum eſſe hominum „ ordinem, magis omni vitiorum turpitudi- „ ne inquinatum: nuſquam magis fervent „ factiones, odia &c. --

Idem argumentum iiſdem roboratum Scripturis inſtituitur ab Hæreticis, ut ſtatum politicum evertant; proclamant namque non licere Chriſtianis contentiones, nec perſecutoribus reſiſtere; negatur igitur præcitata vitia a ſtatu Monachali permitti, nec alio clariori momento revinci poſſunt Adverſarii, quam ipſos ad leges, Regulas, Monachorumque Conſtitutiones remittere; ex his compertum habebunt, quali cenſoria virga vel leves defectus prohibeantur, puniantur que; non ergo culpandus eſt ſtatus Monaſticus, ſed redarguendus Calvinus §. 15. perperam affirmans -- Ea vitia notaſſe, non quæ in „ paucorum vita hæreat, ſed quæ ab ipſo „ vivendi inſtituto ſeparari nequeunt -- Ceterum ad ſingula deveniendo dupliciter poteſt quis Monachos redarguere, vel de veris defectibus, affectu charitativæ correptionis, vel falſa crimina impingendo; quando primi generis eſt reprehenſio, redargutores audiendi benigne ſunt, atque ſpeciali dilectione proſequendi; quo ſenſu urgent laudatæ Scripturæ, quæ debitum fraternæ correptionis comprobant; cum verò alterius generis eſt reprehenſio, illud indubium eſt, quod redargutores odio non habeantur, ſed eis optanda emendatio, peccatorum remiſſio, aliaque ſpiritualia, immo & corporalia bona æternæ eorundem felicitati deſervientia. Deinde perpendendum eſt, num quæ imponuntur, Communitati noceant, & quomodo: ſi enim parum officiunt, objecta etſi falſa patienter toleranda ſunt; hac quippe animi moderatione nævi illi evaneſcunt; ſi verò in grave dedecus cedant, fas eſt calumniatorum audaciam retundere, immo neceſſe eſt, ſervato ordine juris, & charitatis, illis obſiſtere: tolerantia namque tunc in Dei injuriam vergit, atque in damnum proximorum; primum quidem, quia veritas contemnitur, ſanctitas ab eo inſtituta deſpicitur, atque perfectionis ſemita adeo commendata evertitur; ſecundum quia avertuntur a Religione fideles, qui ob promulgata crimina ſcandalum patiuntur, & ſtatum illum refugiunt, quem deriſum, atque contemptum agnoſcunt. Hæc eſt Patrum doctrina, hæc Sanctorum praxis, qui apologeticos libellos in ſui defenſionem ſcripſere, ut de Hieronymo, Nazianzeno, aliiſque notum eſt. Cavendum tamen eſt privatum ſtudium, & gloria; unice ſpectandus eſt Dei honor, nec prætermittenda proximi ſalus, atque bonum Religionis nomen. Ceterum Deo non arridet damnabile ſilentium, unde detrahentium audacia vires acquirit; de his conqueritur Iſaias cap. 56. v. 10. *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes.*

Calumniæ num toleranda a Monachis?

A

Plus veritatem quam ſe ipſum diligit, qui pro veritate, prout oportet, pugnat.

Ad ſecundum. Dupliciter itidem vexantur, impugnanturque Monachi, vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus, primo modo ſi ſtatum Religioſum in his, quæ pertinent ad ſpiritualia, oppugnant Adverſarii, quatenus impediunt, ne ſibi, aliiſque proſint, & in hoc caſu inſurgere debent, ne iſti prævaleant; agitur namque de ſumma rerum; cum de neceſſariis ad æternam felicitatem, ſeu ad perfectionem charitatis agatur; immo Adverſarios impugnando, utiliter eorundem negotium geritur; removentur ſiquidem a periculo relabendi in majora crimina, quod innuitur Proverb. 24. v. 11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*; & commendatur Job, qui conterebat molas iniqui, & de dentibus illius auferebat prædam. Cap. 29. v. 17. Si verò vexatio Adverſantium ſit quoad temporalia, quæque bona fortunæ dicuntur, & inſurgat adverſus bona Monaſterii, tenetur Religio contradicere Adverſantibus, dicente Pſalmiſta Pſal. 81. v. 4. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Vitandum tamen quovis tempore eſt ſcandalum, importunæ diſſenſiones, & ea omnia, quæ charitati quomodolibet adverſantur; ceterum hiſce conditionibus plures ſanctitate celebres laudabiliter ad mortem uſque graviſſima perpeſſi ſunt, ut temporalia ſuarum Eccleſiarum jura adverſus Principes propugnarent.

Vexatio quam patiuntur Monachi in duplici differentia.

B

C

Ad III. Injuriarum vindicta alia commendabilis eſt, execranda alia; execratur, ſi privata fiat auctoritate, vel ſi finis in detrimentum aliorum conſtituatur; commendatur, ſi debitus ſervetur ordo juſtitiæ, nec alterius malum, ſed ejuſdem ſalutaris emendatio, aut aliorum bonum intendatur. Hinc Pſal. 17. v. 38. dicitur: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant*; & Pſal. 100. v. 5. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar*. Hanc ſecutus regulam Paulus Elymam Magum obcæcavit, & inceſtuoſum Corinthium tradidit Dæmoni corporaliter vexandum. Laudati Scripturæ textus ex dictis elucidantur. Qui abundantiorem vellet explicationem, conſulat S. Thomam, ubi textum exponit.

Injuriarum vindicta quando ſumenda.

D

312 OBJIC. V. Quæ mundi ſunt, non habent Chriſtianæ perfectionis characterem: ſed Monachorum clauſtra mundano ſunt referta ſpiritu, qui deſcribitur 1. Joann. 2. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Porro in Monachis prævalet concupiſcentia carnis, ubique quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, opulentiora curantes domicilia; quanta in ipſis concupiſcentia oculorum? Amant enim huc, illucque vagari, omnia perluſtrantes, domos penetrant, aliorum negotia ſcrutaturi; ſuperbia vitæ in ipſis peculiariter damnabilis eſt, Principum palatia frequentant, quod reprobat Chriſtus Matth. 11. *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, Magnatum cœtibus ſeſe immiſcent, ſuaque ſenſa aliorum judicio præferre volunt.

E

Argu-

Argumentum eorum vitium involvit, qui alios mordere volunt. Rigidis, invidiſque hiſce Cenſoribus ſolemne eſt dicere bonum malum, & malum bonum, & ubi opus carpere nequeunt, pravam effingunt intentionem; quandoque paucorum defectus ad omnes extendunt, haud intelligere volentes non eſſe deferendam Chriſti aream, licet quædam paleæ in ea inveniantur, ut apte docet Auguſtinus ad Vincentium Donatiſtam, relatus 23. *q.* 7. *Can. Quicunque*, quandoque leves defectus tanquam graviſſima crimina extollunt, feſtucam dicunt trabem, & culicem camelum, reclamante Scriptura Proverb. 24. v. 15. *Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo juſti*. Vellent Monachos nec levi crimine reos, æneâque veſtitos carne, ultro neſcientes neceſſe fore de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere, ut ait S. Leo *Ser.* 4. *de Quadrag.* Ob hoc Chriſtus Apoſtolorum pedes lavit, quos tamen mundos laudaverat, & S. Joannes prædicat omnes in multis offendere. Non igitur eſt concupiſcentia carnis, ſi Monachi paupertatem profeſſi oſtiatim neceſſaria alimenta ſibi, aliiſque quærant, aut ſi ex Evangelica prædicatione aliquas acceperint eleemoſynas, cum ſcriptum ſit: *Qui altari ſervit, de altari vivere debet*. Non eſt concupiſcentia oculorum, cum ex obedientia, aut aliâ urgente cauſa de una ad aliam peregrinantur civitatem. Non eſt denique concupiſcentia, ſeu ſuperbia vitæ ſi Magnatum palatia adeunt, ut alios Chriſto lucrentur, cum aliàs ex intimo corde ſolitudinem exoptent. Non eſt ſuperbia vitæ, ſi Principum amorem ſibi ſtudent conciliare; ſæpe namque id apte deſervit ad aliorum ſalutem, quoſdam a vitiis avertendo, quoſdam promovendo ad perfectionem. His excitantur Monachi, his dicuntur Clauſtrales; quod ſi qui minus perfecti aliter operantur, non ſunt ceteri culpandi, & multò minus ipſum inſtitutum: & ſane nemo prudens totam vineam eradicabit, ex quo una, vel altera vitis lambruſcas producat, nec arborem ſuccidet, quia unus, alterve ex fructibus marceſcit.

Qui perverſi ſunt, omnia in malũ vertunt.

313 OBJIC. VI. Ad ſtatum perfectionis requiritur omnium conſiliorum obſervantia; ſed nullum eſt Monachorum inſtitutum, quod omnia obſervet conſilia; ergo. Major in aperto eſt, ſiquidem plerique in ſeculo nonnulla opera conſiliorum exercent, & tamen non dicuntur in ſtatu perfectionis; ergo ad hunc ſtatum conſtituendum non ſufficit aliqua conſilia adimplere, ſed neceſſe eſt, quod ad omnia ſe extendat profeſſio. Et ſane iis, qui verſantur in ſtatu perfectionis dicitur Eccleſ. cap. 9. v. 10. *Quacunque poteſt manus tua, inſtanter operare*; ſed qui operatur, quæcunque poteſt, nullius conſilii obſervantiam prætermittit; ergo. Similiter omne conſilium ad perfectionem pertinet; ergo qui profitetur ſtatum perfectionis, omnia adimplere debet conſilia.

RESP. neg. majorem. Ad ſtatum namque perfectionis conſtituendum ſufficiunt ea, quæ neceſſaria ſunt ut inſtrumenta ad perfectionem eſſentialem charitatis, conſequendam; ad hoc autem non eſt neceſſarium omnium
A conſiliorum adimplementum, ſed eorum tantummodo, quæ præcipua removent impedimenta ad actus charitatis exercendos, & potiſſimum actus paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Monachalis ſtatus eſt quædam velut paleſtra pro acquirenda perfectione, ad quam plerique nituntur, atque perveniunt; verùm ex quo ſit quædam paleſtra, debet eſſe ordinata, quod per certos Canones, qui Regula dicuntur, habetur, proindeque ſeriem quandam exercitiorum decernunt, & ad hanc, non jam ad aliam tenentur Monachi. Monachatus eſt velut generalis ſtatus perfectionis, ſub quo ſunt plures inter ſe di-
B verſi: omnes quidem ad perfectionem tendunt, atque pro fine charitatem habent, ſed media diſcriminantur; alia namque ad activam, alii ad vitam contemplativam deſerviunt; hinc in aperto eſt non quodlibet Inſtitutum omnia conſilia ſervare debere; cum ſint incompoſſibilia.

Diverſa media ad perfectionem.

Nec urgent adducta momenta; non primum, ſeculares ſiquidem non rarò actus exercent ad conſilia ſpectantes; quoniam verò ad tale exercitium ſolemni voto non adſtringuntur, non dicuntur eſſe in ſtatu perfectionis: oppoſitum contingit in Monachis ſolemniter profeſſis, quin neceſſe ſit,
C quod ad omnia obligentur, ſed ſat eſt, quod ea obſervare teneantur, quæ proprio conveniunt Inſtituto.

Nec ſecundum. Etenim eo loci Spiritus Sanctus non tantùm perfectos, ſed omnes alloquitur, eos hortando ut ſedulò ad virtutis ſtudium incumbant; dum ſunt in ſtatu merendi; poſt mortem enim nullus ſuppetit locus ad meritum acquirendum; ea propter perperam adducitur textus, ut probetur neceſſitas obſervandi omnia conſilia. Adhortatio namque ad melius, non infert obligationem.

Nec tertium. Concedimus omne con-
D ſilium fore boni operis exercitium, promovere ad perfectionem, ficut Monachatum eſſe ſtatum non acquiſitæ, ſed acquirendæ perfectionis, ſed inficias imus conſiliorum omnium obſervantiam eſſe neceſſariam pro ſtatu perfectionis, & hoc ipſo quod ſtatus eſt, certam, & determinatam regulam, agendorumque menſuram habere debet, itidem ex quo eſt ſtatus acquirendæ perfectionis, conditionem viæ importat, quæ determinatas exigit ſemitas.

Ex dictis corruunt, quæ arbitrarie promit M. Antonius de Dominis *lib.* 2. *de Repub. Eccleſiaſtica cap.* 12. *n.* 10. -- Quia Mo-
E „ nachi ſunt pœnitentes, & Monaſteria, loca „ agendæ tantùm pœnitentiæ deſtinata, hinc „ eſt, quod Urbanus II. mandat, & uni- „ verſaliter interdicit, ne quis Canonicus, „ niſi ſit publice lapſus, Monachus efficia- „ tur -- *& n.* 11. -- Quid igitur eſt Mona- „ chus aliud, niſi merus, & purus laicus, „ pœnitens tamen, & arctiorem vitam ſub „ regula in communitate ducens -- Si ergo Monaſteria deſtinantur tantummodo pro delinquentibus, ſi Monachus non eſt niſi purus Laicus, perperam dicitur, quod Monachatus ſit ſtatus acquirendæ perfectionis.

Cor-

Corruunt, inquam; nam prohibitio Urbani eſt ad Canonicos Regulares volentes accedere ad Monaſticum inſtitutum ſine Superiorum facultate; quod ſi quandoque ad Monachorum clauſtra Clerici deputantur, ut ſcelera expurgent, non id unice intenditur, ſed potiſſimùm ut Chriſtum ſequantur, & a Monaſtice cultoribus perfectionem diſcant. Quæ *n.* 11. dicit, corruunt ex his, quæ ipſemet Apoſtata refert *n.* 15. -- Si tamen Monachi „ ſtatum aliquem in Eccleſia faciunt a Laicis diverſum, is profecto erit propter publicam, quam emittunt, profeſſionem, & „ votum ſolemne -- Utique ob hoc diſcriminantur a Laicis Monachi, qui per ſolemnem profeſſionem a ſeculi curis ſegregati, perfectioris vitæ rationem ex vi ſtatus complecti debent.

Expreſſiùs nobis adverſatur, dum eodem capite affirmat Clericos eſſe quidem in ſtatu perfectionis, Monachos vero in ſtatu imperfectionis dicens -- Repete, obſecro lector, „ quæ tibi ad initium hujus capitis ex Hieronymo ſtatum Monachalem deſcribente „ protulimus, & videbis Monachum non in „ vera virtutum ſolidarum aſſecutione exerceri, ſed in vitiorum fuga dumtaxat ſalutem propriam repetere; non ſui victoriam „ quærere, ſed pericula evitare, non perfectioni ſtudere, ſed ſolùm animæ ſuæ ſalutem, ut tutam reddat, conari; pugnare non vult, ſed fugere; imbecillitatis „ memor proripit ſe bello, ut ſine periculo „ vulnerum deliteſcat. Securitatem ſuam, „ quamvis inertem præfert certamini; non „ laborat ut vincat, ſed fugit ne vincatur. „ Clericalis verò ſtatus, ſeu profeſſio tota „ in vera perfectione conſiſtit, cum aſſecutione virtutum, cum laboribus, & ſudoribus &c. --

Mirandum ſane Apoſtatam ad Hieronymum nos provocare, qui totus eſt in laudibus Monaſticæ perfectionis. Habet igitur *lib. 2. Comm. in cap. 2. Lament. Jeremiæ* -- „ Militum Chriſti perfectio eſt cautam mentem habere a cunctis terrenis negotiis, & „ tumultu ſeculi, juxta illud Apoſtoli: Nemo „ militans Deo impliceat ſe negotiis ſecularibus; eamque quantum humana imbecillitas ſinit, feſtinat unire cum Chriſto. „ Quam quidem ſpeciem converſationis boni „ Eremitæ, & Monachi, qui voto Monaſticæ „ diſciplinæ obligati ſunt, imitari contendunt, ſed rara eſt, & pauciſſimis dono „ Dei hæc perfectio conceſſa -- Idem *in Epiſt. 1. ad Eliodorum* reperit, & alibi ſæpe. Quonam igitur pacto tua malignantis animi ſenſa Hieronymo affingis. Equidem quædam ſunt vitia, quæ fugâ magis, quam certamine ſuperantur, & de his loquitur S. Doctor *ad Vigilantium cap. 6.* a te citato -- Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam; „ ſi fugero, gladium devitavi; ſi ſtetero aut „ vincendum mihi eſt, aut cadendum, quid „ autem neceſſe eſt, certa dimittere, & incerta ſectari? -- Ceterum ſi vitia hujuſmodi pugnam intentent, ſatius eſt non Monachis tantum, ſed omnibus fugere. Per hoc tamen male infertur Monachatum non eſſe ſtatum perfectionis, ſed imperfectionis, ut perperam contendebat Hæreticus.

CONTROVERSIA XII.

AN PROFESSIO MONACHALIS TRIBUS SOLEMNIBUS VOTIS FIRMATA SIT LAUDABILIS, DEOQUE ACCEPTA.

314 DEvenimus ad ſcopum, in quem omnes tendunt Acatholicorum calumniæ. Trium Evangelicorum Conſiliorum ſolemnibus votis firmata profeſſio album eſt, in quod omnes ſuos dirigunt conatus; quidquid uſque modo adverſus ſtatum perfectionis oblateraverunt Hæretici, illud ſpectabat, ut Monaſtica infringerent vota, quæ a Satanæ officina emanata proclamant, ut Gallicana Confeſſio Proteſtantium habet *art.* 24., quæ ſacrilega, impia, idololatrica nuncupata ſæpe numero novimus; ea propter impræſentiarum unice Lutherum audiamus ad Epiſcopos, & Diaconos Eccleſiæ Wittembergenſis ſcribentem -- Votum Religionum, aut „ quodcunque omnino, quædam lex eſt „ conſcientiam captivans. Itaque vovere „ Virginitatem, Cœlibatum, Religionem, „ & quodlibet ſine fide, tale votum ſacrilegum, impium, idololatricum Dæmonibus vovetur --

Ex adverſo Catholica Eccleſia Divino Spiritu edocta apprime noſcens Evangelicorum Conſiliorum doctrinam a Deo eſſe, eorumque Profeſſores illuſtriorem fore gregis Chriſti portionem; quique non tam homines, ſed Angeli a Sanctis Patribus cenſentur, nervis omnibus, omnique conatu pro tutanda Evangelica perfectione adverſus Hæreticos inſurgit. Hinc Controverſiſtæ ad unum omnes Catholicam propugnantes veritatem fuſiori calamo, innumeriſque propemodum auctoritatibus ſive ex Scripturis, ſive ex Conciliis, ſive ex Patribus adoptatis dogma hocce dilucidant. Et ſane ſpecialiori numine Monaſticum Inſtitutum patrocinatum fore in aperto eſt, cum ſublimia ſcripſerint Patres in commendationem caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quibus velut quibuſdam vinculis ſuper Altare tanquam victimæ in holocauſtum ſuavitatis clauſtrales viri ligantur, atque Deo offeruntur. Nos aliorum veſtigia ſequentes non omnia, ut prolixitas evitetur, ſed aliqua dabimus, ad inſigne adeo dogma propugnandum. Ut clareſcat, rem totam in tres partes dividere operæ pretium erit; agemus in prima de Conſilio, & voto Continentiæ, cui primum damus locum; amarulentiùs enim, & virulentiùs ab Heterodoxis impugnatur; in ſecunda propugnabimus Conſilium, & votum obedientiæ, quod potiſſimum eſt, & præcipuum inter tria vota ſolemnia, ita ut aliquando Religioſa Profeſſio ſub unico explicito obedientiæ voto, aliis duobus ſubintellectis, fuerit emiſſa; ad tollendas tamen occaſiones Monachis deficiendi a ſemitis juſtitiæ, cauſantes votum

non emiſſum explicite, nova non approbat Eccleſia Regularia Inſtituta, niſi tria vota habeantur expreſſe, in tertia demum parte erit ſermo de Conſilio, & voto paupertatis. Pars quælibet in plures dividetur paragraphos, quibus catholica veritas eluceſcet. Adſit nobis ſupernum Numinis adjutorium, cujus doctrinam nitimur ab erroribus expurgare; adſit Deiparæ patrocinium, cujus cauſam potiſſime defendimus; adſint Monaſtici Inſtituti Patriarchæ, quorum labores, & exempla imitamur; adſit Angelicus Doctor, qui contra hoſtes Religioſæ perfectionis locutus eſt victorias, dum Romani Pontificis juſſa exequens, calamo Scribæ velociter ſcribentis, illa mira edidit opuſcula de ſtatu perfectionis contra impugnantes Religionem.

PRIMA CONTROVERSIÆ PARS.

CONSILIUM, ET VOTUM EVANGELICÆ CONTINENTIÆ PROPUGNATUR.

Hæretici adverſus continentiam pugnantes.

315 DRaco ille, de quo Apocalyp. 12. v. 17. qui abijt facere bellum adverſus eos, qui habent teſtimonium Jeſu Chriſti, is plane eſt, qui per Hæreticos adverſus caſtitatem inſurgere non dubitavit -- Gnoſticis adeo inviſa fuit caſtitas, ut ludibrio „ continentes exciperent -- ut teſtatur Epiphanius *hær.* 25. Nicolaus unus ex ſeptem Diaconis per Apoſtolos ordinatis, ut plerique putant, aſſerebat, ut tradit laudatus Epiphanius *de Hær. Nicolaitarum* -- Niſi quis „ ſingulis diebus Venerem exerceret, non „ poſſet particeps fieri vitæ æternæ -- Quid ſenſerit Joviniani ſchola, refert Auguſtinus *de Hæreſibus hær.* 82. -- A Joviniano quodam „ Monacho iſta hæreſis orta eſt, cum adhuc „ Juvenes eſſemus . . . Virginitatem etiam „ Sanctimonialium, & continentiam ſexus „ virilis in Sanctis eligentibus cœlibem vi„ tam, conjugiorum caſtorum, atque fide„ lium meritis adæquabat, ita ut quædam „ Virgines ſacræ, provectæ jam ætatis, in „ urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, „ nupſiſſe dicantur -- S. Hieronymus *adverſus Vigilantium cap.* 1. refert ipſum continentiam hæreſim dixiſſe, apud eundem Hieronymum Eunomius negavit virginitatem majoris fore meriti, quam conjugium, unde ſpreto Monachatu ſeduxit Virgines. Quoad Novatores Lutherus *lib. adverſus Ambroſium Catharinum* ſcribit -- Decima facies Anti„ chriſti eſt inſignis illæ cœlibatus, & caſti„ tatis Monaſticæ multitudo. Plane Ange„ lica facies, ſed diabolica res -- Ad cap. 7. Epiſt. 1. ad Corinth. -- Nemo hominum ad „ continentiam creatus eſt, ſed omnes viri „ ad generandam ſobolem conditi ſumus, & „ ad tolerandas matrimonii miſerias -- De vita conjugali habet -- Creſcite, & multi„ plicamini, non eſt præceptum, ſed pluſ„ quam præceptum, quod nos non poſſumus „ impedire, vel prætermittere, ac proinde „ æque neceſſarium eſt, ac edere, & bibere, „ purgare, expurgare, dormire, & vigilare, „ Sicut in mea poteſtate non eſt quo minus „ ſim mas, ita minime ſitum in me eſt, quo „ minus ſim ſine muliere -- & omiſſis, quæ pluribus in locis blaſphemat, de votis Monaſticis tradit -- Quid vovit cœlebs vovendo „ caſtitatem? niſi rem quæ prorſus nec eſt, „ nec poteſt eſſe in manibus ſuis, cum ſit „ ſolius Dei donum, quod accipere, nec „ offerre poteſt homo. Irridet ergo Deum, „ dum vovet, non aliter, quam ſi voveat, „ ſe fore Epiſcopum -- Hæc pudicus, & ſpiritualis Evangeliſta. Continentiæ adverſantur Calvinus *ad cap. 7. Epiſt. ad Corinth. lib. 4. Inſtit. cap. 13. §. 12., & 17.*, Confeſſio Helvetica *art.* 17., Confeſſio Anglicana *art.* 32., Confeſſio Saxonica *art.* 18., Marcus Antonius de Dominis *de Repub. Chriſt.* aliique qui indiſcriminatim illam carpunt ſive in Monachis, ſive in Clericis, minoriſque meriti proclamant, quam conjugium, vel inter adiaphora reponunt. Verùm catholice ſentiendo aſſerimus votum Continentiæ licitum eſſe, Deo acceptum, proindeque meritorium.

§. I.

PROBATUR I. CATHOLICA VERITAS, ATQUE AB HÆRETICIS VOTUM VIRGINITATIS B. VIRGINIS MARIÆ VINDICATUR.

Votum continentiæ a Virgine laudabiliter emiſſum.

316 ILlud licitum, Deoque acceptum, ac proinde meritorium, quod Sanctiſſima Virgo Deipara exercuit; ſed Beatiſſima Virgo perpetuæ virginitatis votum emiſit; ergo votum continentiæ licitum eſt, deoque acceptum. Major non indiget probatione, ſiquidem ut concors Sanctorum Patrum fert ſententia, Deipara omni caruit labe, immo omni ſuperabundanti repleta fuit ſanctitate; de ea namque dictum eſt Pſal. 86. v. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis; diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob*. Illa eſt, quam Angelus plenam gratiâ ſalutavit, & Eliſabeth beatam dixit: *Beata quæ credidiſti*, ideo ipſamet Virgo prophetavit dicens: *Beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* Quamobrem jure merito S. Petrus Damianus *Ser. de Annunciat.* ajebat -- Attende Sera„ phim, & videbitis quidquid majus eſt, „ minus Virgine, ſolumque opificem opus „ iſtud ſupergredi --

Oſtenditur itaque minor. Angelo annuncianti parituram Altiſſimi filium reſpondit hoc nequaquam contingere poſſe, cum perpetuum haberet impedimentum Luc. 1. v. 34. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Sed hoc impedimentum aliud non eſſe, quam votum virginitatis ſatis conſtat, ſiquidem innuit impedimentum ex virginitate oriri; non quæſtionem inſtituit circa partus futuritionem, quam credebat, ſed circa modum, cum virgo eſſet, & in virginitate perſeveratura; licet enim de præſenti virum non cognoviſſet, ſi tamen eſſet cognitura, nulla ſuboriri poterat dubitandi ratio, & Ange-

Angelus dubitationem brevibus dilocidaſſet, addendo; cognoſces poſtea; ſed aliter reſpondit, confugiendo nempe ad SpiritusSancti virtutem. Et ſane impedimentum non erat ea defectu conjugii, cum eſſet deſponſata Joſeph, non ea lege vel naturali, vel poſitiva; nulla quippe adverſabatur maritali commercio, immo ſterilitas erat in contemptum; ergo ex lege morali ſibi impoſita per votum. Audiatur Nyſſenus *Orat. de Nativit. Domini* -- Si enim liberorum cauſa ducta
„ fuiſſet a Joſeph, quomodo parituram An-
„ gelo prænuncianti ſe rem novam, atque
„ alienam audire præſetuliſſet, cum ipſa quo-
„ que ſeſe obſtrinxiſſet naturæ lege, ut ali-
„ quando mater eſſet? Verùm quia carnem
„ Deo conſecratam tanquam aliquod obla-
„ tum munus oportebat intactam, integram-
„ que præſtare, iccirco licet, inquit, An-
„ gelus ſis, licet e cœlo venias, licet id
„ quod oſtenditor naturam ſuperet huma-
„ nam, tamen me virum cognoſcere nefas
„ eſt . . . Joſephum enim Sponſum novi,
„ virum autem non cognoſco --

317 Heterodoxi ut voti ſanctitatem conculcent, non verentur & Deiparam carpere, & Sanctos Patres convitiari. Vim argumenti Infringere conantur Calvinus *in cap. 1. Lucæ*, Beza *ibid.*, Bucerus *in cap. 1. Matth.*, Petrus Martyr *lib. de cœlibatu, & votis Monaſticis*, Magdeburgenſes *Cent. 1. lib. 2. cap. 10.*, Conradus Pellicanus *in cap. 1. Matth.*, aliique Novatores. Dicunt ergo I. verba illa: *Quomodo fiet iſtud?* fuiſſe dubitantis, propterea que Deiparam peccaſſe, dum Angelo fidem non præſtitit.

Verùm ſi tota pulchra eſt, & macula non eſt in Maria, nonniſi impie dicitur ipſam peccaſſe; ſi Eliſabeth beatam prædicavit, quia credidit: *Beata quæ credidiſti* nonniſi perverse aſſeritur ipſam dubitaſſe. Si dobitaſſet ſicut Zacharias, ut dicunt Hæretici, virgo & ipſa fuiſſet reprehenſa, & tamen in Scriptura de hoc altum ſilentium. Ceterum contextus clare manifeſtat Deiparam de partu non dubitaſſe, ſed de modo, & ideo Angelus non ei ſuaſor fuit filium eſſe naſciturum, ſed qualiter, ſervata virginitate, eſſet genitura, unde ut virgini faciat ſatis, meminit virtutis Altiſſimi, obumbrationis Spiritus Sancti, ſterilitatis Eliſabeth. Quod tamen exemplum non jam conceptionem reſpexiſſe, ſed modum illius in aperto eſt. Credidit ergo B. V., ſed perpetuæ virginitatis impedimentum allegavit. Nimis igitur audacter ſcripſit Calvinus *loco cit.* Virginem non minus maligne reſtrinxiſſe Dei potentiam, quam Zachariam, ſubdens -- Nec
„ verò magnopere laborandum eſt, ut eam
„ purgemus ab omni vitio -- Quid blaſphemius!

Dubitatio Virginis declaratur.

318 Dicit II. Calvinus: Reſponſio Virginis *Quomodo fiet iſtud?* non jam virginitatem ſuam innuit, ſed admirationem ob partus excellentiam. Haud enim intelligere poterat, quomodo mulier paupercula filium Altiſſimi gignere poſſet.

Verùm reſponſio non conſonat Evangelio. Si enim reſponſio fuiſſet admirantis propter dignitatis exceſſum concipiendi Dei filium, abs re illam addidiſſet cauſalem:
A *Quoniam virum non cognoſco*, ſed abunde admirationem declaraſſet dicendo: *Quomodo fiet iſtud?* Et ſane hæc verba: *Quomodo fiet iſtud* non ſatis apte exprimunt conditionem excellentiæ filii, quæ admirationem exciter, cum non reſpiciant partum, ſed modum concipiendi. Hinc Eliſabeth, ut excelleos exprimeret privilegium, quod agnovit in eo, quod Mater Dei ad ipſam deſcendiſſet, non dixit: *Quomodo hoc mihi*, ſed: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me*. Explicuit igitur admirationem per laudata verba ortam ex modo concipiendi, non jam ex dignitate partus, ſeu, ut ait Calvinus,
B ex rei magnitudine, vel potius Majeſtate.

319 Dicit III. Petrus Martyr. Sicut Virgo Angelo reſpondit: *Quomodo fiet iſtud?* ita Moyſes Exod. 6. v. 12. dixit Deo: *Quomodo audiet Pharao, præſertim cum incircumciſus ſim labiis?* & Nicodemus Chriſto Joan. 3. v. 5. *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex?* atqui perperam quis inde argueret, quod Moyſes voviſſet labiorum circumciſionem, & Nicodemus ſenectutem; ergo perperam itidem quis infert Deiparam caſtitatem voviſſe.

RESP. Ex inepta hac inſtantia colligi poſſet catholica veritas. Nam in utroque allato exemplo expreſſe aliquod impedimentum
C ſignificatur, in Moyſe in ordine ad loquendum Pharaoni, homini alterius idiomatis; in Nicodemo ad iterum naſcendum, cum jam eſſet ætate provectus; ergo in Deipara meritò argui debet impedimentum in ordine ad concipiendum. Porro cum in illis impedimentum non jam a libero arbitrio, ſed a naturali penderet cauſa, inepte arguitur a voto procedere; ergo cum in aperto ſit impedimentum in Virgine non eſſe a cauſa naturali, cum juvenis eſſet, & nupta, ſed a libero arbitrio, dubio-procul colligitur votum.

320 Dicit IV. Cum annunciaretur
D conceptus ſupra ordinem naturæ, Deipara credere potuit, ſtatim, & illo ipſo momento fore concepturam, proindeque abſque ullo prævio voto prudenter ſciſcitari poterat: *Quomodo fiet iſtud?*

RESP. Angelica verba ſunt abſolute in futuro: *Ecce concipies*, nec ullum occurrit verbum, quod innuat conceptum imprœſentiarum eſſe faciendum, unde prudens Virgo haud potuit hac de re ſuſpicari. Præterea ſicut Angelus dixit: *Ecce concipies*, ita dixit: *Et paries*; ſed non potuit Virgo intelligere, eodem momento parituram; ergo neque eodem inſtanti concepturam. Addas velim Vir-
E gini annunciatam fuiſſe conceptionem, eodem plane modo, quo Uxori Manue Judic. 13. v. 3. *Sed concipies, & paries filium*, ſicut & Saræ Gen. 18., ſed in hiſce, aliiſque caſibus conceptus intelligebatur pro futuro tempore, naturalique modo habendus; ergo annunciationem ſic intellexit Virgo; quoniam verò naturalis concipiendi modus illi erat illicitus, ea propter de modo interrogavit.

321 Dicit V. Deipara, utpote in Scripturis edocta, noverat Meſſiam ex Virgine naſciturum, ſicut legitur Iſaiæ 7., ſed

ex Angeli majeſtate, ex conditione ſalutationis, ex ſenſu verborum intelleait ſibi Meſſiæ partum annunciari; ergo cognovit ſe, etſi Virginem, parituram: ergo verba illa: *Quomodo fiet iſtud* ad alium finem fuiſſe ordinata cenſendum eſt.

RESP. Cum Beata Virgo eſſet prudenſiſſima, ſuperniſque illuſtrata cognitionibus, cauſalem illam: *Quoniam virum non cognoſco* non niſi ſapienter, & ordinate protuliſſe jure merito credendum eſt; cumque non appareat, ad quid referatur, niſi ad præſuppoſitum impedimentum, jam plane fit ad hocce eaplicandum ſuam direxiſſe interrogatinnem: *Quomodo fiet iſtud?* Quod ſane intellexit Angelus, cum totus fuerit in declarando modum concipiendi abſque virginitatis detrimento. Quare ad argumentum dicimus Deiparam habituali ſeientia noviſſe Meſſiam ea Virgine naſciturum, verùm cum humilitate excelleret, hand cogitare potuiſſe, & credere tam inſigne privilegium ſibi a Deu conceſſum. Hoc non abs re colligi videtur, ex quo Beata Virgo in ſuo Cantico, quo Deum magnificat, ſibi conceſſæ Maternitatia privilegium tribuit humilitati: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*; multum igitur in hoc myſterio humilitatis virtus operata eſt. Aliàs ſi ſciviſſet ſe Virginem parituram, fruſtra Angelum interrogaſſet; quod de Virgine adeo prudenti, & verecunda affirmare nemo ſapiens poſſet.

Deiparam virginitatis votum elicuiſſe, conſtans eſt Sanctorum Patrum ſententia; hinc S. Hieronymus *Epiſt. 2. ad Euſtochium* ait -- Mihi virginitas in Maria dedicatur & „ Chriſto -- Porro dedicatio ſpecialem oblationem, & conſecrationem ſignificat, adeoque non ſimplex propoſitum, ſed votum. Rupertus *lib. 3. in Cantica circa finem* Virginem alioqnens habet -- Votum virginitatis „ prima voviſti -- Prima quoad eaccellentiam, atque conſummatam Evangelicam perfectionem. Beda *in cap. 1. Lucæ* -- Prima fœmi„ narum tantæ ſe virtuti mancipare cura„ vit -- Mancipare utique vinculum declarat. Ejuſdem labii ſunt reliqui Patres. Quod ſi hujus voti in Virgine congruentiam velis, habes ex D. Thoma, & innititur in laudata D. Hieronymi auctoritate. Status perfectionis Evangelicæ cœpit in Chriſto, ejuſdemque Matre, atque in Apoſtolis: ſed votum virginitatis pertinet ad ſtatum perfectionis; ergo titulo convenientiæ debuit præfuiſſe in Deipara Virgine.

Conveniens fuit Virginē caſtitatē voviſſe.

§. II.

DISSOLVITUR PRÆCIPUA CALVINI OBJECTIO ADVERSUS DEIPARÆ VOTUM, ET PROPUGNATUR MATRIMONIUM MARIAM INTER, ET JOSEPH.

322 CAlvinus *loco ſuperius cit.* inſultat caſtris Iſrael, Patribus videlicet, eo quod ex Angelica ſalutatione Virginem fuiſſe voto ligatam colligere non dubitaverint -- Quod autem ex hoc loco occaſionem qui„ dam ſumpſerunt, ut dicerent, Virginem „ habuiſſe votum perpetuæ virginitatis, quod „ alioqui ſupervacanea fuiſſet iſta reſponſio, „ nimis infirmum eſt, immo abſurdum, ac „ ridiculum. Exiſtimabimus ne Virginem „ paſſam fuiſſe Marito ſe collocari, ut eum „ luderet? Fuiſſet profecto perfidia, gravi „ reprehenſione digna, ſi ſanctum conjugii „ fœdus non ſine Dei ludibrio ſpreviſſet -- Sic loquitur tumidus Philiſtæus, ut virgineum votum abneget, quia Deiparens erat uxorata.

In ſolutione hujus objectionis non una eſt Catholicorum ſententia, quantum ad tempus quo Deipara votum emiſit. Illud indubie aſſeritur, quod ante Annuntiationem illud nuncupaverit, ſed num ante Deſponſationem, diſcriminantur Doctores. S. Thomas *3. p. q. 28. art. 4.*, quem plures ſequuntur, docet Deiparam votum abſolutum unà cum S. Joſeph emiſiſſe poſt Deſponſationem, conditionatum verò ante contractum Matrimonium -- Mater Dei non creditur, ante„ quam deſponſaretur Joſeph, abſolute vir„ ginitatem voviſſe, ſed licet eam in deſi„ derio habuerit, ſuper hoc tamen volunta„ tem ſuam divino commiſit arbitrio. Poſt„ quam verò accepto Sponſo, ſecundùm „ quod mores illius temporis exigebant, „ ſimul cum eo votum virginitatis emiſit -- Scotus *in 4. Diſt. 30. art. 2.* contendit ante Deſponſationem abſolute voviſſe, cum Scoto ſtat ejus ſchola, & Henricus *Quodlib. 9. q. 22. litt. B.* Porro quonam tempore illud elicuerit, diſſidium eſt: alii ad primum inſtans uſus rationis referunt, alii ad tempus quo ſe præſentavit in templo, alii demum poſt ſuorum Parentum obitum, & creditur anno ætatis ſuæ undecimo fuiſſe; quæ omnia incerta ſunt.

Quo tempore B. V. virginitatem Deo voverit.

Verùm ſcopulus hinc inde inſurgit; etenim ſi admittimus Beatam Virginem votum elicuiſſe ante initum cum S. Joſeph connubium, negandum erit licite verum contraxiſſe matrimonium, utpote ſub impedimento voti; ſi concedimus votum elicuiſſe, mutuo interveniente conſenſu, poſt contractum conjugium, fateri cogimur Deiparam conſenſiſſe in maritalem thori cohabitationem, quod ſane quam maxime adverſatur prærogativæ interioris virginitatis, a qua corporalis virginitas decua omne deſumit. Quare pro dignitate hujuſce difficultatis fas eſt paulò ſuſius, quod ſuperius innuimus, pertractare, videlicet an Deiparam inter, & S. Joſeph verum matrimonium ratum interceſſerit, & qualiter Marianæ virginitatis excellentia ſalvetur.

Julianus Pelagianus, prout refert, atque pluribus in locis, ſed præcipue *lib. 1. de Nuptiis, & Concupiſcentia cap. 11.* impugnat Auguſtinus, contendebat inter Beatam Virginem, atque Sanctum Joſeph verum non interceſſiſſe matrimonium. Nonnulli in eandem ſententiam trahunt nonnullos ex Patribus, qui ea loquendi modo innuere videntur ſola celebrata fuiſſe ſponſalia, quos tamen aliter ſenſiſſe infra compertum fiet. Wiclefus *in Trialogo lib. 4. cap. 2.* apud Walden-

denſem *tom. 2., qui eſt de Sacramentis cap.* 130. deſcribebat Matrimonium, quod ſit -- Legi„ tima copulatio, qua ſecundùm Dei legem „ licet eis ſine crimine filios procreare -- ea propter jure colligitur ipſum cum Juliano ſenſiſſe, ceſſare nempe Matrimonium, ubi ceſſat generatio.

Dicendum tamen Deiparam inter, & Sanctum Joſeph verum matrimonium ratum initium fuiſſe.

Verū matrimonium Deiparam inter, & Joſeph.

323 PROB. I. Quoties Sacræ Scripturæ verba ſufficienter aliquid declarant, toties in ſenſu proprio, & communi ſunt intelligenda, niſi per alia teſtimonia aliter explicentur, aut niſi apertum ſequatur inconveniens; ſed Scriptura Sacra ſatis declarat verum matrimonium inter Beatam Virginem, & Sanctum Joſeph, nec alibi illius ſenſus coarctatur, aut aſſignabile eſt manifeſtum inconveniens; ergo in ſenſu proprio, & communi intelligi debet inter eos matrimonium interceſſiſſe. Prob. min. quoad primam partem, ſecunda namque dilucide conſtabit ex ſolutione objectorum. Matth. 1. v. 18., & ſeqq. legitur: *Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph . . . Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus . . . Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam . . . Et accepit conjugem ſuam*; ſed hujuſmodi locutiones aperte declarant verum conjugium maſculum inter, & fœminam, nec ullam patiuntur æquivocationem. Licèt enim verbum *deſponſatio* æque ad ſponſalia, ac ad matrimonium extendatur, attamen *Vir ejus, conjux tua* determinatum habent ſenſum pro contracto connubio: audiatur Auguſtinus laudato loco *de Nuptiis, & Concupiſcentia* -- Conjux vo„ catur ex prima fide deſponſationis, quam „ concubitu nec cognoverat, nec fuerat co„ gniturus, nec perierat, nec mendax man„ ſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, „ nec futura erat ulla commixtio . . . quia „ etiam fœcunda ſine viro, prole diſpar, fide „ compar; propter quod fidele conjugium „ Parentes Chriſti vocari ambo meruerunt --

Res clareſcet, ſi attentiùs perpendamus Scripturas. Cit. Matthæi loco dicitur: *Antequam convenirent*, ideſt antequam cohabitaſſent, quibus innuitur licitam eiſdem fuiſſe cohabitationem; ſed per ſola ſponſalia cohabitatio licita nequaquam evadit; ergo verum inter ipſos contractum fuit matrimonium. *Inventa eſt in utero habens*: non ad inventa eſt niſi a S. Joſeph, qui licentia pene maritali omnia noverat, ut ſcribit S. Hieronymus *in cap. 1. Matth., de quo infra in Reſponſione ad 3. Object.*, nec hoc detegere potuiſſet Joſeph, niſi ſimul cohabitaſſent; ſiquidem B. V. quandiu fuit in templo, ab hominum aſpectu ſecreta erat, quando a templo receſſit, cum ejuſdem Parentes fato functi eſſent, ad patriam domum non acceſſit, ſed Miniſtri Sanctuarii S. Joſepho tradiderunt; ſed viris non tradebantur Virgines ſimplici promiſſione deſponſatas; ergo poſt verum celebratum conjugium. *Cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*. Ideo autem, cum eſſet juſtus, voluit occulte dimittere, quia zelum exercere noluit, & vindictam, qua urgeri ſolent mariti, cum in uxoribus crimen ſuſpicantur,

A juxta illud Proverb. 6. v. 34. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ*: ne cogeretur ergo eam accuſare, ſi publice dimitteret, voluit clanculo ſe ſubducere, permittens, quod Virgo crederetur opere ipſius Joſeph fœcunda, ſi ab aliis deprehenderetur habens in utero. Porro hæc momenta nullius eſſent roboris, niſi vera fuiſſet uxor; ſiquidem non ſatis conſultum fuiſſet honori Virginis; etenim qui Mariam gravidam noviſſent, male de ipſa ſuſpicati fuiſſent, ſcientes ſola ſponſalia Mariam inter, & Joſeph interceſſiſſe, & potiſſimum Sacerdotes, quibus ſolus ſponſalitius contractus innotuiſſet; ea propter ne-

B ceſſe eſt dicere verum fuiſſe matrimonium.

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; ex his, ſicut ex præcedentibus ad minus habetur deſponſatio, media promiſſione; ergo cum infra dicatur: *Et accepit conjugem ſuam*, aliquid plus intelligendum occurrit: hoc aliud plane non eſt, niſi conjugium; ergo. Et ſane haud credendum eſt viros adeo Sanctos mutuam ſibi datam fidem non adimpleviſſe, aut Sacerdotes, quibus ſponſalia innotuerant, non inſtitiſſe pro conjugio, aut conſanguineis id perſpectum non fuiſſe; eaque propter ſcientes contracta tantummodo inter utrumque ſponſalia non ſine

C ſcandalo admirati eſſent, videntes fœtu gravatam Deiparam.

Ad clariorem dictorum elucidationem notes velim apud Hebræos ſolemne fuiſſe, ut quaſi private inirentur connubia, hinc Sponſæ datum erat in Sponſi, aut parentum domo manere, dein poſt aliquod temporis publicæ celebrabantur nuptiæ cum conviviis, aliiſque illius gentis ritibus; conſuetudinem hanc Sanctum Joſeph una cum Virgine adoptaſſe plurimi propugnant Interpretes, & juxta hunc morem aliquam apparentem Scripturarum difficultatem componunt: ubi enim dicitur Virginem fuiſſe Joſeph deſponſatam,

Mos Hebræorum contrahendi conjugium.

D veras nuptias, verumque intelligunt conjugium; cum verò legitur: *Antequam convenirent*, hoc explicant quoad publicas nuptias, ideſt antequam publicæ haberentur nuptiæ, poſt quas in domo mariti mulier debebat commorari. Ubi occurrit: *Cum nollet eam traducere*, ſenſus eſt de traductione per publicas nuptiarum ceremonias; cum verò adhortante Angelo *accepit conjugem ſuam*, ſolemnitas nuptiarum innuitur.

Evangeliſtæ Matthæo concinit S. Lucas cap. 1. v. 26. Angelicam enim referens ſalutationem: *Miſſus eſt Angelus Gabriel . . . ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat*

E *Joſeph*, & cap. 2. enuncians Cæſaris edicto ſubdens v. 4. *Aſcendit autem & Joſeph ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore*, tali loquendi modo aperte conjugii veritatem declarat, nec aliter laudati textus abſque violentia explicari valent: ſi enim ultro a communi, & obvio ſenſu Scripturas deflectere poſſumus, haud criminandus eſſet, qui alia, quæ in laudato capite deſcribuntur, pro libito explicaret, puta Joſephum eſſe de domo David, quia illarum Urbium incola erat, in quibus David regnaverat, non quia de ejuſdem familia.

324 PROB.

324 PROB. II. S. Matthæus ut Chriſtum ea familia David deſcendere, ſicut pronunciatum erat per Prophetas, demonſtret, Genealogiam teait non jam per Mariæ, ſed per Joſephi generationem; atqui ſi non foret verus ipſius Virginis maritus, id valde incongruum, immo inutile foret; ergo. Minor declaratur, ſupponendo ex communi Patrum ſenſu Sanctum Matthæum naturalem deſcribere Sancti Joſeph Genealogiam, cui ſententiæ unum Poſſevinum adverſari novimus; verùm data opinione Poſſevini, videlicet Matthæum legalem, Lucam naturalem deducere Genealogiam, adhuc urget probatio, nempe: ut aliqua proles probetur eſſe de ſtirpe alicujus familiæ per Genealogiam generationum alterius hominis, neceſſe eſt, quod vir hujuſmodi pertineat ad illius prolis generationem, & quidem media naturali conſanguinitate, vel affinitate; ſed niſi Joſeph verus ſit maritus Deiparæ, de qua natus eſt Jeſus, jam hic nil conjunctionis habet cum Joſeph, nec Joſeph cum Jeſu, ut in aperto eſt; ſiquidem ſola ratio cuſtodis, aut conditio ſponſalium nullam naturalem lineam conſtituit; ergo neceſſe eſt Joſeph ad Chriſtum ſpectare per verum matrimonium cum Deipara celebratum. Sanctum Patriarcham eſſe de Chriſti Genealogia ratione Virginis nos docet alios inter Patres Chryſoſtomus apud S. Thomam *in Catena aurea Matth.* 1. -- Poſitis igitur progenitoribus univerſis, „ & finiens in Joſeph, addit virum Mariæ, „ monſtrans, quod propter illam & hunc in „ Genealogia poſuit -- Verùm totum argumentum præſtat audire ex Auguſtino *lib.* 1. *de Nuptiis, & Concupiſcentia cap.* 11. -- Unde „ & ſeries generationum, cum parentes „ Chriſti connexione ſucceſſionis commemorantur, uſque ad Joſeph potius ſicut fa- „ ctum eſt, fuerat perducenda, ne in illo „ conjugio, virili ſexui utique potiori fieret „ injuria, cum veritati nihil periret, quia „ ex ſemine David, ex quo venturus prædi- „ ctus eſt Chriſtus, & Joſeph erat, & Ma- „ ria. Omne itaque nuptiarum bonum im- „ pletum eſt in illis Parentibus Chriſti, Pro- „ les, Fides, Sacramentum --

Joſeph quomodo ex familia David.

Dilucidantur prædicta. Cum B. V. a nullo illorum, qui in Genealogia deſcribuntur, fuerit fœcundata, ſed a ſolo Divino Spiritu, ſi aliunde puriſſimum non ſubminiſtraſſet ſanguinem, nec Chriſti Mater dici poſſet, nec per ejuſdem lineam poſſet Chriſti Genealogia comprobari; nulla quippe naturalis haberetur connexio cum Chriſto; ergo cum S. Joſeph ad Chriſti generationem non deſervierit, ut veraciter per ejus lineam Chriſti Genealogia evincatur, neceſſe eſt, quod aliunde ſit aliqua naturalis connexio; porro alia eſſe nequit, niſi quæ ex vero conjugio cum legitima Matre deſumi poteſt; ergo vero conjuncti fuere connubio.

325 PROB. III. Quantum fieri poteſt nomenclaturam Patris Chriſti, quam Joſepho aperte tribuit Scriptura, ſervare debemus; ſed nulla ſuppetit ratio ad eam propugnandam, niſi dicatur Joſeph verum fuiſſe Deiparæ maritum: etenim Chriſtus quovis tempore legitimus Sancti Joſeph filius fuit creditus; ideoque Phariſæi, qui Chriſtum, filium fabri, in contumeliam nuncupaverunt, nuſquam de ejus legitima filiatione dubitaverunt, aut ſuſpicati ſunt; & quidem non ob aliud, niſi quia S. Joſeph verus erat Virginis Sponſus, & aliàs eos latebat Chriſtum Spiritus Sancti virtute conceptum, unde palam fit, quod ceſſante veritate conjugalis vinculi, ceſſaſſet etiam ratio nuncupandi Joſeph Patrem Chriſti.

Joſeph Pater Jeſu quia Sponſus Virginis.

326 DICES. Sicut Chriſtus non erat filius Joſeph, ſed credebatur, ita non erat S. Joſeph verus Mariæ Sponſus, ſed credebatur, quia cum ea habitabat, eique individuus fuit comes in Ægyptiaca peregrinatione.

Verùm inde vires ſumit argumentum: quia Joſeph revera non erat genitor Chriſti, ideo expreſſe Scriptura teſtatur Chriſtum eſſe filium Joſeph juxta hominum æſtimationem: *Ut putabatur*: cum ergo eadem Scriptura nuſquam tale dicat de Deiparæ Sponſo, neceſſe eſt affirmare Joſephum verum fuiſſe Virginis maritum. Diſcamus & argumentum hoc ab Auguſtino laudato loco--Propter quod „ fidele conjugium Parentes Chriſti vocari „ ambo meruerunt, & non ſolùm illa Ma- „ ter, verùm etiam ille Pater ejus, ſicut „ conjux Matris ejus, utrumque mente, non „ carne; ſive tamen ille Pater ſola mente, „ ſive illa Mater & carne, parentes tamen „ ambo humilitatis ejus, non ſublimitatis; „ infirmitatis non Divinitatis; neque enim „ mentitur Evangelium, ubi legitur: Et „ erant Pater ejus, & Mater mirantes ſu- „ per his, quæ dicebantur de illo. Et alio „ loco: Et ibant parentes ejus per omnes „ annos in Jeruſalem &c. -- Addas quod Joſeph æquiparatur Mariæ quoad nominis impoſitionem; dicitur Luc. 1. v. 31. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*. De Joſeph Matth. 1. v. 21. habetur: *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*: nec aliunde conceditur Joſeph jus imponendi nomen Virgineo partui, niſi quia per legitimum matrimonium caput erat matris.

327 PROB. IV. Si veritas conjugii abſque maritali commercio ſubſiſtit, tenemur Virginem inter, & Joſeph verum matrimonium admittere; ſic enim in propria ſignificatione ſalvantur Scripturarum locutiones; ſalvatur legitima Chriſti Genealogia, honor, decuſque Deiparæ; honoratur in Virgine uterque ſtatus, conjugalis nempe, & virginalis, itaut facta ſit exemplar perfectæ ſubjectionis, & obedientiæ ad maritum, & excellentiſſimæ puritatis tam mentis, quam corporis; ſed conjugii veritas abſque maritali commercio ſubſiſtit; ergo. Minor ut evincatur, præmittenda eſt indubia S. Thomæ doctrina 3. *p. quæſt.* 29. *art.* 2. -- Dicendum „ quod matrimonium ſive conjugium dicitur „ verum ex hoc, quod ſuam perfectionem „ attingit. Duplex eſt autem rei perfectio, „ prima, & ſecunda; prima quidem rei „ perfectio conſiſtit in ipſa forma, ex qua „ ſpeciem ſortitur, ſecunda verò perfectio „ conſiſtit in operatione rei per quam aliqualiter „ ſuum finem attingit. Forma au- „ tem matrimonii conſiſtit in quadam indi-

Duplex conjugii perfectio.

„ viſibili

„ viſibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur. Finis autem matrimonii eſt proles generanda, & educanda. Ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem, ad ſecundum per alia opera viri, & uxoris, quibus ſibi invicem obſequuntur ad prolem nutriendam — Superest nunc demonſtrare matrimonii formam non conſiſtere in ſecunda perfectione: & quidem I. Stat ſeparatio thori cum matrimonii vinculo; ſed ſi conjugii eſſentia in ſecunda perfectione haberetur, datâ thori ſeparatione non ſubſiſteret, ut in aperto eſt. Major traditur ab Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. v. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Hinc ſi uxor ſtatim a contracto matrimonio a marito ſeparetur, remanet quovis tempore viro ligata. II. Quandiu Adam, & Eva in terreſtri Paradiſu commorati ſunt, verum inter ipſos fuit connubium; ſed tunc temporis maritalis cohabitatio non interceſſit; ergo. III. Eugenius IV. *in Instructione Armenorum* explicat matrimonii eſſentiam dicens — Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ ſecundùm Apoſtolum: cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus — Sed mutuus conſenſus actualem præcedit thori habitationem; ergo ſubſiſtit matrimonii veritas abſque ſecunda perfectione; & ſane valor contractus abſque uſu rei ſalvatur. Unde *Can. Si inter de Sponſalibus* habetur — Si inter virum, & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti, ita quod unus alterum mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſſo, recipiat, utroque dicente: Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum, vel alia verba conſenſum exprimentia de præſenti, ſive ſit juramentum interpoſitum, ſive non, non licet alteri ad alia vota tranſire; quod ſi fecerit, ſecundum matrimonium, etiamſi ſit carnalis copula ſubſecuta, ſeparari debet, & primum in ſua firmitate manere —

Prima conjugii perfectio ſine ſecunda ſubſiſtit.

328 PROB. V. Recta Scripturarum intelligentia jure meritò deſumitur ex communi Patrum ſententia; ſed Patres unanimiter ſentiunt Deiparam inter, & Joſeph verum interceſſiſſe connubium, idque ex laudatis Scripturis colligunt; ergo ipſorum verum fuiſſe matrimonium indubie aſſerendum eſt. Minorem longa Patrum ſerie probari poſſet; quoniam verò res ſeipſa clareſcit, paucos, eoſque referam, qui aliquam etiam aſſumunt congruentiam. Porro congruentiæ ad triplicem ordinem reducuntur, aliæ quidem ad Eccleſiam, ad Chriſtum aliæ, tertiæ demum ad Virginem. Sub hoc diſcrimine eas refert, approbatque S. Thomas 3. *p. quæſt.* 29. *art.* 1. Ex parte Eccleſiæ tres habet S. Ambroſius, quarum duæ ad fidem, altera ad mores ſpectant; *Lib.* 2. *in Luc. cap.* 1. prima legitur — Locupletior teſtis pudoris maritus adhibetur, qui poſſet & delere injuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret Sacramentum — Et innuere vult, teſtimonio Joſeph comprobatam eſſe Chriſti nativitatem ex Virgine, ſecunda ibidem — Fides Mariæ verbis magis aſſiſcitur, & mendacii cauſa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mendacio innupta prægnans; cauſam autem mentiendi deſponſata non habuit, cum conjugii præmium, & gratia nuptiarum partus ſit fœminarum — His declarat, quod veritate matrimonii verba Deiparæ aſſerentis ſuam Virginitatem propter auctoritatem tanti teſtimonii magis credibilia reddita ſunt. Tertia — Non decuit Virginibus ſiniſtra opinione viventibus, velamen excuſationis relinqui, quod infamari mater quoque Domini videretur — quaſi dicat; datur exemplum Virginibus, ut caute infamiam evitent, quod ſi ſtudium hocce negligant, nullâ dignæ ſunt excuſatione.

Patres congruentiis probant verum matrimonium.

Ex parte Chriſti duplicem congruentiam ex eodem S. Ambroſio habemus; prima *ibid. cap.* 51. — Quid Judæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti? — Ideſt infideles tanquam illegitimum Chriſtum refugiſſent, atque perſecuti eſſent: altera habetur *lib.* 3. *in Luc.* non procul a principio — Qui in ſeculum venit, ſeculi debuit more deſcribi. Viri autem perſona quæritur, qui in Senatu, & reliquis Curiis Civitatum generis aſſerit dignitatem. Conſuetudo etiam nos inſtruit Scripturarum, quæ ſemper viri originem quærit —

Duplicem itidem congruentiam aſſumit S. Hieronymus *in cap.* 1. *Matth.* — Tertio ut in Ægyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam, cur a deſponſata conceptus ſit, ut partus, inquiens, ejus celaretur Diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de uxore generatum — Ultimum hocce momentum adoptat S. Baſilius *hom.* 25. *de humana Chriſti generatione*, ubi aſſirmat antiquiores idem ſenſiſſe.

329 Hoc tamen Scoto non arridet *in* 4. *Sent. diſt.* 30. *q.* 2. *§. Hic ſunt*; cum enim Diabolus corporalia, & omnia quæ in ipſis fiunt, agnoſcat, potuit indubie Deiparæ Virginitatem deprehendere: noverat ipſam non habuiſſe maritale commercium, ſciebat extemplo conceptum in utero filium, ea propter ipſum non latebat partum eſſe divinum.

Ad rem noſtram ſat eſſet, laudatos Patres verum affirmare matrimonium inter Deiparam, & Joſeph, etſi congruentiæ non ſatis aptæ videantur. Ceterum prædictam congruentiam urgere ex eo evincitur, quod Scripturis innitatur. Hæ quippe referunt Diabolum non cognoviſſe, ſaltem dilucide, Chriſtum eſſe Dei filium, licet ſæpe numero rem deprehendere ſtuduerit. Et ſane commune Patrum effatum eſt, quod ſi Chriſtum Deum crediſſet, nuſquam Judæos adverſus ipſum excitaſſet, ut crucifigeretur. Nec Scoti motivum quidquam evincit; habet namque S. Thomas 3. *p. quæſt.* 29. *art.* 1. *ad* 3. — Dicendum quod ſicut Auguſtinus dicit 3. *de Trinit.* Diabolus multa poteſt virtute ſuæ naturæ, a quibus tamen prohi-

Quomodo ignotus conceptus Virginis.

„ betur

„ betur virtute divina . Et hoc modo poteſt
„ dici , quod virtute naturæ ſuæ Diabolus
„ cognoſcere poterat matrem Dei non fuiſſe
„ corruptam , ſed virginem , prohibebatur
„ tamen a Deo cognoſcere modum partus
„ divini -- Eandem propugnat ſententiam 4.
Sent. Diſt. 30. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 1.
-- Dicendum quod Diabolus cognitione na-
„ turali bene potuiſſet perpendere virginita-
„ tem Matris Dei , cum toto hoc , quod
„ nupta erat, niſi prohibitus fuiſſet a dili-
„ genti examinatione eorum , quæ circa
„ ipſam erant , virtute divina -- Quam do-
ctrinam adopraverat Angelicus a Magiſtro ſuo
Alberto Magno *ibid. art.* 8. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3.
-- Ad aliud dicendum , quod bene poteſt ,
„ quod voluntate divina impediti (*Dæmones*)
„ non conſiderare audebant aliquid circa
„ Matrem Dei ; & ideo ſcientia eorum de
„ naturalibus ejus fuit quaſi in habitu , &
„ ſopita , ſicut aliquis ſcit aliquid in univer-
„ ſali , quod tamen in particulari non con-
„ ſiderat --

330 P. Vaſquez 3. *p. q.* 29. *art.* 2. *Diſp.* 125. *cap.* 2. D. Thomæ non adſtipulatur , quia licet bene explicetur , quomodo potuit Dæmonis cognitio impediri , non tamen vis rationis a Patribus relatæ ſalvatur , qui volunt Diabolum deceptum fuiſſe abſque miraculo , & quidem per hoc ſolummodo , quod Deipara nupta erat ; unde ſolvit ipſe difficultatem dicens, quod in ore uteri nulla eſt membrana pro ſigillo, ſed ſola arctitudo, ex qua de facili percipi nequit, an integra ſit fœmina, nec ne ; quare potuit Dæmon decipi , Deiparam nuptam videns , & partum ex viro credere .

Sed velit nolit D. Thomæ doctrinam adoptet neceſſe eſt . Etenim quidquid ſit de illa membrana , dubio-procul adſunt ſigna , ex quibus ſatis aperte Matronæ, & Medici integritatem cognoſcere poſſunt , & multò magis Dæmon . Ceterum unde nam ignorabat maritalem cohabitationem Diabolus ? Unde neſciebat fœtum momento formatum ? Unde ipſum latebat partium arctitudo ? Divina itaque virtute impedita fuit Diaboli cognitio , ne talia dignoſceret .

Nec inde evaneſcit vis rationis S. Martyris Ignatii ; non enim negat hac ſuper re divinæ voluntatis concurſum , ſed id factum connaturaliter explicat . *Virgineū conceptum ignoravit Dæmon.* Deus enim non permittebat Diabolo quod ad ea attenderet, quæ ad Deiparæ Virginitatem , conditionemque partus ſpectabant . Ipſi quidem datum erat ad nuptias , atque ad Matris fœcunditatem advertere , ex quo naturalis habebatur deceptio , ut partum ab homine crederet ; & , ut diſcurrit S. Baſilius , noverat Dæmon Chriſtum ex Virgine naſciturum, ea propter ad nuptas cognitionem non convertebat , & ab ipſis quaſi connaturaliter divertebatur .

Nec ob hoc neceſſe erat miraculum ; licet enim naturaliter Dæmon virtutem haberet ad corporalia dignoſcenda, nihilotamen minus in applicatione naturali divinæ ſubditur diſpoſitioni , aliàs naturalis Dei ordinatio exigit , ut non relinquat prorſus liberum potentiæ uſum Dæmoni, ne rerum ordo perturbetur . Poſt peccatum quidem naturalem rerum ſcientiam non perdidit , fuit tamen
A velut ligata , aliqualiter conſopita , atque confuſa ; unde pro libito divinæ voluntatis habet exercitium , quod fortius contingere dicimus in rebus naturalibus cum ſupernaturalibus myſteriis connexis , ut in præſenti . Latuerunt itaque ea , quæ ad Virgineum conceptum pertinebant ; quamvis accedente Redemptionis tempore aliqua fuit illi conceſſa cognitio Filii Dei . Oportebat namque ut Chriſtus oſtenderet ſuam adverſus Diabolum virtutem , ejuſque everteret imperium ; tempore autem infantiæ haud congruebat ; ſiquidem oportebat , ut quæ ſunt hominis , prius oſtenderet , dein quæ Dei erant .

Nunc redeundo ad Patrum congruen-
B tias , & quidem ex parte Virginis , treſque referuntur , primam tradit S. Ambroſius *lib.* 2. *in Lucam* -- Deſponſata eſt , ne temeratæ
„ Virginitatis adureretur infamià , cui gra-
„ vis alvus corruptelæ videretur inſigne præ-
„ ferre -- alteram habes ex S. Hieronymo *in cap.* 1. *Matth.* -- Ne lapidaretur a Judæis ut
„ adultera -- Demum , ut Joſeph Ei miniſtraret .

331 Non probatur a P. Vaſquez ſecunda Patrum congruentia eo quod ſi innupta deprehenſa fuiſſet habens in utero , non fuiſſet lapidata , ſed aliter punita ; ete-
C nim ſolum adulteri lapidibus obruebantur .

Verùm hoc falsò aſſeritur ; nam lapidatio erat etiam decreta pro Virgine in parentum domo fornicante , ut loco ſuperiùs laudato oſtendit D. Thomas *in reſp. ad* 4. ex Deut. 22. v. 20. *Quod ſi verum eſt , quod objicit , & non eſt in puella inventa virginitas ; ejicient eam extra fores domus Patris ſui , & lapidibus obruent viri civitatis illius , & morietur , quoniam fecit nefas in Iſrael , ut fornicaretur in domo Patris ſui.* Loca verò, quæ Vaſquez refert ex Deut. , & ex Exodo , agunt de viris violatoribus , quibus imponitur dotem ſolvere , non de puellis ultro con-
D ſentientibus. S. Thomas *ibid.* aliam addit legem ex cap. 21. Levit., ubi præcipitur, quod Sacerdotis filia in ſtupro deprehenſa flammis exuratur ; porro B. V. erat de ſtirpe Aaron, unde erat cognata Eliſabeth .

Dicit tamen Vaſquez B. V. non fuiſſe immediate a Sacerdote procreatam ; ulterius quod pœna pro filiabus Sacerdotum fuiſſet aduſtionis , ſecus lapidationis , ut contendit Hieronymus .

Sed utrumque infirmum eſt . Filia Sacerdotis intelligitur illa , quæ eſt de linea Sacerdotali , etſi immediate a Sacerdote non ſit progenita ; ſic Chriſtus dicitur de domo
E David , a quo non eſt genitus , & Eliſabeth de filiabus Aaron , a quo immediate non fuit ; nec urget ſecundum , quia S. Thomas aliam rationem addere intendit ab ea , quam ponit S. Hieronymus . Adde apud Sanctum Doctorem *ut adultera* accipi prout denotat crimen quodcunque contra caſtitatem .

§. III.

§. III.

ARGUMENTA ADVERSUS STABILITAM VERITATEM DISSOLVUNTUR.

332 OBJIC. I. Ideo inter Joſeph, & Mariam verum intereeſſiſſe matrimonium aſſeritur, quia in Scripturis B. Virgo ejus uxor nuncupatur; ſed hoc non arguit veritatem conjugii: etenim Gen. 29. v. 21. Jacob petit a Labano Rachelem dicens: *Da mihi uxorem meam*, & tamen ſola promiſſio præceſſerat; ergo ſalvatur, quod Virgo uxor Juſeph dicatur, & quod tantummodo promiſſa fuerit. Argumentum habes ex S. Cyrillo Jeroſolymitano *Catecheſi* 12. -- Meminimus Jacob, qui priuſquam Rachelem acciperet, dicebat ad Laban; da mihi uxorem meam: ſicut enim illic ante nuptiarum conſtitutionem, cum tantum promiſſio interceſſiſſet, uxor Jacob nominabatur, ſic & Maria propter ſolam deſponſationem uxor Joſeph vocabatur --

Inter probandam aſſertionem noſtram huic argumento factum fuit ſatis; non inficias imus poſſe mulierem ob ſolam promiſſionem uxorem vocari, verùm ut dignoſcamus appellationem hujuſmodi ob ſolam fore promiſſionem, perpendendæ ſunt circumſtantiæ locutionis. Quoad Rachelem textus occurrit aperte innuens ipſam uxorem nuncupari ob factam a Labano promiſſionem ſub conditione ſeptem annorum ſervitutis, poſt quos celebratas fuiſſe nuptias declaratur, ceterum pro re noſtra circumſtantiæ locutionis non ſolam promiſſionem, ſed oppoſitum evincunt; ſiquidem repetita phraſis uxoris modo ſub una, modo ſub alia expreſſione abunde exprimunt matrimonium jam contractum. Nec Cyrilli auctoritas adverſantibus favet. Etenim verba illa *Sic & Maria* ſunt contrapoſitive dicta ad cohabitationem thori. Ad cujus intelligentiam notandum, quod Marianæ Virginitatis hoſtes occaſionem captabant negandi integritatem Deiparæ, quia dicebatur uxorata, quod perperam aſſumebant completive per conſummationem conjugii, contendentes non dari verum matrimonium niſi maritali interveniente commercio. Porro S. Cyrillus uſum negans in Deipara, & admittens ſolummodo matrimonium ratum arguit, aſſumptâ Scripturâ ab adverſariis relatâ, a fortiori pro veritate: denominatur Rachel uxor Jacob ob ſolam promiſſionem, nullo præſuppoſito uſu conjugali; ergo multò magis denominatur Deipara uxor Joſeph ob deſponſationem, nullo præcedente commercio; ea propter dum ait *Sic & Maria*, non apponit ob ſolam promiſſionem, ſed mutata locutione habet *propter ſolam deſponſationem*, hoc eſt ob matrimonium ratum, quod ſi aliud innuere voluiſſet, non jam deſponſationis, ſed promiſſionis verbum appoſuiſſet.

Eadem locutio ex circumſtantiis intelligenda.

333 OBJIC. II. Salutanti Angelo, atque Incarnationis Myſterium annuncianti reſpondit Virgo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Sed hiſce verbis negat ſe eſſe uxoratam: ea ſiquidem in idem redeunt, ac ſi dixiſſet: *Quoniam maritum non habeo*. Similem habemus loquendi modum a Chriſto uſurpatum, dum Samaritanæ mulieri dixit: *Voca virum*, cui illa: *Non habeo virum*; ergo Joſeph inter, & Deiparam verum non erat matrimonium. Accipe argumentum ex Gregorio Nyſſeno *Orat. in die Natalis Chriſti poſt medium*, ubi Mariam Angelo reſpondentem deſcribit -- Quomodo ſine viro Mater ero? Joſephum enim Sponſum novi, virum autem non cognoſco -- & paulò ante dixerat -- Quæ conjunctio ſponſalia non eſt egreſſa -- Idem refert S. Bernardus *hom.* 2. ſuper *Miſſus eſt* -- Virum nominat, non quia maritus, ſed quod homo virtutis erat, ſed potius, quia juxta alium Evangeliſtam non vir ſimpliciter, ſed vir ejus dictus eſt; meritò appellatur, quod neceſſariò putabatur -- Bernardo præluſerat Gregorius Magnus *hom.* 26. *in Evangel.*, ubi de Chriſto loquens ait -- Habere Mariam Sponſam voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit --

RESP. neg. min. Recitata Scripturæ verba ſolummodo acceſſum ad maritalem cohabitationem negant, atque præſuppoſitum voti impedimentum innuunt, ut jam ſuperius explicatum eſt. Ad rectam tamen Patrum intelligentiam conſiderandum eſt, quod matrimonium vulgariter acceptum ſupponitur completum per conſummationem, quo ſenſu loquitur Auguſtinus *lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 26. *prope finem* -- Matrimonium quippe ex eo appellatum eſt, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut Mater fiat, quod nobis odioſum eſt -- ea propter juxta vulgarem expreſſionem, dum dicitur, mulierem habere maritum, pervenire ad nuptias, conjugale commercium innuitur. Ceterum veri conjugii eſſentia abſque conſummatione habetur; unde dicebat Ambroſius *lib. de Inſtit. Virginis cap.* 6. *relatus* 27. *quæſt.* 2. *Can. Cum initiatur* -- Denique cum jungitur puella, conjugium eſt, non cum viri admiſtione cognoſcitur --

Conjugium intelligitur vulgariter conſummatum.

Hinc notandum eſt, quod Ebionitæ impie dicebant Beatam Virginem ab initio deſponſationis conveniſſe cum S. Joſeph, & Helvidiani ab ipſo partu Filii Dei alios filios habuiſſe poſt Chriſtum Spiritus Sancti virtute conceptum, quibus ut adverſarentur Patres, atque palam facerent nuſquam conveniſſe, negant matrimonium, negant nuptias, negant maritum, ſed in vulgari ſignificatione, prout phraſes hujuſcemodi maritalem uſum referunt; hinc ut explicent ſimplicem conjugii ſubſtantiam ab uſu diſcretam, illis utuntur locutionibus, ſub quibus vulgariter exprimitur deſponſatio per ſolam promiſſionem, ut infra Patrum doctrinâ comprobabitur. Nunc ad argumentum. Nonnulli aſſerunt Nyſſenum in eam non convenire ſententiam, quæ aſtruit nuſquam Sanctum Joſeph cum Virgine nupſiſſe, ſed hoc voluiſſe pro eo tempore, quo fuit ei a Sacerdotibus tradita uſque ad Annunciationem; eam tamen duxit in uxorem, cum Angelo depellente timorem, accepit in ſuam. Solutio pro re nata ſufficeret: verùm S. Pater alium habet ſenſum, eum videlicet, quem mox declaravimus:

Ebionitæ, & Helvidiani hoſtes Virginitatis Deiparæ.

R

mus : *Joſeph enim Sponſum novi* animorum conſenſu conjunctum , per quem matrimonium ratum perficitur , *virum autem non cognoſco* per cohabitationem thori : ſilis itidem *conjunctio ſponſalia non eſt egreſſa* connubium ratum intelligi, quod per ſponſalia per verba de præſenti conſurgit : Nyſſenum hujus eſſe ſententiæ ea eo compertum ſit , quod dicat datam a Sacerdotibus Virginem Sancto Joſeph , Deo diſponente , ad nomen , decuſque Matris ſervandum , quod ſane non contigiſſet , ſi vera uxor non fuiſſet . Id clareſcit ex his quæ ſuperius dixerat -- Si enim „ liberorum causâ ducta fuiſſet a Joſeph , „ quomodo . . . . ſe rem novam , & alienam „ audire prætuliſſet ? -- & reddit ſenſum ; ducta fuit , ſed non cauſa liberorum . Ulterius ante verba in objectione relata habet -- „ Etenim naturæ legi illam ſubjicere , ut „ cuipiam in matrimonio collocata ſerviret , „ abſurdiſſimum videbatur ; inſtar enim ſacrilegii fuiſſet , ſi muneris Deo ſacrati Dominus homo fieret ; legibus enim erat conſtitutum , ut maritus dominaretur uxori -- His vult Deiparam haud traditam fuiſſe Joſepho , ut ei ſubjiceretur quantum ad prolis generationem , non negata tamen ſubordinatione quantum ad domeſticum gubernium hoc ſiquidem Scripturæ reſtragatur , cum in ea legatur Virginem ſive fugientem in Ægyptum , ſive regredientem Joſepho ſubjectam .

S. Bernardus verba utique habet , quæ verum matrimonium negant -- Cum eſſet , „ inquam , Virgo electa , & ut oſtenſum eſt , „ Virgo conceptura , Virgo paritura , mirum „ cur deſponſata fuerit non nuptura -- dicit iterum -- Mos ſiquidem Judæorum erat , ut „ a die deſponſationis ſuæ uſque ad tempus „ nuptiarum , Sponſis Sponſæ traderentur „ cuſtodiendæ , quatenus earum ipſi eo ſibi „ pudicitiam curioſius ſervarent , quo ſibi ipſi „ fideliores exiſterent --

Attamen cogimur S. Bernardum intelligere in ſenſu deſponſationis completæ per uſum thori . Hanc adoptaſſe ſententiam ex eo liquet , quod duplicem cauſam aſſignat , cur voluerit Dominus ex Deſponſata naſci ; prima eſt , ut Incarnationis Myſterium celaretur Diabolo , non quomodocunque , ſed ſecundùm ſapientiam , atque ordinariæ providentiæ leges ; ſed ordinaria Dei providentia non ſalvaretur , ſi per ſolam promiſſionem fuiſſet deſponſata , non autem per conjugium ; ergo deſponſationis nomine matrimonium intelligit .

Altera eſt , ut Virginis nomini bene foret conſultum ; etenim videntes eam in utero habere , & ſine Sponſo , non Virgo , ſed corrupta judicata fuiſſet ; atqui niſi verum interceſſiſſet connubium , actum eſſet de bono Virginis nomine , cum Sacerdotes , vicini , & utrioſque parentes ſcientes nuptias non fuiſſe celebratas ipſam corruptam cenſerent , quod nefas eſt ; nam ut honor Matris in tuto eſſet , voluit Chriſtus credi potius natus ex Joſeph , ſicut ibidem docet laudatus Mellifluus Doctor . Inquirens inſuper cur Joſeph Virginem voluerit occulte dimittere , id eveniſſe dicit , ne cogeretur Myſterium Virginei conceptus pandere , ſi de cauſa divortii ſciſcitaretur -- Ne videlicet divortii cauſa inquireretur , exigeretur ratio -- Porro nullum eſt divortium , ubi non præceſſit conjugium : ea propter cum dicit , quod per alium Evangeliſtam non ſimpliciter dictus eſt vir , ſed putative , vult innuere non fuiſſe virum cohabitatione thori , quamvis putaretur matrimonium conſummaſſe . D. Gregorius nomine Sponſi eum intelligit , qui per verba de præſenti deſponſatus eſt ; itidem non perveniſſe ad nuptias ſignificat non cohabitaſſe maritaliter .

334 OBJIC. III. Apud Hebræos , inito matrimonio , conveniebant Conjuges in domum Sponſi , ſed ubi dicitur Virgo deſponſata viro , adhuc non convenerat in domum Joſeph , qui antequam conveniret , invenit Deiparam habentem in utero ; ergo verum non interceſſerat matrimonium . Sic inſtatur ex Origene *hom. 1. in diverſos* ad illud *Inventa eſt* -- Qui pene licentia maritali ; licet „ eam non contingeret , futuræ tamen , ut „ putabatur , uxoris omnia noverat -- Ecce futura dicitur uxor . Idem habet S. Hieronymus *in cap. 1. Matth.* -- Cum virum audieris , „ ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum , ſed recordare conſuetudinis Scripturarum , quod „ Sponſi , & Sponſæ uxores vocentur -- S. Epiphanius *hær.* 78. circa medium -- Deſponſata , inquit , Maria , & non nupta -- S. Petrus Chryſologus *Ser.* 175. -- Joſeph ille „ maritus ſolo nomine , conſcientiâ Sponſus , „ prægnantem fluctuans , & anxius intuetur -- Sic & Chryſoſtomus *hom. 4. in Matth.*

Omnes Patrum ſententiæ , in quibus vis tota argumenti ſita eſt , eandem patiuntur explicationem ; quæ ut clareſcat , advertas oportet , quod apud ipſos nomine Sponſi , & Sponſæ venit promiſſio per verba de præſenti maritalem congreſſum antecedens , proindeque idem ſignificat ac matrimonium ratum . Hinc 27. *quæſt.* 2. -- Cum initiatur conjugium , tunc conjugii nomen adſciſcitur . . . „ non cum (*puella*) viri admixtione cognoſcitur -- Et *Can.* 37. *ibid.* habetur ex S. Hieronymo -- Notandum eſt quod in filiabus dicit fornicationem futuram , & in conjugibus adulteria ; quæ ſponſali conventione „ initiantur , & commixtione corporum perficiuntur -- *Can. 6. ibid.* ex S. Iſidoro -- „ Conjuges verius appellantur a prima deſponſationis fide , quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus -- *Can.* 27. ex Euſebio Papa -- Deſponſatam puellam „ non licet parentibus alii viro tradere , licet tamen illi Monaſterium ſibi eligere -- *Can.* 39. ex Auguſtino -- Inſtitutum eſt , ut „ jam pactæ Sponſæ non ſtatim tradantur , „ ne vilem habeat maritus datam , quam „ non ſuſpiraverit Sponſus dilatam -- Quod de Sponſis vere nuptis intelligendum eſt , quæ ideo non ſtatim eſſent tradendæ propter bimeſtre , quod eis liberum conceditur , ſi velint ad meliorem frugem tranſire , ut ibidem advertit Gloſſa . Plura hujuſmodi referri poſſent ad rem noſtram corroborandam , quibus abuſos eſt Gratianus , ut Deiparam inter , & Joſeph verum conjugium negaret .

Nomine Sponſi intelligitur Maritus.

Nunc ad ſingulas Patrum auctoritates reſpondendo dicimus Origenem ſtare pro nobis ;

Digitized by Google

bis ; ſiquidem dum ait *maritali licentia* , ibi
cognoſcit verum matrimonium, ubi futuram
dicit uxorem , hoc non abſolute aſſerit , ſed
ut putabatur; ex divino enim partu a populo
credenda erat uxor , habens in utero opere
viri . Hinc in eadem homilia , ut refertur
Can. Inventa 27. *quæſt.* 2. idem habet -- In
„ conſequentibus demonſtrabo , quod nec
„ iſta tua conjux , ſecundùm conſuetudinem
„ conjugii habeatur ; nec iſte qui generatur ,
„ tuus filius eſſe credatur -- ubi compertum
eſt negare eſſe conjugem ſecundùm matri-
monialem congreſſum , non ſecundùm veri-
tatem ſubſtantiæ . Idem reſpondetur ad Hie-
ronymum , ſiquidem pro nuptiis non intelligit
ſubſtantiale conjugii vinculum , ſed conſum-
mationem , unde inferiùs abſque hæſitatione
ſæpe Mariam uxorem nuncupat , cauſaſque
ibidem refert , cur Chriſtus ex deſponſata
naſci voluerit , quæ nequaquam evincerent ,
niſi vero exiſtente matrimonio , ut jam ex-
pendimus .

S. Epiphanius vult B. V. deſponſatam
per verba de præſenti , ſed non nuptam quoad
conſummationem ; ideoque ſtatim ſubdit --
„ Et rurſus alibi , Non cognovit ipſam --
Agebat namque adverſus Antidicomarianitas,
qui dicebant Deiparam poſt Chriſti partum
alios filios ex Joſeph ſuſcepiſſe , quod fuſe
reprobat declarando nuſquam Sanctum Joſeph
Deiparam cognoviſſe , nec ad hunc finem
datum fuiſſe in conjugem Mariæ , unde ibi-
dem dicit -- Juxta conſequentiam verò ex
„ Judæorum traditione oſtenditur , quod
„ non conjunctionis gratia ipſi tradebatur
„ Virgo , ſed quo conſervaretur in teſtimo-
„ nium futurorum , quod non ſpuria di-
„ ſpenſatio adventus in carne acceſſit , ſed
„ quæ teſtimonium haberet in veritate , extra
„ ſemen viri , in Spiritu Sancto diſpenſata in
„ veritate -- Igitur non conjunctionis mari-
talis cauſa , ſed ut ſpuria non eſſet diſpenſa-
tio ; hæc porro ratio non ſubſiſteret , ſi non
adfuiſſet conjugium , quod conditionem ſpu-
rii purgat ; & infra repetit -- Non accepit
„ Virginem in uſum -- Similia occurrunt
in contextu , ex quibus clare colligitur ſen-
ſus , quem dedimus .

Chryſologus Joſephum nuncupat mari-
tum ſolo nomine , quia thori cohabitatio-
nem non admiſit , conſcientiâ Sponſum , quia
caſtiſſimus conjux virgineam caſtitatem cu-
ſtodivit . Chryſoſtomus conjugis nomine di-
cit Evangeliſtam intellexiſſe Sponſam , ut
ſuſpicionem removeat , ne quis nomine con-
jugis allucinatus conſummationem conjugii
opinaretur , eaque propter habet -- Nec verò
„ nomen Virginis memoraſſe contentus , ad-
„ didit conjugem ; haud ita vocaturus , ſi
„ corrupta fuiſſet ; conjugis autem nomine
„ ſponſam intellexit --

335 OBJIC. IV. Chriſtus moriturus
Evangeliſtæ Joanni Matrem ſuam commen-
davit : *Deinde dixit diſcipulo : Ecce Mater tua ;
& ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam.*
Sed ſi verum interceſſiſſet conjugium Deipa-
ram inter , & Joſeph , haud tradita fuiſſet
diſcipulo , ne ſuſpicandi daretur occaſio ,
quod matrimonium ſit ſolubile : ergo . Argu-
mentum habetur *Can.* 43. 27. *quæſt.* 2. -- Si
„ enim cognoviſſet eam , & loco habuiſſet
„ uxoris , quomodo illam Dominus quaſi
„ abſque ſolatio , & nihil penitus habentem ,
„ diſcipulo commendaſſet , jubens illi , ut
„ eam reciperet in ſuam -- & apud Aucto-
rem Sermonis *de Paſſione Domini* apud Cy-
prianum -- Quia jam exigebat ratio , ut con-
„ jugii removeretur opinio , nec ultra Pater
„ Chriſti æſtimaretur , qui eatenus vicem
„ Patris , & conjugis tenuerat -- quibus evin-
citur Deiparam vere conjugem non fuiſſe ;
ideo S. Hilarius *in caput Matth.* ait -- Mater
„ potius Chriſti , quia id erat , non uxor
„ Joſeph eſt conjugata , quia id non erat --
His concinit Cyrillus Jeroſolymitanus *Catech.*
12. dicens ob ſolam deſponſationem uxorem
Joſeph fuiſſe vocatam .

Argumentum non urget . Etenim etſi
Joſeph non fuiſſet verus Deiparæ Sponſus ,
tamen ſi Paſſionis tempore in humanis vitam
egiſſet , haud debuiſſet alteri commendari ,
cum per plura luſtra fidiſſimus fuerit Deiparæ
cuſtos ; cum itaque fato functus fuerit , ut
communis fert ſententia , haud injurioſa fuit
Joſepho commendatio Virginis facta Joanni.
Nec quidquam probat prima auctoritas , quæ
Chryſoſtomi eſt : etenim ibidem aperte lo-
quitur de conjugio , quod dicit maritale com-
mercium . Nec ſecunda , quia Auctor ille
ſupponit Joſephum non fuiſſe conjugem
quoad conſummationem : & hæc erat opinio
a populi opinione removenda . Non tertia :
ſiquidem S. Hilarius uxoris nomine eam in-
telligit , quæ conjugium conſummavit , quod
Deiparæ non convenit . Non quarta ; quia
S. Cyrillus per deſponſationem intelligit ſpon-
ſalia per verba de præſenti , non verò de fu-
turo inita .

§. IV.

SOLVITUR QUINTA OBJECTIO , ET MARIANA VIRGINITAS DEFENDITUR .

336 OBJIC. V. Matrimoniali contractui
eſſentialis eſt conſenſus in coha-
bitationem thori ; ſed Deipara hujuſcemodi
non habuit conſenſum ; ergo Deipara verum
non contraxit conjugium . Major inconcuſ-
ſam continet doctrinam ; ſiquidem contra-
ctus nuptialis dicit eſſentialiter mutuam cor-
porum traditionem in uſum propagativum
humani generis . Minor quoque indubia eſt ;
Deipara namque votum emiſerat Virginita-
tis ; eaque propter Sacerdotes virum exqui-
ſierunt , qui eam cuſtodiret ; huic autem
voto repugnat conſenſus in thori cohabita-
tionem , aliàs Deipara non eſſet abſolute
Virgo , quod piorum aures refugiunt . Se-
ctarii non renuunt affirmare verum conju-
gium inter Deiparam , & Joſeph ; verùm pa-
lam fatentur , utrumque in maritalem uſum
conſenſiſſe . Sic Centuriatores -- Teſtatur
„ Lucas Mariam deſponſatam fuiſſe viro ,
„ quæ res nequaquam per jocum , aut ſimu-
„ late fieri potuit ... Evangeliſtæ certò affir-
„ mant Mariam Joſepho in conjugem fuiſſe
„ deſponſatam ; unde liquidò conſtat inter

„ utrumque Joſeph , & Mariam fuiſſe affe-
„ ctum , ut ſtatuto tempore , more aliorum
„ conjugum voluerit liberos , Deo dante
„ procreare ; alioquin & Evangeliſtæ talium
„ rerum teſtes certiſſimi , aliter fuiſſent lo-
„ cuti -- *Cent.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10.

P. Vaſquez *in* 3. *p. diſp.* 124. *cap.* 1. *n.* 6. affirmat S. Thomam velle Beatam Virginem in uſum conſenſiſſe maritalem , diſcriminari tamen a Centuriatoribus, quod hi negant Deiparam Virginitatis votum habuiſſe , quod Angelicus concedit prævie ad Annunciationem emiſſum, ſicut ante deſponſationem deſiderium virginitatis -- Senſit S. Thomas , *ſic*

Vaſquez ſententia de D. Thomæ ,

„ *ille* . B. Virginem Mariam deſiderium ha-
„ buiſſe Virginitatis , non tamen propoſitum,
„ aut votum antequam deſponſaretur Joſe-
„ pho ; eo quod putaret adhuc ex more , aut
„ lege illius populi neceſſarium eſſe dare
„ operam liberis , ac proinde potius haberet
„ propoſitum nubendi more aliarum fœmi-
„ narum . Differt tamen hæc opinio a ſen-
„ tentia Centuriatorum , quod illi exiſtima-
„ runt B. Mariam nondum habuiſſe votum ,
„ aut propoſitum Virginitatis , quouſque in
„ Matrem Dei , annunciante Angelo , electa
„ fuit , eo quod tunc cognoverit non operâ
„ viri , ſed Spiritus Sancti ſe concepturam ,
„ & ita propoſitum procreandi filios operâ
„ viri in propoſitum Virginitatis commuta-
„ verit . At S. Thomas id ſolùm aſſerit de
„ tempore ante deſponſationem cum Joſe-
„ pho , cum quo revera jam deſponſata erat ,
„ quando in Matrem Dei electa fuit -- Li-
cet autem Angelicus concedat in deſponſatione illud propoſitum mutaſſe , atque Virginitatis votum emiſiſſe , tamen cum aliquali hæſitatione videtur procedere ; votum ſiquidem non abſolutum , ſed conditionatum admittit 3. *p. q.* 28. *art.* 4. *ad* 1. -- Quia vide-
„ batur eſſe lege prohibitum non dare ope-
„ ram ad relinquendum ſemen ſuper terram ,
„ ideo non ſimpliciter Virginitatem vovit
„ Dei Genitrix , ſed ſub conditione : ſi Deo
„ placeret : poſtquam autem ei innotuit hoc
„ eſſe Deo acceptum , abſolute vovit , ante-
„ quam ab Angelo annunciaretur -- Plerique
Recentiorum hac ſuper re carpere non verentur S. Thomam ; noſtrum eſt Deiparæ Virginitatem cum ejuſdem conjugio componere , atque a contumeliis Acatholicorum defendere ; quoad Angelicum illud indubium videtur ipſum abſolute non propugnaſſe ſententiam affirmantem veterem legem prohibere Virginitatem , atque obligare ad matrimonium ; ſiquidem -- illa verba *Videbatur*
„ *eſſe lege prohibitum* non ſignificant præce-
„ ptum , quod revera eſſet in lege , ſed quod
„ adeſſe cenſeretur ex communiori obſervan-
„ tium prædictam legem modo , & proceſſu .
„ Communiter enim multiſaciebant relin-
„ quere filios , itant Vulgares ſterilitatem
„ velut quandam maledictionem reputa-
„ rent -- Sic apte PP. Salm. *de Statu Religioſo Tract.* 20. *diſp.* 3. *dub.* 2. *n.* 28. , idemque laudabiliter a nonnullis ſervatam Virginitatem in lege veteri ſuperiùs pluribus probavimus . Quid autem de illo voto conditionato quidam Thomiſtæ ſenſerint , dabimus infra .

Nullimode tamen indulgendum eſt ,
A quod D. Thomæ nota inuratur ipſum cum Sectariis ſenſiſſe Mariam expreſſe conſenſiſſe in uſum thori . Nuſquam enim hoc dixit Angelicus . Habet quidem 4. *Sent. Diſt.* 30. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *in corpore* --
„ B. Virgo vovit Virginitatem tanquam
„ optimum , & ſibi accepriſſimum , non ta-
„ men ſimpliciter , ſed ſub conditione ho-
„ neſtiſſima , hac ſcilicet : niſi Deus aliter
„ ordinaret ; nec iſtam conditionem appo-
„ ſuit , ut dubitaret , an vellet Virgo per-
„ manere , ſed an deberet ; & hoc eſt , quod
„ Auguſtinus in littera dicit , quod propo-
„ ſuit ſe perſeveraturam Virginem , niſi Deus
B „ aliter ordinaret -- *& ad* 1. habet -- Beata
„ Virgo fuit confinium veteris , & novæ le-
„ gis , ſicut aurora diei , & noctis , ideo
„ votum ejus ſapuit novam legem , in quan-
„ tum Virginitatem vovit , & veterem , in
„ quantum conditionem appoſuit -- 3. *p. q.* 29.
art. 2. -- Sic igitur dicendum , quod quan-
„ tum ad primam perfectionem omnino ve-
„ rum fuit matrimonium Virginis Matris
„ Dei , & Joſeph , quia uterque conſenſit in
„ copulam conjugalem , non autem expreſſe
„ in copulam carnalem , ſed ſub conditione ,
„ ſi Deo placeret -- Conſtans eſt ſibi Ange-
licus in eo , quod Virgo illam appoſuerit
C conditionem , niſi Deus aliter diſponat . Quæ conditio negat abſolutum conſenſum in uſum thori , & contrarium firmat aſſenſum .

Nunc ad Argumentum . Circa primum , quod ibidem aſſeritur , videlicet , matrimoniali contractui eſſentialem fore conſenſum in cohabitationem thori , plura occurrerent dicenda ex Tractatu de Matrimonio ; cum verò plurimæ , atque inter ſe contrariæ Doctorum ſententiæ habeantur , ne longiùs a ſcopo habeamus , ea tantummodo referam , quæ ad diſſolvendam difficultatem neceſſaria videntur , quæque communiùs adoptantur , atque certa cenſentur .

D Notandum igitur I. eſt , quod in matrimoniali contractu tria poſſunt conſiderari : conſenſus nempe in maritalem uſum , conſenſus in formalem obligationem uſus ejuſdem , conſenſus demum in radicalem obligationem : conſenſus in uſum maritalem quid ſit , per ipſos innoteſcit terminos , conſenſus in formalem obligationem non alius eſt , quam conſenſus in ipſummet contractum ut formaliter inducentem obligationem , ſeu in contractum cum advertentia , & reflexione , quod obligationem maritalis uſus inducit ; conſenſus denique in radicalem obligationem eſt libera electio contractus , qui ſecundùm
E ſe eſt obligativus , ſed abſque expreſſa obligationis reflexione . Simile habemus in intentione ad conficienda Sacramenta , quæ tripliciter conſiderari valet , nempe intentio producendi ſanctitatem , conficiendi Sacramentum formaliter ut ſanctificativum , faciendi demum illud artefactum , quod ſanctificativum eſt ; & S. Auguſtinus omnes Donatiſtarum fallacias adverſus Sacramenta diſſolvit diſtinguendo in Sacramento effectum ejuſdem , rem Sacramenti , & eſſentiam .

Conſenſus pro conjugio explicatur .

Notandum II. Conſenſus in uſum thori nullimode eſt neceſſarius ad ſubſtantiam con-

tra-

tractus conjugalis; & meritò ſane: ſiquidem ex Eccleſiæ definitione actualis thori cohabitatio non ſpectat ad connubii eſſentiam, ſicut actualis effectus non eſt de eſſentia cauſæ, & uſus rei non conſtituit eſſentiam dominii; ea propter dubio-procul verum eſt matrimonium ad mortem uſque indiſſolubile, ſi alter ex conjugibus ab inſtanti contractus initi infirmâ adeo evaderet valetudine, ut prorſus impotens haberetur; ſicut verum eſt conjugium inter eos, quorum unus efficaci voluntate ſtatuit Religionem ingredi, atque ob hoc a maritali abſtinet commercio, non minus ac Dominus veſtis ille cenſetur, qui eam emit, paratus tamen eâ nuſquam uti.

B Indubium mihi itidem videtur haud neceſſe fore ad ſubſtantiam conjugii, quod adſit conſenſus in formalem obligationem; obligatio namque ad uſum thori non eſt matrimonii eſſentia, ſed quædam velut proprietas ab ipſa dimanans; ſicut obligatio educandi prolem, non niſi ejuſdem proprietas eſt. Porro ut aliquis contractus ſubſiſtat, non requiritur conſenſus in omnes illius proprietates; nec qui aliquam eſſentiam intendit, explicite omnem vult proprietatem. Doctrina in aperto eſt in Sacramentis, ad quorum valorem haud eſt neceſſaria intentio in rationem formalem ſanctificativam, aut in omnes proprietates, ut in productionem C characteris, aut ingreſſum in Dei Eccleſiam: hinc ut validum probatur Baptiſma a Lutherania, & Calvinianis collatum, qui gratiam negant, & characterem, & baptizatum filium Romanæ Eccleſiæ, quam ut Chriſti Eccleſiam non agnoſcunt. Sat igitur eſt conſenſus in contractum quoad eſſentialia, hoc eſt, in eo quod Sponſi ſibi mutuam, perpetuamque fidem ſpondeant abſque explicita conſideratione adeſſe obligationem thori ad petitionem partis.

Notandum III. Non ſunt impoſſibiles duæ hujuſcemodi obligationes, velle ſcilicet D matrimonium inire, & efficax habere propoſitum, immo votum nuſquam utendi cohabitatione thori, ſicut ſibi mutuò non adverſantur potentia ad uſum veſtis ob legitimum ejuſdem dominium, & actualis impotentia uſus per impedimentum, immo cum obligatione alteri tradendi illius uſum ratione debiti ex juſtitia commutativa, quâ alteri adſtringitur. Hujuſce doctrinæ ratio eſt; quia illæ duæ obligationes cenſentur velut duæ voluntates, quarum una rem vult in ſua potentia, & cauſa, altera verò non vult rem ipſam in ſe ipſa; quæ voluntates, cum diverſum formale objectum reſpiciant, non E implicant, ut videre eſt in voto Religionis, quod juxta Canonum ſanctiones cum matrimonio etiam conſummato ſubſiſtit, unde conjuge obeunte tenetur vovens illud implere; itidem ſtat verum conjugium eos inter, qui efficacem, & juratam habent voluntatem ingrediendi Religionem, ſicut & Baptiſma conſtituens regeneratum Romanæ Eccleſiæ filium, licet Miniſter hanc non habeat intentionem, ut palam fit in Baptiſmo a Calviniano collatu; ſufficit namque intentio faciendi Sacramentum ſecundùm Chriſti inſtitutionem.

Equidem compertum habeo diſcriminari Moraliſtas, dum excitatur dubium, num ſubſiſtat conjugium ſub expreſſa conditione contractum nuſquam utendi cohabitatione thori; negantibus quibuſdam, eo quod explicita conditio adverſetur fini matrimonii, quam contrarietatem non dignuſcunt in propoſito, atque interiori voto, propugnantibus aliis, nullum inſimul agnoſcentes diſcrimen inter votum interius conceptum, & conditionem in pactum deductam. Mihi pro certo habetur partem affirmantium ſubſiſtere, nec ulla occurrit difficultas valere matrimonium, ſi contrahentes, ut Parentibus morem gerant, ſeriò de præſenti nuberent, ſub explicita conditione nunquam maritaliter cohabitandi, ſed ingrediendi Religionem; & ratio ex definitis ab Eccleſia in aperto eſt. Etenim ſi eſſentia connubii non conſiſtit in actuali uſu, ſed in oblatione poteſtatis, ſeu in translatione dominii, etſi adſit pactum de non utendo dominio, non video cur ſubſtantialis contractus non ſubſiſtat.

His prælibatis ad explicationem majoris propoſitionis dico Heterodoxorum aſſertum inverecundum eſſe, graviterque Deiparæ injurioſum: etenim velle ipſam aliarum fœminarum more nupſiſſe, animumque paratum habere ad gignendos filios nil aliud plane eſt, quam a Dei Matre præcipuum Virginitatis decus, quod in interiori affectu conſiſtit, de medio tollere. Dixerat Chriſtus, qui mulierem concupiſcit, mœchum fore in corde ſuo, eaque propter qui in maritalem uſum conſentit, jam non amplius Virgo interius cenſendus eſt. Communiter a Patribus Virginitas Deiparæ aliâ cujuſcunque Virginis excellentior commendatur, adeoque ab Eccleſia meritò decantatur *Virgo Virginum*, & de ea ſcripſit S. Joannes Damaſc. *Orat. de Nativit.* -- Tu o Virgo Virginitatis feraciſ„ ſima planta. Per te enim Virginitatis pul„ chritudo latiſſime ſeſe diffudit -- & S. Ambroſius *de Inſtitutione Virginis cap.* 5. -- Egre„ gia igitur Maria, quæ ſignum ſacræ Vir„ ginitatis extulit, & intemeratæ integrita„ tis pium Chriſti vexillum extulit -- Porro hæc, & ſimilia cum animo filios gignendi compati nequaquam poſſunt; adinvenirentur namque aliæ Virgines Mariâ excellentiores; illæ nempe, quæ in licitam thori cohabitationem nuſquam conſenſerunt.

Prima Catholicorum ſententia ea eſt, quæ docet Deiparam in contractum conſenſiſſe, adeoque implicite in thorum, non autem explicite, quia conditionatum perpetuæ Virginitatis votum, ſeu propoſitum habebat, ſi Deo placeret. Quod ex vi contractus conſenſerit, aſſerit S. Thomas 4. *Sent. diſt.* 30. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. -- Copula „ carnalis cecidit implicite ſub conſenſu Bea„ tæ Virginis, ſicut actus implicite conti„ netur in potentia -- & *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 4. *in corp.* -- Bene dixerunt illi, qui „ dixerunt, quod conſentire in matrimo„ nium eſt conſentire in carnalem copulam „ implicite, non explicite; non enim debet „ intelligi, niſi ſicut implicite continetur effe„ ctus in ſua cauſa; quia poteſtas carnalis „ co-

„ copulæ , in quam conſentitur , eſt cauſa „ carnalis copulæ, ſicut poteſtas utendi re „ ſua , eſt cauſa uſus -- Porro implicitus hujuſcemodi conſenſus haud officit Virginitati etiam mentali ; non enim eſt conſenſus, qui pro objecto maritalem habeat uſum, ſed ſolummodo potentiam ad uſum , & fortius ſarta tecta eſt mentalis Virginitas , cum expreſſa adeſt voluntas ipſam conſervandi ; ſitque voto firmata ; ſiquidem tunc directe , expreſſe, & efficaciter eſt volita Virginitas , cum ergo in Deipara fuerit conditionatum Virginitatis votum , ut Thomiſtæ propugnant , incolumis omnino remanet Mariana Virginitas .

Cum voto conditionato componitur perfecta Virginitas.

Sententia altera primæ concinit, ſi implicitus ſpectetur conſenſus , diſcriminatur tamen quoad ſecundam partem ; contendit namque in actuali conjugali contractu exterius expreſſum fuiſſe votum abſolutum , quod prius nuncupaverat Virgo , atque in pactum deductum cum Sancto Joſeph . Inter Patronos hujuſce opinionis habetur Vaſquez 3. *p. diſp.* 125. *cap.* 7. *n.* 61. , *& ſeqq.* , ubi probat non eſſe contra ſubſtantiam connubii in expreſſum deducere pactum , nullimode petere , aut reddere debitum a conjugibus .

Quidam ſententiam hanc adoptantes male audiunt de voto conditionato , de quo prima ſententia , & quidem ob duplex momentum , & primò quia Marianæ Virginitati plurimum derogat ; ſub conditione namque in uſum maritalem conſenſiſſet . Etenim dicere : voveo caſtitatem, & abrenuncio uſui maritali, niſi aliter Deo placebit, quid aliud plane eſt , quam velle uſum conjugalem, ſi Deo placebit ; ſed hoc explicat voluntatem ad maritalem congreſſum terminantem, quæ ſane perfectæ Virginitati Deiparæ adverſatur, cum non fuiſſet Virgo mente ; habuiſſet enim pro objecto ſui actus uſum thori .

Secundò quia votum abſolutum perfectius eſt conditionato , magiſque meritorium ; ergo ſi Deipara conditionatum emiſit votum Virginitatis , hanc non habuit in gradu perfecto; quod Patribus refragatur ſummis laudibus ejuſdem puritatem commendantibus .

His tamen reſpondent , qui primam propugnant ſententiam , negando actum illum terminari ad maritalem uſum conditionate . Nam Deiparæ voluntas expreſſe , & efficaciter terminabat ad Virginitatem, hancque volebat , & quoad maritalem uſum ſe divino committebat judicio , atque arbitrio, ſicque per illam conditionem ſe Deo ſubdendo affectum dirigebat in propoſitum maritali commercio contrarium . Si quis enim filium haberet , quem ſpeciali proſequeretur dilectione , quemque vivum exoptaret , conſentiret tamen in illius necem, ſi Deus juſſerit, nemo ſane prudenter inferre poſſet ipſum in filii mortem conſentire ; nemo diceret voluntatem Patris terminare in filii obitum; & ratio in aperto eſt ; quia in hiſce caſibus appoſita conditio , niſi aliter Deo placeat, ſolummodo hominis voluntatem divinæ ſubjicit : ea propter conditionatum votum de Virginitate ſervanda, niſi Deus aliter diſponeret , non jam minuit , ſed perfectionem Marianæ Virginitatis auget; cum innuat A animum perfecte Deo ſubordinatum, quod plurimum commendabile eſt .

Ad ſecundum dicunt tunc votum conditionatum fore minus perfectum , quando appoſita conditio ex libero voventis arbitrio tantummodo dependet, cum aliàs libere vovere poſſet , ſecus autem cum appoſita fuit conditio , inſtante aliqua circumſtantia . Sit caſus. Si filius nondum pubertatis annos nactus quidquam ſub conditione voveret , ſi placebit Patri , equidem hujuſcemodi conditio votum non imperficit ; pro re nata Deiparæ votum ſub conditione non fuit ex libero ejuſdem arbitrio, ſed ex circumſtantiis, B quia in lege veteri præſtabilius erat conjugium virginitate ; unde compertum non erat Deiparæ , an Deo gratius foret matrimonium , quam virginitatis obſervantia . Prudenter itaque, atque laudabiliter Beata Virgo illam appoſuit conditionem .

Ceterum haud aſſentior in veteri lege ſupra Virginitatem præſtabilius fuiſſe conjugium , cum in ſuperioribus oppoſitum ſatis probatum fuerit ; erat quidem magis frequens matrimonialis contractus, ſed hoc excellentiam ſupra Virginalem ſtatum non comprobat . Aliàs ſi matrimoninum prævaluiſſet , minus laudabiliter Deipara Virginitatis C votum Deo nuncupaſſet , cum meliori bono adverſaretur. Ulterius, ſi Deiparæ non ſatis compertum erat , num Deo grata foret Virginitas , adeoque conditionaliter vovit , jam non potuit efficaciter ſe obligare , nec totaliter ſe in ea voluntate firmare , cum certò neſciret , quid Deo placeret , ſed ſolummodo potuit in unam magis , quam in alteram partem inclinare ; aliàs hujuſmodi agendi modus , cum dubietate videlicet , & timore , minus conveniens videtur ſummæ perfectioni Deiparæ .

Ad Sancti Spiritus inſpirationem confugiunt relatæ ſolutionis Patroni , qua excitata D fuit Deipara ad concipiendum votum virginitatis ; verùm non ei plene revelatum fuit Deum velle , ut eam perpetuo ſervaret. Hæc quippe manifeſtatio non erat ei debita, ut ſic paulatim in humilitate , atque perfecta ſubjectione inſtrueretur .

Attamen ſi ad Divini Spiritus inſpirationem confugiendum eſt , indubie melius ſentiunt, qui votum ponunt abſolutum , quia Deus revelavit voluntatis ſuæ beneplacitum circa perpetuam Deiparæ Virginitatem; opera ſiquidem Dei perfecta ſunt , & abſolute propoſitum efficax melius eſt conditionato . Exercitium autem humilitatis , atque ſubje- E ctionis ad Deum aliunde haberi poterat .

Communis itaque ſolutio argumenti ea eſt , Deiparam fuiſſe perfecte Virginem non tantùm corpore, ſed etiam mente ; ad eſſentiam ſiquidem conjugii ſat eſt radicalis ordo ad maritalem uſum , implicitus , & in cauſa , non autem requiritur ordo expreſſus , explicitus , ſeu formalis ; & cum illo ſtat actualis, & determinata voluntas in oppoſitum , ideſt , in Virginitatem , quam ſervaturam novit antequam deſponſaretur ; ſuperne quippe illuſtrata fuit a Domino Joſephum cœlibem perpetuò cum ea vitam ductu-

Deipara perfecta Virgo mente, & corpore.

ſtrum ; hinc Sacerdotes agnoſcentes Deiparam eſſe Deo ſacratam per votum , conſilio inito , virum quæſierunt , cui eam cuſtodiendam traderent . Unde Auguſtinus *lib. de Sancta Virginitate cap.* 4. ait -- Sed quia hoc „ Iſraelitarum mores adhuc recuſabant , de„ ſponſata eſt viro juſto , non violenter abla„ turo , ſed potius contra violentos cuſtodi„ turo -- Nyſſenus *Orat. de die Natali Domini* , de Sacerdotibus pro re noſtra habet -- „ Deliberantes igitur in hanc ſententiam di„ vinitùs convenerunt , ut eam connubii no„ mine cuipiam deſponderent , qui tamen „ ad cuſtodiam ejus dumtaxat eſſet idoneus ; „ ad hoc autem munus aptiſſimus inventus „ eſt Joſeph -- Metaphraſtes *de ortu , & dormitione Virginis* -- Conſilium cœperunt , quid„ nam ſacro illo corpori facientes , in Deum „ non peccarent ; eam enim legi naturæ „ ſubjicere , & eam dare in ſervitutem ei , „ qui eam duceret , abſurdiſſimum &c. -- Nicephorus Calixtus *lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap.* 7. -- Conſilium Sacerdotes agitarunt , quid de „ ea ſtatuerent , ne in ſacrum ejus corpus „ admittere quidquam videretur ſacrile„ gum -- Alia quoque dari poſſent monumenta , quibus compertum ſit Deiparam divinitùs inſtructam de ſua perpetua Virginitate ; ex quo habemus quomodo licite , ſtante Virginitatis voto , nupſerit ; cum enim certò noſſet ſe votum non violaturam , ut Deo obtemperaret , nuptias non refugit . Facta deſponſatione antequam Verbi Incarnatio annunciaretur , Deipara , & Joſeph mutuo conſenſu abſolutum perpetuæ Virginitatis votum Deo nuncupaverunt .

§. V.

SPECIALIS DISSOLVITUR OBJECTIO ADVERSUS PRÆCEDENTEM RESOLUTIONEM .

337 EQuidem fateor Catholicorum doctrinam propugnantem ad valorem conjugii abunde ſufficere conſenſum in contractum , ſartam tectamque facere Deiparæ Virginitatem , quatenus cum illo ſtat propoſitum efficax , abſolutumque votum expreſſe terminatum ad Virginitatem , quo poſito fuit vere Virgo non corpore tantum , ſed etiam mente , quod admittere renuunt Acatholici ; attamen non ſatis explicata videtur excellentia Deiparæ Virginitatis .

Siquidem Mariana Virginitas tantæ eſt excellentiæ , ut cujuſcunque alterius Virginis præcellat Virginitatem , ut ſatis innuunt Patres , & Eccleſia prædicat , ipſam Virginem Virginum , puriſſimam mente , & corpore , formam , omniumque Virginum exemplar nuncupando ; ſed ſtante vero conjugio cum ordine radicali , ſeu conſenſu in cauſa in maritalem uſum , hujuſmodi excellentia non ſalvatur ; ergo Deiparam inter , & Joſeph haud credendum eſt verum interceſſiſſe conjugium . Evincitur min. Virginitas illa excellentior eſt , quæ a ſuo contrario ſive in re , ſive affective elongatur ; ſicut eo major eſt animi puritas , quo magis a contrario , nempe impuritate , ſeu peccato diſtat ; ea propter purior ille eſt , qui venialibus inſimul , & mortalibus caret , quam ille , qui a ſolis lethalibus immunis eſt ; itidem corporalis caſtitas illa major cenſetur , atque perfectior , quæ magis removetur a corruptione per uſum virilem , ſeu quo minus de eo admiſcet ; unde major eſt vidualis , quam conjugalis continentia , cum Vidua tum a licito , tum ab illicito abſtinet congreſſu , maritalis autem a ſolo illicito , & Virginalis vincit maritalem , & vidualem continentiam ; quia omnem refugit congreſſum ; ſimiliter virginitas , ſeu mentalis caſtitas eo eſt perfectior , quo minus habet de affectu , & voluntate in contrarium ; hinc minus caſtitatem colere cenſetur , qui propoſitum habet ſe continendi ab illicito , ſecus a licito carnali commercio , quam qui voluntatem habet ab omnibus abſtinere .

Atqui Mariana Virginitas minus a ſuo elongatur contrario , quam virginitas quarundam fœminarum ; magis namque elongatur a contrario virginitatis , qui in virilem congreſſum nec formaliter , nec expreſſe , nec radicaliter , nec in debito conſentit , quam qui aliquo ex prædictis modis adſtrictus eſt ; ſed Deipara radicaliter , atque in cauſa conſenſit ; ergo Mariana Virginitas minus elongatur a contrario , quam aliquarum Virginum caſtimonia .

Res clareſcet exemplo ex D. Thoma mox referendo . Inquirit Angelicus , an B. Virginis puritas fuerit major præ ceteris ; & affirmative reſpondet ex adducto principio , nempe quod puritas eſt major , quo magis a ſuo contrario recedit ; Deipara magis recedit a peccato , ſcilicet ab originali , & actuali ; ergo . Erat tamen minor puritate Chriſti ; in Chriſto namque non ſolùm dabatur elongatio ab omni culpa , ſed in eo dabatur etiam carentia potentiæ ad peccandum , in Deipara autem hujuſmodi carentia deſideratur ; cumque carere peccato , inſimul & potentia peccandi majorem dicat elongationem a contrario puritatis , ideo Chriſti puritas præcellit Virginis puritatem ; ergo cum carere tum explicito , tum implicito , actuali , & radicali conſenſu in uſum conjugalem magis recedat a contrario Virginitatis , quam ſolummodo explicito , & actuali carere conſenſu , jam plane fit Marianam Virginitatem minorem eſſe Virginitate aliquarum fœminarum .

Mihi ſic arguenti reſponſum fuit . Si in Deipara deſponſata ſtare poteſt infinita averſio a contrario Virginitatis , ſtat in ea ſumma Virginitatis excellentia ; porro in Deipara dabatur infinita averſio a contrario Virginitatis ; quia infinito propemodum affectu abhorrebat a qualibet violationis ſpecie ; adeoque in ea dabatur ſumma excellentia Virginitatis ; ergo matrimonium nequaquam in ea Virginitatis perfectionem minuit .

Replicabam ex hoc non ſalvari excellentiam Marianæ Virginitatis ; nam quoties in ſubſtantiali conceptu Virginitatis non ſalvatur major elongatio a ſuo contrario , minuſque de eo admiſcetur , toties non ſalvatur ſum-

ſumma rel caecllenria , ut liquet ca allata doctrina inter arguendum; ſed cum averſione illa ſtabat in Deipara minor elongatio a contrario in ſubſtantiali Virginitatis conceptu; ſiquidem ſtabat conſenſus in contractum, quo conſenſu quarundam fœminarum Virginitas caret.

Et ſane ſi in Deipara admittatur infinita averſio expreſſa ab originali culpa, & concedatur in debito maculam originariam contraxiſſe, non diceretur ita immaculata, ſicut de facto aſſeritur, quia ſupponitur neque in debito eam contraxiſſe, non ob aliud, niſi quia contrahere originale peccatum in debito, minus elongatur a peccato ſubſtantiali ratione immaculatæ Conceptionis; quod debitum non tollit illa averſio actualis, explicita, & infinita.

Ordo inferior nunquam Superioris perfectionem attingit.

Idem exponitur ex D. Thomæ doctrina. Quotieſcunque aliquid in ſua eſſentia ad ordinem pertinet inferioris perfectionis, etſi in infinitum accreſcat, nuſquam æquare poterit perfectionem ordinis Superioris; unde quia linea eſt inferioris ordinis ad corpus, licet illa in infinitum creſcat, nunquam corporis perfectionem quamvis finitam attinget; ſicut ſi perfectio animalis irrationalis in infinitum creſceret, nunquam finitam animalis rationalis perfectionem coæquabit, & nuſquam dicetur brutum eſſe homine perfectius.

Nunc inſtauratur argumentum. Mariana Virginitas in ſua ſubſtantia pertinere videtur in aliquo genere ad lineam, & gradum inferiorem Virginitatis; nam licet in propoſito, & voto efficaciſſime tendentibus in oppoſitum violationis ſit abſolute in linea Virginitatis, in radice tamen ad lineam pertinet caſtitatis conjugalis: unde ſi per impoſſibile Sanctus Joſeph ad Virginem acceſſiſſet, peccaſſet contra Religionem ratione voti, ſecus fornicatione, nec juſtitiam violaſſet, e contra Virginitas v. g. S. Agnetis neque expreſſe, neque radicaliter, aut in debito ad conjugalem caſtitatem pertinebat, ſed numeris omnibus erat in linea Virginitatis, quæ eſt gradus illâ ſuperior. Et revera ſi daretur mulier infinitam habens averſionem ab uſu alieni viri, ſed tamen conſentiret in uſum proprii conjugis, & ex adverſo eſſet mulier, quæ finita averſione refugeret ab uſu proprii viri, quia nullum vult habere, ſed inſimul ab uſu alieni, quia ad nullum vult accedere, hæc dubio-procul, abſolute, & ſimpliciter magis caſta præ illâ cenſenda eſſet; haberet ſiquidem virgineam caſtitatem proprie dictam, altera verò ſolummodo conjugalem; pari ratione diſcurrendum videtur inter eas, una quarum in debito conſentiat, licet propoſito explicito ab uſu conjugali avertatur, altera verò nec in propoſito, nec in debito conſentiat.

Poſſet facili negotio expediri difficultas, ſi Hugonis de Sancto Victore adoptaretur ſententia; is *tom.* 3. *lib. de Maria Virginitate perpetua cap.* 1. docet cauſam præcipuam, finemque primarium matrimonialis contractus non fuiſſe prolis propagationem, ſed charitativam unionem, atque domeſticæ habitationis unitatem, quo ſenſu explicat verba Gen. 2., & Matth. 19. *Et adhærebit uxori ſuæ*, adhærentia videlicet domeſticæ cohabitationis, cui exinde adjunctum fuit officium generandi filios ad humani generis conſervationem, cui ſententiæ accedere videntur Veteres quidam, quibus arriſit opinio, affirmans pro ſtatu Innocentiæ diſſimili modo, ac nunc, nempe abſque mixtione ſexuum fuiſſe propagatum humanum genus, eo ſcilicet modo, quo multiplicari fuere Angeli per operationem divinæ virtutis. Hanc propugnabant ſententiam Nyſſenus *lib. de Homine cap.* 18., Damaſcenus *de Fide Orthodoxa lib.* 4. *cap.* 25., Euthimius *in Pſal.* 50., aliique, cum ergo etiam pro ſtatu Innocentiæ inſtitutum fuerit matrimonium, nec per hoc fuerit multiplicandum genus humanum, jam plane fit primarium conjugii finem haud eſſe procreationem; ea propter hæc velut quoddam accidentale, & acceſſorium cenſenda eſt, nihil ad matrimonii ſubſtantiam conducens; proindeque ſubſiſteret etiamſi quis radicalem conſenſum, & debitum in maritalem congreſſum poſitive, & expreſſe excluderet. Hoc modo contraxiſſe Deiparam aſſerere poſſemus; nam cum ex participio quodam gratiæ originalis habuerit ligatum fomitem, dicendum videtur matrimonium iniiſſe ſub perfectione ſtatus Innocentiæ, excludendo ex parte etiam contractus illud acceſſorium ex peccato dimanans, cum non niſi poſt peccatum finem hunc ſortitum ſit conjugium. Verùm cum hujuſmodi ſententia a Doctoribus non adoptetur; incongruum foret eidem fidere excellentiſſimam Deiparæ Virginitatem.

Ut argumenti vim eluderet alter, ſic diſcurrebat. Quoties contractus aliquis ordinatus eſt ad duos fines adæquatos, non complexive, & in ſolidum, poteſt contractus ille celebrari, & ſubſiſtere uno deficiente fine, etſi poſitive contrahens illum nolit, ſi ſemel finis alter adæquatus perſeveret; hoc innixi principio Scotiſtæ contendunt, Adamo non peccante, Verbum ex vi præſentis decreti aſſumpturum carnem; ſiquidem prædictum decretum duos adæquatos fines ad invicem ſeparabiles reſpicit; ſed matrimonialis contractus a Domino inſtitutus duos reſpicit fines adæquatos, nec complexive intentos; nam inſtitutus fuit ad ſignificandam Chriſti unionem cum Eccleſia, ut tradit Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. itidem ad finem procreationis; ergo uno ex his deficientibus, & altero ſtante fine habebitur ſubſtantialis matrimonialis contractus, ergo poterunt contrahentes ſe obligare per mutuam traditionem pro primo fine, ideſt, ut ſignificetur Chriſti unio cum Eccleſia, aliam excludendo obligationem, ſuique traditionem in ordine ad procreationem; ſicut ſtat conjugium inter fideles in eſſe contractus, excluſo vinculo, & perfectione in eſſe Sacramenti; cumque nupſerit Deipara, divino afflante numine, conſenſit in matrimonium, primum finem intendens, ſecus alterum; & ita nullo interveniente conſenſu in maritalem congreſſum verum datum fuit conjugium; ſicut verum habuit Baptiſma Beata Virgo, etiamſi originali non fuerit crimine fœdata, non ob aliud ſane, niſi quia ſacrum regenerationis

lava-

lavacrum duos habet effectus, delere videlicet originariam labem, & hominem ſignare medio indelebili charactere, cujus capax erat Deipara.

Verùm cum ſingularis ſit hujuſmodi reſponſio, & communis Doctorum ſententia ea ſit, quæ affirmat primarium, & eſſentialem conjugii finem eſſe propagationem, jam in aperto eſt non poſſe ſubſiſtere connubium abſque radicali conſenſu in uſum maritalem. Aliud eſt de ratione Sacramenti, ſine quo valere inter fideles matrimonialem contractum propugnant nonnulli, de quibus in præcedenti Tomo dictum eſt *Diſp. I. Controv. V.*, ratio ſiquidem Sacramenti advenit matrimonio, ſicut etiam ſignificatio unionis Chriſti ad Eccleſiam, quæ in conjugio requiritur, naturam contractus conjugalis præſupponit, ea propter nequit ſubſiſtere per reſpectum ad illam ſignificationem, excluſo ordine ad procreationem: Baptiſma autem originariam culpam non delevit, non quidem ex defectu virtutis, ſed ex incapacitate ſubjecti: rejicienda eſt ergo ſolutio.

Alia igitur promamus, ut præcellens Deiparæ Virginitas ſarta tecta habeatur. Et primò quidem. Docet S. Thomas 1. *Sent. diſt.* 44. *art.* 3. denominationem melioris abſolute deſumi non debere per ſolam comparationem ad unum; hæc quippe adæquatam, perfectamque denominationem tribuere non poteſt, ſed per comparationem ad omnes intrinſecos reſpectus. Porro excellentia Virginitatis intenditur tum per receſſum a contrario, tum per acceſſum ad proprium terminum, ſeu, ut ajunt, per receſſum a termino *a quo*, & acceſſum ad terminum *ad quem*. Quamvis ergo, ſi receſſus a contrario ſpectetur, mixtura aliqua ob radicalem conſenſum adeſſe videatur, quâ caret Virginitas, puta, S. Agnetis, ratione tamen intenſionis per acceſſum ad terminum *ad quem*, quam maxime excedit Deiparæ Virginitas; ſummo namque affectu, ſummaque appretiatione perfectionem Virginitatis proſecuta eſt. Sic S. Thomas eo loci *ad* 1. Hac de re occurrit exemplum: puritas Deiparæ per receſſum a ſuo contrario, ſeu a termino *a quo* fuit ita excellens, ut nil purius in creatura adinveniri poterat: etenim immunis fuit ab omni tum actuali, tum originali noxa, ex parte verò acceſſus ad terminum *ad quem* eſſe poterat excellentior, ſiquidem magis, magiſque ad Chriſti, Deique puritatem poterat accedere. Quare ſpectato ordine ad utrumque terminum Mariana Virginitas quacumque aliâ excellentior & jure, & meritò prædicari debet.

Perfectio rei ex diverſo reſpectu habetur.

Eſt & modus alter, qui rem noſtram dilucidare poteſt. Quæri ſolet, an Virginitati conveniat aureola, & in affirmativam ſententiam confluunt omnes. Inſtatur tamen, quod ſi hoc verum foret, ubi eſt perfectiſſima Virginitas, ibi potiſſimum haberetur aureola, & tamen licet Deipara Virginitate præcellat, caret tamen aureola, cum pugnam carnis non ſenſerit; cui aliqui reſpondent apud D. Thomam 4. *Sent. diſt.* 49. *quæſt.* 5. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 2. — Quod „ aureolam etiam ſub propria ratione aureo„ læ habet excellentiſſimam; quamvis enim „ pugnam non ſenſerit, pugnam tamen ali„ quam carnis habuit, ſed ex vehementia „ virtutis adeo habuit carnem ſubditam, „ quod hujuſmodi pugna ei inſenſibilis erat— quam doctrinam licet rejiciam, negemque cum Angelico omnem carnis pugnam in Deipara, nihilotamen minus ſic juvat argumentari. Ex eo etiam capite excellentior, nobiliorque præ aliis Virginibus competit Deiparæ aureola, quia ex vehementia virtutis facta eſt ei perfectiſſima carnis ſubjectio, ita non eſt imminuta Virginitatis perfectio ex conſenſu in conjugalem contractum, quia conſenſus ille ex vehementia virtutis ita ad virgineum decorem fuit elevatus, ut quaſi abſorptus videatur, ſicut ferrum candens non ferrum, ſed ignis eſſe videtur.

Eſt tertia demum ſolutio. Virginitas definitur a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* 152. *art.* 1. —Immunitas a concupiſcentiæ aduſtione, quæ „ eſſe videtur in conſummatione maxime „ delectationis corporalis, qualis eſt vene„ reorum delectatio — Materiale virginitatis eſt carnis integritas, formale autem, & completivum eſt propoſitum perpetuò abſtinendi a venereis; quia moralis virtus ex eo quod rationis eſt, completur. Porro in Deipara non obſtante illa radicali traditione fuit immunitas a concupiſcentiæ aduſtione eam longe ſuperexcedens, quæ in aliis fuit Virginibus, cum per excellens gratiæ donum fomitem ipſum ligatum habuerit, & quidem perfectiſſimo modo; unde ille implicitus ordo ad thori cohabitationem nullimode officere potuit ejuſdem virginitati.

Poteſt hoc idem explicari in ſententia propugnante Deum concurrere ad materiale peccati. Nam Deus concurrens ad materiale peccati infinitam dicit diſtantiam a formale peccati, licet utrumque infallibiliter connectatur; quia illa connexio ſub Dei cauſalitate non cadit. Divina cauſalitas illud attingit materialiter acceptum, non verò ut fundamentum formalis malitiæ, & illud quidem attingit ex infinitate virtutis cauſativæ, infinitæque potentiæ; formale verò, ſicut & materiale fundamentaliter intellectum, non attingit ratione infinitæ ſanctitatis, & rectitudinis; ea propter influxus ille in materiale ſummam non impedit elongationem a formali, nec connexionem ſanctitatis, & rectitudinis infinitæ; ita cum proportione pro re nata diſcurere poſſumus: conſenſus matrimonialis, qui contractum perficit, mutuam corporum traditionem importat ad finem propagationis; hæc porro traditio conſiderari valet, ut formalem dicit obligationem uſus conjugalis; rurſus eadem traditio intelligi poteſt in perſona non habente votum, ſeu efficax continentiæ propoſitum, & in perſona hujuſmodi votum, atque propoſitum habente: nunc ſic: ut in ſuperioribus adnotavimus ad conjugii veritatem non eſt neceſſarius conſenſus in obligationem formalem uſus, ſed ſat eſt conſenſus in tradititionem, ſeu obligationem quaſi materialem; cum ergo Deipara moveretur a Spiritu Sancto ad conjugium, & perfectiſſimum Virginitatis votum haberet, non tradidit ſeipſam ſub reſpe-

ctu formalis obligationis, adeoque nullimode ejuſdem Virginitas imminuta eſt; ſed ſicut ſtat ſumma rectitudo in concurſu Dei ad materiale peccati, ita ſtetit ſumma excellentia Virginitatis Deiparæ in concurſu, & conſenſu in mutuam corporum traditionem.

308 Circa Deiparæ Virginitatem alter occurrit ſcrupulus, qui ex ſequenti diſcurſu exurgit. Deipara ante deſponſationem vel votum habuit ſolemne, vel ſimplex; ſi ſolemne; ergo verum non fuit contractum matrimonium; nam ſolemne votum conjugium ſubſequens habet dirimere; ſi ſimplex; ergo Deiparæ Virginitas haud excellentioris notæ cenſenda eſt ſupra quarundam Virginum caſtimoniam; plures namque ex ipſis eam ſolemniter Deo nuncupaverunt.

Ceterum qualecunque ſive ſimplex, ſive ſolemne votum admittatur in Deipara, ſemper & veritas conjugii, & excellentia Virginitatis ejuſdem ſalvatur; ſi dicamus fuiſſe ſolemne; adhuc verum interceſſit matrimonium; quia plures Doctores propugnant ſolemne votum jure tantummodo Eccleſiaſtico dirimere connubium; ſi dicamus ſimplex fuiſſe, adhuc excellentiſſima fuit Deiparæ Virginitas, cum per vota ſimplicia conſtitui quis poteſt in ſtatu perfectionis, in ſtatu nempe Religioſo. Deinde voti ſolemnitas non auget intrinſecam perfectionem, & excellentiam Virginitatis, ſed ordinatur ad perficiendum ſtatum. Hæc abunde ſufficiunt ad componendam veritatem conjugii Deiparam inter, & Sanctum Joſeph cum excellentia ejuſdem Virginitatis.

309 Inquirunt aliqui, num Deipara ab initio deſponſationis fuerit in domo Sponſi, aut in propria manſerit? Quæſtio facti eſt, nec ad dogma pertinet; unde utraque opinio fidei non adverſatur. Contendit Cajetanus 3. *p.* ab initio deſponſationis Joſeph cum Deipara commoratum fuiſſe, illo etiam tempore, quo fuit apud Cognatam Eliſabeth; etenim *Luc.* 1. legitur Beatam Virginem poſt Eliſabeth viſitationem reverſam in domum ſuam, non verò in domum Sponſi, ad quam non fuit traducta, niſi cum Joſeph ab Angelo audivit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Huic ſententiæ concinunt alii, ſi traductionis tempus ſpectetur, diſcriminantur tamen in eo quod volunt tempore viſitationis Sanctum Joſeph comitem non fuiſſe Deiparæ. Sunt, qui affirmant a die deſponſationis Deiparam fuiſſe in domo Sponſi; nam ut docet Chryſoſtomus *hom.* 4. *in cap.* 1. *Matth.* ad illa verba: *Joſeph fili David, noli timere accipere &c.* -- Quid autem eſt accipere? Domi „ profecto retinere -- quod iterum repetit *hom.* 5. ad illud: *Surgens autem Joſeph*. Theophilactus, Euthymius, aliique in hanc confluunt ſententiam. Si autem a prædicto tempore commorabatur cum Sponſo, B. Virgo in domo Joſeph Angelum annunciantem audivit; qua de re congruam tradit rationem Auctor *Operis Imperf. hom. in illud Matth. Cum eſſet deſponſata*, videlicet, cum datus fuerit Sponſus Virgini, ut honor Partus, Matriſque ſalvaretur, ſi conceptionis tempore, ac per conſequens Annunciationis non adfuiſſet in eadem domo cum Sponſo, virgineo honori non fuiſſet ſatis conſultum; partus ſiquidem ſuſpectus eſt, ubi conceptus ſuſpicione non caret. Porro ſi conceptio extra domum mariti habeatur, legitima nequaquam videri poteſt.

Nonnulli ex Patronis hujus ſententiæ aſſerunt S. Joſeph non aſcendiſſe cum Maria ad Eliſabeth; ſiquidem ſi unà cum ipſa fuiſſet, audiviſſet ſalutationem Eliſabeth benedicentis Deiparam, atque Dei Matrem enunciantis, unde admiratus non eſſet, quando Virginem fœcundam deprehendit.

Attamen ſi vera ſunt, quæ ſuperiùs ex Nyſſeno dedimus, datam videlicet fuiſſe Deiparam a Sacerdotibus Sancto Joſeph in cuſtodiam, nequaquam admitti debet ſolam dimiſiſſe conjugem, ſed cum illa perrexiſſe in Montana Judææ; ne dicamus exacte non adimpleviſſe Sacerdotale mandatum, aut ea, qua par erat, dilectione Sponſam non fuiſſe proſecutum; cum autem dicitur ipſam habentem in utero dimittere voluiſſe, id factum intelligunt, ex quo ſe indignum exiſtimabat converſandi cum Sponſa Dei Matre.

§. VI.

PROBATUR SECUNDO LICERE VOTUM CASTITATIS.

DEbitum erga Deiparam obſequium nos coegit paulò fuſiùs dilucidare Virginitatis votum, quo ipſa ſe Deo nuncupavit, atque ab Acatholicorum erroribus vindicare, ut inde catholicum dogma, videlicet perpetuæ caſtitatis votum fore licitum, Deo acceptum, proindeque meritorium comprobaretur vividius; quoniam verò alia non deficiunt ad eandem corroborandam veritatem momenta, operæ pretium erit illa proſequi, atque ad examen revocare.

310 Prob. ergo II. Votum perpetuæ caſtitatis eſt voluntaria lex, ſeu promiſſio, qua quis propter Deum adſtringitur ad abſtinendum quovis tempore a mulierum commercio, indeque ab omni re venerea; ſed hujuſmodi promiſſio tanquam excellens commendatur a Chriſto; ergo votum perpetuæ caſtitatis laudabile eſt, Deo acceptum, atque meritorium. Minor habetur Matth. 19. v. 12., ubi Chriſtus tria Eunuchorum genera diſtinxit, eorum nempe, qui tales ſunt naturæ vitio: *Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt* -- Et hoc, *ut inquit S. Thomas* „ *ibid. in Comment.* ex Dei Providentia, quia „ ſi omnia ſecundùm communem curſum „ naturæ acciderent, attribueretur totum „ naturæ, non divinæ Providentiæ; unde „ Sap. 8. ſigna, & monſtra ſcit, antequam „ fiant -- Secundò eos refert, qui hominum injuriam paſſi ſunt; tertiò verò, *qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum*. Porro ultronea eviratio quid aliud ſignat niſi voluntariam legem continentiæ, quam ſibi imponit homo? & ſicut violenta virilium exectio non tantum actualem innuit abſtinentiam, ſed habitualem importat impotentiam ob mem-

membrorum amputationem, ita voluntaria caſtratio moralem impotentiam ad oppoſitum

A

involvit, quæ ſane impotentia non eſt niſi ex quadam peculiari lege, atque voluntaria obligatione jurata, atque promiſſione firmata; dicit enim Chriſtus: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt*, non qui ab aliis; eaque propter non illa oritur ab aliqua univerſali, vel ab aliqua peculiari, ab extrinſeco tamen proveniente lege, ſed ab intrinſeca voluntate illius, qui propter regnum Cœlorum vult a venereis abſtinere.

Quod ut clariùs veritas dignoſcatur: Indubium eſt apud Rhetores, Philoſophos, atque Theologos, quod quoties ad conceptum aliquem innuendum adoptatur meta-

B

phora, vel parabola, toties neceſſe eſt ſimilitudinem verificari in præcipua ſignificatione metaphoræ, vel aſſumptæ parabolæ; aliàs perperam, & abs re aſſumeretur, immo potius confuſionem gigneret, quam dilucidaret veritatem. Hoc potiſſimum verificari debet in parabolis a Chriſto relatis ad myſterium aliquod enucleandum; ſed phyſica eviratio in præcipua, atque eſſentiali ſignificatione importat phyſicam impotentiam ad uſum venereum; ergo moralis, quæ in continentibus adinvenitur, moralem connotare debet impotentiam, quæ ab actu voluntatis propriæ dimanat.

Parabola, in quo debeant verificari.

C

Ex his corruit interpretatio Petri Martyris *lib. de Cœlibatu, & Votis*, ubi contendit non omnia fore attendenda in parabolis; nonnulla ſiquidem admiſcentur ad complementum narrationis, ut videre eſt in parabola de Villico iniquitatis, qui ex alienis bonis ſibi amicos conciliavit; non enim ibidem Chriſtus intendit docere, quod ex alienis eleemoſynas erogemus. Inſpiciendus itaque eſt præcipuus parabolæ ſcopus, qui impræſentiarum non eſt de continentiæ voto, ſed de utilitate, quæ oritur ex carentia conjugii, quatenus qui non nubunt, liberi ſunt a tot ſollicitudinibus, & moleſtiis, quæ ma-

D

trimonium comittantur. Reſpondit namque Chriſtus Apoſtolis, qui auditis matrimonii oneribus, indiſſolubilitate potiſſimùm perpetua, dixerunt: *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*; ad evitanda porro hujuſmodi incommoda non eſt neceſſe vovere caſtitatem.

Corruit inquam; nam in primis falsò venditat Chriſti verba parabolam referre, cum dubio-procul non niſi metaphora Eunuchorum, & evirationis habeatur; verum etſi parabola ibidem referatur, male ſupponit in parabolis a Chriſto aſſumptis quædam admiſceri ad complendam ſimpliciter narratio-

E

nem. Nihil enim myſterio caret, quod ex Villici parabola clare evincitur. Utique Chriſtus non intendit, quod ex alienis eleemoſynas diſtribuamus, ſed declarare vult, quod ſicut Villicus ille, ut ſibi conſuleret, ex bonis Domini ſui plurimos ſibi fecit amicos, ita nos ex bonis, quæ nobis largitus eſt Deus, quæque revera ipſius ſunt, licet gratis nobis collata, plures amicos in cœlis nobis conciliemus, ut cum amoti fuerimus a villicatione, ideſt a ſtatu viæ, recipiant nos in æterna tabernacula. Divitiæ dicuntur Mammona; illas nobis concedit Deus, ut bene utamur, cœleſtes amicos nobis comparando, ſive eas expendendo in Sanctorum obſequium, ſive in pauperum ſolatium, ut inde ipſos interceſſores habeamus apud Deum. Villicus contra jus. & Domini voluntatem bona illa diſtrahendo, Villicus iniquitatis nuncupatur, ut inde compertum fiat haud nobis licere uſum bonorum Dei, refragante ipſius voluntate, nempe in illicitis. Quid igitur clariùs ad dignoſcendum, tenendam eſſe ſimilitudinem in principali ſignificatione, atque in parabolis ſpectandam eſſe analogiam quoad ſenſum, & præcipuum earundem ſcopum. In caſu ſcopum præcipuum fore continentiam promiſſione firmatam liquet ex contextu; nam cum ex his, quæ Chriſtus explicaverat circa matrimonium, ejuſque onera, collegerint diſcipuli ſatius eſſe non nubere, ipſe reſponſionem approbavit, confirmans non expedire nubere, & quidem utiliùs reddendo ſe impotentem ad nuptias, quod Eunuchorum doctrinâ palam fecit. Et quidem apte reſpondit, quatenus explicuit bonum eſſe non nubere, modumque adjecit, quo meliori fructu, & utilitate poſſet eligi continentia; Chriſto namque ſolemne fuit non tantùm viam ſalutis edocere, ſed meliora promere. Quoniam verò continentiæ bonum a carnalibus ignoratur, ideo ſubdidit: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*. Omnis quippe caro ſuis illaqueata eſt concupiſcentiis.

Meritorium fore hujuſcemodi votum explicat ipſemet cœleſtis Magiſter, dum ait: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cœlorum*. Particula *propter* ſignificat cauſalitatem; ea propter ſpiritualia bona aſſignantur tanquam caſtimoniæ præmium, non autem temporalia hujus Seculi.

Quare male dicebat citatus Hæreticus verba illa *propter regnum Cœlorum* innuere continentiam deſervire ad expeditiorem Evangelii prædicationem; ſiquidem ſi id intendiſſet Chriſtus, ſermonem direxiſſet ad Apoſtolos, ad eoſque, quorum eſt Evangelium annunciare, ſecus indiſcriminatim locutus eſſet. Chriſtus autem ad alios doctrinam ſuam extendit. Dicit Salvator: *Non omnes capiunt verbum iſtud*. Locutio eſt indefinita: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt*. Propoſitio eſt abſoluta, nulloque certo Perſonarum generi alligata. Apte convenit, ſive Secularibus, ſive Eccleſiaſticis, ſive nobilibus, ſive plebeis, ſive Prædicatoribus, ſive aliis. *Qui poteſt capere, capiat*. Dictum hocce quemcunque eligere volentem ſtatum perfectionis reſpicit, & ſenſum reddit: omnis, qui hoc poteſt capere, capiat tanquam perfectiùs.

§. VII.

ACATHOLICORUM OBJECTIO ADVERSUS PRÆCEDENTEM DOCTRINAM DISSOLVITUR.

311 OBjiciunt igitur. Si Chriſtus docuit continentiam eſſe donum Dei, non tradidit doctrinam de dono perpetuæ caſtitatis; ſed hoc docuit Chriſtus; ergo nequaquam doctrinam tradidit, votum perpetuæ caſtitatis collaudantem. Major in aperto eſt, cum nullus poſſit prudenter vovere, quod non certò ſcit ſe poſſe ſolvere, quod vovet; aliàs temere ageret, atque ſe periculo peccandi exponeret; porro ſi perpetua continentia Dei donum eſſet, nemo unus certò ſciret illud habere, aut habiturum: eaque propter nullus, ſpectatis prudentiæ legibus, perpetuam vovere poſſet caſtitatem; ergo ſi Chriſtus docuit eſſe Dei donum, haud ei accenſere poſſumus doctrinam perpetuæ caſtitatis. Minor autem abunde innoteſcit ex eodem Matth. textu: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* His plane declaratur Dei donum, ſicut & Sapient. 8. v. 21. *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det,* & 1. ad Corinth. 7. v. 7. *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum, ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius verò ſic.* S. Hieronymus *lib. 1. adverſus Jovinianum cap. 7.* hunc locum verſans habet — Si quis autem conſiderat Virginem „ ſuam, ideſt carnem laſcivire, & ebullire „ in libidinem, nec refrænare ſe poteſt, du„ plexque ei incumbit neceſſitas aut nuben„ di, aut ruendi &c. — Quibus palam facit continentiæ donum non omnibus dari, nec omnes certò ſcire ſe illud habere. Hinc colligunt Novatores votum diſſolvere debere, qui jam caſtitatem perpetuò Deo nuncupavit; non enim ad id aſtringimur, quod noſtri juris non eſt. Doctrinam ſuam exemplo declarat Petrus Martyr: ſi quis voviſſet ſe perpetuò in hoſpitali miniſtraturum, ſi poſtmodum in morbum incidat, non tenetur ad votum; ergo pari ratione a voto continentiæ recedere debet, qui concupiſcentiæ morbo anxiatur; cumque unuſquiſque tentetur a concupiſcentia ſua, unuſquiſque votum debet reſcindere.

Argumentum hoc ſæpe numero repetunt Acatholici, atque refricant, exultantes tanquam victores captâ prædâ, perperam tamen; ſiquidem, ut alibi dictum eſt, non minus donum Dei eſt continentia, quam Fides, Spes, Charitas, quælibet itidem virtus, atque mandatorum obſervantia, legitur namque Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt.* Joann. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Ad Theſſal. 3. v. 2. *Non enim omnium eſt fides*; ſed hoc non obſtante poteſt quis proponere, & ſe obligare ad perpetuò ſervandam Fidem, Spem, Charitatemque, ſicut & reliqua Dei mandata; ergo poterit quilibet volens, & lubens ſeſe adſtringere ad continentiam, licet hæc ſit Dei donum: utrobique pro re nata urget paritas: ſicut enim nemo novit ſe habere donum perpetuæ fidei, cæterarumque virtutum, ita nemo ſcit indubie ſe continentiæ donum habere, & ſicut plerique caſtitatem voventes perpetuam lapſi ſunt, ita & plerique profitentes Fidem, Spem, Charitatem, atque Evangelica præcepta defecerunt.

Poſſumus adſtringi voto ad ſervanda, quæ ex Dei dono ſunt.

DICES. Fides, Spes, & Charitas ſunt de neceſſariis ad ſalutem, ſecus continentia: ea propter docent Patres explorandas fore vires eorum, qui vovere volunt, non verò illorum, qui Fidem volunt ſuſcipere: non ergo urget paritas.

Verùm abs re inſtant Adverſarii; ſiquidem vis tota argumenti in eo verſatur, quod continentia donum Dei eſt, quod nemo ſcit ſe illud habere, quod illud non omnibus datur, non autem in eo, quod ſit de neceſſariis: ſi ergo Fidem, quæ Dei donum eſt, quam nemo ſcit illam habere, quæque non omnibus largitur, promittere poſſumus, cur non idem affirmare valemus de continentia?

Robur acquirit reſponſio I. ex laudato Apoſtoli textu: *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: Unus quidem ſic, alius autem ſic.* Hoc loci ſermonem habet Apoſtolus de dono virginalis ſimul, & conjugalis continentiæ, & tamen qui nubunt, haud ſciunt ſe habere conjugalis continentiæ donum; nonnulli etiam labuntur, & tamen non criminantur tanquam audaces, ſeſe mœchandi periculo exponentes dum nubunt; itidem per Novatores non eſt unicuique neceſſe ad ſalutem matrimonium inire; hi namque, qui continentiâ donati ſunt a Deo, ſalvantur, & Adoleſcentes, qui ad certum tempus dilatas nuptias expectant, a ſalutis ſemita non aberrant, mulieres ſimiliter, aut viri, qui vel ob deformitatem, vel ob paupertatem a connubio arcentur.

II. Nemo inficias ibit divitias, earumque rectum uſum fore Dei donum, cum omnis recta rerum adminiſtratio in ordine ad ſalutem indubie ſit ea gratia Dei; unde poſtquam Chriſtus docuit arduum nimis divitibus æternam conſequi felicitatem, ſubdit, id quod non eſt hominibus poſſibile, divinam non effugere virtutem, apte innuens poſſe divites opibus recte uti, atque ſalvari; hoc tamen non officit, quin plerique divitiarum incumbant acquiſitioni, atque eiſdem in negotiationibus utantur, quamvis ignorent ſe habere donum iiſdem recte utendi, immo quamplures perierunt, qui alte ſtatuerant iiſdem bene uti, nec inde Acatholici divitias refugiunt, aut a ſe ſtudium eas congregandi abdicant; nec jam poſſeſſas dimittunt, cum avaritiæ morbo extimulantur, etſi certo ſcire non valeant donum habere eas bene adminiſtrandi; aliàs habere divitias non eſt de neceſſariis ad ſalutem, niſi dicere velimus pleroſque Chriſtifidelium a via veritatis ſine ſalutis ſpe aberrare: ſi ergo cuiquam fas eſt divitias quærere, etſi ignores ſe habere donum rectæ adminiſtrationis, cur liberum

non erit, licitumque velle ſe ad perpetuam caſtitatem voto obligare, etiamſi neſciat ſe Dei donum habere, aut habiturum?

In arduis conſulenda ſunt vires.

Nec momenti eſt Patres affirmare explorandas eſſe vires, priuſquam quis continentiæ votum emittat; etenim hujuſcemodi conditio generalis eſt, quam prudens quilibet ante electionem cujuſcumque operis, quod aliquam involvat difficultatem, & potiſſimum ſi agatur de aliquo ſpecialis vitæ genere amplectendo, debet præponere, immo & neceſſaria ad evitandam temeritatis notam; atque ad rectum efformandum dictamen prudentiæ: hinc docebat Chriſtus illum, qui vult turrim ædificare, debere apud ſe exquirere, an ſumptus habeat ad opus abſolvendum neceſſarios. Temere itaque nihil incohandum, adeoque ſi quis adultus ſacro velit generationis lavacro expurgari, ſeriò interrogatur, an firmiter velit in fide perſeverare, atque Evangelicam legem ſervare. Hoc quidem intercedit diſcrimen fidem inter, & continentiam, quod circa fidem ſi quis ſufficientem Evangelicæ doctrinæ habeat notitiam, ſine crimine nequit illam reſpuere, quoad continentiam verò etſi quis bonitatem, ejuſdemque utilitatem dignoſcat, vireſque habeat exploratas ad exactam illius obſervantiam, nihilotamen minus impune poteſt nubere; nam fides ad lineam præceptorum, continentia conſiliorum ſpectat.

III. Donum, quod eſt ſub poteſtate liberi arbitrii cooperantis divinæ gratiæ, experiri, atque eligi poteſt, ſicut etiam cadere ſub voto; ſed perpetua continentia hujuſmodi eſt; ergo. Major ultro ab Adverſariis conceditur, qui ideo renuunt admittere licitum eſſe continentiam vovere, quia ipſa non eſt in noſtra poteſtate, quo pacto non eſt in poteſtate liberi arbitrii hominis infirmi bene valere. Minor evincitur iiſdem Scripturæ momentis, quæ adverſus nos urgentur; & primò quidem Matth. 19. v. 11. dicitur: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*; ſed his innuitur donum poſitum ſub humani arbitrii libertate; quale enim ſit donum, explicat Eunuchorum exemplo, non quidem eorum, qui ex defectu naturæ, aut ex hominum injuria tales ſunt, ſed qui ſeipſos caſtraverunt divino cooperantes adjutorio; ſed quia non omnes ſic cooperantur; ea propter non omnes capiunt verbum iſtud; aliqui namque tantummodo actu volunt, & actu divinæ gratiæ cooperantur, ideo ſolummodo quibuſdam datur actu continere, ſicut quia non omnes Deo vocanti reſpondent, non omnes obediunt Evangelio; quare ſicut aliqui dicuntur non potuiſſe credere, quia noluerunt, ut egregie advertit Chryſoſtomus *hom. 67. in Joan.* -- Non potuerunt (*credere*) „ hoc eſt, noluerunt -- ita dicuntur aliqui non poſſe continere, quia nolunt. Præſtat audire S. Gregorium Nazianzenum *Orat. 31. in cap. 19. Matthæi* -- Cum audis, quibus „ datum eſt, adde datum eſſe iis, qui vo„ lunt, & aſſentiuntur -- En libertas; quod & S. Hieronymus explicat *in Commentariis ejuſdem loci* -- His datum eſt, qui petie„ runt, qui voluerunt, qui ut acciperent

A „ laboraverunt; omni enim petenti dabitur, „ & quærens inveniet, & pulſanti aperie„ tur --

De dono poſito in noſtra poteſtate loquitur etiam Chriſtus, dum ibidem ſubdidit: *Qui poteſt capere, capiat*. Exhortatur namque, ut quiſquis utatur poteſtate, quam habet, Domino adjuvante, ad abſtinendum a conjugio, atque ad ſe continendum ſpe regni Cœleſtis. Audiatur Chryſoſtomus *hom. 63. in Matth.* -- Qui poteſt capere capiat. „ Ita magis animat, atque incendit, vel „ quia magnitudinem virtutis oſtendit, vel „ quia inæſtimabili miſericordia ſuâ noluit „ rem in neceſſitatem legis concludere; & B „ ad hæc poſſibile id eſſe monſtrat, ut eli„ gendi cupiditas creſcere poſſit --

Textum *ex lib. Sapientiæ* non urget, ſiquidem ſermo ibi inſtituitur de dono, quod ſub adjutorio divinæ gratiæ in hominis poteſtate eſt; ſiquidem affirmat donum hujuſmodi, Dei auxilio, conſequi poſſe; contextus id clare innuit. *Et hoc ipſum erat Sapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: Adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis &c.* Auguſtinus, experientia teſte, id clare dilucidat *lib. 6. Confeſſ. cap. 11.* -- Amans beatam vitam time„ bam illam in ſede ſua, & ab ea fugiens, C „ quærebam eam. Putabam enim me miſe„ rum fore nimis, ſi fœminæ privarer am„ plexibus, & medicinam miſericordiæ tuæ „ ad eandem infirmitatem ſanandam non „ cogitabam, quia expertus non eram, & „ propriarum virium credebam eſſe conti„ nentiam. Quarum mihi non eram con„ ſcius, cùm tam ſtultus eſſem, ut neſci„ rem, ſicut ſcriptum eſt: neminem eſſe „ poſſe continentem, niſi tu dederis. Uti„ que dares, ſi gemitu interno pulſarem „ aures tuas, & fide ſolida in te jactarem „ curam meam -- Quid clarius ad explicandum donum hocce ſub noſtra, Deo adjuvan- D te, fore poteſtate?

Poteſtas ineſt nobis ad continentiam, Deo adjuvante.

Paulus ad Corinthios ſcribens laudato capite 7. aperte declarat donum, de quo loquitur, in noſtra fore poteſtate ſub Dei auxilio: etenim æque vocat donum nubere, ac ſe continere, ſicut donum aſſerit virginalem, & conjugalem caſtimoniam; porro donum nuptiarum, donum itidem conjugalis, & vidualis continentiæ e re noſtra eſt, adjuvante Domino; ergo ſimiliter donum virginalis puritatis. Tertullianus *lib. de Monogamia cap. 14.* habet -- Elige quod bonum eſt, ſi non „ potes, quia non vis: poſſe enim ſi velis, „ oſtendit, qui tuo arbitrio utrumque pro- E „ poſuit -- Nubere ſcilicet, vel ſe continere.

Alio Apoſtoli textu abutuntur Hæretici laudato capite v. 37. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare Virginem ſuam, bene facit.*

Ceterum hic clare innuitur donum continentiæ fore, adjuvante Deo, in poteſtate hominis: etenim vel pro Virgine intelligunt Acatholici propriam carnem, vel filiam, quam ſub patria poteſtate Parentes habent, & in utroque ſenſu exprimitur donum hocce eſſe

eſſe in hominum poteſtate : illa ſiquidem verba : *Statuens in corde ſuo* : *Poteſtatem habens ſuæ voluntatis* : *Judicavit in corde ſuo*, quid aliud declarant, quam libertatem, immo liberum ejuſdem exercitium. Additur *beneſacit* : porro opus laudabile ab arbitrio libere agente oritur ; ergo donum continentiæ ſervandi Virginem ſuam, ideſt propriam carnem immunem a carnali commercio eſt plane conſtitutum in humana poteſtate Dei auxilio adjuta.

Nec Apoſtolus dicens : *Non habens neceſſitatem*, Hæreticis fert ſuppetias, quaſi in idem redat, ac non habens carentiam doni continentiæ : nam vel illa non carentia doni continentiæ eſt in noſtra poteſtate, vel non ; ſi primum ; ergo etiam illius carentia noſtro ſubditur arbitrio ; quoties enim unum contradictionis extremum noſtri juris eſt, toties eſt & aliud, adeoque tam donum, quam non donum continentiæ in noſtra eſt libertate ; ſi verò illa non carentia doni noſtræ non ſubditur poteſtati, quo pacto verificari poteſt illud correlativum : *Poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis ? Judicavit in corde ſuo*, quod innuit deliberationem ? Ea propter ſi Virginis nomine propriam carnem intelligere velint Hæretici : *Non habens neceſſitatem* ad eam, quæ extrinſeca eſt, alludit, quatenus nullum occurrat momentum, ſeu circumſtantia cogens ad nuptias, puta quod nubere non teneatur ſive ex promiſſione obligante ex juſtitia, ſive ob comunune Reipublicæ bonum, ſive ex alia cauſa, quæ non rarò convenientius reddunt conjugium præ continentia.

Quoniam autem nomine Virginis non jam propria caro, ſed filia intelligitur, quæ ſub patria eſt poteſtate, verba illa : *Non habens neceſſitatem* extrinſeca excludunt impedimenta, quæ occurrere poſſunt, & urgere Patrem, ut filiam nuptui tradat, ut infamiam, ſervitutem, & hujuſmodi alia, quibus accenſendus eſt conſenſus, vel diſſenſus ipſius filiæ. Ceteroqui nubere, vel non nubere ita eſt juxta Apoſtolum ex his, quæ ſub initio ejuſdem Epiſtolæ ſcribit, ut nullus ſubſit dubitandi locus. In aperto itaque eſt per eaſdem Scripturas, quas adverſus continentiam urgent Novatores, abunde comprobari catholicam veritatem, evinci itidem continentiam eſſe quidem Dei donum, ſed in poteſtate liberi arbitrii ex viribus gratiæ ; unde quamplures continenter vivunt.

Quod ut clariùs fiat, tria diſtinguenda ſunt donorum genera, alia referuntur ad miracula, & ea ſunt, quæ ſpectant ad gratias, quas vocant, gratis datas, ut donum Prophetiæ, linguarum, diſcretionis ſpirituum &c., dependent alia a naturalibus neceſſariis cauſis, ut ſanitas, abundantia frugum, Prolis fœcunditas &c., alia demum conſiſtunt in actibus elicitis ad virtutes ſpectantes, ut Fides, Spes, Charitas, Pœnitentia &c., quæ vel a præſuppoſitis habitibus oriuntur, vel eoſdem inferunt : quæ primi generis ſunt, homo ſolummodo recipit, & Deus, cui vult, largitur : cum enim per ſe non perficiant habentem, ſed deſerviant tantum ad commune Eccleſiæ bonum, velut notæ, & ſigna teſtificantia veritatem, & ſanctitatem Evangelicæ legis, haud neceſſe eſt ea eſſe in libera cujuslibet poteſtate, ſed ſat eſt, quod ea quibuſdam Deus impertiatur. Dona ſecundi generis, cum ad naturam pertineant, & alia quæ naturæ ſunt, per ſe, & directe ſanctitati non ſerviant, immo vitio noſtro a ſpiritualium acquiſitione diſtrahant, non ſunt juris hominum, ſed Deus dividit aliquibus, prout vult. Quæ tertii generis ſunt, cum ad gratiam, ut vocant, gratum facientem referantur, quatenus vel diſponunt ad ſanctificationem, vel eandem augent, omnibus donat Deus quoad ſufficientiam, dando videlicet unicuique auxilia ſufficientia, ut ſi velit, uti poſſit ; quoad efficaciam autem alii habent quoad unam, alii quoad aliam virtutem. Continentia, utpote quæ de linea virtutum, in tertio genere enumeratur ; porro ut aliqua virtus licite, prudenterque Deo per votum valeat nuncupari, haud neceſſe eſt nos habere infallibilem certitudinem doni perſeverantiæ, cujus certitudinem ordinarie non concedit Deus, ut cum timore, & tremore ſalutem operemur, & ut in humilitate, & ſpe Deo ſerviamus.

Tria donorum genera.

Ex quibus enervatur paritas, quod votum de inſerviendis pauperibus non ſubſiſtat, ſi vovens in malam incidat valetudinem ; ſanitas namque nec eſt bonum per ſe ad ſalutem conducens, nec homini abſolute neceſſaria, nec peccat homo, ex quo infirmetur, ea propter votum non violat, ſi impotens efficiatur ad inſerviendum, quia non ipſe infirmam eligit valetudinem, ſed a cauſis involuntariis derivat, ſecus eſt de concupiſcentiæ morbo, quem nemo niſi volens patitur.

§. VIII.

ALIA SUBDUNTUR MOMENTA AD PRÆCEDENTEM EVERTENDAM OBJECTIONEM.

QUamvis, quæ præcedenti Paragrapho perpendimus, abunde ſufficiant ad diſſolvendam objectionem, cui potiſſimum fidunt Heterodoxi, nihilotamenminus, ut nullum prorſus ſuperſit effugium, operæ pretium erit nonnulla ſubdere.

312 Et primo quidem. Si Deus generatim ſuaſor eſt ad ſervandam continentiam, ejuſdem donum eſſe debet per vires gratiæ ſub hominum poteſtate, ne imple Deum imprudentem ſuaſorem dicamus ; atqui Deus generatim ſuaſor eſt ad continentiam : ergo hæc, viribus gratiæ, in noſtra eſt poteſtate. Minor habetur Eccleſ. 7. v. 26. *Filiæ tibi ſunt ? Serva corpus illarum*. Hic hortatur Scriptura Parentes, ut cœlibes ſervent filias ; propoſitio hujuſmodi plane univerſalis eſt, & indefinita, præcedenti correſpondens : *Filii tibi ſunt ? Erudi illos* ; quæ indubie ad omnes extenditur, nec eos tantummodo reſpicit, qui donum habent, ut erudiantur, proindeque & conſilium ſervanvi

Deus ſuaſor continentiæ.

vandi filias non ad eas ſolum refertur, quæ donum habent continentiæ, ea propter hoc donum eis accenſere debemus, quæ Dei adjutorio poſſumus conſequi.

Univerſalis ſimiliter eſt locutio D. Pauli 1. ad Corinth. 7. v. 25. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis*; ergo Spiritus Sanctus univerſaliter ad continentiam adhortatur: & ſane conſilium hucce tanquam de meliori bono datum eſt ut nuptiis oppoſitum, quæ quidem bonæ ſunt, ſed nequaquam caſtitate meliores; ſed doctrina de nuptiis ibidem tradita univerſalis eſt, atque indefinita, nec ad habentes nuptiarum donum coarctata; ergo pari ratione univerſalis, & indefinita eſſe debet doctrina de Virginitate, abſque limitatione ad habentes continentiæ donum; potiſſimum cum hujuſmodi conſilium taliter a Paulo tradatur, ut volens illud amplecti bene faciat, nolens verò non ſit criminandus: *Quod vult, faciat; non peccat, ſi nubat*: Igitur ſermonem habet de re prorſus libera, quam quis pro libito proſequi poteſt.

Mediis precibus continentiæ donum poteſt conſequi.

312 II. Donum illud noſtri juris eſt, quod mediis orationibus petendo conſequi poſſumus: ſed mediis orationibus continentiæ donum a Deo poſſumus impetrare. Nam a Deo impetrare poſſumus quidquid per ſe ad æternam felicitatem conducit; generaliter ſiquidem dicitur Joan. 14. v. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio*. Cap. 15. v. 16. *Ut quodcunque petieritis Patrem, det vobis*. Cap. 16. v. 23. *Amen, amen dico vobis; ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; & Epiſt. 1. ejuſdem cap. 5. v. 14. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos*, & Jacob. 1. v. 5. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei; poſtulet autem in fide nihil hæſitans*. His habemus univerſalem divinam promiſſionem nobis elargiendi; quidquid expetimus in nomine ejus, & ſecundum Dei voluntatem, quæ alia ſane non eſt, niſi ſanctificatio noſtra, ſicut vera Chriſtiani hominis ſapientia non eſt niſi ſtudium ſpiritualiter proficiendi. Monemur itidem petere cum fiducia, & abſque hæſitatione, immo cum fide divinæ promiſſionis, quæ fruſtrari nequit, ideoque ſæpe dicitur. *Dabit vobis*. In generali autem promiſſione ſingularis quælibet continetur. Minor autem luce clarior eſt, videlicet continentiam ſanctitati adſtipulari. Dicit namque Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. v. 34. *Et mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu*; Virgines Deo deſponſantur, ipſum ſequuntur, quocunque ierit. Audiatur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 4. -- Uſus carnalis copulæ retrahit animum, „ ne totaliter feratur in Dei ſervitium dupliciter, uno modo propter vehementiam „ delectationis, ex cujus frequenti experientia augetur concupiſcentia, ut etiam Philoſophus dicit *in* 3. *Ethic.*, & inde eſt, „ quod uſus venereorum retrahit animum ab „ illa perfecta intentione tendendi in Deum. „ Et hoc eſt, quod Auguſtinus dicit *in* 1. *Soliloquiorum*. Nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam „ blandimenta fœminæ, corporumque ille „ contactus, ſine quo uxor haberi non poteſt. „ Alio modo propter ſollicitudinem, quam „ ingerit homini de gubernatione uxoris, „ filiorum, & rerum temporalium, quæ ad „ eorum ſuſtentationem ſufficiant -- Abs re foret rem comprobare Patrum teſtimonio, cum nil frequentius in eorum operibus occurrat, quam commendatio caſtitatis: cum ergo hæc virtutibus jure, meritoque accenſeatur, dicendum eſt donum eſſe a Deo orationibus exquirendum, aſſequendumque divino adjutorio. Hinc Chryſoſtomus *in Comment. cap.* 19. *Matthæi* exponens illud *Non omnes capiunt verbum iſtud &c.* habet -- His „ datum eſt, qui ſponte id eligunt, quod „ ideo dixit, ut oſtenderet ſuperiore nobis „ auxilio eſſe opus, quod quidem omnibus „ paratum eſt, ſi volumus in hac lucta ſuperiores evadere -- Poſſumus ergo libere vovere continentiam; quod ſi pugna exoriatur, diſſolvendum nequaquam eſt votum, ſed divinum auxilium fiducialiter poſtulandum; unde Auguſtinus *in Pſal.* 131. ad illa verba: *Votum vovit Deo Jacob*, ſcripſit -- „ Ipſe David vovit tanquam in poteſtate habens, & rogat Deum, ut impleat, quod „ vovit; eſt devotio voventis, ſed eſt humilitas deprecantis; nemo præſumat viribus ſuis reddere, quod voverit; qui te „ hortatur, ut voveas, ipſe adjuvat, ut reddas --

Continentia ſanctitati deſervit.

Continentia ſpeciale præmium.

313 III. Donum, quod ſpeciale præmium demeretur eſſe debet per vires gratiæ ſub noſtra poteſtate; ſed continentia demeretur ſpeciale præmium; ergo. Major in aperto eſt, ſiquidem nullo donantur præmio, quæ in noſtra non ſunt libertate; ea propter donum miraculorum, linguarum, Prophetiæ nequaquam deſervit ad præmium conſequendum; minor quoque indubia eſt, atque ſæpe numero in hiſce Controverſiis tum Scripturæ, tum Patrum teſtimoniis comprobata; quare unum tantummodo teſtimonium, quod egregie verſat S. Auguſtinus, juvat repetere. Ex veteri Teſtamento occurrit celebris Iſaiæ textus cap. 56. v. 3., & ſeqq. *Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus; nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit*. His declaratur ſpeciale præmium, quod Deus continentibus elargitur, quodque innuit phraſibus illis *Nomen melius, nomen ſempiternum*. Nec ibidem ſermo eſt aut de temporaria retributione, aut de Eunuchis, qui ea hominum injuria tales ſunt; ſiquidem dabit Deus nomen melius, ſempiternumque in domo ſua, quæ alia ſane non eſt, quam æterna felicitas, aliàs Eunuchi involuntarii neque coram Deo, neque coram hominibus melius nomen habent, aut locum a filiis, & filiabus diſcretum.

Teatum

Digitized by Google

Textum dilucidat Auguſtinus *de Virginitate cap.* 24. , ubi mire Novatorum ſophiſmata diſſolvit , palam faciens ibidem ſermonem eſſe de voluntariis Eunuchis , & qui tales ſunt continentiâ , non jam de involuntariis , & ex neceſſitate , & quod præmium , quod ipſis promittitur , ſupernaturale eſt ; dein ultro concedens Adverſariis agi ibidem de Eunuchis corpore , adhuc probat continentiæ voluntariæ peculiare cœleſte præmium deberi , quod ex ipſomet Iſaiæ teſtimonio colligit -- Ita ne tantâ dementiâ quiſquam eſt contrarius veritati , ut in carne factos Eunuchos meliorem , quam conjugatos locum in domo Dei habere credat , & pio propoſito continentes , corpus uſque ad contemptas nuptias caſtigantes , ſeipſos non in corpore , ſed in ipſa concupiſcentiæ radice caſtrantes , cœleſtem , & Angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes , conjugatorum meritis pares eſſe contendat , ut Chriſto laudante eos , qui ſeipſos caſtraverunt , non propter hoc ſeculum , ſed propter regnum Cœlorum , Chriſtianus contradicat , affirmans hoc præſenti vitæ eſſe utile , non futuræ ? Quid aliud iſtis reſtat , niſi ut ipſum regnum Cœlorum ad hanc temporalem vitam , in qua nunc ſumus , aſſerant pertinere ? Cur enim non & in hanc inſaniam progrediatur cæca præſumptio ? Et quid hac aſſertione furioſius ? --

Cap. 25. -- Nec ſane Spiritus Sanctus tacuit , quod contra illos impudentiſſime , & dementiſſime pervicaces apertum , atque inconcuſſum valeret , eorumque belvinum impetum ab ovibus ſuis inexpugnabili munitione repelleret ; cum enim dixiſſet de Spadonibus : dabo eis in domo mea , & in muro meo locum nominatum , meliorem multò , quam filiorum , & filiarum , ne quis nimium carnalis exiſtimaret in his verbis aliquid temporale ſperandum , continuò ſubjecit : nomen æternum dabo eis , nec unquam deerit ; tanquam diceret , quid tergiverſaris impia cæcitas ? Quid tergiverſaris ? Quid ſerenitati veritatis nebulas tuæ perverſitatis offundis ? Quid in tanta Scripturarum luce tenebras unde inſidieris , inquiris ? Quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus Sanctis ? Nomen æternum dabo eis ; quid ab omni concubitu immunes , & eo quoque ipſo , quo hinc ſeſe abſtinent , ea quæ ſunt Domini , cogitantes quomodo placeant Domino , ad terrenam commoditatem referre conaris ? Nomen æternum dabo eis . . . . Et ſi forte hic ipſum æternum pro diuturno conaris accipere , addo , accumulo , inculco ; nec unquam deerit . Quid quæris amplius ? Quid dicis amplius ? Æternum nomen hoc , quidquid illud eſt , Spadonibus Dei , quod utique gloriam quandam propriam , excellentemque ſignificat , non erit commune cum multis , quamvis in eodem Regno , & in eadem domo conſtitutis ; nam ideo fortaſſis , & nomen dictum eſt , quod eos , quibus datur , diſtinguit a ceteris -- Invicte ſane , atque egregie .

§. IX.

PROBATUR TERTIO VOTUM PERPETUÆ CASTITATIS LICERE , ATQUE OBLIGARE .

314 AD comprobandam Catholicam veritatem de voto perpetuæ caſtitatis celebris eſt textus Apoſtoli 1. *ad Timoth.* 5., de quo ſuperius , ubi de diſtinctione præceptorum , & conſiliorum ; impræſentiarum eundem ſubdimus , ut a Novatorum cavillis vindicemus . Igitur niſi liceret , & teneret votum caſtitatis haud criminandus eſſet , qui illud infringeret ; ſed fractor voti caſtitatis tanquam culpæ reus criminatur ; ergo . Minor habetur laudato loco v. 11. *Adoleſcentiores autem Viduas devita ; cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto , nubere volunt , habentes damnationem , quia primam fidem irritam fecerunt .* Admonet hic Apoſtolus Timotheum, ſicut & ceteros Antiſtites , quomodo ſe gerere debeant in eligendis Viduis ad Eccleſiæ miniſterium , ut ſcilicet Juniores non aſſumant , quandoquidem poſtquam luxuriatæ ſunt in Chriſto , hoc eſt , poſtquam enutritæ fuerunt ex bonis Eccleſiæ , ſeu , ut alii volunt , poſtquam guſtaverunt ſpiritales delicias , quas Deus obſequentibus elargitur , ad nuptias tranſeunt in damnationem , quia datam fidem infringunt ; atqui violatio fidei , de qua Apoſtolus , nihil aliud eſt , quam violatio voti continentiæ ; ergo hujuſce voti violatio reum facit , quod ſane non contingeret , ſi votum illud non obligaret , adeoque liceret . *Violator voti reprehenſibilis .*

Declaratur ſubillata propoſitio . Fides , de qua Apoſtolus , haud eſſe quit , niſi vel fides Theologica in regenerationis lavacro promiſſa , vel nuptialis Marito data , vel promiſſoria Deo facta de non nubendo , aut pacta cum Eccleſia , quando ad miniſterium electæ fuerunt ; ſed qui contra fidem Theologicam peccat , non eam irritam facit , ſed perdit ; ſiquidem irritum reddere , quod promiſimus , in idem redit , ac non ſervare promiſſa , fides autem Theologica per incredulitatem amittitur ; ergo .

Nec quidquam evincit , ſi dicatur Viduas illas a fide Theologali defeciſſe , ex quo nubere non poterant , niſi declinando ad infideles ; ſiquidem nullimode neceſſe erat ad infidelitatem tranſire , ut quis ſecundò nuberet ; cum lex gratiæ nuſquam ſecundas nuptias prohibuerit , immo tanquam honeſtas commendaverit . Addas velim Apoſtolum in hiſce Viduis nuptias execrari , quia irritam fecerunt primam fidem ; ergo nuptiæ hujuſcemodi primæ fidei debent adverſari ; ſed nuptiæ non adverſantur fidei Theologicæ , ut in aperto eſt ; ergo de hac fide nullatenus ſermonem habet .

Nec dicas cum Luthero *de votis Monaſticis* Apoſtolum loqui de fide Theologali , quia Viduæ illæ per ſcortationem apud Chriſtianos evaderant infames ; nam Meretrices apud infideles perinde , ac apud fideles infamiæ notâ inurebantur , ſicut apud utroſque ſecun-

ſecundæ nuptiæ reprobatæ non erant; ergo declinando ad infidelitatem nequaquam infamiam evitabant, ſed addendo apoſtaſiam augebant; ergo infamia haud eas impellere poterat, ut a Chriſti fide recederent.

Nec valet Lutheri illatio, nempe Viduas illas receſſiſſe a fide Theologica, quia luxuriatæ ſunt in Chriſto, ideſt meretricatæ ſunt in contemptum Chriſti: nam dicuntur luxuriatæ non ob ſcortationem, ſed quia abunde enutritæ ex bonis Eccleſiæ, impinguatæ recalcitraverunt, nuptias meditando, ad eaſque declinando. Contextus rem probat; etenim eo loci intendit Apoſtolus Timotheum inſtruere, ut Eccleſiæ bona fideliter expendantur idoneos alendo Miniſtros: *Si quis fidelis habet Viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia, ut iis, quæ vere Viduæ ſunt, ſufficiat*, v. 16.

Perperam demum vult Lutherus Viduas a Chriſtiana fide defeciſſe, quia v. 15. dicitur: *Jam enim quædam converſæ ſunt retro Satanam*; ſiquidem quicunque graviter delinquit, ire poſt Satanam meritò aſſeritur; ipſe namque omnium peccatorum molitor eſt; Apoſtolus autem impræſentiarum ſermonem habet de peccato incontinentiæ, ideo v. 14. vult *juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratiâ. Jam enim quædam &c.* En cauſalia cur velit juniores nubere, ob periculum ſcilicet incontinentiæ; etenim jam aliquæ defecerant, abeuntes poſt Satanam, ideſt peccando, non quidem per apoſtaſiam a fide, ſed per incontinentiam.

Nec loquitur Apoſtolus de fide nuptiali primo viro data. Nam abſque injuria defuncti poteſt ſuperſtes ad ſecundas nuptias tranſire, dicente eodem Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. v. 9. *Quod ſi non ſe continent, nubant*; & ipſimet Hæretici nuptias hujuſmodi commendant, immo etſi meretricarentur, non ſunt injuriæ defuncto marito, ſiquidem incontinentia in Viduis non eſt proprie adulterium, quod directe fidei, atque conjugali debito opponitur.

Aliter textum explicat Calvinus, videlicet loqui Apoſtolum de fide promiſſionis factæ Eccleſiæ ſe continendi ad expeditiùs miniſterium ſuum exercendum -- Non edebant, *ſic Hæreticus*, in vetere inſtituto directum continentiæ votum, quaſi minus Deo placeret vita conjugalis, ſed tantùm quatenus exigebat functio, ad quam eligebantur hæ Viduæ, conjugii vinculo ſe in totam vitam ſolvendo --

Ceterum arbitraria prorſus eſt hujuſmodi expoſitio. Siquidem per Calvinum, alioſque ejuſdem furfuris homines, Sanctimoniales, & Clerici laudabiliter continentiæ vota Deo nuncupata ſolvunt, nuptias eligendo, ſi concupiſcentiæ ſtimulo vexentur; ſed minus adſtringit vinculum contractum per promiſſionem Eccleſiæ, quam Deo factam; ergo ſi Viduæ illæ laudabiliter fregiſſent illud vinculum ad nuptias tranſeundo, non potuiſſet Apoſtolus ipſas jure redarguere. Et ſane ſi juxta Hæreticorum canones non jam damnanda, ſed potius commendanda Sanctimonialis ſi nubat; ſi decus eſt Chriſtianæ libertatis, ſi Epiſcopus ducat uxorem; ſi nullâ notatur inconſtantiâ, ſi Clericus conjugium eligat, cur probroſum erit Viduis, etiam datâ fide miniſtrandi Eccleſiæ, ſi matrimonium ineant, cum aliàs Viduarum miniſterium longe inferius ſit ad dignitatem ſive Epiſcopalem, ſive Sacerdotalem, ſive Monachalem?

Porro quod pro re noſtra fortius urget, illud eſt, quod licitum cenſetur promittere Eccleſiæ continentiam ad expeditius ei miniſtrandum; ergo licitum erit Deo nuncupare continentiam ad expeditius ei ſerviendum; & ſi meritò Eccleſia a Viduis adminiſtraturis exigere poteſt promiſſionem continentiæ, eccur nequit juſte a Presbyteris, ſacris adminiſtraturis continentiam velle? Cur adeo adverſus Clericorum cœlibatum clamitant? Demum ſi turpe eſt Viduam recedere a fide continentiæ datâ Eccleſiæ Miniſtris, cur turpe non erit, ſi Presbyter, aut Monachus a fide Deo data recedat? Quare ergo tam inſolenter carpunt Monachorum vota?

In aperto igitur eſt loqui Paulum de fide promiſſionis Deo factæ ſervandi perpetuam caſtitatem, quæ in idem redit, ac votum, ita quod ejuſdem violatio gravem involvat noxam. Ubicunque enim Paulus aſſumit damnationis vocabulum, toties lethale crimen intelligit, ut videre eſt ad Rom. 3. v. 8. *Quorum damnatio juſta eſt*, & cap. 13. v. 2. *Qui autem reſiſtunt Dei ordinationi, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, ideoque dicitur quod abierunt poſt Satanam. Abeant igitur Novatores; nos meliora promere non dubitamus, Patrum teſtimonia referendo, quæ Pauli textum apte dilucidant.

Innocentius I. *Epiſt. 2. cap. 13.* poſtquam obligationem adimplendi vota, atque culpæ reatum, qui ex violatione conſequitur, explicuit, ſubdit -- Nam ſi Apoſtolus Paulus, „ quæ a propoſito Viduitatis diſceſſerant, „ dixit eas habere condemnationem, quia „ primam fidem irritam fecerunt, quantò „ magis Virgines, quæ pactionis ſuæ fidem „ minime ſervaverunt? -- Hic exprimit majus ſacrilegium in Virginibus, quia excellentior eſt Virginitatis oblatio.

Gelaſius *Epiſt. 5. ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos cap. 23. de Viduis* ſcribit -- „ Quæ ſi propria voluntate profeſſam priſtini „ conjugii caſtitatem mutabili mente calca„ verint, periculi earum intererit, quali „ Deum debeant ſatisfactione placare, quia „ juxta Apoſtolum primam fidem irritam „ fecerunt, ſicut enim ſi ſe forſitan conti„ nere non poterant, ſecundùm Apoſtolum „ nullatenus nubere vetabantur, ſic habita „ ſecum declaratione, promiſſam Deo pu„ dicitiæ fidem debent cuſtodire -- Quid clariùs ad explicandam rationem voti?

S. Epiphanius *hær.* 48. -- Juniores, in„ quit (*Apoſtolus*) Viduas rejice: poſtquam „ enim inordinate ſe geſſerunt contra Chri„ ſtum, nubere volunt, habentes judicium, „ quod primam fidem rejecerunt; quæ enim „ promiſerunt, & reprobaverunt, judicium „ habent, quæ verò non promiſerunt, ſed „ conjunctæ ſunt propter debilitatem, judi„ cium non habent --

S. Auguſtinus *lib. de bono Viduitatis cap.* 8. -- Proinde quæ ſe non continent, „ nubant, antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voveant; quod niſi reddant, jure damnantur -- *& Pſal.* 85. -- Quid ait Apoſtolus de quibuſdam, quæ voverunt, & non reddiderunt? Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quid eſt primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt --

S. Hieronymus *in cap.* 44. *Ezechielis* -- „ Denique & Nazaræi ſponte ſe offerunt, & quicunque aliquid voverit, & non impleverit, voti reus eſt, unde & Viduis dicitur: cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Melius eſt enim non promittere, quam promittere, & non facere --

S. Fulgentius *de Fide ad Petrum cap.* 3. -- Ceterum quiſquis ſeipſum caſtraverit propter regnum Cœlorum, & in corde ſuo continentiam Deo voverit, non ſolùm ſi mortifero fornicationis crimine maculetur, verùm etiam ſi aut vir uxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, ſecundùm Apoſtoli ſententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit -- Quid plura? Qui textum Pauli dilucidant, ad unum omnes in eandem confluunt ſententiam.

§. X.

ACATHOLICORUM ARGUMENTUM ADVERSUS PRÆCITATUM APOSTOLI TEXTUM DISSOLVITUR.

315 OBjiciunt igitur. Si Apoſtolus eo loci ſermonem habet de ſolis mulieribus ad conjugium ineptis, non ſatis evincitur univerſalis regula pro honeſtate voti continentiæ; atqui Apoſtolus eo loci agit de ſolis mulieribus ad conjugium ineptis; ergò. Minor, quæ ſola indiget probatione, ex contextu declaratur. Ibi improbat Apoſtolus Viduas illas, quod continentiæ promiſſionem fregerint, atque damnationem habuerunt, quia quod promittere non poterant, promiſerunt; illa enim promiſſio unice ſenioribus erat permiſſa, ea propter ibidem docet Paulus: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum*, ad profitendam nempe continentiam, ceterum junioribus expreſſe mandat, ut nubant: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare &c.*, & ratio eſt, quia conjugium illis neceſſarium eſt, qui carnis ſtimulum patiuntur, eodem Apoſtolo dicente 1. ad Corinth. 7. v. 2., & 9. *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat . . . Melius eſt enim nubere, quam uri*; cum autem nemo unus abſque revelatione dignoſcat ſe carnis moleſtias non habiturum, omnis ante frigidam ætatem vovens peccat, eodemque irretitur crimine ſuaſor. Sic impie ratiocinatur Calvinus, qui docet patienti carnis aduſtionem divino jure nuptias fore neceſſarias. Porro hujuſcemodi aduſtionis triplicem diſtinguit gradum; primus is eſt, cum tentatio ita hominem pulſat, ut ſecum trahat conſenſum; & hanc peſſimam vocat uſtionem; gradus alter ille eſt, cum tentatio hominem quidem vexat, ſed citiſſime repellitur; unde mens non perturbatur, nec interiora ſagittantur; & hæc non eſt proprie aduſtio; demum tertius gradus eſt, cum tentatio pulſat hominem, ſed plene quidem conſenſum non trahit, intus tamen figuntur ſagittæ, animus perturbatur, mens vexatur, atque ſentitur delectatio; & hæc vera eſt aduſtio, quam quis patiens ex rigoroſo præcepto tenetur nubere; hanc tradit doctrinam Calvinus *in Comment. cap. 7. ad Corinthios*. Eadem premit veſtigia Lutherus *in Epithalamio*, ubi, diverſis licet verbis, eoſdem gradus aduſtionis deſcribit, nomine ſcilicet tentationis levis, gravis, & diuturnæ, etſi nullus accedat conſenſus, & quamvis pro levi tentatione nullum fingat præceptum, pro gravi tamen, & diuturna agnoſcit obligationem juris divini ad nubendum. Graves, diuturnaique tentationes S. Hieronymum paſſum fuiſſe fatetur, ut colligit ex enarratione, quam ipſemet S. Doctor inſerit *Epiſt. 22. ad Euſtochium*, affirmans ipſum peccaſſe, quia nubere noluit, atque ad Pelagianiſmum defeciſſe, cum ſuis viribus illas carnis moleſtias devincere poſſe putaverit.

Verùm ut a putida calumnia egregium adeo Doctorem, ſanctitate celebrem vindicemus, ex Lutheri principiis ipſum redarguimus: Catholica Eccleſia primis quinque, vel ſex Chriſtianæ ſeculis habebat, ut Novatores ajunt, bonam faciem, ideſt a ſincera fidei morumque doctrina non declinaverat, eaque propter erat veritatis, & ſanctitatis magiſtra; ſed tunc temporis Hieronymum ut virum ſanctitate conſpicuum approbavit, atque tanquam exemplar fortiſſimi militis in Chriſtiana Paleſtra pugnantis adverſus carnis illecebras poſteris propoſuit imitandum, ut inde diſcerent vel Heterodoxi, & quæ in caſtris Chriſti ſint pugnæ, quæque arma, quibus pugnandum, quibus vincendum. Porro arma victoriæ noſtræ, ut ibidem docet S. Doctor Virginem Euſtochium erudiens, quibus adverſus carnis ſtimulos certandum eſt, ſunt fervens oratio, jejunia, vigiliæ, cilicia, aliaque id generis.

S. Hieronymus ab Hæreticorum calumniis vindicatur.

Quibus autem uſus ſit in ea, quam Lutherus vocat, uſtione, ipſe eo loci deſcribit -- O quoties ego ipſe in Eremo conſtitutus, „ & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum Monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibo verò, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit . . . . Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Jeſu ja-

„ cebam

„ cebam pedes, rigabam lacrymis, crine „ tergebam, & repugnantem carnem heb„ domadarum inediâ ſubjugabam. Non eru„ beſco confiteri infelicitatis meæ miſeriam, „ quin potius plango me non eſſe, quod „ fuerim. Memini me clamantem diem cre„ bro junxiſſe cum nocte, nec prius a pe„ ctoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret, „ Domino increpante, tranquillitas &c. — His armis, non autem nubendo hoſtem devicit, ac profligavit. Paſſus itaque fuit S. Hieronymus graves carnis tentationes, ſed Deo adjuvante, ad quem confugiebat, victor evaſit; unde non niſi malignando affirmat Hæreticus S. Doctorem ad Pelagianiſmum declinaſſe, cum Sole clariùs declaret Dominum precibus, & lacrymis exoraſſe, ut ipſum eriperet a laqueo inſidiantium.

Præſtat tamen ex Scripturarum teſtimonio Hæreticorum deliramenta palam facere. Apoſtolus Paulus, quibus carnis ſtimulis fuerit impetitus declarat ad Rom. 7. v. 19., & ſeqq. *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum . . . Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ . . . Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati*. 2. ad Corinth. 12. v. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Quem textum licet nonnulli ad eas, quas paſſus eſt perſecutiones, referant, communiùs tamen exponunt Patres de tentationibus carnis. Porro quid præſtitit in hac pugna Apoſtolus? Agnovit ne divinum præceptum nubendi urgere? Abſit omnino; immo Virgo omnem ad Virginitatem invitabat: *Volo omnes eſſe, ſicut ego*. Quibus uſus eſt mediis, ut vinceret? Oratione: *Propter hoc ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me*. 2. ad Corinth. 12. v. 8. Corporis caſtigatione: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Non igitur, ut de carne triumpharet, ad nuptias confugit, ſed ad orationem, ad jejunia, ad mortificationem &c.

Pugna Apoſtoli cum carnis tentatione.

Præſtat audire laudatum Hieronymum *cit. loco ad Euſtochium*, ubi Pauli teſtimonio neminem tutum ab hac pugna deſcribit, modumque tradit vincendi -- Si Apoſtolus vas „ electionis, & ſeparatus in Evangelium „ Chriſti, ob carnis aculeos, & incentiva „ vitiorum reprimit corpus ſuum, & ſervi„ tuti ſubjicit, ne aliis prædicatus ipſe re„ probus inveniatur, & tamen videt aliam „ legem in membris ſuis repugnantem legi „ mentis ſuæ, & captivum ſe in legem duci „ peccati, ſi poſt nuditatem, jejunia, fa„ mem, carcerem, flagella, ſupplicia, in „ ſemetipſum reverſus exclamat. Infelix ego „ homo, quis me liberabit de corpore mor„ tis hujus! tu te putas ſecuram eſſe de„ bere? -- Doctrinam hanc, ſicut & D. Hieronymi exemplum Eccleſia vel primis Seculis adoptavit, atque poſterioribus tradidit cuſtodiendam. Non enim temporum ſucceſſione naturam mutaverunt vitius, & veritas, cum Chriſtus heri, & hodie, & in perpetuum.

Verùm iterum ex Apoſtolo adverſus Novatores inſurgamus. Non minus damnat

A Apoſtolus carnis uſtionem quoad innuptos, quam quoad nuptos, quos vult in idipſum reverti, ne tentet eos Satanas; ſed nupti aliam non tenentur uxorem ducere, quando priori uti nequeunt; iiſdem ſiquidem mediis devincere poſſunt tentationem innupti, quibus nupti debent ſuperare. Demus militem ad longum tempus in caſtris procul ab uxore commorantem, Mercatores, Nautaſque ad plures annos a nuptiali thalamo abſentes, aut Uxorem infirmâ, ac pene perpetuâ laborantem infirmitate, in hiſce, ſimilibuſque caſibus, qui ſæpenumero occurrunt, graves, immo graviſſimæ inſurgunt tentationes, ſeu, ut ajunt Acatholici, aduſtiones: ſi ergo di-
B vinum inſtat præceptum nubendi, dum urget tentatio, tenebuntur iſti aliam ducere, ne urantur. Id adoptavit Lutherus cum Bucero, aliiſque, qui Philippo Landgravio Haſſiæ indulſit, ut aliud iniret conjugium, cum tentationibus vexatus cum priore Uxore contentus vivere nequiret -- Certis tamen „ caſibus, *ſic in conſultatione Lutheri, & „ aliorum ſuper Polygamia ad prædictum Land„ gravium*, locus eſt diſpenſationi. Si quis „ apud exteras nationes captivus ad curam „ corporis, & ſanitatem, inibi alteram uxo„ rem ſuperinduceret, vel ſi quis haberet „ leproſam: his caſibus alteram ducere cum
C „ conſilio ſui Paſtoris, non intentione no„ vam legem inducendi, ſed ſuæ neceſſitati „ conſulendi, hunc neſcimus, qua ratione „ damnare liceret -- Attamen quam abſurdum ſit in lege nova Polygamiam, ab exordio naſcentis Eccleſiæ damnatam, admittere, vel ipſi Novatores agnovere, eaque propter Landgravio injunxerunt, ut omnino ſecretò novas nuptias celebraret -- Judicamus id ſe„ cretò faciendum, ut ſuperiùs de diſpen„ ſatione dictum, nempe ut tantùm veſtræ „ Celſitudini, illi perſonæ, ac paucis per„ ſonis fidelibus conſtet Celſitudinis veſtræ „ animus, & conſcientia ſub ſigillo confeſ-
D „ ſionis -- Verùm cum hujuſmodi Pſeudotheologi aperte profiteantur, hoc omnibus non eſſe concedendum, nec ſecundæ nuptiæ inducendæ per modum legis, aliàs cum frequenter tales aduſtiones inſurgant, ab eiſdem ſciſcitamur, quodnam ipſi præſtant remedium pro nuptis? Ut Landgravium a propoſito retraherent, exclamant ibidem -- Quot „ alii in ſuo matrimonio debent patientiam „ exercere ad evitandum ſcandalum -- Si igitur patientia mire deſervit ad intentum, nos patientiam inſimul, & orationem, vigilias, & hujuſmodi innuptis præſtamus, tanquam opportuna remedia ad ſedandos pravos animi
E motus.

Inſtabunt tamen. Abſtinentia a ſecunda uxore a Deo præcepta eſt, adeoque ad ſalutem neceſſaria, ſecus abſtinentia a matrimonio; unde nuptis poſtulantibus divinum præſto eſt auxilium, ſecus Virginibus, & innuptis, quamvis enixe rogantibus.

Ceterum in idem ſemper redit argumentum. Si mulier deformis maritum quærat, nec inveniat, dum graviſſima aduſtione vexatur, quid debet peragere? Conſentiet ne tentationi? Nemo unus ex Catholicis hoc dicet. Rogabit ne Deum, ut gratiam

Orationibus vincenda tentationes carnis.

 con-

conferat ad reſiſtendum ? Utique . Et tamen in paupere non eſt imperata, aut ad ſalutem neceſſaria abſtinentia : ubi igitur abſtinentia ab Uxore non eſt præcepta , aut neceſſaria ad æternam conſequendam felicitatem , ſuffragium orationis eſt ſalutare remedium, atque a Deo præparatum , eaque propter ad uſtionem evitandam nequaquam nuptiæ præcipiuntur .

Rogabat Paulus Dominum, ut a carnis ſtimulo ipſum liberaret , cui reſpondit , ut legitur 2. ad Corinth. 12. v. 9. *Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur* . Tribulatis auxiliatur Deus , unde cuique precanti gratiam largitur , ne in peccatum labatur , licet quandoque velit ipſum tentari , quippe qui ad utilitatem exaudit , non jam ad votum petentis , tanquam bonus Medicus curans ad ſanitatem ægrotum , cui ea denegat , quæ ipſi perperam ſalubriora videntur .

Hæc diximus , ut Acatholicum retunderemus argumentum carnalis aduſtionis , quaſi quod Apoſtolus , dum dixit : *Melius eſt nubere , quam uri* , innuere voluerit , quod ſatius ſit connubium inire , quam tentari ; ceterum uri , de quo Apoſtolus, non eſt tentari , ſed tentationi cedere , eique conſenſum præbere , & eſt ſenſus , melius eſt nuptias celebrare, quam carnis ſuggeſtioni ſuccumbere ; quod ipſum nomen uſtionis indicat , ut apte advertit S. Thomas in hunc locum ; etenim tentari eſt incaleſcere , non aduri ; hinc Sap. 3. v. 5. , & ſeq. dicitur : *Quoniam Deus tentavit eos , & invenit illos dignos ſe . Tanquam aurum in fornace probavit illos* ; & 1. Petri 1. v. 6. , & ſeq. *In quo exultabitis , modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus : ut probatio veſtra fidei multò pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem &c.* Quibus locutionibus apte declaratur tentationem male nuncupari aduſtionem ; aurum ſiquidem , dum per ignem probatur , non aduritur , ſed incaleſcit . Aduri igitur eſt diſſolvi , conſummi , quod per conſenſum in tentationem habetur . Unde de concupiſcentia , cui ceditur , habetur Job 31. v. 12. *Ignis eſt uſque ad perditionem , & omnia eradicans germina* .

Nomen uſtionis quid ſignificet .

Obiter tamen juvat advertere , quod licet uri uſurpetur pro tentari , nihilominus ex recta Scripturarum intelligentia cogimur inferre tentatos contra caſtitatem non teneri ad nuptias contrahendas . Siquidem Scriptura palam affirmat dari tentationes ad probationem , unde Eccli. 2. v. 1. accedenti ad ſervitutem Dei dicitur : *Præpara animam tuam ad tentationem . . . quoniam igne probatur aurum , & argentum , homines verò receptibiles in camino humiliationis* . Porro probatio habetur , ex quo quis ſuſtineat . ibid. v. 2. *Deprime cor tuum , & ſuſtine* , non autem per hoc , quod quis cedat . Hinc aurum dicitur per ignem probari , quia non jam diſſolvitur, & comburitur ut palea , ſed vim ignis ſuſtinet ; unde qui tentatus contra caſtitatem nuberet , non diceretur ſuſtinere , ſed tentationi cedere , comburi , atque diſſolvi , licet per medium licitum : cum ergo tentatio a Deo ordinetur ad probationem , nullimode intelligi poteſt , quod nuptias celebrare præcipiat .

Verùm redeamus , unde receſſimus ; Paulum itaque accipere uſtionem pro conſenſu in tentationem palam fit ex ipſomet textu : *Quod ſi non ſe continent , nubant . Melius eſt enim nubere , quam uri* . Secunda propoſitionis pars cauſalis eſt primæ , proindeque uri in idem redit , ac non continere, & ſenſum facit : *Melius eſt nubere , quam non continere ; eaque propter qui non ſe continet , nubat* ; hujuſmodi intelligentia adeo clara eſt , ut a nemine nedum negari , ſed ne indubium quidem revocari poſſit .

Contextus itidem rem noſtram evincit . Laudato ſiquidem cap. 7. v. 1., & ſeq. legitur : *Bonum eſt homini mulierem non tangere ; propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat* . Propter fornicationem inquit, non propter tentationem . Prædicat bonum eſſe non nubere, verùm enim verò ubi quis fortiter non reſiſtit , ad evitandum fornicationis flagitium præcipit nubere . Videatur S. Thomas in hunc locum, qui rem hanc egregie dilucidat .

Idem comprobatur ex textu ejuſdem Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. v. 14. , & ſeq. , quem ſibi ſuppetias ferre credunt Acatholici. *Volo ergo juniores nubere , filios procreare , matres familias eſſe , nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia. Jam enim quædam converſæ ſunt retro Satanam* . Lapſus dat adverſario occaſionem maledicti, non verò tentatio ; propter lapſum convertitur homo retro Satanam , ſecus ob tentationem ; quare nullo Apoſtoli textu evincere poſſunt Novatores dari tentatis præceptum nubendi . Unde ſicuti primis rei Chriſtianæ Seculis Baſilidem , ejuſque Sectatores execrata eſt Eccleſia , quatenus , uſurpato Apoſtoli textu : *Melius eſt nubere , quam uri* , propugnabant , urgente tentatione nubendum eſſe , ita execrandi ſunt prædicti Novatores , qui proſcriptam exsuſcitantes hæreſim , ut fidei dogma venditare non erubeſcunt .

Ut autem omne Hæreticorum effugium præcludatur , funditusque evertatur eorum argumentum , ultro damus in laudatis Apoſtoli verbis contineri præceptum ; hoc tamen ad omnes non extenditur ; non eſt univerſale , ſed innuptos afficit , qui caſtitatis voto non ſunt obſtricti . Audiamus S. Ambroſium *ad Virginem lapſam cap.* 5. -- Dicit aliquis : melius eſt nubere , quam uri , hoc „ ad non pollicitam pertinet , ad nondum „ velatam . Ceterum quæ ſe ſpopondit Chri„ ſto , & ſanctum velamen accepit , jam „ nupſit , jam immortali juncta eſt viro . „ Etiamſi voluerit nubere communi lege con„ nubii , adulterium perpetrat , ancilla mor„ tis efficitur -- Ambroſio concinit Hieronymus *lib. 1. in Jovinianum* -- Si nupſerit Vir„ go non peccavit , non illa Virgo , quæ „ ſemet Dei cultui dedicavit ; harum enim „ ſi quæ nupſerit , habebit damnationem , „ quia primam fidem irritam fecit . Virgi„ nes enim, quæ poſt conſecrationem nupſe„ rint , non tam adulteræ ſunt , quam ince„ ſtæ -- Concinit Auguſtinus *lib. 1. de adulterinis conjugiis cap.* 15. -- Illis qui ſe non „ con-

„ continent, utique expedit nubere, & quod licet, expedit, quæ autem voverunt continentiam, nec licet, nec expedit -- Ejuſdem labii ſunt reliqui Patres ad laudatos Pauli textus.

Ex dictis compertum eſt, quam inconcuſſa ſit, etiam ſecundum Apoſtoli ſententiam Catholica veritas, quam propugnamus, de votis Monaſticis, atque causâ cadere Acatholicos adverſus continentiæ votum dogmatizantes.

§. XI.

ULTIMO PROBATUR CONCLUSIO EX CONCILIIS, ET PATRIBUS.

316 EX doctrina ſæpe numero ab Acatholicis adoptata, Catholica fides primis Eccleſiæ Seculis ſarta tecta erat, eaque propter ipſis ſolemne eſt nos ad ejuſdem primordia revocare; & ſane haud credibile eſt Deum permiſiſſe Eccleſiam ſuam in cunabulis perire; atqui tunc temporis Eccleſia ut laudabile ſuſcepit continentiæ votum, & adverſus perfractores inſurrexit; ergo licitum eſt caſtitatis votum. Minor propoſitio innumeris pene monumentis evinci poſſet, ſed pauca ſubdam; qui enim copioſiora exoptaret, adeat Jodocum Coccium *Tom. II. Theſauri Controverſiarum lib. 4. de Vita Monaſtica art. 4.*, ubi ordine ſeculorum diſtributos refert tum Græcos, tum Latinos Patres perpetuæ caſtitatis votum commendantes, atque affirmantes eo adſtrictos vinculo teneri quovis tempore continenter vivere.

Inter Concilia habemus Illiberitanum *Can.* 13. -- Virgines, quæ ſe Deo dedicaverunt, ſi pactum perdiderint Virginitatis, atque eidem libidini inſervierint, non intelligentes quid amiſerint, placuit ne in fine dandam eis eſſe communionem --

Carthaginenſe III. *Can.* 33. ſtatuit -- Ut Virgines ſacræ, cum parentibus, a quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint, Epiſcopi providentia, vel Presbyteri, ubi Epiſcopus abſens eſt, in Monaſterio Virginum, vel gravioribus fœminis commendentur, ut ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant, ne paſſim vagantes Eccleſiæ lædant æſtimationem --

Carthaginenſe IV. *Can.* 104. -- Si quæ Viduæ quantumlibet in minoribus adhuc annis poſitæ ſe devoverint Domino, & veſte laicali abjecta, ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ Religioſo habitu apparuerint: poſtea verò ad nuptias ſeculares tranſierint, ſecundùm Apoſtolum damnationem habebunt; quoniam fidem caſtitatis, quam Domino voverunt irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſine Chriſtianorum communione maneant, quæ etiam neque in convivio cum Chriſtianis communicent &c. --

Chalcedonenſe *Can.* 16. habet -- Virginem, quæ ſe Domino Deo dedicavit, ſimiliter & Monachos non licere matrimonio jungi. Sin autem hæc feciſſe inventi A fuerint, maneant excommunicati. Oſtendendæ tamen in eos humanitatis auctoritatem habere ſtatuimus Epiſcopum ejus loci -- & refertur *Can. Si qua Virgo 27. quæſt. 1.*

Turonicum an. 566. celebratum *Can.* 15. decernit -- Si qui in Monaſterio converſi ſunt, aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi, nec, quod abſit, ullus eorum conjugium ducere, aut extranearum fœminarum familiaritatem habere; nam ſicut ſupra dictum eſt, ſi uxorem duxerit, excommunicetur, & de uxoris male ſociatæ conſortio, etiam B Judicis auxilio ſeparetur; quod ſi Judex ad hoc ſolatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix Monachus tali conjunctione fœdatus, ſi per cujuſcunque patrocinium ſe conatus fuerit defenſare, & is, qui in hac pertinacitate perdurat, & illi, qui eum exceperint defenſandum, ab Eccleſiis ſegregentur, donec revertatur ad ſepta Monaſterii &c. --

Demum, aliis omiſſis, Toletanum IV. *Can.* 51. ſtatuit de Monachis Apoſtatis, & falſi nominis, ut ad Monaſterium revocati Pœnitentiæ ſubdantur, & *Can.* 53., & 54. Apoſtatas a Monaſtico inſtituto, nec non C Virgines, & Viduas Virginitatis, aut continentiæ votum violantes percellit anathemate, ſi ad pœnitentiam revocari non poſſint.

Ex his contra Novatores duo colligimus, primum eſt, quod in prioribus rei Chriſtianæ Seculis extitit diſciplina Deo nuncupandi caſtitatem ſive a fœminis, ſive a viris, proindeque impræſentiarum novum dogma, remque novam Catholici non prædicant. Alterum eſt, quod Eccleſia quovis tempore judicavit lethalis peccati reum voti caſtitatis violatorem; graviſſimis namque pœnis in delinquentes animadvertit; ea propter recte docent Catholici Monaſtica vota D eſſe ſervanda.

Nunc Patrum ſenſa breviter exquiramus. S. Ignatius Martyr *Epiſt. ad Tharſenſes* -- Eas quæ in Virginitate degunt, in pretio habete, velut Chriſti Sacerdotes: Viduas in pudicitia manentes, ut altare Dei -- Tertullianus *lib. 1. ad Uxorem cap. 3.* -- Prohiberi nuptias nuſquam omnino legimus, ut bonum ſcilicet. Quid tamen bono iſto melius ſit, accipimus ab Apoſtolo, permittente quidem nubere, ſed abſtinentiam præferente -- *lib. 5. contra Marcionem cap.* 15. -- Continentiam, & Virginitatem nuptiis antepono -- Pluribus rem proſequi- E tur *citato libro ad Uxorem*, & *lib. de velandis Virginibus*. Origenes *lib. 7. contra Celſum* -- Apud alios quoque, ut putantur, Deos Virgines exiguæ numero, ſive ab hominibus cuſtoditæ, ſive non, videntur perſeverare in caſtitate, Religionis gratiâ. Ceterum apud Chriſtianos non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas viget Virginitatis ſtudium, & quamprimum habuerunt Deum in notitia, conſervantur a Deo in hac mente laudabili, & pietatis officiis pleni omni bonitate, & juſtitia --

S. Atha-

S. Athanaſius *in Apologia ad Conſtantium Imp.*
-- Dei filius Dominus, & Servator noſter
„ Jeſus Chriſtus . . . inter cetera dona ſua
„ largitus eſt nobis in Virginitate exemplar
„ angelicæ ſanctitatis: certe puellas ex vir-
„ tute præditas, Sponſas Chriſti Eccleſia ap-
„ pellare ſolita eſt, quas Ethnici conſpectas
„ ut templum Verbi admiratione proſequun-
„ tur -- S. Baſilius *lib. de vera Virginitate* --
„ Magnum revera quiddam eſt, ac præcla-
„ rum Virginitas, quæ, ut totum ſimul ex-
„ plicem, hominem incorruptibili Deo ſimil-
„ limum facit -- & alibi ſæpe. Alii Patres
ejuſdem labii ſunt, ut videre eſt apud lauda-
tum Coccium; ea propter eos referre non
vacat, potiſſimum cum Magdeburgenſes in
ſuis Centuriis fateantur Patres primorum
Seculorum tradidiſſe quidem doctrinam Ec-
cleſiaſtici, & Monaſtici cœlibatus, erraſſe

Patres etiam per Hæreticos ſtant pro continentia.

tamen: *Cent. 2. Tit. de Virginitate* afferunt
auctoritatem S. Ignatii Martyris ex tribus
Epiſtolis excerptam; *Cent. 3. Tit. de Connubio* referunt Origenem, & Cyprianum; *Cent.
4. cap. 4. ſub Tit. de Conjugio* mentionem fa-
ciunt Auguſtini, & Chryſoſtomi; *Cent. 6.
cap. 4. p. 2. Tit. de Doctrina continente errorem
Doctorum hujus Seculi* adducunt S. Grego-
rium. Petrus Martyr *lib. de Cœlibatu, & Votis* non inficias it Patres in eam confluere
ſententiam, quam nos propugnamus circa
caſtitatis votum, ait enim -- Statim ab Apo-
„ ſtolorum temporibus nimium cœptum eſt
„ tribui cœlibatui, quibus autem de cauſis
„ id factum ſit, ſupra multis verbis docui-
„ mus -- Ultro itaque concedit priorum Se-
culorum Patres doctrinam cœlibatus adoptaſ-
ſe, verùm ſine momentoſa cauſa id feciſſe.
Quoniam verò cauſas, quas ipſe refert, nul-
lius roboris forſan agnovit, ad conſuetum
effugium convolat, videlicet Patrum judi-
cium fore humanum -- Quoad alterum atti-
„ net de judicio Patrum; quoniam adverſa-
„ rii noſtri & in hac cauſa, & in aliis Con-
„ troverſiis ſemper provocare ſolent ad eos,
„ pronuncio mihi non videri hominis eſſe
„ Chriſtiani ad hominum judicia provocare
„ a Scripturis Dei; hoc enim eſt injuriam
„ facere Spiritui Sancto: nam fides eſt ex
„ auditu, auditus autem ex verbo Dei, non
„ ex Patribus -- Hæc circa finem libri ſcri-
bit impius.

Data igitur pro re nata ſincera Nova-
torum confeſſione quoad mentem Patrum,
evincitur catholica veritas, & primò qui-
dem. Ad fidei dogma ſpectat doctrina, quæ
aſſerit votum continentiæ conducere ad ſalu-
tem, eſſe Evangelicum conſilium, obligare
ſemel emiſſum, adeoque ſervari poſſe; ſed
per ipſiſmet Acatholicos illis Seculis Eccleſia
recte ſentiebat in doctrina fidei, aliàs hanc,
quam propugnabant Patres, non eſt execrata,
ſed adoptavit, atque amplectendam Fideli-
bus tradidit; ergo Patres non erraverunt,
nec in hujuſmodi propugnanda doctrina, ali-
quod humani paſſi ſunt; niſi perperam dicere
velimus ab incunabulis Chriſtum dereliquiſſe
Eccleſiam, ipſomet reclamante: *Ecce ego vo-
biſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.*

Secundò. Blaſphemum eſt aſſerere Chri-
ſti, & Apoſtolorum doctrinam erroneam eſſe;
atqui, fatentibus Acatholicis, Sancti Patres,
quoad cœlibatum, Chriſti, & Apoſtolorum
doctrinam tradidere; ſic enim habet Petrus
Martyr, dum cauſas refert, quibus cœliba-
tus inductus eſt -- Cur tanto in pretio Vir-
„ ginitas fuerit, cauſa una eſſe poteſt, quod
„ Chriſtus dixerit eſſe Eunuchos, qui ſe ca-
„ ſtraverunt propter regnum Cœlorum, &
„ in eam ſententiam permulta habet Paulus
„ in 7. capite prioris ad Corinthios: hæc
„ ſane Patres ſemper habuerunt in ore, ſed
„ eos cogitare oportuit, quemadmodum
„ eſſent accipiendæ -- ergo, Patres ſi Chri-
ſti, & Apoſtolorum doctrinam de cœlibatu
tradiderunt, perperam dicitur ipſos erraſſe.

Patres Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam tradiderunt.

Dubio-procul Paulus, ſicut & ceteri Apo-
ſtoli optime intellexerunt, quomodo doctri-
na Chriſti de cœlibatu eſſet accipienda, ea-
que propter ob ſummam certitudinem veri-
tatis, quam Apoſtolus prædicabat, dicere
non dubitavit, quod ſi Angelus evangelizaſ-
ſet aliter ac Ipſe, non eſſet illi credendum;
ſed Paulus, aliique Apoſtoli Chriſti doctri-
nam de cœlibatu ſuis tradiderunt diſcipulis,
quibus accenſentur Patres, qui eam nobis
enunciarunt; ergo. Et ſane Apoſtolorum
munus fuiſſet diſcipulorum doctrinam emen-
dare, ſi male illam percepiſſent; hoc porro
factum non legimus quoad doctrinam de
cœlibatu, adeoque & jure, & meritò ut
vera adoptanda eſt.

Tertiò. Illud judicium juxta Novatores
humanum eſt, quod non eſt ex Verbo Dei;
ſed Patrum judicium de cœlibatu eſt ex Dei
verbo; ergo non eſt dicendum fore huma-
num ad mentem Acatholicorum. Minor in
aperto eſt; ſiquidem Patrum doctrina unice
in Scripturis fundatur, puta Pſal. 75. v. 12.
Vovete, & reddite Domino: Eccl 5. v. 3. *Si
quid vovisti Deo, ne moreris reddere*: Matth.
19. v. 11. *Non omnes capiunt verbum iſtud.
Sunt Eunuchi &c.* 1. ad Corint. 7. v. 8. *Dico
non nuptis, & viduis, melius eſt illis, ſi ſic
permanſerint*. His, & ſimilibus Scripturis
utuntur Patres ad intentum: non ergo do-
ctrina de cœlibatu eſt ex puro humano judi-
cio, ſed ex verbo Dei, quod nobis explicant,
ejuſque rectam nobis tradunt intelligentiam.
Quod ſi explicatio tollit verbum Dei, nuſ-
quam, & nullibi habebitur; cum Scriptura
ſemper populis enucletur. Porro nulla cer-
tior, & ſecurior explicatio, quam illa,
in quam Patres unanimiter conveniunt.

Quartò. Ideo ſenſa Patrum hac ſuper
re non ſunt adoptanda, quia juſta non oc-
currebat cauſa tradendi doctrinam de cœli-
batu; etenim ait Petrus Martyr -- Altera
„ cauſa eſt, quod illo tempore graves erant
„ perſecutiones omnibus in locis, minus au-
„ tem moleſtum eſt in perſecutione, ſi quis
„ ſolus fugiat, quam ſi cogatur ſollicitus eſſe
„ de uxore, & liberis. Tertia cauſa eſt,
„ quia illis temporibus Chriſtiana Religio
„ gravi laborabat infamia; cum enim horis
„ antelucanis, & in tenebris, metu Princi-
„ pum, ad hymnos, & Synaxes conveni-
„ rent, populus cœpit ſuſpicari illos uti in-
„ ter ſe promiſcuo concubitu, & nefaria
„ libidine &c. -- & ideo ad tam improbam
amovendam ſuſpicionem, Virginitatem co-
lebant,

lebant, atque commendabant; ſed falſum eſt Patres caſtitatem commendantes talia reſpexiſſe momenta. Nullus enim ex Patribus quid tale retulit, immo ſinguli Scripturas referunt, quibus pulchritudinem, meritum, atque continentiæ premium declarant, ad ejuſque amorem adhortantur. Hujuſmodi porro momenta a motivis perſecutionum, & infamiæ protſus aliena ſunt. Immo, redditâ Eccleſiæ pace, pene in immenſum crevit Virginitatis ſtudium; unde meritò dicendum eſt prædictas cauſas ab Hæretico mere confictas ad eludendam vim argumenti.

Quartam cauſam affert Petrus Martyr, cur primis Eccleſiæ Seculis tanto apud omnes in pretiu fuerit Virginitas, plurimumque a Patribus commendata -- Quia bona pars eo„ rum, qui acceſſerunt ad Chriſtum, erat „ Ethnicorum. At illi maxime ſemper ſu„ ſpiciebant Virginitatem, & Cœlibatum -- Verùm laborat in ſuppoſito male feriatus Hæreticus. Quomodo apud Ethnicos tantu in pretio Virginitas, qui in Deorum numerum impudicos referre non dubitabant? Nec Gentes ad fidem converſæ primò potuerunt caſtitatem colere, cum Evangelium prius Judæis, dein Gentibus fuerit enunciatum, & Apoſtoli, qui in lege gratiæ poſt Chriſtum, & Deiparam Virginitatem coluere, non ex Gentibus, ſed ex Judæis parentibus fuerunt progeniti? Afferunt quidem Patres Ethnicorum teſtimonia in commendationem Virginitatis, ut inde faciliorem ſternerent viam ad ipſam, cum palam fieret non adverſari, ſed naturæ lumini conformari, eaque propter perperam continentiam execrari potiſſimum ab illis, qui noſcere poſſunt Scripturas loqui conſone ad naturale lumen rationis.

§. XII.

ARGUMENTA ACATHOLICORUM EX PATRIBUS EMENDICATA DISSOLVUNTUR.

317 PEtrus Martyr, improbo labore, plura Patrum teſtimonia adverſus nos congerit, ut quos pondere nequit devincere, obruat multitudine. Nullum tamen ad rem promit, & quos jure, vel injuria extorquere non valet, ſe nolle audire fatetur. Haud operæ pretium eſt omnes, quas collegit, auctoritates referre, cum pleræque pro re nata non ſint, & plures jam dedimus, ubi de Sacerdotali cœlibatu. Ceterum ut ejus verſutiam, fraudemque detegamus notandum quod ubi Patres nuptias laudant, ut S. Ignatius *ad Philadelphienſes*, Origenes *in cap. 12. ad Rom. in cap. 19., & 23. Matth.* Nazianzenus, aliique, Petrus Martyr male infert continentiæ votum non obligare, & diſſolvi poſſe pro libito: fingit tamen Hæreticus hoſtem, quem feriat: etenim licet illatio incongrua ſit, attamen nemo unus ex Catholicis nuptias vituperat, immo omnes eas commendant. Negat Catholicus nuptias eſſe bonas poſt votum, negat meliorem non eſſe continentiam, docens cum Apoſtolo bene facere, qui nubit, ſed melius facere, qui non nubit.

Ubi Patres in votorum violatores animadvertentes affirmant ſanctiùs fuiſſe nubere, quam vovere, & votum infringere, Petrus Martyr cumulative utrumque uſurpat, dicens licere nubere, ſtante voto, atque eſſe nubendum. Ad quod probandum aſſumit Clementem Alexandrinum *lib. 1. Pædagogi. cap. 10.*, aſſerentem e re Chriſtianorum eſſe aut inire connubium, aut ſi illud non contrahitur, pure, & caſte vivere: aſſumit Tertullianum *lib. de Monogamia*, qui verſans textum Pauli 1. ad Timoth. 5. *Volo juniores nubere* habet -- Propter quod vult eas nube„ re, ne primam fidem ſuſceptæ Viduitatis „ poſtea reſcindant -- His colligit Hæreticus Tertullianum una cum Apoſtolo illas innuere Viduas, quæ primam fidem fregerunt, atque velle, quod iſtæ, non obſtante voto, matrimonium ineant: aſſumit Cyprianum *lib. 1. Epiſt. 2. ad Pomponium*, ubi de quibuſdam Virginibus -- Quod ſi ex fide ſe „ Chriſto dicaverunt, pudice, & caſte ſine „ ulla fabula perſeverent, ita fortes, & ſta„ biles præmium Virginitatis expectent; ſi „ autem perſeverare nolunt, vel non poſ„ ſunt, melius eſt, ut nubant, quam in „ ignem delictis ſuis cadant --. Notat citatus Hæreticus Cyprianum concedere, quod Virgines Deo per votum nuncupatæ nubant, ſi nolint, aut non poſſint continere; animadvertens itidem quod aliqui ſunt, qui ſe continere nequaquam valent. Baſilium *lib. de Virginitate* ſibi etiam aſtipulari affirmat, ex quo quaſdam Virgines Deo ſacras redarguit, quia flagitioſe vivebant, dicens præſtabilius fore, ſi viros habeant, eiſque ſubjiciantur. Poſtremo refertur Chryſoſtomus a Magdeburgenſibus *Cent. 5. cap. 4.* qui *Oratione de cohabitatione regularium mulierum cum viris* ſacris Virginibus ſuaſor eſt, ut potius palam nubant, quam taliter cum viris cohabitare -- „ Nam illas nuptias, *inquit*, neque Deus „ condemnat, neque homines reprehendunt. „ Honeſta enim res eſt neminem offendens, „ neminem lædens. Virginitas autem illa „ cum viris pluſquam ſtuprum ipſum ab „ omnibus arguitur --

Verùm ex his nil adverſum catholicum dogma. Patres ſiquidem contendunt melius fore connubium, quam vovere caſtitatem, & caſte non vivere; ea propter laudantur nuptiæ, non quidem poſt, ſed ante votum celebratæ. De his, qui in adulterio vitam traducunt, vulgare effatum eſt, ſatius fore hos non habere uxorem, quam ſic impudice vivere, & tamen non reddit ſenſum, quod illis fas ſit conjugem dimittere; ſed res ſecundùm ſe ſpectatur; ita impræſentiarum proportionaliter loquimur.

Clemens Alexandrinus abs re affertur; non enim ſermonem inſtituit de his, qui voto ligati ſunt, ſed de ſolutis: agit namque de Chriſtifidelibus aſſerens, quod vel nubere, vel caſte vivere debent, quod dubio-procul verum eſt; quare male concludit Petrus Martyr, quod Monachi, ſi non caſte vivant, debent nubere. Attamen cum laudatus Auctor de Chriſtianis dicat, quod vel nu-

nubant, vel caſte vivant, jam in aperto eſt ipſum ſupponere alterum eſſe eligibile, atque exequi poſſe. Cur ergo Hæreticus adverſus eligentes cœlibatum inſurgit? Quod ſi cœlibatus laudabiliter eligitur, laudabiliter etiam vovetur; votum hinc ex divina lege reddendum eſt.

Tertullianus contra mentem, verborúmque ſenſum explicatur; non enim ad Virgines jam Deo conſecratas appellat, ſed ad eas quæ nondum caſtitatem voverunt, & aliàs ſe continere nolunt. Hoc aperte innuit grammaticalis conſtructio recitatæ propoſitionis -- Propter quod vult eas nubere, ne „ primam fidem ſuſceptæ viduitatis poſtea „ reſcindant -- Ne poſtea reſcindant primam fidem ſuſceptæ viduitatis in idem redit, ac ne votum poſtmodum violent, & facit ſenſum: antequam voveant, nubant, ne cum voverint, votum reſcindant, ideſt in ſuſcepto ſtatu non perſeverent. Alludit quidem Tertullianus, ſicut & Paulus ad illas, quæ primam fidem fregerunt, ſed hoc tanquam exemplum proponitur; ex quo enim illæ votum violando ſacrilegæ fuerunt, alias viduas continere nolentes adhortatur, ut potius nubant, ne & ipſæ horrendo maculentur ſacrilegio.

S. Cyprianus concinit Tertulliano; admonet ſiquidem, ut quando Virgo deliberat de voto, ſi firmum non habeat animum in propoſito perſeverandi, vel propter incontinentiam non poſſit, tunc nubat, non autem nuptias permittit poſt ſuſceptum conſecrationis ſtatum. Nec laborioſum eſt oſtendere ſic ſenſiſſe Cyprianum, nec ut ipſum ſibi conciliemus, ad alia ejuſdem loca recurrendum eſt; eadem Epiſtola teſtimonium perhibet veritatis. Ibidem enim docet earum Virginum nuptias, quæ ſe Chriſto voverunt, eſſe inceſtuoſas, graviterque Chriſto injurias, quod declarat exemplo mariti indignantis adverſus fœdifragam uxorem -- Si ſuperveniens „ maritus Sponſam ſuam jacentem cum al„ tero videat, nonne indignatur, & fremit? „ & per zeli dolorem fortaſſis & gladium „ in manus ſumit? Quid Chriſtus Dominus, „ & Judex noſter cum Virginem ſuam ſibi „ dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam ja„ cere cum altero cernit, quam indignatur, „ & iraſcitur, & quas pœnas inceſtis ejuſ„ modi conjunctionibus comminatur? -- Eandem ibidem repetit doctrinam, jubens a ſtupratoribus ſeparari -- Quod ſi obſtinatæ per„ ſeverant, nec ſe ab invicem ſeparent, „ ſciant ſe cum hac ſua impudica obſtinatio„ ne nunquam a nobis admitti in Eccleſiam „ poſſe -- Poſtquam igitur has redargutus eſt, alias monet, ut potius nubant, quam poſt votum fidem frangant. Cum autem dicit, quod Virgines nubant, quæ ſui juris ſunt, & non poſſunt ſe continere, loquitur non de abſoluta, ſed de voluntaria impotentia, quatenus nolunt fortiter adverſus tentationes inſurgere, pugnare, ad Deum confugere, & hujuſmodi.

Adverſus hanc claram S. Cypriani explicationem, quæ & Bellarmini eſt, inſurgit Marcus Antonius de Dominis *lib. 2. de Republ. Eccleſiaſtica cap.* 11. *n.* 15. -- Inceſtam „ itaque conjunctionem vocat (*Cyprianus*) „ ſine nuptiis in religioſa profeſſione factam, „ & hanc non permittit Cyprianus: ſed ut „ hanc inceſtam tollat, permittit conjuga„ lem, non amplius inceſtam, ſed legiti„ mam cum diſpenſatione procul dubio in „ voto, & profeſſione caſtitatis --

Verùm arbitraria prorſus eſt Marci Antonii intelligentia, immo plane contraria. S. Cyprianus totus eſt in eo, quod violatores ſeparentur ab inceſtuoſo commercio, quod ſi in impudicitia perſeverare velint, ipſis notum facit non tantùm eos nolle, ſed nec poſſe in Eccleſiam admittere. Cur igitur illis non ſuadet nuptias, ſi ſeparationem renuant? cur cum ipſis non diſpenſat? Itaque nullimode conjugalem permittit conjunctionem Virginibus Deo ſacris, quam aliàs ſuadet illis, quæ ſe continere nolunt.

Eadem Cypriani premit veſtigia S. Baſilius, nedum quia ſæpenumero aperte fatetur vota fore adimplenda, Virgineſque Deo ſacras nullimode poſſe nubere, ſed quia hoc idem expreſſe teſtatur ibidem -- Virginita„ tem profeſſæ, deinde a carnis voluptatibus „ incitatæ, ſcortationis peccatum nuptiarum „ nomine velare volunt, non ignorantes, „ opinor, etiamſi ignorantiam ſimulent, „ quod quæ Sponſi ſui dexteram præteriit: „ neque hujus eſt Sponſa, quem illegitime „ reliquit, neque illius, cui ſeipſam per „ affectum vitioſum adjunxit, juxta leges „ uxor reperiri poteſt... Ne decipiat ſeipſam, „ quod peccatum ipſi pro nuptiis reparabi„ tur... Non enim locum apud ipſum ha„ bebit nuptiarum prætextus -- Cum igitur dicit præſtabiliùs fore, quod viros habeant, ad præteritum tempus alludit, quo deliberare poterant de eligendo ſtatu. Neve arbitraria dicatur expoſitio, accipe verba S. Doctoris -- Nam ſi abjecto viri jugo, & ad vi„ tam, ad quam conſervandæ domus, & „ procreandorum liberorum gratiâ facta eſt „ inutilis, & profeſſæ Virginitati pudenda „ facta eſt, tota res damni plena eſt, & „ longe præſtabilius eſſet ipſam viro conjun„ ctam ad vitam gubernari, & Matrem fa„ milias factam, quæ matrum ſunt, præ„ ſtare; nam pro Virginibus non agnoſcun„ tur, quæ in angiportis, & domibus ober„ rant, otioſæ, nugaces, curioſæ, loquen„ tes, quæ non oportet --

Marcus Antonius, qui *n.* 17. ultrò fatetur Baſilium idem ſentire cum Cypriano, ut ab ipſo male intellecto, dicit -- Locutio„ nes Baſilii ſunt de præſenti, non de præ„ terito -- unde affirmat Baſilium in eo diſcriminari a Cypriano, quod ille etiam pro levibus cauſis Virginibus nubere permittit -- „ Eadem penitus Cypriano in omnibus con„ ſentiens & ſenſit, & ſcripſit Baſilius, niſi „ quod pro levioribus adhuc cauſis, & de„ fectibus ſacras, ac Deo dicatas Virgines „ malit nubere, quam ut diſſoluta quadam „ libertate vivant, tametſi nihil impudici, „ nihil obſcœni, nihil libidinoſi eas com„ miſiſſe animadverteret -- Ceterum licet locutio indefinita videatur, adeoque tam ad præteritum, quam ad præſens, futurumque tempus contrahi poſſe videatur, attamen con-

contextus innuit S. Doctorem ad præteritum tempus reſpexiſſe; & eſt ſenſus: præſtabilius eſſet hujuſmodi Virgines oberrantes, otioſas, nugaces, nuptas, ac Matremfamilias ſollicitas videre, quam otio deditas conſpicere Virgines. Clariùs adhuc innoteſcit veritas ex eodem *in Reg. fuſè diſput. cap.* 14., ubi Virginum nuptias ſcortationem, & adulterium nuncupat -- Quod ſi is, qui cum ea
„ a mortali viro dimiſſa eſt, adulterium
„ exercet, impie facit; multò magis impie
„ per vitam adulterium committit is, qui
„ immortalis viri Sponſam, nunquam dimiſ-
„ ſam corrumpere audet: nam etſi ſeipſam
„ dimittit, mutatâ ſententiâ ad carnis affe-
„ ctus transfugiens, at tu ne contingas
„ hanc: vivit enim vir ipſius, nec vult ipſam
„ dimittere -- *Vide infra §. XIII.*

Quoad Cryſoſtomum dicimus, quod ſi ejuſdem ſententia integra referatur, compertum fiet nequaquam ſuppetias ferre Magdeburgenſibus: habet igitur S. Doctor -- Nam
„ ſi habere cohabitatores concupiſcis, non
„ oportebat Virginitatem eligere, ſed ad
„ nuptias tranſeundum erat. Multò enim
„ melius ſic nupſiſſe, quam illo modo Vir-
„ ginem profiteri, fuiſſet; nam illas nuptias
„ neque Deus condemnat, neque homines
„ reprehendunt &c.

Aliud affert Chryſoſtomi teſtimonium Marcus Antonius *n.* 23. *ex lib. adverſus Vituperatores vitæ Monaſticæ* deſumptum -- Lon-
„ ge plures videas lapſos ex conjugatorum,
„ quam ex Monachorum ordine: neque
„ enim tam multi ex Monaſteriis ad matri-
„ monia accedunt, quam ex jugali thoro ſe
„ ad ſcorta recipiunt -- Ceterum lapſum Monachorum ad damnatas, & falſi nominis, non ad veras nuptias ibi commemorat: comparat enim Matrimonium Monachorum cum ſcortationibus conjugatorum, quod ſane utrumque damnabile eſt.

Status electio libera.

Redeamus ad Petrum Martyrem, qui, dum Patres occurrunt hominibus permittentes liberam ſtatus electionem, ſtatum nempe Religionis, vel nuptiarum, perperam infert his, qui voto Deo ſunt devoti, licere nuptias, quod evincere contendit eorundem ſuffragiis. Hinc adducit Dionyſium Corinthium *Epiſt. ad Gnoſios apud Euſebium lib.* 4. *Hiſt. cap.* 23., in qua monet Pinytum Gnoſiorum Epiſcopum, ne compellat fratres ad ſervandam virginitatem, & cœlibatum, Hilarium *in Comment. cap.* 19. *Matth.*, qui de Eunuchis loquens dicit Chriſtum in uno poſuiſſe naturam, neceſſitatem in altero, in tertio voluntatem, in eo nempe -- Qui ſpe
„ Regni cœleſtis talis eſſe decreverit, cui
„ nos ſimiles effici, ſi tantum poſſumus, ad-
„ monet -- Spectandæ ſunt igitur uniuſcujuſque vires, Epiphanium *hær.* 48. -- Nos verò
„ non neceſſitatem imponimus, verùm cum
„ bono conſilio admonemus, exhortantes
„ eum, qui poteſt, non autem neceſſitatem
„ imponimus non potenti, neque rejicimus
„ ipſum a vita -- Gelaſium demum adducit *Epiſt.* 1. *ad Epiſcopos Lucaniæ cap.* 23. ad Viduas, quæ continentiam voverunt, loquentem -- Nos talibus nullum laqueum debemus
„ injicere, ſed ſolùm adhortationes præmii
„ ſempiterni, pœnaſque proponere divini ju-
A „ dicii, & ut noſtra ſit abſoluta conſcientia,
„ & illarum pro ſe rationem Deo reddant --

Sed neque hujuſmodi teſtimonia quidquam adverſum nos urgent, cum non aliam, quam noſtram præſeferant doctrinam, ſtatum videlicet continentiæ conſuli quidem, ſed non præcipi. Illud tamen ſupereſt probandum Hæretico, poſita, medio voto, electione cœlibatus liberum eſſe tranſitum ad nuptias. Quemadmodum enim liberum eſt cuique nubere, vel non nubere, dato tamen quod quis nupſerit, nequit, vivente conjuge, ad alia vota tranſire, ita licet e propria voluntate ſit ſe continere, aut conjugium inire,
B nihilominus ſi quis voverit continentiam, nequit recedere. Nec aliter loquuntur Patres. Adoptamus propterea Dionyſii ſententiam, cum haud cogendi ſint fideles ad ſtatum continentiæ, ſed neque ad ſtatum nuptialem; verùm perperam infertur licitum non eſſe ſponte, & libere caſtitatem eligere: ex quo enim non eſt quis cogendus ad militiam, vel mercaturam, nemo prudens dicet damnabilem fore, qui alterutrum adoptat. S. Hilarius nullimode Chriſti doctrinæ adverſatur. Admonet quidem meritò in electione ſtatus vires eſſe penſandas; vota namque temere emiſſa improbanda ſunt; ſed habenda eſt ra-
C tio ad vires gratiæ, non quæ miraculoſe largiantur, ſed quæ volentibus, atque petentibus præſto ſunt. Non enim in ſuis promiſſionibus deficere poteſt Deus. Hinc omnis efficaciter volens vires habet paratas.

Nemo cogendus eſt ad caſtitatem vovendam.

Aliam refert Bellarminus S. Hilarii auctoritatem *Pſal.* 64. a Magdeburgenſibus adoptatam. Verùm in ea expendenda non eſt immorandum, cum S. Doctor tantummodo intendat eo loci Ethnicorum reprobare continentiam utpote ſine fructu vitæ æternæ, cum extra Eccleſiam nullum ſit meritum in ordine ad cœleſtem beatitudinem conſequendam.

Eccleſia non aſſumit niſi cœlibes ad ſacros Ordines.

D Abs re Epiphanium adduci Petrus Martyr; etenim nos ultro admittimus culpandos eſſe, qui ad continentiam cogunt, ſicut & Parentes, qui filiis nuptias prohibent. Eccleſia itidem non cogit ad cœlibatum, ſed ad ſacros Ordines non aſſumit niſi cœlibes, quod declaravit laudatus Epiphanius *hær.* 59. -- Revera non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio
„ poſt Chriſti adventum eos, qui mortua
„ ſua uxore ſecundis nuptiis conjuncti ſunt,
„ propter excellentem Sacerdotii honorem,
„ & dignitatem, ſed & adhuc liberos gi-
„ gnentem unius uxoris virum non ſuſcipit,
„ ſed eum, qui ſe ab una continuit, aut in
E „ viduitate vixit, Diaconum, & Presbyte-
„ rum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum --

Audiamus nunc M. Antonium *n.* 19. --
„ Epiphanius nihil ab his diſcrepans, cum
„ videret aliquos Virginitatis profeſſione ob-
„ ſtrictos, qui ad vitandam confuſionem
„ apud homines, ſi propoſiti deſertores agno-
„ ſcerentur, occulte ſcortabantur, & ſub
„ ſolitudinis, & continentiæ ſpecie libidi-
„ nem exercebant; de his ita enunciavit. *E ba.*
„ Melius eſt unum peccatum habere, & non
„ plura: melius eſt lapſum a curſu, palam
„ ſibi uxorem ſumere ſecundum legem, & a

V „ Vir-

„ Virginitate multo tempore pœnitentiam
„ agere, & ſic rurſum ad Eccleſiam induci,
„ velut, qui mala operatus eſt, velut lapſum,
„ & fractum, & obligatione opus habentem,
„ & non quotidie occultis jaculis ſauciari ab
„ improbitate, quæ a Diabolo inde infertur.
„ En tibi longe clarius rem explicatam poſt
„ votum etiam ſolemne caſtitatis nuptias va-
„ lidas adhiberi -- Hæc ille.

Utique a Baſilio, & Cypriano non diſcrepat Epiphanius, ſed Marcus Antonius omnes perperam intelligit, immo fingit Epiphanium loquentem de iis, qui ſe caſtitatis voto Deo obſtrinxerant, cum ibidem de voto altum ſilentium habeatur; unde nil aliud intendit Epiphanius, niſi fideles monere melius eſſe ſimplex continentiæ propoſitum deſerere, ac nubere, quam cœlibem vitam agendo ſeſe impudicitiis polluere. Sed ne arbitraria videatur explicatio, recole præcedentia ad laudatum textum -- Tradiderunt
„ Sancti Dei Apoſtoli peccatum eſſe poſt de-
„ cretam Virginitatem ad nuptias converti;
„ & ſcripſit Apoſtolus: ſi nupſerit Virgo non
„ peccavit. Quomodo igitur hoc cum illo
„ concordat? Immo etiam illam Virginem
„ dicit, quæ non eſt dicata Deo, ſed pro-
„ pter penuriam raritatis in illo tempore
„ eorum, qui in Chriſto credebant, neceſ-
„ ſariò ſic fiebat; & quod ſic ſe habeant,
„ docet nos Apoſtolus dicens: juniores Vi-
„ duas rejice -- Hinc ſermonem proſequitur oſtendens, quod nubere debeant, & verba ab Adverſario uſurpata inſerit, proindeque Virgines non ſacratas reſpicit; his revera melius eſt palam nubere, quam clanculò ſcortari. *Melius eſt unum peccatum habere, & non plura*. Hæc verba non ſenſum reddunt ab Apoſtata intentum, videlicet: melius eſt votum caſtitatis ſemel peccando violare, ac deinceps in legitimis nuptiis permanere, quam multis occultis immunditiis ſe contaminare, ſed explicant, quod melius ſit poſt amiſſam Virginitatem nullo obſtrictam voto a peccato reſurgere per emendationem ſub legitimis nuptiis, quam in ſecretis criminationibus perſeverando peccata multiplicare.

De hiſce Virginibus loquitur & S. Hieronymus *Epiſt. 8. ad Demetriadem*. Solemne ſiquidem erat Hieronymi ævo quibuſdam nobilioribus ſacris Virginibus ancillas Virgines ad famulatum aſſumere: porro ex his nonnullæ Virginitatis tædio affectæ impudicitiis coinquinabantur -- Quibus aperte dicendum
„ eſt, ut aut nubant, ſi ſe non poſſunt con-
„ tinere; aut contineant, ſi nolunt nubere--
Ancillas prædictarum Virginum non fuiſſe Deo ſacras in aperto eſt ex ejuſdem *Epiſt. 22. ad Euſtochium*.

Inſtat ex Hieronymo M. Antonius *ex Epiſt. 47. De vitando ſuſpecto Contubernio*, ubi S. Doctor, ut ſuadeat Virgini cohabitare cum Matre, habet -- Si Virgo es, quid ti-
„ mes diligentem cuſtodiam? Si corrupta,
„ cur non palam nubis? Secunda poſt nau-
„ fragium tabula eſt, quod male cœperis,
„ ſaltem hoc remedio temperare. Neque
„ verò hoc dico, quod poſt peccatum tollam
„ pœnitentiam, ut quod male cœpit, male
„ perſeveret, ſed quod deſperem in iſtiuſmo-
„ di copula divulſionem --

Teſtimonium Hieronymi Adverſario non patrocinatur. Virgo ſiquidem hæc non votum, ſed continentiæ propoſitum habebat --
„ Non bene morata mater eſt, res ſeculi
„ cupit, amat divitias... vult compta pro-
„ cedere, nocet propoſito meo -- Sic loquitur Virgo illa, ut ſe excuſet a cohabitione cum matre; quod autem impræſentiarum propoſitum non innuat votum, ſed tantummodo animum ſe continendi, colligi videtur ibidem, dum S. Doctor reſpondens objectioni ait -- Non te diſpliceat ejus converſa-
„ tio, quæ te Sponſo tuo Virginem conſe-
„ cravit -- A Matre igitur fuerat filia Deo dicata, non per ſeipſam; antiquitus enim Parentes ſæpe filios Deo devovebant, ut de Samuele Scriptura teſtatur; ea propter nil mirum ſi Virgini nuptias commendet Hieronymus, ut periculum labendi effugiat.

Quoad ultimum quod adducit Petrus Martyr, admittimus lubentes, & volentes Gelaſii ſententiam, quæ apte congruit Scripturarum teſtimonio: etenim vult Viduas haud cogendas ad ſervandam continentiam, a ſecundis nuptiis abſtinendo; ſed e munere Parochi, Magiſtri, ſeu Epiſcopi eſt ipſis palam facere pretium continentiæ Deo nuncupatæ, ſicut & præmium quo donantur ſervantes promiſſa; manifeſtanda itidem ſunt eis ſupplicia, quæ violantibus continentiæ votum infliguntur, hinc liberum ſit vel continentiam vovere, vel iteratò inire connubium. Ceterum antecedenter declaraverat non licere Deo ſacratis nubere -- Sicut ſi ſe
„ continere non poterant, ſecundùm Apo-
„ ſtolum nullatenus nubere vetabantur, ſic
„ habita ſecum deliberatione promiſſam Deo
„ pudicitiæ fidem debent cuſtodire --

M. Antonius, ut in luce cæcutiat, referens *n.* 40. teſtimonium laudati Pontificis *Epiſt.* 1., ut habetur *in Concil. Triburienſi cap. 6.* nempe--Virginibus ſacris ſe quoſdam temere
„ ſociare cognovimus, & poſt dicatum Deo
„ propoſitum inceſta fœdera, ſacrilegaque
„ miſcere, quos protinus æquum eſt a ſacra
„ Communione detrudi, & niſi per publi-
„ cam, probatamque pœnitentiam omnino
„ non recipi: ſed tamen his viaticum, ſi di-
„ gne pœnituerint, de ſeculo tranſeuntibus
„ non negetur -- ſubdit -- Illos enim, quos
„ dixerat inceſta, & ſacrilega fœdera miſ-
„ cuiſſe, recipit tamen poſt publicam pœni-
„ tentiam ad communionem -- Itaque cum Pontifex ſegregationem ad invicem non præcipiat manifeſte, malignando vendiſare ſtudet tale commercium fore maritale.

Verùm ſi ſacrilega, ſi inceſta ſunt fœdera, non niſi ſomniando quis dicet validum eſſe conjugium. Aſt non præcipitur ſeparatio? Immo dubio-procul ibidem exprimitur. Probata debet eſſe pœnitentia. Porro dicetur ne illum de inceſtu, & ſacrilegio pœnitere, ſi in iiſdem perſeverare velit criminibus? Nequaquam ſane. Mandando igitur non fore recipiendos niſi poſt publicam, probatamque pœnitentiam ſatis declaravit ſejungendos fore, antequam ad communionem recipiantur.

§. XIII.

§. XIII.

ALIA REPELLUNTUR HÆRETICORUM MOMENTA, ET DECLARATUR RELIGIOSAM PROFESSIONEM NULLUM REDDERE EX NATURA SUA SUBSEQUENS MATRIMONIUM.

318 Licet in præcedenti Tomo plura ſint tradita, quæ evincunt votum ſolemne caſtitatis diſſolvere Matrimonium ratum, ut videre ibi eſt *Diſp. IV. Controv. IV.* impedire itidem ne conjugium contrahatur, itaut Religioſa Profeſſio nullum reddat ſubſequens matrimonium, ut multis probatum eſt ibidem *Diſp. V. Controv. IV.* factumque fuit ſatis pluribus objectionibus, quas Marcus Antonius de Dominis alios inter cumulavit, nonnulla ſuperſunt ex eodem malè feriato homine, quæ impræſentiarum enucleare operæ pretium erit.

Aſſumit itaque *Canonem* 25., ſeu, ut alii volunt, 21. Concilii Aurelianenſis I., in quo ſtatuitur, ut Monachus in Monaſterio converſus, ſi poſtea pellici, vel uxori ſociatus fuerit, tantæ prævaricationis reum nunquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiri poſſit -- Sed audis, *inquit Apoſtata*, Monachum „ poſſe & pellici, & uxori ſociari, & Concilium diſtinguit uxorem Monachi ab ejuſdem pellice -- Hinc infert a pellice quidem ſejungendum Monachum, ſed conjugium validum eſſe, cum mulier nuncupetur uxor; quod ſi talis revera non eſſet, ſuperflue eo nomine vocaretur, cum revera pellex eſſet.

In conjunctione Monachi ſive cum pellice, ſive cum uxore eandem intervenire turpitudinem in aperto eſt, cum utrumque eâdem pœna puniatur. Ceterùm ſtudioſe ibidem, ſicut etiam alibi apud Patres mulier appellatur quandoque pellex, quandoque uxor, ut error prorſus eliminetur, qui occurrere poſſet, damnandum quidem fore commercium cum muliere, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, ſecus ſi, intentato conjugio, habeatur ut conjux. Diſtinguit igitur Concilium uxorem a pellice nomine tenus, nullimode verò quoad rem, eaque propter eandem pœnam in delinquentes animadvertit, quod æquum non eſſet, ſi matrimonium validum cenſeretur; quod potiſſimùm manifeſtum fit ex aliis Conciliis, quæ ſeparationem præcipiunt; cum aliàs verum conjugium mutuam ſocietatem importet.

Uxor quandoque latè ſumitur.

Objicit ſibi *n.* 49. *cit. lib.* 2. Concilium Turonicum 2. ſuperius relatum, ſicut & Concilium Forojulienſe *Can.* 11. an. 791. celebratum -- Item placuit de fœminis cujuſcun„que conditionis, puellis ſcilicet, & vi„duis, quæ virginitatis, ſive continentiæ „ propoſitum ſpontanee pollicentes, Deo „ emancipatæ fuerint, & ob continentiæ „ ſignum nigram veſtem, quaſi Religioſam, „ ſicut antiquus mos fuit in his regionibus, „ induiæ fuerint, licet non ſint a Sacerdote „ ſacratæ, in hoc tamen propoſito eas per„ petim perſeverare mandamus. Si verò po„ ſtea ſeſe ſive clanculo corruperint, ſive „ publice nupſerint, dignis quidem munda„ no judicio corporalibus coercitæ vindictis „ ſegregentur ab invicem, & agant cunctis „ diebus vitæ ſuæ pœnitentiam &c. -- Addit & Triburienſem Synodum, quæ *Can.* 23. de mulieribus Deo nuncupatis, quæ conjugium inierunt, præcipit, ut excommunicentur, atque omnino ſeparentur. Relatis igitur hiſce Conciliis, cum in ſuam trahere ſententiam nequaquam poſſe compertum habeat, aliâ viâ eorundem vim eludere conatur -- Reſpondeo, ſi hæc tria privata Con„cilia voluerunt diſſentire a Chriſto, a „ Paulo Apoſtolo, a tot Sanctis Patribus, „ & Conciliis celeberrimis, eis dicendum „ eſt. Quare tranſgredimini mandata Dei „ propter traditionem veſtram? --

Quid iniquiùs dici poteſt? Verùm non vacat hac ſuper re immorari, cum ex prædictis abunde conſtet, quam conſone ad doctrinam Chriſti, Pauli, Patrum, Conciliorumque præfatæ Synodus loquamur.

Deveniendo tamen ad Generale Concilium objicit ſibi Chalcedonenſis Concilii Œcumenici *Canonem* 16., quem dedimus ſuperius §. *XI.*, ſed propugnat *n.* 48. tantummodo in laudato Canone voti violationem declarari, non jam conjugii nullitatem.

In citata *Diſp. V. Controv. IV.* jam factum fuit ſatis huic inſtantiæ. Et ſane cur nuptias expreſſo nomine prohibuit, cum ſolam voti violationem declarare potuiſſet? Cur PP. Concilii Triburienſis aperte mandant ſeparationem? Nunquid Divinum Numen Marco Antonio revelavit, quod laudatos Patres latuit? Judicet Candidus Lector.

Ultro fatetur *n.* 49. Concilia, & Patres præcepiſſe ſeparationem in caſu intentati conjugii, ſubdit tamen -- Bonum cenſuerunt „ (ſed neſcio, quam bene) eas etiam invi„ tas evelli a maritis --

Tanquam unus ex Inſipientibus loquitur Marcus Antonius. An non bene Concilia, an non bene Patres ſanxerunt ſeparationem, cum aperte ipſis conſtiterit tale commercium eſſe adulterum? Nonne præcipitur ſejunctio, ſi qua mulier, vivente marito, alteri copuletur? Quomodo mulier Deo devota cohabitare poterit cum alio a Chriſto? -- Quod ſi is, qui cum ea a mortali viro di„ miſſa eſt, adulterium exercet, impie fa„ cit; multò magis impie per vitam adulte„ rium committit is, qui immortalis viri „ Sponſam nunquam dimiſſam corrumpere „ audet; nam etſi ſeipſam dimittit, mutatâ „ ſententiâ ad carnis affectus transfugiens, „ at tu ne contingas hanc; vivit enim vir „ ipſius, nec vult ipſam dimittere -- Sic habet S. Baſilius *in Reg. fuſe Diſput. cap.* 14. Idem declarat Innocentius I. *Epiſt.* 1. *cap.* 12. -- Si enim de omnibus hæc ratio cuſtoditur, „ ut quæcunque, vivente viro, alteri nupſe„ rit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœ„ nitentiæ licentia concedatur, niſi unus de „ eis fuerit defunctus, quantò magis de illa „ tenenda eſt, quæ ante immortali ſe Sponſo „ conjunxerat, & poſtea ad humanas nuptias „ tranſmigravit? --

Chriſtus Sponſus Virginum.

Attamen ex laudato Pontifice adverſum

nos inſtituit argumentum ex eadem Epiſtola deſumptum; ait itaque M. Antonius *n.* 38. — „ Innocentius I. Moniales profeſſas, & velatas, ſi publice nupſerint, vel ſe clanculo „ corruperint, ſtatuit non eas admittendas „ eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui „ ſe junaerat, de ſeculo deceſſerit. Cur potius non dixit, niſi ſe ab illo ſeparaverint? „ Immo cur potius non præcepit eas omnino, vel invitas debere a talibus viris, tanquam adulteris ſeparari? —

Male, ne dicam ſubdole ſciſcitaris, cur ſeparationem non præceperit Pontifex? Num eſt neceſſe, quod mandetur adulteri ſejunctio? Nequaquam ſane, cum omnia jura hoc velint. Cum igitur hujuſmodi mulieres declaraverit adulteras, ut in aperto eſt ex ſuperius relata ſententia, ſupponit ſeparationem plane exequendam, hinc ad ſtatuendam pro tam execrando flagitio pœnam deſcendit; ea propter nil in favorem Hæretici hominis ſcripſit Innocentius.

Sed inſtat *n.* 39. Si neceſſaria foret in dictis caſibus ſeparatio, conjugium illud cenſendum eſſet malum; ſed ex S. Leone *Epiſt.* 90. *ad Ruſticum Narbonenſem* non eſt malum; ſiquidem Pontifex eum Monachum, qui ad militiam, & ad nuptias declinaverat, publicæ devoverit pœnitentiæ, ſubdit — Quia etſi „ innocens militia, & honeſtum poteſt eſſe „ conjugium, electionem tamen meliorem „ deſeruiſſe tranſgreſſio eſt — ergo.

Reſp. Conjugium dicitur a S. Pontifice honeſtum, non quidem relate ad Monachum, ſed ſecundùm ſe, & eſt ſenſus, matrimonium fore laudabile, ſi contrahentes habiles ſint, in Monacho tamen damnatur, quia non amplius ſui juris eſt, & deſerit, quod melius elegerat, ſtatum nempe caſtimoniæ.

Inſtat ulterius *n.* 41. inquiens — Tempore Gregorii frequenter contingebat, ut „ Moniales dimiſſo habitu religioſo nuberent, „ neque tamen Gregorius unquam de irritatione talium matrimoniorum cogitavit —

Reſp. hoc putidum eſſe mendacium, cum nihil frequentius apud S. Gregorium quam talia conjugia execrari. *Lib.* 1. *Epiſt.* 33. *ad Venantium* habet — Conſidera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui „ temetipſum Deo Omnipotenti, cui, ſub „ Monachali habitu devoveras, ſubtraxiſti — *& eodem lib. Epiſt.* 40. *ad Anthemium* — Et „ quia aliquos Monachorum uſque ad tantum nefas proſiliiſſe cognovimus, ut uxores „ publice ſortiantur: ſub omni eos vigilantia requiras, & inventos digna coërctione „ in Monaſteriis, quorum Monachi fuerunt, „ tranſmittas —

Verùm audiamus, quid reponat, ut clara Gregorii ſenſa obnubilet — Reſpondeo, „ *ait ille n.* 45., Gregorium ſeparationem „ matrimonii non præcipere, quod & Athanaſius, & Auguſtinus expreſſe in Eccleſia „ permiſſum, & approbatum eſſe teſtati ſunt: „ ſed ut de conſenſu uxoris coërctio illa fieret, illum præcepiſſe meritò ſupponendum „ eſt: alioquin enim indiſcretionis, & injuriæ culpa non vacaret —

Ceterum ſi S. Pontifex præcipit, ut hujuſcemodi Monachi in Monaſterium detrudantur, quomodo hoc contingere poſſet ſine ſeparatione? Num unà cum Monacho ad clauſtrum compelli debet mulier? Separationem igitur præintelligit Gregorius, ſeu mandat, dum decernit prædictos Monachos ad loca, unde exierunt, fore tranſmittendos. Fingitur hinc uxoris conſenſus, cum ibidem hac de re nullum verbum; & meritò quidem cum ex dictis compertum ſit prædictum commercium non jam conjugale, ſed adulterum eſſe; num Athanaſius, & Auguſtinus M. Antonio ſuppetias ferant, jam ſuperius vidimus, pluraque dedimus in Controverſiis ſuperius citatis.

Objicit ſibi ulterius Siricii Papæ auctoritatem *ex Epiſt.* 1. *cap.* 6. depromptam, videlicet — Velatæ Deo conſecratæ, ſi abjecto „ propoſito Sanctitatis, clanculum ſacrilega „ ſe contagione miſcuerint, vel de illicitis „ complexibus publice, & libere filios procreaverint, has impudicas, deteſtabileſque „ perſonas a Monaſteriorum cœtu, & Eccleſiarum Conventibus eliminandas eſſe judicatum eſt, quatenus retruſæ ergaſtulis tantum facinus continua lamentatione defleant — ſed eludere nititur vim hujuſce auctoritatis dicendo Pontificem conjugia Monachorum nuncupare ſacrilegam contagionem ob crimen fracti voti, non quia nulla habeantur. Verùm ipſemet dignoſcens nullius ponderis fore hujuſmodi reſponſum, addit — Quod ſi quid amplius voluit, ſatis eſt „ ab Auguſtino eodem tempore confutatus —

Crambe recocta. Quomodo Auguſtinus Siricio adverſatur, ſi in Carthaginenſi Synodo IV., cui ipſemet Auguſtinus interfuit, *Can.* 104., quem ſupra dedimus, idem fere decernitur? Eapropter fruſtra quærit ſuffragium ab Auguſtino, qui nobiſcum ſentire non dubitamus.

Ex laudatis Conciliis, & Patribus, tum ex Eccleſiaſticis monumentis, datis præcipue *Diſp. IV. Controv. IV.* ſuperiùs enunciatâ, compertum habes, Candide Lector, ſub primordiis naſcentis Eccleſiæ extitiſſe Monachatum in proprietate, tribus ſolemnibus votis conſtitutum; atqui Monachatus hujuſmodi ex natura ſua irritum facit ſubſequens matrimonium; ergo ab exordio Eccleſiæ irritum fuit conjugium poſt emiſſa Monaſtica vota contractum. Minor evincitur. Concilia, & Patres nuptias cum Chriſto celebratas, media Religioſa Profeſſione, corporalibus ſæpe comparant nuptiis celebratis cum hominibus; ſed corporales nuptiæ cum viro initæ, eoque ſuperſtite, ſubſequens intentatum dirimunt connubium; ergo & ſpirituales dirimere debent.

Religioſa Profeſſio irritat ſubſequens connubium.

Declaratur I. Chriſtus Religioſæ Profeſſionis perfectionem declarans *Matth.* 19. erudienſque adoleſcentem, qui Sanctitatis ſtudio incumbere exoptabat, caſtitatis, paupertatis, atque obedientiæ conſilium tradidit amplectendum: ſed Chriſti doctrina eo loci expoſita abunde ſuadet Religioſam Profeſſionem ex natura ſua ſubſequens dirimere matrimonium: etenim ſpiritualem evirationem relate ad naturalem, violentamque explicuit; hæc porro abſolute, atque omnimode hominem

con-

conſtituit impotentem ad nuptias; ergo itidem cenſendum eſt de ſpirituali eviratione per votum ſolemne, itaut non illicitas tantùm, ſed & nullas reddat nuptias. Et ſane ſicut Patres ex illa ſimilitudine Eunuchorum apte colligunt Chriſti doctrinam de voto continentiæ, eo quia Eunuchus dicit impotentiam ad generationis actum, ita apprime deducitur ſolemne votum ex natura ſua ſubſequens impedire matrimonium, quia Eunuchus ſemper invalide contrahit conjugium.

Res perfecte uni tradita, nequit in alterum transferri.

Declaratur II. Quoties res eſt uni perfecte tradita, nullus efficitur contractus, per quem eandem quis conetur alteri tradere; per legitimam ſiquidem, perfectamque traditionem transfertur dominium etiam poſſeſſivum, quo translato nullimode in alterum quit transferri; ſed ſolemnis Profeſſio perfectam dicit traditionem totius perſonæ in Deum; cum poſitive, & abſolute mediis Eccleſiæ Miniſtris a Deo acceptetur; ergo ſubſequentem traditionem hominibus factam ex natura ſua irritam facit; ergo nullum plane eſt ſubſequens intentatum matrimonium.

Adverſus doctrinam hujuſmodi directe urgere videntur S. Auguſtinus, & S. Leo; quoniam verò *Controverſia cit. ex Diſp. V.* factum fuit ſatis abunde; ne eadem repetamus, ad ea, quæ ibidem diximus contra Juenimum, Lectorem remittimus.

OBJIC. tamen I. S. Baſilius *ad Amphilochium cap. 18. de lapſis Virginibus Deo per Profeſſionem dicatis* ſcribit -- Quoniam
„ carnis perturbationibus ſubjectæ ſunt, ſua
„ pacta conventa infirmarunt. Patres quidem
„ clementer, & leniter in eorum qui labun-
„ tur infirmitatem ſe gerentes, eſſe admit-
„ tendas cenſuerunt poſt annum ad ſimilitu-
„ dinem Digamorum decernentes; mihi vi-
„ detur, quod quoniam Dei gratiâ proce-
„ dens Eccleſia ſit fortior, & Ordo Virgi-
„ num nunc augetur, eſt adhibendus ani-
„ mus rei, quæ per intelligentiam cernitur--
Unde ipſe decernit, quod omnino ſeparentur, ſecus ad communionem nequaquam admittendæ. His palam facit S. Doctor, quod Patres validum eſſe conjugium a Sanctimoniali celebratum cenſuerunt; non enim ſeparationem præceptam legimus, licet Bigamiæ notam in ipſa agnoverint, ſubjecerintque pœnitentiæ per annum. Perperam igitur dictum eſt votum ſolemne ex natura ſua connubium irritum reddere.

RESP. Abs re intelligitur Baſilius: etenim cum dicit Patres ſenſiſſe Sanctimoniales fœdifragas elapſo injunctæ pœnitentiæ annò fore admittendas, nuſquam intendit, quod admittantur, perſeverante illicita cohabitatione, ſed quod a communione non arceantur, præſuppoſita tamen delinquentium ſejunctione. In eo autem Patrum clementia relucet, quod brevi pœnitentiâ contenti eas ad Sacramentorum participationem reciperent. Ipſe autem rigidiori caſtigatione cenſuit puniendas, & meritò ſane; ſiquidem, creſcente Virginum numero, creſcit inſimul labendi periculum. Difficilius enim a multitudine arcentur vitia; eapropter pœnarum metu cohibenda. Fiebat itidem Eccleſia fortior ad hujuſmodi removenda ſcandala; ſiquidem tunc temporis felicior erat Eccleſiæ

A tranquillitas. Momenta hæc, quibus permotus Baſilius non jam ſeparationem tantum, ſed majorem decernere punitionem ſtatuit, rem noſtram plane evincunt: etenim, ſi tantummodo innuere voluiſſet ſeparandas eſſe Sanctimoniales, incongrue dixiſſet, Eccleſiam fieri fortiorem; ipſa namque quovis tempore eandem poteſtatem habuit apponendi impedimenta matrimonii, adeoque etiam, ſæviente perſecutione, ſeparationem præcipere potuiſſet, nec ex quo Virginum choros creſcebat, ad evitanda pericula delinquentium ſeparatio erat injungenda; nam e viro prudenti eſt, ut permittatur validum

B matrimonium, in quo licite, adimpletâ pœnitentiâ, vivere poſſint conjuges, quam negato conjugii valore ipſos exponere periculo perſeverandi in illicitis congreſſibus; non igitur Sanctus Baſilius in laudata auctoritate intendit præcipere ſeparationem, quam permitterent Patres, ſed ea ſuppoſita injunctam augere pœnam.

Nec quidquam evincit irregularitatis nota ex Bigamia, quaſi quod Patres judicarent valere connubium, quamvis cum Bigamiæ defectu; etenim Bigamia, de qua Patres, non realis, ſed tantummodo interpretativa eſt, eique comparatur, quam nunc

C quoque contraheret Monachus, ſi per votum ſolemne nuptias intentaret, ideoque meditatò dixit Baſilius ad ſimilitudinem Bigamorum, quia realis non cenſebatur.

OBJIC. II. S. Hieronymus *in vita Malchi Monachi* refert, quod cum is eſſet in captivitate, & a Domino exhiberentur nuptiæ, ſe excuſavit dicens fœminam illam, cum qua contrahere debebat, alteri nuptam fore; ſed ſi Monachalis Profeſſio irritum faceret connubium, ſatius fuiſſet hoc afferre impedimentum; ergo dicendum eſt ea tempeſtate ſolemne votum non impedire conjugii valorem, eaque propter ex natura ſua

D illud non diſſolvere.

RESP. Cum res verſaretur cum Viro Idololatra, optimo jure Malchus de Religioſæ Profeſſionis impedimento nullum inſtituit ſermonem; ſiquidem rerum Catholicarum penitus ignarus vir ille, momentum hoc veluti inane irriſiſſet, atque reprobaſſet. Illud itaque prudenter attulit motivum, quod & ipſum rationis lumen dictabat, relicto ſublimiori prorſus incognito.

OBJIC. III. S. Gregorius *hom. 38. de Gordiana Sanctimoniali* ſcribit, poſt obitum duarum Sororum Deo ſacrarum nuptias celebraſſe, innuens hujuſmodi conjugium vali-

E dum fuiſſe -- Nam oblita Dominici timoris,
„ oblita pudoris, & reverentiæ, oblita con-
„ ſecrationis, conductorem agrorum ſuo-
„ rum poſtmodum maritum duxit: ecce om-
„ nes tres uno prius ardore converſæ ſunt,
„ ſed non in uno, eodemque ſtudio per-
„ manſerunt, quia juxta Dominicam vocem:
„ multi ſunt vocati, pauci verò electi --

Ad argumenti ſolutionem dicere poſſemus, non ſatis evinci matrimonium illud fuiſſe validum: etenim *in fine homiliæ* habet -- Ecce, Fratres mei, Gordiana, quam ſuperius dixi, a Sanctimonialis habitus ex-
„ cel-

„ cellentiâ corruit ad pœnam -- His declarat mulierem hanc æternis deputatam fuiſſe ſuppliciis : porro ſi matrimonium validum fuiſſet , potuiſſet licite in eo perſeverare , atque præmiſsâ pœnitentiâ cœleſtem conſequi felicitatem. Ceterum talibus non indigemus, contextus ipſe veritatem dilucidat . Non erat Sanctimonialis illa ſolemni voto adſtricta , nec vere Religioſæ Profeſſionis , ſed tantummodo Virginitatis votum emiſerat . Nam ad paupertatis obſervantiam non adſtringebatur , cum dicatur conductorem ſuorum agrorum maritum ſibi adſciviſſe : poſſidebat itaque rerum temporalium dominium , quod cum Religioſo ſtatu compati non valet . Vivebat itidem in propria domo unâ cum Sororibus ſuis ; ait enim laudatus Pontifex -- „ Uno omnes ardore converſæ , uno eodem„ que tempore ſacratæ , ſub diſtrictione re„ gulari degentes , in domo propria ſocialem „ vitam ducebant -- Quibus compertum fit Regulam inſtitutum non fuiſſe profeſſam .

OBJIC. IV. Petrus Damianus *Epiſt.* 5. *cap.* 11. de quodam Monacho Benedicti nomine refert , quod oblatus in pueritia a Parentibus Domino , adoleſcens factus habitum dimiſit , ad nuptias tranſeundo ; has validas innuit laudatus Petrus , addens tamen Juvenem illum mire a Deo punitum .

Sed inſtantia nihil ad rem deſervit ; ſiquidem ibidem narrat S. Petrus , quod ille divinam timens vindictam , mortiſque periculum reſipuit , & relicta Uxore ad Monaſterium reverſus eſt . Si autem validum fuiſſet conjugium , id minime licuiſſet , inconſulta conjuge , cum qua carnale habuerat commercium .

Ad pleniorem veritatis , quam propugnamus , dilucidationem operæ pretium erit aliqua & nos referre exempla , ſic inſtituendo argumentum . Facilius eſt ſubſequens impedire matrimonium ne fiat , quam jam factum diſſolvere ; ſed occurrunt exempla , quibus compertum habemus matrimonium ratum per Religioſam Profeſſionem diſſolutum fuiſſe ; ergo . Ut minorem propoſitionem invicte probaretur , ſat eſſet ea recenſere , quæ Centuriatores congerunt , atque impie carpunt , exempla eorum , qui , relictis Uxoribus , Monaſticum ſtatum adoptarunt ; ſed his non indigemus ; ut tamen clareſcant , quæ dicturi ſumus .

Notandum eſt non eadem eſſe nomina , quibus nunc exprimimus diſſolutionem conjugii , ac illa , quæ primis rei Chriſtianæ Seculis uſurpabantur . Non enim tunc temporis dicebatur matrimonium ratum , aut conſummatum , impedimentum dirimens , aut impediens , votum ſimplex , aut ſolemne , ſed res eadem diverſis phraſibus ſignificabatur , immo plura per effectus declarabantur , ſicut per ſeparationem exprimebatur impedimentum , quod dirimens impræſentiarum nuncupatur . Adoptavit ſucceſſivis temporibus hujuſmodi voces Eccleſia , ut faciliùs Hæreticorum fallacias eluderet . Nec veritati officit novitas verborum ; ſi idem ſub aliis expreſſionibus quovis tempore fuit intellectum ; ea propter jure optimo Eccleſia uſurpat voces *Ex opere operato* , *Tranſubſtantiationis* , & ſimilium , licèt apud Veteres non fuerint in uſu ; hoc præſuppoſito .

Novitas vocum non officit veritati.

Plerique pro re nata exemplum proferunt ſub Chriſti temporibus in Joanne Evangeliſta , qui a nuptiis in Cana Galilææ celebratis ad perfectionem Apoſtolatus fuit vocatus , ut alios inter refert Liranus -- Dici„ tur communiter , quod nuptiæ iſtæ fue„ runt Joannis , a quibus eum Chriſtus vo„ cavit ante conſummationem matrimonii , „ ex hoc in Eccleſia obſervatur , quod ante „ carnalem copulam poteſt licite alter conju„ gum intrare Religionem -- Rupertus Abbas *lib.* 2. *in Joann. circa finem* ait -- Joan„ nem Evangeliſtam , relictis nuptiis (iſtius „ enim iſtas fuiſſe nuptias opinio fere om„ nium eſt) ipſum Dominum ſequi cœpiſſe „ arbitramur -- Primus igitur cœpit Chriſtum ſequi , non quidem abſolute , ſed perfecte quoad ſubſtantialia vota . Duo in prædictis nuptiis præſtitit Chriſtus , approbavit ſuâ præſentiâ matrimonialem contractum , & Sponſum ad perfectiora vocando , Virginitatis cultum declaravit meliorem , & per hunc ſolemniter aſſumptum innuit diſſolvi conjugium . Reliqui ex Apoſtolis , qui uxorati erant , filioſque procreaverant , ſolemnia vota emittendo a thoro ſejuncti ſunt , ut tradunt Patres , Joannes verò , quia conjugium præciſe ratum contraxerat , etiam a vinculo liberatus fuit , ſive Sponſa caſtitatem voverit , ſive alteri nupſerit , qua de re apud Veteres altum ſilentium .

Joannes Evangeliſta , relicta Conjuge , Chriſtum ſecutus .

Exemplum ſecundum Apoſtolorum ævo occurrit in S. Thecla , quam a Marito nobili , & divite ſeparavit S. Paulus , eam perfecto caſtitatis voto conſecrans Deo . Audiatur S. Epiphanius *hær.* 78. -- Thecla incidit „ in Paulum Sanctum , & a nuptiis exolvitur , „ cum curatorem , ſeu Sponſum haberet for„ moſiſſimum -- Itidem S. Ambroſius *lib.* 2. *de Virginibus* ſub initio -- Thecla doceat im„ molari , quæ copulam fugiens nuptialem , „ & Sponſi furore damnata naturam etiam „ beſtiarum Virginitatis veneratione muta„ vit -- Solemniter Paulus Apoſtolica auctoritate votum Theclæ acceptavit , hinc diſſolutum fuit conjugale vinculum . Hiſtoriam hanc adoptat Natalis Alexander *Sec. I. cap.* 7. Ubi de geſtis S. Pauli . Hinc habes adeſſe in Eccleſia poteſtatem acceptandi vota , ipſis tribuendo conditionem ſtatus ſolemnis , unde reſultat efficacia conjugium ratum diſſolvendi , atque ſubſequens impediendi .

Thecla Sponſum reliquit vovens Virginitatem .

Aliud exemplum habemus ex Socrate *lib.* 4. *Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 18. , qui de Ammone refert ipſum , ut amicis morem gereret , uxorem duxiſſe ; ipſi tamen ſuaſor fuit , ut Virginitatem Deo ſacraret ; quod feliciter contigit , hinc ad montem , qui Nitria dicebatur , ſeſe contulerunt , ubi ad aliquod temporis communem Monaſticæ vitæ diſciplinam exercuerunt , donec ad invicem ſeparati , quod reliquum fuit vitæ , in Monaſterio tranſegerunt . Porro ſolutum fuiſſe conjugium per aſſumptionem Monaſtici ſtatus ex eo evinci poſſe videtur , quod mulier illa , Ammonem alloquens non ſe uxorem , ſed fœminam dicat -- Non te decet , qui tem„ perantiæ , & caſtitati colendæ te totum „ de-

Ammon ab uxore ſeparatus .

,, dediſti, fœminam in tantillo domicillo ,, conſpicari --

S. Gregorius *lib.* 3. *Dialog. cap.* 14. habet de Gregoria -- Quæ dum adoleſcentiæ ,, ſuæ tempore, conſtitutis jam nuptiis, in ,, Eccleſiam fugiſſet, & ſanctimonialis vitæ ,, converſationem quæreret, ab eodem viro ,, defenſa, atque ad eum quem deſiderabat ,, habitum, Domino protegente, perducta ,, eſt; quæ quia Sponſum fugit in terra, ,, habere meruit Sponſum in Cœlo -- *Conſtitutis nuptiis*, inquit S. Doctor, ut innuat initum fuiſſe conjugium; & ſane ſi tantummodo paratæ fuiſſent nuptiæ, haud tanra occurrebat neceſſitas, ut a Sancto Viro defenderetur; nulli enim injuriam irrogabat nolendo nuptias acceptare, ut Sanctimonialis fieret.

Habemus, pluribus prætermiſſis, exemplum de duobus Aulicis, de quibus apud Auguſtinum *lib.* 8. *Confeſſ. cap.* 6. legitur, quod relictis Sponſis, quas recenter duxerant, Religioſum ſtatum elegerunt. Neve dicas nondum cum iiſdem celebratum fuiſſe matrimonium: Auguſtinus ſiquidem ut quid ſingulare notat habuiſſe Sponſas: *Et ambo habebant Sponſas*; porro potiſſimum notandum eſt, ſi conjugatus intactam propter Deum relinquat uxorem, ſecus ſi a vinculo liber Religioſum ſtatum aſſumat. Virgines illæ -- Poſtquam hoc audierunt, *ait S. Doctor*, dicaverunt & ipſæ Virginitatem tibi -- libere quidem, nam per Religioſam Profeſſionem ſolutæ fuerant a conjugali vinculo. Nec novum eſt in hiſce caſibus conjugia diſſolvi, cum vel tunc temporis verus daretur Religioſus ſtatus per vota ſimpliciter ſolemnia, diſcreta a votis, quæ dicimus ſimplicia.

Primis Eccleſiæ temporibus hæc inter vota diſcrimen intereſſiſſe in aperto eſt ex Innocentio I. *Epiſt.* 2. *ad Vitricium cap.* 12., & 13., in quorum primo de conſecratione agit ſolemniter facta per velamen, in ſecundo de ſimplici conſecratione abſque velamine. Violatores utroſque graviter delinquere declarat, ſed primos gravioris reos criminis agnoſcit, ideoque graviorem ipſis decernit pœnam, leviorem aliis, utpote minus delinquentes. Idem diſcrimen innuit ibidem laudatus Pontifex, quatenus primi generis Virgines a Sacerdote velatæ ſpiritualiter Deo nuptæ dicuntur, ſecus aliæ. Laudatum diſcrimen ex Innocentio adoptavit Gregorius Magnus *Epiſt. ad Bonifacium*, *relatus Can. Viduas* 27. *q.* 1., & relate ad illud, criminis diverſitatem, & gravitatem oſtendit; idem habemus ex Optato *lib.* 6. *de Schiſmate Donatiſtarum*, qui declarat velum, quod Mitrellam, ſeu Mitellam vocat, aliud non eſſe, quam Deo nuncupatæ caſtitatis inſigne quoddam, quo ſacræ a non ſacris Virginibus dignoſcebantur. Varium erat hoc inſigne, alicubi Mitra erat, vel Cidaris, quæ capiti Virginis ab Antiſtite conſecratore imponebatur, ut liquet ex citati Optati verbis exprobrantis Epiſcopo Donatiſtæ, quod Virgini conſecratæ Mitellam abſtulerat, quæ imponebatur, ut Virgo dignoſceretur -- Cui Mitram ipſe impoſuerat, a qua Pater ante ,, vocabatur -- addens fore deo dicata -- In ,, Mitrella (*qua de lana fiebat purpura tincta*) ,, indicium eſt voluntatis, non caſtitatis auxilium, ut rem jam Deo devotam ne qui ,, ſponſabat, perſeveret petere, aut ne raptor audeat violare -- Eſt verò Mitra, ut notat Cabaſutius *in Notitia Eccleſiaſt. Sec. IV. ad Concilium Carthaginenſe IV.* originis Perſicæ vocabulum. Ea Mitra pendebant teniæ, ſeu redimicula ad alligandum ſub mento iſtud capitis operimentum, quorum ſpecies aliqua reſtat in appendicibus duabus Mitrarum Epiſcopalium.

Velum imponebatur ſacratis Virginibus; quale fuerit.

Hac Mitra, ſeu Mitella in Africa ſolemniter conſecrabantur Virgines.

In Africa Mitra pro velo Virgines conſecrabantur.

Laudatus Cabaſutius ex Palladio *in Hiſt. Lauſiaca cap.* 41. colligit in Ægypto hujuſmodi tegmen fuiſſe acuminatum, & faſtigiatum -- ,, Virginum hujuſmodi erat habitus, ut eſ- ,, ſent tonſæ, & cucullatæ -- & loquitur de Monaſterio Tabenneſiatatum quadringentarum Monialium in Thebaide Ægypti regione Æthiopiæ contermina. De tonſura Monialium in Monaſteriis Ægypti, & Syriæ fidem facit S. Hieronymus *Epiſt. ad Sabinianum*. Apud omnes fere occidentales Eccleſias ſolemniter Deo nuncupabantur Virgines ab Epiſcopo impoſitione veli ſuper earum caput. Illæ porro Virgines ſacræ dicebantur, quæ ritu ſolemni caſtitatem vovebant, non ſacræ, quæ aliter Deo dicabantur.

Gelaſius Papa *Can. Si quis ſacro velamine* 27. *q.* 2., & *Can. de Viduis ibid.* ſacri veli mentionem facit, declarans per ſacri velaminis conſecrationem Monaſticæ vitæ ſtatum, velari tamen vetat Viduas, etſi ſolemniter profeſſas, ſed hoc intelligas de velo conſecrationis, quod Virginibus tantummodo concedebatur, non jam de eo, per quod Deo conſecrabantur.

Viduis quodnam velum denegabatur.

Diſtinctionem ſimplicis voti, a ſolemni compertum facit diſcrimen illud Sanctimonialium, quod extitit a primis Eccleſiæ Seculis: aliæ enim ſe Deo ſacrabant fuſcam, & permodeſtam veſtem induentes, qua a laicis puellis diſcernebantur. Hujuſcemodi veſtibus vel ſponte, vel a parentibus induebantur abſque ulla Sacerdotali benedictione.

Sanctimonialium diſcrimen.

De hiſce Sanctimonialibus exemplum tradit Hieronymus *Epiſt. ad Marcellam de laudibus Aſella* -- Tunicam fuſciorem, quam a matre ,, impetrare non poterat induta, pio nego- ,, tiationis auſpicio, ſe repente Deo conſe- ,, cravit, ut intelligeret univerſa cognatio, ,, non poſſe aliud ei extorqueri, quæ ſæcu- ,, lum jam damnaſſet in veſtibus -- Idem ad Gaudentium de Pacatula -- Solent quædam ,, cum futuram Virginem ſpoponderint, pul- ,, lâ Tunicâ eam induere, & furvo operire ,, pallio, auferre linteamina &c. --

Aliæ autem Virgines Deo conſecrabantur ſolemniter, per manus videlicet Epiſcopi coram populo, & in Eccleſia benedicentis inter ſolemnia feſti alicujus diei.

Quædam Deo ſolemniter conſecratæ.

Hoc ſacratam ritu a Liberio Romano Pontifice Sororem ſuam Marcellinam tradit S. Ambroſius *lib.* 3. *de Virginibus*, de hoc habet itidem *in Exhortat. ad Virginit.* -- Venit Paſchæ dies, ,, in toto Orbe Baptiſmi Sacramenta cele- ,, brantur; velantur ſacræ Virgines: uno ,, ergo die ſine dolore aliquo multos filios, ,, & filias ſolet Eccleſia parturire -- & *ad Vir-*

Virginem lapſam cap. 5. -- Non es memorata „ diei Sanctæ Dominicæ Reſurrectionis, in „ qua divino Altari te obtuliſti velandam? „ In tanto itaque ſolemni Conventu Eccleſiæ „ Dei, inter lumina illa ſplendida, inter „ candidatos Regni Cœleſtis, quaſi Regina „ Regi nuptura proceſſeras -- & infra -- His „ tunc in illo die conſecrationis tuæ, di- „ ctis, & multis ſupra caſtitatem tuam præ- „ coniis, ſacro velamine tecta es -- Et S. Hieronymus *Epiſt. ad Virginem Demetriadem* -- Scio quod ad imprecationem Ponti- „ ficis flammeum virginale Sanctum operuit „ caput -- Idem ad Sabinianum vitiatæ a ſe Virginis reum -- Poſt Apoſtoli Petri Baſili- „ cam, in qua Chriſti flammeo conſecrata „ eſt &c. -- Hinc a Tertulliano *de velandis Virginibus* ſacrilegæ vocantur manus, quæ hoc velum detrahebant -- O ſacrilegæ ma- „ nus, quæ dicatum Deo habitum detra- „ here potuerunt -- Hoc conſecrationis genere velata fuit B. Genovefa a S. Germano Epiſcopo Altiſſiodorenſi, ut in ejuſdem vita legitur -- Interea Sacerdos greſſus divertit ad „ Eccleſiam, maximo populorum agmine „ proſequente, ibique inter diutiſſimos Pſal- „ morum concentus, ac prolixam orationis „ continuationem B. Germanus dexteram „ ſuper caput Virginis indefeſſe tenuit --

Hæc Virginitatis conſecratio per utrumque votum coæva fuit Eccleſiæ, ut erudite demonſtrat Thomaſinus *tom.* 1. *de nova, & veteri Eccleſiæ diſciplina lib.* 3. *cap.* 42., quod & alii ultro profitentur, qua ſuper re impræſentiarum immorandum non eſt.

Virginum habitatio.

Sanctimoniales Virgines ſub primis temporibus poterant in paternis ædibus commorari, in ipſis privata ſibi conſtituebant domicilia, ibique Orationi, Pſalmodiæ, Scripturarum lectioni incumbebant, ut videre eſt apud S. Hieronymum, qui harum pietatis officia ſub oculis ponit ad Gaudentium de Pacatula, ad Marcellam de Aſella, ad Euſtochium de cuſtodienda Virginitate.

Nonnullæ in Monaſteriis degebant.

In Monaſteriis aliæ Deo famulabantur. S. Antonii Soror Virgo vetula in Monaſterio ſe clauſit plurium puellarum Præpoſita, ut narrat S. Athanaſius *in vita S. Antonii*. Pachomius Sorori ſuæ Monaſterium extruxit, in quo, plurimis confluentibus, magnæ multitudinis Mater evaſit. Eis Viſitatorem dedit, qui eas erudiret, dedit & communem cum Monachis vivendi rationem, excepto veſtis genere; virorum, & mulierum Monaſteria ſolo fluvio diſtabant. Nazianzenus *in laudibus Virginitatis* recenſet Monaſteria a S. Baſilio ædificata, legeſque eis præſcriptas. De Monaſterio Virginum agit S. Ambroſius *lib.* 1. *de Virgin.*, & *Epiſt.* 64., ubi oſtendit quaſdam ab Epiſcopo fuiſſe conſecratas. Severus Sulpitius meminit Monaſterii Monialium, in quo S. Martinus cujuſdam militis locavit Conjugem, cum hic Monaſticum inſtitutum adoptaſſet. Utriuſque ſexus Monaſteria B. Auguſtinum crexiſſe auctor eſt Poſſidius *in ejuſdem vita cap. ult.* iiſdem regulam tradidiſſe in aperto eſt *ex ejuſdem Epiſtola* 109.

Theodoretus *Hiſt. Relig.*, *ſeu SS. Patrum cap.* 30. refert paucas fuiſſe Virgines, quæ ſolæ, & ſolitariæ viverent, plurimæ vero, quæ in Monaſteriis degebant -- Multæ aliæ „ partim quidem vitam amplexæ ſunt ſolita- „ riam, partim autem vivere amarunt cum „ pluribus, adeout ducentæ, & quinquagin- „ ta, & plures, & pauciores ſimul vivant, „ uno cibo veſcentes, ſuper ſolas ſtoreas ex „ inſtituto dormientes, & manus quidem „ lanæ attribuentes, hymnis verò linguam „ conſecrantes &c. -- Tradit itidem ſparſa fuiſſe hæc Angelorum caſtra per Orientem, Paleſtinam, Ægyptum, Aſiam, Pontum, Ciliciam, Meſopotamiam, Europam &c.

Virginum Monaſteria ubique Gentium.

De Sanctimonialium Monaſteriis agit S. Hieronymus *ad Demetriadem*, his præſcribit, ne abſque Præpoſita uſquam exeant, quodque feſtis diebus domi commorentur. In Epitalamio Marcellæ idem narrat, ad illius exemplum, ſicut & Pomponiæ ejus filiæ, quæ ruralem domum in Monaſterium converterant, Romam in amorem Monaſtici ſtatus exarſiſſe adeo, ut præ Monaſteriorum frequentia altera videretur Jeroſolyma. Sic enim habet -- Multoque ita vixiſtis tempore, „ ut ex imitatione veſtri, converſatione „ multarum gauderemus Romam factam Je- „ roſolymam, crebra Virginum Monaſteria, „ Monachorum innumerabilis multitudo --

Ex his compertum habemus diſcrimen majoris, & minoris conſecrationis in Profitentibus cœlibatum, proindeque id quod nunc nos vocamus dedicationem Virginitatis per ſimplex, & per ſolemne votum: habemus rem hanc non novam, ſed antiquam, atque Apoſtolicæ Prædicationi coævam: habemus in ſacratiori conſecratione, quæ abſolutum Monaſticum conſtituebat ſtatum, Eccleſiaſticam ſolemnitatem interceſſiſſe, quæ in eo ſita eſt, quod Monaſticus vivendi modus approbetur, ab Eccleſia acceptetur, & juxta ejuſdem præſcripta a cultoribus ſuſcipiatur. Totum hoc occurrebat, dum benedicebantur Virgines, atque ab Epiſcopis velabantur. Mulierum, virorumque Monaſteria, ſcientibus Prælatis, inſtituebantur, qui & plurimos Canones ediderunt, vel in Conciliis congregati, vel per Epiſtolas, ut Monaſtica diſciplina rite, ſancteque cuſtodiretur.

Habemus proinde Monaſticum ſtatum perfectum per conſecrationem votorum ſolemnium matrimonium ratum præcedens, & ſubſequens diſſolviſſe, tum quia ſtatus ille erat irrevocabilis, ut laudatus Thomaſinus ibidem notat, tum quia nubentes irremiſſibili pœnitentia ad mortem uſque plectabantur, tum quia conſecratio Deo facta eſt ſtrictior, adeoque inhabilitans ad mundana, tum demum quia, poſita Eccleſiæ approbatione, Monaſticus ſtatus ſolemniter profeſſus hos effectus ex natura ſua inducit. Equidem non inficias imus, ut ſuperiùs adnotatum eſt, hoſce effectus iiſdem non explicari terminis, quibus impræſentiarum utimur, ſed eoſdem per æquipollentia verba tradiderunt Sancti Patres, qui gravibus adeo formulis animadverterunt in Sanctimoniales, Monachoſque, qui nuptias intentarunt, ut plane nullas, irritaſque fuiſſe judicaverint.

§. XIV.

§. XIV.

ARGUMENTA INSTITUTA CONTRA MODUM, QUO MONASTICA VOTA SUBSEQUENS DISSOLVUNT CONJUGIUM, REFELLUNTUR.

319 CUm dixerimus Monaſtica vota ea natura rei ſubſequens diſſolvere matrimonium, quorondam Doctorum neceſſe eſt refellere argumenta, quæ oppoſuum propugnare videntur; ne tamen ab inſtituto elongemur, ea tantummodo urgere viſum eſt, quæ & ipſi Hæretici ad ſuos confitmandos errures aſſumunt. Quoniam verò hujuſmodi doctrinam a S. Thoma, Hæreticorum malleo, didici, operæ pretium erit ejuſdem ſubdere teſtimonia.

Igitur *Quodlib.* 3. *art.* 18. *in corpore* ſic diſcurrit S. Doctor -- Hujus autem diverſitatis „ ratio eſt, quia votum ſolemne habet promiſſionem cum quadam teaditione, unde „ votum contiuentiæ non ſolemnizatur, niſi „ per ſuſceptionem Ordiuis ſacri, per quem „ bomo actualiter divino cultui mancipatur, „ vel per profeſſionem ad certam regulam, „ & ſuſceptionem habitus profeſſorum; quia „ ſic etiam homo mancipatur ad ſerviendum „ Deo in Religione: votum autem ſimplex „ habet ptnmiſſionem ſine traditione; manifeſtum eſt autem, quod poſtquam aliquis „ rem, quæ erat ſuæ poteſtatis, alicui non „ ſolum promittit, ſed etiam tradit, non „ poteſt ulterins eam alteri dare: puta „ equum, vel veſtem, & ſimilia, etiam ſi „ poſtmodum alteri donare voluerit, ſecunda donatio uou valet. Unde poſtquam „ aliquis pec votum ſolemne continentiæ „ corpus ſuum Deo non ſolum promiſit, led „ etiam tradidit ad cœlibem vitam agendam, non poteſt illud ulterius conjugi dare, ut ſic ea neceſſitare reddere debitum „ teneatur; qui verò promittit aliquid alicui, nondum tamen tradidit illud, ſi „ poſtmodum alteri actualiter illud tradat, „ licet promiſſionis fidem frangat, tamen „ ſecunda donatio valet, ita quod ille, cui „ datur, poteſt de re data uti, ut vult; ſic „ ergo perſona, quæ per ſimples votum Deo „ corpus ſuum promiſit ad vitam cœlibem „ ducendam, ſt poſtmodum corporis ſui poteſtatem tradat conjugi actualiter per matrimonium conſummatum, peccat quidem „ frangens fidem voti, tamen donatio tenet, „ & conjux habet in ejus corpus poteſtatem; „ unde non peccat debitum reddens -- Eumdem omnino diſcurſum ſub iiſdem ſere verbis habet *Quodlibeto* 10. *art.* 11., & 4. *Sent. Diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *Quæſtiunc.* 3. ſcribit -- Dicendum quod omnes dicunt, quod votum „ ſolemne, ſicut impedit matrimonium „ contrahendum, ita dirimit matrimooium „ coutcactum &c., & ideo alii dicunt, quod „ hoc eſt propter Statutum Eccleſiæ, ſed hoc „ etiam non ſufficit, quia ſecundum hoc Eccleſia poſſet contrarium ſtatuere, quod „ non videtur verum; & ideo dicendum „ cum aliis, quod votum ſolemne ex ſui na„ tura habet, quod dirimat matrimonium „ contractum, in quantum ſcilicet homu „ per ipſum amiſit ſui corporis poteſtatem, „ Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, ut ex dictis paret, & ideo non poteſt ipſuin tradere in poteſtatem uxoris ad „ matrimonium contrahendum, & quia matrimonium, quod ſequitur tale votum nullum eſt, ideo votum prædictum dirimere „ dicitur matrimonium contractum -- In his continetur ſolutio argumentorum, unde ad argumenta accedamus.

320 OBJIC. I. Ideo ſubſequens diſſolvitur conjugium in caſu, quia nemo dare poteſt, quod ſuum non eſt; ſed ratio hujuſcemodi ſi quid evinceret, probaret inſimul ſponſalia ſubſequens dirimere matrimonium, ut docet Lutherus *de Captivit. Babyl. cap. de Matrimonio*, ubi ſic argumentatur -- Nemo „ poteſt dare, quod non habet; qui ſponſalia cum una contraait, non eſt amplius „ ſui juris; ergo non poteſt ſeipſum alteri „ dare; ergo ſecundùm conjogium irritum „ judicandum eſt &c. Si votum Religiouis „ facit alienum, cur non etiam fides data, „ & accepta, cum hæc ſit fructus ſpiritus: „ ad Gal. 5. Illud autem arbitrii humani ... „ Licet uxori virum ſuum repetere, voto „ Religioois facto non obſtante; cur ergo „ non liceat Sponſæ Sponſum ſuum repetere „ etiam ſecuta copula cum altera? -- ergo Monaſtica vota, ex vi momenti a nobis adoptati ſubſequens matrimonium ex natura ſua non dirimunt.

RESP. Cauſalis illa propoſitio, quia nemo dare poteſt, quod ſuom non eſt, aſſumitur ab Angelico in ſenſu completo, ideſt, quod datum ita non ſit ſuum, ut etiam alteri jam plene ſit traditum. In ſponſalibus neque transſertur dominium, neque actualiter traditur perſona, ſed ſolummodo promittitur, quod tradetur; ea propter qui ſponſalia iniit, ſui juris eſt. Sponſalia, & votum ſunt quidam eodem modo humani arbitrii in eo quod eſt ultro dare alteri fidem denobendo, & in eo quod eſt Deo ſponte ſe conſectare; ſunt itidem eodem modo fructus ſpiritus, quatenus ſive poſt datam fidem, ſive poſt nuncupatam votum tenetur ea præcepto ad ſervandam fidem, atque ad votum adimplendum: Lex enim Divina mandat & fidem homini datam, & promiſſionem Deo factam eſſe adimplendam; ceterum cum per ſolemnia vota perſona actualiter, atque perfecte Deo tradatur, ſecus per ſponſalia, jam plane ſit Monaſtica vota, non verò ſponſalia [*Diſcrimen Sponſalia inter, & vota.*] ſubſequens diſſolvere connubium. Nec eadem occurrit ratio uxoratum inter, & Sponſum de futuro: etenim inter uxoratos, quamvis matrimonium tantummodo ratum intercedat, aliqua tamen actualis traditio, translatioque dominii adinvenitur, unde ſimplici voto in uno ea conjugibus ſuperveniente, viget in altero jus repetendi, inter Sponſoa verò nonniſi ſimplex intervenit promiſſio de futuro; quare ſi in uno conjugium ſuperveniat, non eſt in altero jus repetendi. Subſiſtit ergo ratio D. Thomæ, nullimode Lutherano favens errori.

321 OBJIC. II. Communitatis jura

niſi per publicam auctoritatem impediri poſſunt; ſed jus nubendi non jam individui eſt, ſed totius ſpeciei; ergo niſi per publicam auctoritatem, proindeque per Eccleſiam impediri valet; poteſt quidem individuum amplecti cœlibatum, ſed nequaquam poteſt poteſtatem nuptiarum a ſe ipſo abdicare abſque communi beneplacito, atque poteſtate; ergo vis omnis, quæ eſt in votis quoad nuptiarum diſſolutionem, eſt ex poteſtate Eccleſiæ, non autem ex natura votorum, ſeu melius loquendo, nec ex votorum natura, nec ex poteſtate Eccleſiæ ſtatus Monaſticus nuptias impedire valet; quia jus ſpeciei nequit ab Eccleſia impediri; cum naturale ſit, & Divinum ob poſitivum præceptum a Deo datum *Gen.* 1. de multiplicanda ſpecie. Sic Lutherus quantum ad ſecundam partem argumenti.

Argumentum hocce prout a Catholico Auctore, facili negotio retorquetur: etenim ſi quid valet, probat itidem haud licitum eſſe vovere; nemo ſiquidem unus privata auctoritate poteſt jura communitatis impedire; ergo nullus quit votum emittere, utpote impeditivum liciti connubii; cum ſpeciei jus ſit ad licite nubendum. Directa igitur argumenti ſolutio ea eſt, quod communitatis jura alia ſunt, quæ genera ſingulorum afficiunt, alia verò, quæ ſingulos generum reſpiciunt; ſeu quædam obligant collective totam communitatem, alia diſtributive, quando obligant genera ſingulorum, ſeu collective, tunc etiam privata auctoritate impediri poſſunt extra caſum neceſſitatis. Quod exemplo tum naturalis, tum divini juris dilucidatur.

Jura Communitatis nō ſemper omnes afficiunt.

Reſpublica, ut recte gubernetur, jus habet, ut quidam dentur Miniſtri, qui illius bono ſedulò incumbant, & quilibet de Republica jus habet, ut ad hujuſmodi munia eligatur; neceſſe eſt, ut aliqui quovis tempore talibus dent operam, ſed opus non eſt, ut hi, & illi aſſumantur; ea propter extra caſum neceſſitatis Petrus v. g., Paulus, & Franciſcus obſiſtere poſſunt, ut deputentur. In ordine ſupernaturali Epiſcopi, & Presbyteri jure divino neceſſarii ſunt in Eccleſia, & ſinguli fideles, remote ſaltem, jus habent ad talia miniſteria, quoniam verò divinum jus eſt in ordine ad Eccleſiæ conſervationem, ideo non eſt jus diſtributive obligans; propterea Petrus, & Paulus poſſunt refugere Epiſcopatum, aut Presbyteratum, immo & impedimenta apponere.

Ex adverſo quia Reſpublica, ut recte adminiſtretur, jus habet, ut victui neceſſaria juſto vendantur pretio, hinc ſinguli adſtringuntur ad rem juſto pretio vendendam, & nemo ab obſervantia eximi poteſt. Itidem ut Eccleſia ſubſiſtat, in ſingulis membris neceſſaria eſt regeneratio per fidem; unde non eſt invenire, qui hoc jus juſte ſibi, vel communitati impedire poſſit.

Jus conſervandi ſpeciem non afficit ſingulos.

Nunc ad argumentum. Jus ſpeciei non jam diſtributivum, ſed collectivum eſt, quia tantum extenditur, quantum congruæ conſervationis neceſſitas exigit: hæc porro conſervatio, & propagatio petit, ut aliqui, ſed non ſinguli, nuptiis, & procreationi incumbant, immo non omnes nubere debent, tum ad nimiam evitandam multitudinem, tum ad Orbis pulchritudinem, quæ ex graduum diverſitate conſurgit, tum ad incrementum virtutum naturalium in ordine morali, ad quem natura rationalis pertinet. Generaliter dixit Deus Gen. 1. v. 20. *Producant aquæ reptile animæ viventis*, & tamen non aqua quælibet piſces producit; dixit quoque v. 24. *Producat terra animam viventem in genere ſuo*, & tamen non omnis terra herbam germinat, vel arbores; ita, intellecta rerum proportione, dixit homini v. 28. *Creſcite, & multiplicamini*, non tamen eſt neceſſe, quod quilibet ex hominibus multiplicationi incumbat. Quare ad publicam poteſtatem ſpectat providere, ne ſinguli de humano genere impediant propagationem, ceterum quiſquis extra neceſſitatis caſum poteſt impedimentum apponere ad nuptias, utique per medium licitum, ut indubie eſt votum.

Hæc diximus ſi hominem juxta naturæ leges perpendamus, nam ſi ipſum conſideremus in natura elevata per Chriſti adventum, primò ei reſpicienda occurrit propagatio Regni Cœlorum. Acquiſitionem perfectioris Sanctitatis, ad quam mire deſervit cœlibatus, docuit Chriſtus, proindeque, cuicunque, Deo aſſiſtante, liberum eſt perpetuæ ſeſe obligare caſtimoniæ, atque a nuptiis refugere mediante perfectiori ſtatu, qui directe conjugio adverſatur.

322 OBJIC. III. Quoties duo vincula compoſſibilia ſunt, unum ex natura ſua aliud non diſſolvit; ſed conjugale, & votorum ſolemnium vincula ſunt compoſſibilia; ergo. Minor in aperto eſt in conjugibus, qui mutuo conſenſu poſt maritale commercium profitentur Monaſticæ vitæ inſtitutum. Subdunt Acatholici. Si unus ex conjugibus pœniteat, aut in concupiſcentiæ morbum incidat, atque cohabitationem repetat, nullius criminis reus eſt; ſiquidem matrimonialia jura integra perſeverant, aliàs priora ſunt, & potiora, votorum verò poſteriora.

Quoad hanc objectionem nonnulla dedimus *Tract. præced. Diſp. IV. Controv. IV. n.* 58. *col.* 190. Ceterum quoad ſecundam partem, quam Hæretici impugnant, facile retorquetur, atque ab omnibus ſolvenda eſt. Sic enim argumentatur. Nequit Eccleſiaſticum jus diſponere, ut Monaſtica vota conſummati conjugii vinculum diſſolvant: ergo vota ſolemnia eodem jure non dirimunt ſubſequens connubium. Antecedens nemo inficias ibit; nam lex humana haud valet adverſus ea, quæ divini abſoluti juris cenſentur; ſed indiſſolubilitas matrimonii conſummati hujuſmodi eſt; ut enim in ſuperioribus oſtendimus dictum illud: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, apprime conjugio conſummato convenit: ſi ergo Eccleſia nequit hujuſmodi nuptias irritare inhabilitando perſonas, non poterit ſimiliter inhabilitando contrahentes ſubſquens connubium diſſolvere; ſed hoc per adverſarios non eſt verum; ergo optimo jure verificari poterit, quod Monaſtica vota ex natura rei ſubſequens irritent matrimonium, & non ſolvant conſummatum. Clarius. Naturalis impotentia ſi antecedat ma-

matrimonium, reddit illud invalidum, ſi tamen ſubſequatur, non ſolvit: non igitur bene infertur. Vota Monachalia ea natura ſua componuntur cum perfecto, conſummatoque conjugio; ergo ex natura ſua non ſolvunt ſubſequentes nuptias: aliunde igitur ratio exquirenda eſt, cur vota, quando præcedunt, dirimant conjugium, ſecus quando ſubſequuntur.

Vota præcedentia hominem Deo perfecte tradunt, ſecus ſubſequentia conjugium.

Diſcrimen igitur ex ipſa rerum natura deſumendum eſt. Quando Monaſtica vota nuptias præcedunt, hominem Deo perfecte tradunt, transferunt dominium non ſolùm perſonæ, ſed juris utendi ipſâ perſonâ, & quidem actualiter, ex natura autem matrimonii, alteri traditur homo perſonæ, juriſque eâ utendi maritaliter transferendo dominium; porro ea natura rerum res eadem perfecte in alterius dominium translata nequit uni tertio donari, & tradi, adeoque præcedente traditione Deo facta per vota ſolemnia, nullus ſupereſt locus, ſpectatâ rerum naturâ, ut perſona eadem ſe homini tradat concedendo illi dominium in ſuam perſonam, & uſum. Ex adverſo quando perfecta actualis, & poſſeſſiva traditio per conſummatum connubium antecedit, haud poteſt homo ſe alteri tradere; ergo ſimiliter nequit ſe Deo nuncupare transferendo dominium ipſius perſonæ quoad poteſtatem conjugalem; quoniam verò in conjugibus præter dominii Perſonarum translationem datur jus diſtinctum utendi maritaliter perſonis, ideo ea mutuo conſenſu valent per Monaſtica vota jus hujuſcemodi in Deum transferre, cum autem in hoc jure eſſentiale matrimonii vinculum non habeatur, ſed in illo primo, hinc plane fit integram remanere conjugii eſſentiam.

Res clareſcet exemplo. Stante dominio proprietatis in agrum apud Petrum, ſtat jure optimo, quod Petrus vendere poſſit Paulo dominium, ſeu jus colligendi fructus, quin poſſit vendere dominium proprietatis, puta ſi bona ſint fideicommiſſaria. Ita, ſervata proportione, ſtante corporum dominio in conjugibus, bene verificari poteſt, quod Deo donent, mediis Monaſticis votis, jus utendi maritaliter corporibus, proindeque optime componitur conjugii vinculum cadens ſupra donationem corporum, & vinculum votorum cadens ſupra donationem juris utendi corporibus in uſum conjugalem.

323 DICES. Ergo cum votis Monaſticis ſtare etiam poterit ſubſequens conjugium, ſi Monachus retineat dominium perſonæ, & homini tradat jus utendi maritaliter perſonâ; ſicut conjuges, retenta poteſtate corporum, donant, Deoque tradunt jus, ſeu dominium juris utendi conjugaliter corporibus.

RESP. Negando ſubinductam illationem; ſiquidem non recte aſſumitur proportio paritatis; nam ideo conjuges Deo donare poſſunt prædictum jus utendi corporibus, quia hocce eſt pene ipſos adæquate, unde mutuo conſenſu illud Deo renunciare poſſunt, & donare; in Monacho verò poſt vota non remanet jus utendi maritaliter corpore, cum hoc ipſum in Deum tranſtulerit,

In Monacho non ſupereſt jus utendi maritaliter corpore.

& translatio fuerit abſolute acceptata; nil propterea habet, quod alteri tradat, donetque; quare nullus evadit contractus cum homine initus, intentando conjugium.

324 REPLICABIS. Ergo conjuges, qui libero mutuoque conſenſu Monachatum profitentur, non ſunt vere Religioſi; ſiquidem per votum non perſonas, ſed ſolummodo jus donant iiſdem utendi.

RESP. Negando conſequentiam. Aliud quippe eſt, quod per vota Deo non donentur perſonæ, aliter quod totaliter non donentur. Conjuges ſuas Deo perſonas donant per votum Obedientiæ, Paupertatis, & etiam Caſtitatis, ſed non totaliter donant, neque donare poſſunt, quia ſe nequeunt omni jure, & dominio ſpoliari, eo videlicet, quo mutua corporum translatio facta eſt; quare ſi poſt emiſſa vota maritale haberent commercium, peccarent quidem peccato ſacrilegii, non verò contra juſtitiam; ceteri autem Monachi utroque crimine rei forent, ſi carnaliter peccarent. Ut autem veritas Monachatus ſubſiſtat, haud neceſſe eſt, ut in omnibus iidem omnino ſint effectus. Scholaſtici, & Coadjutores Societatis ſunt vere Religioſi, & tamen non ſunt Deo donati ea totali indiſſolubilitate, qua reliqui ſolemniter profeſſi.

Conjuges, ſi in Religione profiteantur, non ſe totaliter donant Deo.

325 INSTABIS. Matrimonii vinculum, illudque votorum Regularium diverſi ſunt ordinis, inferioris nempe, & ſuperioris: inſimul ergo eſſe poſſunt; etenim idem effectus eſſe poteſt a duplici cauſa diverſi ordinis, ut a Thomiſtis propugnatur; adeoque ſtare poteſt, quod homo vi conjugii uni, & vi votorum ſit traditus Deo.

RESP. Thomiſtarum doctrina concludit, quando duæ illæ cauſæ ſunt ſubordinatæ, ſecus quando diſparatæ ſunt, & potiſſimum ſi forent contrariæ. Pro re noſtra prædicti ordines non ſubordinantur, immo opponuntur. Matrimonii vinculum transfert dominium corporum, radicando jus ad uſum maritalem, vinculum votorum transfert dominium corporum, abdicando jus ad conjugalem uſum, quæ duo ad invicem pugnant, ac proinde hujuſmodi vincula haud componi poſſunt quoad eandem formalitatem, ſi verò unum vinculum cadat ſupra poteſtatem in corpora, alterum verò ſupra uſum corporum, cum hæc duo diverſa ſint, ſimul compati poſſunt.

Ex his patet ſolutio principalis quoad eam partem, quæ ab Hæreticis urgetur. Quamvis enim jura matrimonialia poſt Monaſtica vota integra remaneant, quia tamen media abſoluta donatione abdicant a ſe conjuges dominium uſus, ſeu jus utendi maritaliter corporibus, ideo haud eis amplius fas eſt thoro uti, licet eos pœniteat, ſicut ſi quis jus vendat colligendi fructus, etſi pœnituerit, illis amplius licite uti non poteſt.

326 OBJIC. IV. Ideo Monaſtica vota diſſolvunt antecedens conjugium ratum, ſicut & ſubſequens, quia perfectam involvunt traditionem, ex qua præcedens traditio conjugalis minus perfecta diſſolvitur, impediturque ſubſequens; ſed ratio hujuſcemodi ne-

Digitized by Google

quicquam urgere videtur ; etenim matrimonium ratum non diſſolvitur per matrimonium conſummatum cum altera , etiam ſi in hoc ſecundo adſit actualis traditio ; ergo argumentum deſumptum ex perfecta traditione non evincit ; ergo hucuſque dicta corruunt .

RESP. Quoties argumentum inſtituitur relate ad matrimonium conſummatum, toties ipſoſmet adverſarios premit . Neque ex natura rei, neque beneficio Eccleſiæ, aut Chriſti conjugium ratum cum uno diſſolvitur per conſummatum cum alio, illudque novas impedit nuptias , & tamen ſtat , quod matrimonium ratum non impediat Monachatum , & quod hic utrumque matrimonium five præcedens non conſummatum , ſive ſubſequens dirimat , ſeu nullum reddat : neceſſe ergo eſt fateri quid ſpeciale occurrere in matrimonio conſummato . Quantum igitur ad propoſitum adductæ inſtantiæ, effatum illud, quod actualis traditio ſolvat ſimplicem præcedentem traditionem , verificatur , quoties perſona non eſt inhabilis ad iterum contrahendum , & quoties ſecunda traditio plene, & adæquate acceptatur : qui autem contrahit legitime conjugium cum uno , inhabilis fit ad contrahendum cum alio , quandiu alter vivit: hujuſmodi inhabilitas a Divino, & Eccleſiaſtico jure , & a jure Gentium habetur, quæ jura relate ad nuptos irritant ulteriorem conjugalem contractum: ſecunda itidem conjugalis traditio plene non acceptatur , ſiquidem nec a Deo , nec ab Eccleſia, nec a jure Gentium adoptatur , licet a peculiaribus perſonis acceptatio intentetur ; ea propter nil mirum eſt , quod matrimonium conſummatum ſubſequens non diſſolvat matrimonium ratum antecedens .

Secus contingit in Monaſtica Profeſſione. Præcedens conjugalis traditio non conſummata nullo jure inhabilem reddit perſonam ad Monachatum ; nuptiæ namque cum Deo , utpote ſpirituales, altioris ſunt ordinis , & dignitatis , cum ſint ad Divinum Sponſum , magnæ itidem utilitatis , cum ad perfectionem evehant contrahentes , ob quod etiam motivum a Deo , & ab Eccleſia acceptantur , proinde ex natura ſua ſimplicem præcedentem diſſolvere debent traditionem , quæ in matrimonio rato intercedit .

Hac doctrinâ rite perpensâ , facili negotio , quæcunque ab adverſariis exempla in contrarium afferri poſſunt, evertuntur . Hinc nil momenti eſt , quod potiſſimum urgent , videlicet, quod ſi attendamus ad rerum naturam , præcedentis conjugii rati traditio ſecundam impedire deberet traditionem , quæ fit per vota , ſicut impedit traditionem relate ad ſecundum matrimonium ; etenim in primo caſu non habetur inhabilitas ad vovendum, bene verò in ordine ad novum conjugium.

Profeſſio ſolemnis eſt conſecratio.

Ex dictis compertum fit Monaſticam ſolemnem profeſſionem eſſe conſecrationem , quod probatum fuit *ſuperiori Tract. Diſp. V. Controv. V. n. 62. col. 266., & ſeq.*, ſed impræſentiarum explicandum magis eſt , quid veniat conſecrationis nomine. Igitur hoc nomine non intelligitur extrinſeca aliqua ceremonia, vel benedictio quædam per manus **A** Epiſcopi , vel Prælati , quia iſtæ nec ſemper fuerunt in uſu , nec ubique obſervantur, ſed conſecrationis nomine venit perfecta traditio per tria vota , quâ homo ad Dei cultum ſe donat, quæ donatio, & traditio ſunt intranſitive conſecratio , ipſæ ex ſe hominem Deo totaliter dicant, & dicando conſecrant; perfecta autem traditio tunc habetur , quando abſolute acceptatur . Hoc autem fit , quoties Profeſſio , præſuppoſita Eccleſiæ approbatione ſtatus Monaſtici , penes legitimum Superiorem emittitur .

Conſecratio Deo facta ſemper perſeverat.

Porro poſita illa actione , qua homo ſe Deo nuncupavit , primòque ſacravit , rema- **B** net quovis tempore ipſa denominatio perſonæ conſecratæ, ſicut per habitudinem ad primam actionem , qua calix eſt conſecratus , ſemper denominationem retinet .

Hinc ſuo pondere corruunt, quæ afferri ſolent ex paritate de voto ſimplici , de voto Eccleſiaſticorum ſacris deputatorum, & Scholaſticorum Societatis , de quibus plura locis ſuperiùs enunciatis . Etenim in voto ſimplici non eſt niſi Promiſſio , quæ dominium non transfert , hominem ſui juris ad plura relinquens; in ſacris Miniſtris conſecratio per votum non eſt conſtitutiva ſtatus Sacerdotalis , ſed eſt velut acceſſoria, eaque propter auferri **C** poteſt ; in voto demum Scholaſticorum non intervenit abſoluta acceptatio , ſed conditionata, proindeque traditio non eſt perfecta.

Ex vi perfectæ traditionis conſtituitur Religioſus ſub ſpeciali dominio , & juriſdictione Dei ; unde abſque injuria , & injuſtitia nequit ab eo auferri . Si vinea Petri translata foret perfecte in dominium Pauli , qui non eſſet, puta ſub poteſtate Regis Hiſpaniæ , nec urgente communi bono poſſet Rex Hiſpaniæ vineam illam a Paulo auferre , quod ſi hoc attentaret, perperam ageret, & nullus plane eſſet actus omnis ; idem dicas de Eccleſia , ſi , media diſpenſatione , Mo- **D** nachum conaretur a ſpeciali Dei dominio auferre .

Maximum vinculum ex Profeſſione.

Æquivalet itidem ratione perfectæ traditionis ſolemnis profeſſio vinculo conſummati matrimonii , quod ab Eccleſia eſt prorſus indiſſolubile , quia ſicut hocce in corporalibus quam magnum vinculum eſt , ita in ſpiritualibus illa maximum , perfectiuſque vinculum dicit , & ſicut conjugalis traditio conſummata dependet a prævia Eccleſiæ ſolemnitate , ita & traditio Monachalis . *Videantur , quæ dedimus Diſp. V. Controv. IV. n. 77.*

Ex paritate conjugii conſummati diſſol- **E** vetur demum quælibet inſtantia deſumpta ex motivo boni communis, ex poteſtate Papæ, & hujuſmodi : etenim quidquid dicetur ad diſſolvendam Religioſam Profeſſionem , dicendum pariter venit de matrimonio conſummato , ſi fingamus , quod uni ex conjugibus ſuperveniat impotentia . Quæ de voto ſolemni Caſtitatis dicta ſunt, ſervata proportione, ad alia vota Obedientiæ, & Paupertatis ſunt extendenda .

§. XV.

§. XV.

INNUUNTUR RELIQUÆ NOVATORUM OBJECTIONES ADVERSUS CATHOLICAM VERITATEM.

327 ACatholici, ut de medio tollant Continentiæ votum, omnem movent lapidem, atque antiquorum Hæreticorum quiſquillas omnes colligunt, eaſque in medium proferunt; quoniam verò parvi momenti ſunt, eorum deliramenta ſummis labiis placet innuere. Petrus Martyr legens apud Athanaſium *lib. ult. de Virginit.* Caſtimoniæ laudes -- O Virginitas opulentia indeficiens, corona immarceſcibilis, Templum „ Dei, domicilium Spiritus Sancti, Margarita ſpecioſa, vulgo inconſpicua .... gaudium Prophetarum, gloriatio Apoſtolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona -- Legens, inquam, hæc audacter ſubdit -- Sunt hæc hyperbolis plena .... Apoſtoli ſane conjuges habuerunt, & Prophetæ; quomodo ergo Virginitas eſt illis gaudium, & corona? Quid præterea cum Virginitate commune habent Angeli, quando corpore carent; unde non magis illi Virgines queunt dici, quam ſi quis lapidem cæcum appellet -- His inſultat Caſtris Iſrael in Athanaſio: Caſtris Iſrael dixi, quia non unus Athanaſius eſt, qui Virginitatem deprædicat, ſed Patres ad unum omnes in illius commendationem effuſi ſunt, ut videre eſt *in Theſauro Controverſiarum tom. 2. apud Jodocum Coccium*.

Non niſi igitur perfracte dicit Hæreticus hyperbolice fuiſſe locutum Athanaſium, cum in eandem confluant ſententiam reliqui Patres, & Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 38. Continentiam præferat conjugio. *Qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit melius facit... Cui vult nubat tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit*. Beatior quidem in Domino eſt cultura Virginitatis, hoc eſt, melius eſt bonum in ordine ad æternam felicitatem. Apoſtolus enim loquitur per contrapoſitionem ad nuptias, innuens, bonas eſſe nuptias in Domino celebratas, ſed meliorem fore Virginitatem. Poſſunt nupti vitam conſequi ſempiternam, at faciliori via ad illam pervenient Continentiæ cultores.

Continentes jure Angelis aſſimilantur.

Sed quid dicendum de irriſione ob comparationem Virginum cum Angelis, cum eâdem utatur ipſemet Chriſtus Matth. 22. v. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſicut Angeli Dei?* Carent quidem corpore, ſed iiſdem aſſimilantur homines Act. 6. v. 15. *Viderunt faciem ejus*, nempe Stephani, *tanquam faciem Angeli*: poſſunt ergo & Virgines ipſis comparari. Et ſane ſicut hominem ſtupidum, & inſenſatum apte lapidi coæquamus, ita homines puros, & a corporalibus voluptatibus ſpiritu elevatos Angelis ſimiles prædicare poſſumus.

Nec momenti eſt, quod Prophetæ aliqui, ſicut & Apoſtoli conjuges habuerint; etenim S. Athanaſius eos commendat, qui cœlibes vixerunt, eoſque potiſſimum, de quibus S. Hieronymus *Epiſt. 22. ad Euſtochium* -- Virgo Elias, Eliſeus Virgo, Virgines „ multi filii Prophetarum: Hieremiæ dici„ tur: Et tu ne accipias uxorem -- Inter Apoſtolos Joannes Evangeliſta Virgo fuit, ſicut & Apoſtolus Paulus, ceteri verò qui fuerant uxorati poſt ſuſceptam perfecte Chriſti ſequelam ſeſe continuerunt; ea propter jure, meritoque laudatus Hieronymus *in Apolog.* pro libris adverſus Jovinianum dicere potuit -- Apoſtoli aut Virgines, aut „ poſt nuptias continentes --

DICIT tamen Lutherus, ſi omnes cœlibes viverent, periret humanum genus, graviterque læderetur Chriſtianæ Reipublicæ bonum, quæ ob nimiam ſe continentium frequentiam imminueretur, unde Infidelibus, Turciſque reſiſtere non valerent Chriſtiani, aliàs ex continentia plurimorum ſalus periclitaretur; plures namque morbi non aliter ſanabiles ſunt, niſi conjugio; ea propter ſicut cum jejunium graviter nocet valetudini non eſt ſervandum, ita ſi caſtitas obſit, ad nuptias confugiendum eſt.

RESP. Inſtantiæ jam reſpondit S. Hieronymus *lib. 1. adverſus Jovinianum cap. 21.* -- At dices: ſi omnes Virgines fuerint, quo„ modo ſtabit genus humanum .... Noli „ metuere, ne omnes Virgines fiant. Diffi„ cilis res eſt Virginitas, & ideo rara, quia „ difficilis. Multi vocati, pauci electi. In„ cipere plurimorum eſt, perſeverare paucorum, unde & grande præmium eorum, „ qui perſeveraverint. Si omnes Virgines „ eſſe poſſent, nunquam & Dominus dice„ ret: Qui poteſt capere, capiat, & Apo„ ſtolus in ſuadendo non trepidaret. De „ Virginibus autem præceptum Domini non „ habet -- & brevius S. Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap.* 10. -- Novi quoſdam, qui „ murmurent, quod ſi omnes velint ab omni „ concubitu abſtinere, unde ſubſiſtet genus „ humanum? Utinam omnes hoc vellent, „ multò citius Dei Civitas compleretur, & „ acceleraretur terminus ſeculi -- Quam doctrinam repetit *de bono Viduitatis cap.* 23. ſecundùm quam corruit eorum opinio, quæ ducet Monachos, & Sanctimoniales ad conſervandum humanum genus nubere debere, ſi ſoli in mundo forent ſuperſtites. Nec Chriſtianæ Reipublicæ bonum læditur, ex quo aliqui ſe contineant: etenim licet adeo a Scriptura, & Patribus commendetur Virginitas, plerique tamen matrimonium ineunt, unde opportune non reſiſtere tantum infidelibus valerent, ſed eos profligare, ſi in unum convenirent diſſidentes Principes.

Difficilis Virginitas, ideoque rara.

Perperam dein aſſeritur aliquos occurrere morbos, qui non niſi carnali commercio ſanari poſſint; hoc quippe negant Medici; eſto tamen id verum foret, fas eſſet ob bonum virtutis ſupremum obire diem. Nec urget paritas jejunium inter, & caſtitatem: etenim cibus per ſe ad individui conſervationem conducit, unde ejus abſtinentia bonæ obeſſe poteſt valetudini, conjugium per ſe non ordinatur ad individuum, nec per ſe eſt nociva ejuſdem abſtinentia, immo ſæpe perutilis. Aliàs inter cetera remedia adeſt

Digitized by Google

adeſt in Religionibus ſuum nedum morale,
ſed & phyſicum medicamen, jejunia nempe,
flagella, ſicut & reliquæ carnis mortificatio-
nes, quibus ſpiritus acrimoniâ ſuâ irritantes
ſemen aut attenuantur, aut ad ſuccurren-
dum infirmis partibus diſtrahuntur; quapro-
pter etiamſi daremus in viris laute, & deli-
cate viventibus hoſce ingenerari morbos,
non idem verificaretur in iis, qui Monaſticen
profeſſi Deo famulantur.

Sed inclamant Hæretici; repugnat cœ-
libatus ſexuum diverſitati, naturalique in-
clinationi ad gignendam prolem.

S. Hieronymus erudite *cit. loco adver-
ſus Jovinianum* obſtruit ora clamantium. Ibi
perpendit alia inter, quod Chriſtus huma-
nam aſſumpſit naturam, ſexuſque proprieta-
tem, & tamen, quin contra naturam age-
ret, perfectum ſervavit cœlibatum, idem
dicas velim de Joanne Baptiſta, de Elia, &
Eliſeo, cur igitur horum veſtigia ſequi non
poſſumus? Quoad naturalem inclinationem
gignendi dicimus bonam utique eſſe, ſed ut
rectæ ſubditur rationi; nam ſecundùm ſe
brutis etiam convenit — Habet autem hoc
„ recta ratio, ut his, quæ ſunt ad finem,
„ utatur aliquis ſecundùm eam menſuram,
„ quæ congruit fini. Eſt autem triplex ho-
„ minis bonum, ut dicitur *in* 1. *Ethic.* Unum
„ quidem, quod conſiſtit in exterioribus re-
„ bus, puta divitiis; aliud autem quod con-
„ ſiſtit in bonis corporis; tertium autem,
„ quod conſiſtit in bonis animæ, inter quæ
„ etiam bona contemplativæ vitæ ſunt potio-
„ ra bonis vitæ activæ, ut Phil. probat *in* 10.
„ *Ethic.*, & Dominus dicit Lucæ 10. Maria
„ optimam partem elegit; quorum bonorum
„ exteriora quidem ordinantur ad ea, quæ
„ ſunt corporis, ea verò, quæ ſunt corporis,
„ ad ea, quæ animæ, & ulterius ea, quæ ſunt
„ vitæ activæ, ad ea quæ ſunt vitæ contem-
„ plativæ. Pertinet igitur ad rectitudinem
„ rationis, ut aliquis utatur exterioribus bo-
„ nis ſecundùm eam menſuram, quæ com-
„ petit corpori, & ſimiliter de aliis; unde ſi
„ quis abſtineat ab aliquibus poſſidendis, quæ
„ aliàs eſſet bonum poſſidere, ut conſulat
„ ſaluti corporali, vel etiam contemplationi
„ veritatis, non eſſet hoc vitioſum, ſed ſe-
„ cundum rectam rationem. Et ſimiliter ſi
„ quis abſtinet a delectationibus corporali-
„ bus, ut liberiùs vacet contemplationi ve-
„ ritatis, pertinet hoc ad rectitudinem ra-
„ tionis. Ad hoc autem pia Virginitas ab
„ omni delectatione venerea abſtinet, ut li-
„ beriùs divinæ contemplationi vacet. Dicit
„ enim Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. Mulier
„ innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini
„ ſunt, ut ſit ſancta & corpore, & ſpiritu,
„ quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ mun-
„ di ſunt, & quomodo placeat viro; unde
„ relinquitur, quod Virginitas non eſt ali-
„ quid vitioſum, ſed potius laudabile — hæc
D. Th. 2. 2. *quæſt.* 152. *art.* 2.

INSTABIS. Haud fas eſt ob bonum
contemplationis ſeipſum interficere; occiſio
namque ſui naturali inclinationi ad viven-
dum adverſatur; ergo ob idem motivum
haud licitum erit ſeipſum impedire a filio-
rum procreatione ob bonum contemplationis.

RESP. Antecedens involvere implica-
A tionem: etenim bonum contemplationis com-
pati nequaquam poteſt cum ſui occiſione;
cum vita cujuſcunque operationis principium
ſit, & fundamentum. Et ſane quomodo ho-
mo, ſi non vivat, contemplationi vacabit?
Quod ſi ſermo inſtituatur de bono contem-
plationis, quod habetur in Patria, hoc nequa-
quam libero hominis arbitrio ſubjacet. Tran-
ſitus enim ad meliorem vitam divinæ pietatis
eſt. Continentia autem compari poteſt cum
vita, inſimul & cum contemplatione, eaque
propter ob bonum contemplationis eligi po-
teſt.

REPLICABIS. Sicut Adamo tanquam
B humani generis capiti dictum eſt omnibus
Gen. 2. *De omni ligno, quod eſt in Paradiſo
comede*; ita omnibus dictum eſt: *Creſcite,
& multiplicamini*; ſed ob primum præceptum
nemini fas eſt abſtinere ab omni comeſtione
cujuſcunque cibi; ergo ob præceptum alte-
rum nemini licebit ab omni filiorum pro-
creatione abſtinere.

RESP. negando paritatem. Siquidem
præceptum de congrua comeſtione prout
Adamo humani generis capiti datum eſt,
omnia, & ſingula illius reſerebat individua,
ea propter nemo unus poteſt abſolute ſe im-
pedire ab omni cibo, cum nullus poſſit ſei-
C pſum occidere: Dominus namque vitæ Deus
eſt, præceptum verò de multiplicatione da-
tum eſt eidem capiti humani generis, ſed ut
repræſentabat myſticum corpus, ſeu commu-
nitatem: unde tota communitas non valet ſe
impedire a procreatione, benè verò indivi-
dua indeterminata. Rem dilucidat S. Tho-
mas *laudato loco in reſp. ad* 1. — Præceptum
„ habet rationem debiti. Dupliciter autem
„ aliquid eſt debitum, uno modo, ut im-
„ pleatur ab uno: & hoc debitum ſine pec-
„ cato præteriri non poteſt; aliud autem eſt
„ debitum implendum a multitudine, & ad
„ tale debitum implendum non tenetur qui-
D „ libet de multitudine. Multa enim ſunt
„ multitudini neceſſaria, ad quæ implenda
„ unus non ſufficit, ſed implentur a multi-
„ tudine, dum unus hoc, alius illud facit;
„ Præceptum igitur legis naturæ homini da-
„ tum de comeſtione neceſſe eſt, quod ab
„ unoquoque impleatur; aliter enim indivi-
„ duum conſervari non poſſet; ſed præce-
„ ptum datum de generatione reſpicit totam
„ multitudinem hominum, cui neceſſarium
„ eſt non ſolum quod multiplicetur corpora-
„ liter, ſed etiam quod ſpiritualiter profi-
„ ciat, & ideo ſufficienter providetur hu-
„ manæ multitudini, ſi quidam carnali ge-
E „ nerationi operam dent, quidam vero ab
„ hac abſtinentes contemplationi Divinorum
„ vacent ad totius humani generis pulchri-
„ tudinem, & ſalutem; ſicut enim in exer-
„ citu quidam Caſtra cuſtodiunt, quidam
„ ſigna deferunt, quidam gladiis decertant,
„ quæ tamen omnia debita ſunt multitudini,
„ ſed per unum impleri non poſſunt —

INSTANT poſtremò. Materia voti de-
bet eſſe de meliori bono; ſed Virginitas non
eſt hujuſmodi, cum ei præſtet connubium;
nam bonum commune potius eſt privato;
Conjugium ad illud, Virginitas ad iſtud or-
dinan-

dinantur. Ulterius materia voti eſſe debet aliqua virtus; Virginitas non eſt virtus, ſed res indifferens, cui nullum adverſatur vitium; ergo.

RESP. Commune bonum potius eſt privato, ſi utrumque ejuſdem, ſecus ſi diverſi ſit ordinis. Virginitas melior eſt conjugio, ut invicte hucuſque propugnatum eſt; eſt ſiquidem bonum animæ ſecundùm vitam contemplativam, conjugium eſt bonum corporis ſecundum carnalem propagationem. Nemo unus inficias ibit primum præſtantius altero eſſe. Ad aliud reſpondet S. Thomas ſupra laudatus *in corpore* — Dicendum quod „ ſicut ſupra dictum eſt in Virginitate eſt „ ſicut formale, & completivum propoſitum „ perpetuò abſtinendi a delectatione venerea. Quod quidem propoſitum laudabile „ redditur ex fine, in quantum ſcilicet hoc „ fit ad vacandum rebus divinis. Materiale „ autem in Virginitate eſt integritas carnis „ abſque omni experimento venereæ delectationis. Manifeſtum eſt autem, quod ubi „ eſt ſpecialis materia boni, habens ſpecialem excellentiam, ibi invenitur ſpecialis „ ratio virtutis, ſicut patet in magnificentia, quæ eſt circa magnos ſumptus, & ex „ hoc eſt ſpecialis virtus a liberalitate diſtincta, quæ communiter ſe habet circa omnem pecuniarum uſum. Hoc autem, quod „ eſt conſervare ſe immunem ab experimento venereæ delectationis, habet quandam „ excellentiam laudis ſupra hoc, quod eſt „ conſervare ſe immunem ab inordinatione „ venereæ voluptatis; & ideo Virginitas eſt „ quædam ſpecialis virtus, habens ſe ad caſtitatem, ſicut magnificentia ad liberalitatem —

Ex his amandanda ſunt, quæ Rhetorico fuco exornat Eraſmus in Colloquio Proci, & Puellæ, videlicet, Pomarium melius fore, quod poſt flores fructus parturit, vitem meliorem, quæ amplexa palum, vel ulmum uvis gravida eſt, quam quæ humi jacens computreſcit; feliciorem roſam, quæ manu hominum atteritur, delectans interim oculos, & nares, quam quæ ſeneſcit in frutice, & hujuſmodi, amandanda, inquam, hæc ſunt, cum non niſi animalitatem ſapiant, & a Chriſti ſanctitate, & doctrina quam maxime diſtent.

PARS ALTERA CONTROVERSIÆ.

DE PAUPERTATIS VOTO.

IN præcedentibus Catholicam veritatem circa Continentiæ votum firmare ſtuduimus, impræſentiarum alia ſolemnia vota ab Hæreticorum furore vindicanda ſunt. Paupertati voluntariæ ſecundum damus locum, quia pluribus adverſus illam inſurrexerunt Fidei hoſtes, quorum errores diſcretis proponemus Paragraphis, breviterque diſcutiemus.

§. I.

AN PAUPERTAS OMNIBUS SIT AD SALUTEM NECESSARIA.

HÆretici, qui Apoſtolici nuncupabantur, tanquam dogma venditabant neminem poſſe æternam conſequi felicitatem, niſi adeo fuerit pauper, ut nil proprium poſſideret, ita refert Auguſtinus *de Hæreſ. hær.* 40., qui *Epiſt.* 89. iiſdem ſcribit Pelagianos propugnaſſe non poſſe hominem ſalvari, niſi omnibus, quæ poſſidet, abrenunciet. Hujuſcemodi errorem cumulavit Gerardus Sagarellus, ſeu Segarellus Parmenſis, vir plebejus, ſub temporibus Bonifacii VIII. ſectatorem habuit Dulcinum Novarienſem, una cum uxore, ſeu veriùs Scorto Margarita; ille Parmæ, hi Vercellis Secularis Magiſtratus ſententiâ flammis addicti periere. Fraticelli, quorum Principes fuere Petrus de Macerata, & Petrus de Foroſempronio pertinaciter propugnabant Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe etiam in communi, atque in hoc ſitam eſſe Evangelicæ paupertatis perfectionem. Fuit & Guilielmus Antuerpienſis, qui paupertatem adeo commendavit, ut aſſerere non dubitaverit omnia peccata ſolâ paupertate deleri. Fuerat olim carnis voluptatibus deditus, ſed inde, rebus omnibus abdicatis, dictitabat paupertate omnia aboleri crimina, melioremque fore meretricem pauperem, quam caſtam aliquid poſſidentem. Plura in ſuperioribus Tomis hac ſuper re dedimus, & potiſſimùm ubi egimus de Eccleſiaſticis temporalia poſſidentibus, ea propter brevi calamo impræſentiarum non nulla ſubjicimus.

Errores quoad paupertatem.

Dicendum itaque realem rerum omnium abdicationem haud neceſſariam eſſe ad ſalutem.

328 Probatur Catholica veritas. Peculiaris temporalium bonorum poſſeſſio ſaluti æternæ adverſatur vel ratione alicujus naturalis, vel Divini præcepti; ſed ratione nullius præcepti adverſatur æternæ felicitati: etenim ſi loquamur de naturali præcepto; rerum diviſio non modo eidem repugnat, ſed potius congruit. Et primò quidem juri naturali ordo plane neceſſarius eſt; ſed quod res per particularia dominia diſtinctæ ſint, & diſtributæ, ad ordinem pertinet; ea ſiquidem ordinatius cuſtodiuntur, quæ ſingulis cuſtodienda incumbunt, quam ſi pluribus indiſtincte commendentur; ergo.

Ordo ad jus naturæ pertinet.

II. Sollicitudo eorum, quæ ad humanum victum neceſſaria ſunt, naturali juri competit; ſed bonorum partitio ſub peculiari dominio debitam fovet ſollicitudinem; cum unuſquiſque eorum ſit ſollicitus, quæ ad ipſum ſpectat; ergo.

III. Res ad humanum victum neceſſariæ abſque labore procurari, ac conſervari nequeunt; unde Protoparenti dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*; cumque unuſquiſque laborem evitare ſatagat, de facili communia negligerentur: ut ergo homines ad otium proni ad laborem excitarentur,

tur, neceſſaria fuit rerum proprietas, & dominium.

IV. Naturaliter homo ad Dei imaginem, atque ſimilitudinem conditus eſt; porro hujuſcemodi ſimilitudo, aliis non ſpectatis, in eo ſita eſt, ut ipſe particeps fiat dominationis, quam Deus ſupra Creaturas habet; ea propter Gen. 1. v. 26. legitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ*: porro Principatus hujuſcemodi non debuit eſſe unus in omnibus indiviſibilis, ſed dividi neceſſe erat, ſicut humana generatio in particulares Perſonarum familias, per varia terrarum ſpatia collocandas, ſecernenda erat, adeoque una bonorum portio aliquibus, alia aliis diſtribui opottebat. Hinc ſub primordiis humani generis partita ſunt bona inter duos fratres, Abelem, & Cainum, quorum alter Domino ſacrificium Deo offerebat de grege, alter verò de fructibus terræ: non ergo naturali juri contrariatur partitio bonorum.

Homo particeps dominii Dei.

Addas velim inter præcepta juris naturæ ſeptimo loco recenſeri præceptum non furandi; ſed prohibitio furti non urgeret, niſi partitio bonorum per diverſa particularia dominia ſupponeretur; furtum ſiquidem eſt ablatio rei alienæ invito Domino; ergo oportet, quod bonorum diviſio non repugnet juri naturali: ob repugnantiam igitur cum naturali jure non habetur poſſeſſionem terrenorum ſalutis ſtatum impedire, proindeque ex præceptis juris naturæ haud colligi valet paupertatem pro æterna conſequenda felicitate fore neceſſariam.

Furtum ſupponit rerum diviſionem.

Oſtenditur modo neque ratione divini præcepti bonorum poſſeſſionem ſaluti animarum adverſari. Utique in ſtatu ſalutis fuere Abraham, Iſaac, Jacob, aliique Sanctiſſimi Viri, qui in veteri Teſtamento deſcribuntur; hi tamen plurimas habuere divitias, plurimorumque bonorum dominium; immo Deus ipſe terram promiſſionis dedit filiis Iſrael non jam communi titulo poſſidendam, ſed peculiari juriſdictione, eaque propter ſortibus per Tribus illam diſtribui mandavit, ſicut videre eſt Num. 26. v. 52., & ſeqq. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Iſtis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in poſſeſſiones ſuas. Pluribus majorem partem dabis, & paucioribus minorem: ſingulis ſicut nunc recenſiti ſunt, tradetur poſſeſſio: ita dumtaxat ut ſors terram Tribubus dividat, & familiis*. Non poteſt igitur poſſeſſio terrenarum opum ex divino præcepto ſaluti adverſari: poſſeſſio, inquam, actualis, ſi recta ratione ſit regulata; ſi enim quis divitias inordinate diligat, bonis Superioribus eas præferendo, tunc indubie oberunt ſaluti; verum non jam divitiæ criminandæ erunt, ſed illis utentes: ideo opportune conſultum eſt Pſal. 61. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*.

Terra promiſſionis, Deo jubente, diviſa.

Quoniam verò Pſeudo-Apoſtolici dicere poſſent, quod in veteri lege apte componi poterat ſtatus ſalutis cum dominio bonorum, quippe qui ſtatus ille erat imperfectus, cui factæ proinde erant temporales promiſſiones, ſecus in lege gratiæ, in qua paupertas ne-

A ceſſaria eſt, a Chriſto præcepta, qui cum eſſet dives egenus pro nobis factus eſt, propterea probandum ſupereſt neque ex præcepto legis novæ bonorum dominium ſaluti adverſari.

Quod Chriſtus ſuo probavit exemplo, nequit æternæ ſaluti obeſſe, immo cum eâ optime componi poteſt; ſed divitiarum poſſeſſionem approbavit Chriſtus Luc. 19. cum deſcendit in domum Zachæi, qui ad Dominum converſus pro defraudatis quadruplo dato, & gratuitò elargita medietate bonorum pauperibus, medietatem alteram apud ſe retinuit, conſentiente, & approbante Salvatore, qui ibidem dixit: *Quia hodie ſalus huic domui facta eſt, eo quod & ipſe ſit*

Divitiarum poſſeſſionem probavit Chriſtus.

B *filius Abrahæ*: porro ſi bonorum abdicatio fuiſſet ex præcepto neceſſaria ad ſalutem, non indulſiſſet Chriſtus, quod Zachæus medietatem alteram bonorum retineret.

Approbavit Matth. 27. v. 57., ubi Diſcipulis Domini accenſetur Joſeph ad Arimathæa, qui terrena poſſidebat, cum de eo dicatur: *Venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joſeph, qui & ipſe Diſcipulus erat Jeſu*.

Et ſane a ſalutis tramite nequaquam aberrabant Antiocheni, illi nempe qui primùm vocati ſunt Chriſtiani; ſed hi proprium habebant, unde eleemoſynam elargiri

C potuerunt Diſcipulis, qui Jeroſolymis, inſtante fame, morabantur, Act. 11. v. 29. *Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus; quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli*.

Erant itidem in ſtatu ſalutis Corinthii, quos ad fidem converterat Apoſtolus, ſed illi affluebant bonis, ex quibus eleemoſynæ diſtribuebantur indigentibus, qui in communi vivebant fratribus: ideo 1. ad Corinth. 16. v. 1. legitur: *De collectis, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiæ Galatiæ, ita*

D *& vos facite. Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant*.

Denique Romani, qui in Chriſto baptizati erant, Chriſto adhærebant; ſed illis bonorum poſſeſſio concedebatur; eis ſiquidem præcepit Apoſtolus, ut tributa Principibus ſolvant, atque unicuique reddant debita; quomodo autem ſtabit ſolutio tributorum, nec non debitorum, ſi nemo proprium habuiſſet? Audiamus ipſum Apoſtolum ad Rom. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*.

E Ordinata igitur temporalium bonorum poſſeſſio non repugnat æternæ ſaluti nedum in veteri, ſed etiam in nova lege; inordinatus tantummodo affectus reprobatur. Unde idem Apoſtolus formam præſcribit Timotheo quoad divites ſervandam, non illos expoliando, ſed ad rectum bonorum uſum adhortando. *Divitibus hujus ſeculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare &c.* 1. ad Timoth. 6. v. 17., & ſeq.

Inordinatus divitiarum affectus reprobatur.

§. II.

§. II.

PSEUDO-APOSTOLICORUM DISSOLVUNTUR MOMENTA.

229 OBJIC. I. Quod impoſſibilem efficit ingreſſum in Regnum Cœlorum, ſaluti plane adverſatur; ſed poſſeſſio bonorum hujuſmodi eſt, dicente Domino Matth. 19. v. 24. *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum Cœlorum*; ergo in lege nova bonorum poſſeſſio æternæ ſaluti adverſatur.

Duplex ingreſſus in Regnum Cœlorum.

RESP. Ingreſſus in Regnum Cœlorum duplex eſt, ſubſtantialis, ſeu eſſentialis unus, alter perfectionis: eſſentialis verſatur in obſervantia præceptorum, ut dicitur cit. Matthæi capite v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Perfectionis verò conſiſtit in adimplemento Conſiliorum: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes*; quem locum de Conſiliis Evangelicis intelligi docent Patres, quos in hiſce Controverſiis abunde dedimus: porro ingreſſus eſſentialis in Regnum Cœlorum non pugnat cum divitiis; unde adoleſcens ille, quem ibi alloquitur Chriſtus, a juventute ſua omnia obſervaverat præcepta non obſtantibus poſſeſſionibus, quas habebat, quod autem impune a juventute peregerat, poterat itidem uſque ad ſenectam ſervare, & obſervando æternam conſequi felicitatem.

Si autem ſermo inſtituatur de ingreſſu perfectionis, haud componi quit cum divitiarum poſſeſſione; ideo dicit ibidem Salvator: *Si vis perfectus eſſe, vade &c.*, & de hoc ingreſſu loquitur Chriſtus, cum adjicit: *Facilius eſt Camelum tranſire per foramen acus, quam divitem intrare in Regnum Cœlorum*: etenim hoc dixit, ſumpta occaſione adoleſcentis, qui, audito Chriſti Conſilio: *Si vis perfectus eſſe, vade &c.* abiit triſtis. Porro Chriſtus doctrinam modo relatam explicare volens, rationem aſſignat, cur ſuaſor fuerit vendendi omnia, videlicet, quia divitiæ ſunt impedimenta perfectionis aſſequendæ, & impedimentum hocce dilucidat ſimilitudine difficilis tranſitus funis magnæ per foramen acus.

Divitiæ perfectionis impedimentum.

Quoniam verò ſolutio hujuſcemodi a communi interpretatione recedere alicui videri poſſet, ideo aliam, quæ ex littera colligitur, ſubdere placet. Cum igitur divitiæ ſint cujuſcunque iniquitatis inſtrumenta, atque poſt ſe hominum affectiones trahant, impoſſibilem reddunt naturæ viribus mandatorum adimpletionem, ſine qua nemo ſalutem conſequitur, mandatorum, inquam, non tantum ſupernaturalis ordinis, quod indubium eſt, ſed etiam ordinis naturalis, ſive affirmativa ſint, ſive negativa; ea propter ſicut naturaliter fieri nequaquam poteſt, quod Camelus tranſeat per foramen acus, ita fieri nequit, quod dives naturæ viribus æternam adipiſcatur beatitudinem; & quidem non ea præciſa ratione, qua nemo valet abſque viribus gratiæ ſalvari, ſed etiam ex peculiari aliquo pondere, quod corruptæ naturæ ſuperaddunt divitiæ, ut apte innuit ipſemet Chriſtus v. 26. dum Apoſtolis hac ſuper re mirantibus dixit: *Apud homines hoc eſt impoſſibile; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*; quod in idem redit, ac ſi diceret, humanis viribus haud poſſibile eſt toto vitæ tempore bene uti divitiis, ſecus viribus supernæ gratiæ.

230 DICES. Nec viribus gratiæ conſequi valet a divitibus æterna beatitudo, ſi divitiæ bonum uſum divini auxilii impediant; ſed revera impediunt, Domino atteſtante Matth. 13. v. 22. *Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſollicitudo ſeculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur*. Verbum gratia Dei eſt; hæc a divitiarum poſſeſſione ita ſuffocatur, ideſt impeditur, ut fructum nullum afferat.

RESP. Chriſtus haud reprobat moderatum divitiarum uſum, ſeu non condemnat temporalium bonorum poſſeſſionem, ſed inordinatum modum illas poſſidendi, videlicet nimis ſollicite eas præferendo ſupra Deum. Tunc divitiæ Dei verbum ſuffocant, cum in eis ſpes figitur, ſicut dicitur Proverb. 11. v. 28. *Qui confidit in divitiis ſuis, corruet*; ſive etiam cum injuſte poſſidentur: Eccli. 5. v. 10. *Noli anxius eſſe in divitiis injuſtis. Non enim proderunt tibi in die obductionis, & vindictæ*. Inordinatio igitur circa bona eo loci a Chriſto reprehenditur, ſecus prudens, & moderatus divitiarum uſus.

Uſus divitiarum quando reprobandus.

231 OBJIC. II. A ſalutis ſemita longe aberrat, qui Chriſti Diſcipulis non accenſetur; ſed habens temporalium bonorum dominium Chriſti Diſcipulis accenſetur immeritò, dicente ipſomet Chriſto: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; ergo terrenorum bonorum abdicatio ad ſalutem neceſſaria eſt.

RESP. Duplex eſt Chriſti diſcipulatus, unus communis, ſingularis alius, communis ille eſt, qui per fidem ſuſcipitur juxta illud Joan. 8. v. 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis*. Hoc pacto Chriſtifideles ad unum omnes ſunt Chriſti Diſcipuli; ſiquidem manent in ſermone ejus, ſcilicet in fide; peculiaris verò ille cenſetur, qui ſpecialem Chriſti ſequelam profitetur, huic adſcripti erant illi, de quibus dicitur Luc. 10. v. 1. *Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam &c.* Hinc ſæpe numero Apoſtoli antonomaſtice nuncupantur Diſcipuli Domini, quia ſpecialiter vocati fuere ad peculiare miniſterium, ad ſingularem ſtatum, & perfectionem.

Duplex Chriſti diſcipulatus.

Diſcipulatus itaque communis ſingulis ad ſalutem neceſſarius eſt, dicente Chriſto: *Qui non eſt mecum, contra me eſt*; & *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; ſecus peculiaris: ſicut enim non omnia membra eundem actum habent, ita non omnibus Chriſtifidelibus eadem neceſſaria eſt profeſſio ſpecialis perfectionis; quod mire deſervit ad pulchritudinem Eccleſiæ circumamictæ varietate.

Duplex itidem datur temporalium rerum abdicatio, realis una, altera affectiva. Realis eſt, cum actu bona diſtrahuntur ven-

dendo, donando, eleemoſynas largiendo, affectiva verò cum bona habentur, abdicanda tamen, ſi id neceſſe foret, ne Deo irrogetur injuria. Realis abdicatio quibuſdam Chriſti Diſcipulis neceſſaria eſt, ſecus omnibus, ſed affectiva ſingulis ita convenit, ut ſine ipſa nemo ſalvari poſſit, cum ad ſalutem dilectio Dei ſuper omnia prorſus deſideretur; & de hac abdicatione Chriſtus ſermonem inſtituit Luc. 14. Et ſane eodem modo Chriſtus intelligendus eſt, cum dicit: *Qui non renunciat omnibus &c.*, quo intelligitur, cum aſſerit: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & matrem ſuam, & uxorem &c.*, ſed hoc nequit intelligi in ſenſu reali; cum actualem non præcipiat ſejunctionem a patre, matre, & uxore, ſed tantummodo affectivam; ne ſcilicet parentum amor Deo præferatur; ergo etiam illud non de reali, ſed de affectiva abdicatione intelligendum eſt.

232 INSTABIS. Chriſtus eo loci ſermonem habet de reali abdicatione omnibus neceſſaria: etenim, adoptata ſimilitudine convivii, atque vocatorum ad illud, exponit vocationem ad Fidem, & ad Eccleſiam; ab illo autem convivio aperte conſtat rejectos fuiſſe, qui actu villam deſerere non voluerunt, emptoſque dimittere boves, ergo cum ſubſequenter loquitur de abdicatione temporalium quoad vocatos ad diſcipulatum, intelligendus eſt de reali, & non ſolùm affectiva terrenorum renunciatione: nec idem eſt de parentibus; eaque propter quoad iſtos nequaquam aſſumpſit verbum abrenunciationis, ſed odii, quod in affectu conſiſtit, ut palam fieret affective deſerendos fore parentes, licet realiter terrena abdicanda, proindeque dixit: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet.*

RESP. Perperam dicitur Chriſtum eo loci locutum de reali abdicatione ab omnibus exequenda, quod ipſamet ſimilitudo adoptata id evincit; ſiquidem parabolà convivii haud innuere volebat actualem bovum, agrorumque abdicationem ad ſalutem neceſſariam: ibidem namque ille adducitur, qui uxorem duxerat, atque vocatus renuit ad convivium accedere, & tamen dubio-procul uxor nequaquam dimittenda erat; indiſſolubile namque vinculum habet conjugium. Damnat ergo Chriſtus inordinatum affectum erga temporalia, ob quæ quandoque homines a ſemitis juſtitiæ elongantur; quare ſive odium, ſive abrenunciatio, de quibus loquitur Chriſtus, reſpiciunt animi præparationem, & affectum, non autem actuale odium, & realem abdicationem omnibus neceſſariam.

Ob temporalia quandoque homines a Deo elongantur.

233 OBJIC. III. Si temporalium poſſeſſio ſaluti non adverſaretur, ſtultus non foret, qui ea congregaret; ſed Chriſtus ſtultum appellat, qui ea congregat: Luc. 12. v. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* ergo divitiarum poſſeſſio nequaquam cum ſtatu ſalutis componitur.

RESP. Temporalia bona congregari poſſunt, & conſervari vel affectu avaritiæ, vel affectu debitæ providentiæ; quando affectu providentiæ, ideſt, ad honeſtam, atque congruam ſui, ſuorumque ſuſtentationem adunantur, tunc temporalia congregare licitum eſt; ordinata namque ſollicitudo familiæ Deo placet, ideoque alia inter a Paulo exoptata, ut Epiſcopi electio ſit laudabilis, id unum eſt, ut domui ſuæ bene præſit, domeſticorumque curam habeat; quando verò terrena coacervantur ex avaritia, tunc execranda ſunt; quod ibidem v. 15. declarat Chriſtus: *Videte, & cavete ab omni avaritia; quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his, quæ poſſidet.* Idem repetit poſt laudata verba in objectione v. 21. *Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives*; quibus exprimitur avaritiæ effectus, in eo quod divinis terrena præferuntur.

Temporalia ad ſuſtentationem congregari poſſunt.

234 REPLICABIS. Quod eſt Gentilium character, indubie non compatitur cum ſtatu ſalutis; ſed terrenorum congregatio e re Gentilium eſt, dicente Domino cit. Lucæ capite v. 29. *Et vos nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in ſublime tolli: hæc enim omnia gentes mundi quærunt*; ergo his, qui Chriſti ſunt, haud licet temporalium poſſeſſio.

RESP. Quærere principaliter temporalia utique proprium eſt Gentium, ſecus ea quærere ſubordinate ad cæleſtia, illud, non hoc reprobatur a Chriſto; quod ex contextu palam fit, dicitur namque v. 31. *Verumtamen quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Præferenda ſunt igitur divina terrenis, iſtaque cum ſubordinatione ad illa quæri poſſunt, atque congregari.

Cæleſtibus terrena ſubordinentur.

235 OBJIC. IV. Cui non licent media ad aliquod opus, aut finem conducentia, neque idem opus, aut finis licet; ſed Chriſtifidelibus haud media licent deſervientia ad temporalium poſſeſſionem, ut legitur Jacobi 4. v. 13. *Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus &c.* Porro mercatura per ſe ad terrenorum acquiſitionem conducit; ergo ſi hæc reprobatur, palam fit dominium bonorum non componi cum ſtatu ſalutis.

RESP. S. Jacobus eo loci a mundi concupiſcentia dehortatur ob humanæ vitæ incertitudinem, eoſque damnat, qui ſollicite terrena expetunt, eaque ſibi promittunt, interim cæleſtia negligunt, unde imparati extremam diem obeunt: quod ut innuat, ſequentia ibidem ſubdit: *Qui ignoratis, quid erit in craſtino. Quæ enim eſt vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur; pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; &: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis, maligna eſt. Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Quibus in aperto eſt, ſollicitudinem illam damnare, qua quis pro futuris temporibus anxie terrena exquirit, oblitus humanæ caducitatis, unde ex divitiarum poſſeſſione ſuperbia fovetur, mandata Dei non obſervantur, multiplicanturque crimina, cum aliàs ſi seriò vitæ incertitudo, & brevitas perpendantur, animus ad ſuperna convertitur, atque ab inordinato temporalium affectu retrahitur.

Inordinata divitiarum poſſeſſio ſuperbia fovet.

236 OBJIC.

236 OBJIC. V. Scriptura perpetuò carpit divitias, diviteſque, & nuſquam aut hos, aut illas commendat: ſed hoc clarè innuit nequaquam componi poſſe bonorum poſſeſſionem cum ſtatu ſalutis; ergo jure dicendum eſt paupertatem neceſſariam eſſe ad ſalutem.

RESP. In probatione Catholicæ veritatis plura dedimus Scripturæ teſtimonia, quibus evincitur terrenorum poſſeſſionem æternæ felicitati non adverſari, alia itidem afferri poſſent; ceterum Eccleſia, quâ nullus aptior interpres ad Scripturarum intelligentiam, nuſquam docuit actualem bonorum abdicationem neceſſariam ad ſalutem; hinc Evangelium Principibus, Regibus, divitibuſque enuncians, quorum plurimos ſacro abluit lavacro, non jam Regnorum, aut divitiarum renunciationem voluit, ſed rectum tantummodo eorundem uſum. Equidem nonnulli ultro ſeculi pompis valedixerunt, & paupertatem, non jam ex præcepto, ſed ex conſilio adoptarunt; verùm enim verò quot habet Eccleſia Sanctorum albo adſcriptos, quibus divitiæ affluebant, ut Eduardum, Ludovicum, Stephanum regali diademate inſignes, Henricum Imper., alioſque hujuſmodi.

Evangelium componitur cum uſu divitiarum.

Nec inficias imus divites, divitiaſque ſæpe numero in Scripturis execrari; arduum quippe eſt illis bene uti, potiſſimum ſi illi ſpectentur, qui nimia ſollicitudine eas exquirunt. Divitiæ omnis iniquitatis inſtrumenta nuncupantur; ea propter vulgare proloquium eſt: *Pecuniæ obediunt omnia*. Unde cum innumera mala ex opibus progerminentur, hinc jure meritoque a Scripturis reprobantur. Quoniam verò hujuſmodi mala ea ipſis divitiis non oriuntur, ſed ab inordinato earundem affectu, hinc ſub recto uſu æternæ non adverſantur felicitati; nec ad ejuſdem conſecutionem neceſſaria eſt actualis terrenorum abdicatio, ut perperam contendebant Hæretici.

§. III.

AN HONESTUM SIT, LICITUM, ATQUE MERITORIUM PAUPERTATEM VOVERE.

237 Vitium ſemper ad extrema declinat, mediumque refugit. Pſeudo-Apoſtolici ſingulis neceſſariam voluerunt paupertatem ad ſalutem, ut mox vidimus, ex adverſo alii, qui exierunt ex nobis, ſed ex nobis non erant, propugnare auſi ſunt voluntariam paupertatem fore noxiam ad æternam conſequendam beatitudinem, nec eſſe de meliori bono eam Deo nuncupare. Vigilantius natione Calaguritanus, ſeu Gallus, ut ſcribit Gennadius *in Catalogo*, Barcinonenſis Eccleſiæ Presbyter, Monaſtici Ordinis hoſtis infenſiſſimus, alia inter, quæ hæretice docuit; id erat, quod melius facere aſſerebat, qui rebus ſuis utuntur, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus dividunt, quam illos, qui poſſeſſionibus venundatis, ſemel omnia largiuntur. Guillelmus de Sancto Amore Seculo XIII. Tractatum adverſus Monachos Mendicantes ſcripſit, quo perſuadere contendit habitualem paupertatem licitam fore, ſecus actualem, hoc eſt, licitam eſſe animi promptitudinem ad omnia relinquenda pro Chriſto, cum neceſſitas urgeret, hac tamen neceſſitate ſecluſa, illicitam eſſe voluit paupertatem, per quam aliquis omnibus, quæ poſſidet, renunciet, ut liberius Deo ſervire liceat. Joannes Wiclefus famos dicebat; & ſe periculo vitæ exponere Religioſos paupertatem voventes, ut refert Thomas Waldenſis *Tom.* 1. *lib.* 4. *art.* 1. *cap.* 16.

Hæretici paupertatis oſores.

Lutherus Seculo XVI. *Theſi* 59. *contra triginta articulos Lovanienſium* habet -- Paupertas, quam vovent, eſt rapina orbis terrarum, & opes mundi, ſicut ſcriptum eſt: ecce peccatores abundantes in ſeculo obtinuerunt divitias -- & *de votis Monaſticis* -- Votum paupertatis videtur a Satana in hoc effectum, ut Religioſi prætextu ejus liberi fiant a juvanda paupertate aliorum, & ab impendendis operibus miſericordiæ -- Luthero adſtipulatur Diſcipulus Philippus Melancthon *in locis commun. de diſcrimine Conſiliorum, & præceptorum* -- Evangelium nec conſuluit, nec præcipit diſcedere a facultatibus, niſi eripiantur: nec præcipit, nec conſulit res in commune conferre --

Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 13. §. 19. reprobato Continentiæ voto, adverſus Paupertatis, atque Obedientiæ votum inſurgit -- In reliquis duobus votis impugnandis non inſiſtam, hoc tantùm dico: præterquam quod non paucis ſuperſtitionibus ſunt implicata (ut hodie res habent) in hoc compoſita eſſe videntur, ut qui ea nuncupant, Deo illudant, & hominibus -- & §. 13. perperam intellectâ, atque male interpretatâ quadam Pauli auctoritate, quam infra dabimus, ſubdit -- Si certum eſt inter Magiſtrum, & Diſcipulum nihil eſſe diſcretionis, alter autem clare negat hominis perfectionem in eo conſiſtere (hoc eſt in Profeſſione paupertatis) & rurſum ſine eo conſtare aſſerit -- Ibidem ſimiliter renuit admittere illud Chriſti conſilium: *Vade, & vende omnia &c.* intelligi de voluntaria paupertate.

Dicendum tamen eſt votum voluntariæ paupertatis honeſtum eſſe, Deo gratum, atque voventi meritorium, adeoque meritò poteſt Deo nuncupari.

238 PROB. I. Illud fas eſt Deo vovere, quod ipſi gratum eſſe ſuo exemplo oſtendit Chriſtus; etenim datus eſt nobis Salvator in exemplum virtutis; & ipſe eſt via, veritas, & vita; ſed voluntariam paupertatem Deo gratam eſſe exemplo declaravit; ergo. Minor dilucide Scripturis evincitur. Chriſtus in ipſius vitæ primordiis paupertatem adoptavit, naſci volens in ſtabulo, & in præſepio reclinari, Luc. 2. v. 7. *Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio.* Hinc paupertatem adeo adamavit, ut toto vitæ ſuæ tempore tanquam prædilectam proſecutus eſt, ut colligitur ex Matth. cap. 27. v. 55. *Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ ſecutæ*

Chriſtus paupertatē adoptavit.

 erant

erant Jeſum a Galilæa, miniſtrantes ei; ubi
A
Hieronymus — Miniſtrabant autem Domino „ de ſubſtantia ſua, ut meteret earum carnalia, cujus illæ metebant ſpiritualia. Non „ quod indigeret cibis Dominus creaturarum, ſed ut typum oſtenderet Magiſtrorum, quod victu, atque veſtitu ex Diſcipulis deberent eſſe contenti — Paupertatis exemplum legimus apud eundem Evangeliſtam cap. 17. v. 26. cum ad evitandum ſcandalum voluit cenſum ſolvere, nec ſtaterem habebat ad ſolutionem tributi, unde Petrum miſit, ut ſtaterem acciperet ex ore piſcis. *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle; & aperto ore ejus*
B
invenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & te. Ubi laudatus Hieronymus — Sed & „ ſimpliciter ædificat intellectum auditorum, „ dum tantæ Dominus fuerit paupertatis, ut „ unde tributa pro ſe, & Apoſtolo redderet, non habuerit. Quod ſi quis objicere „ voluerit, & quomodo Judas in loculis „ portabat pecuniam? Reſpondebimus rem „ pauperum in uſus ſuos convertere néfas „ putavit; nobiſque idem præbuit exemplum —

Alter pro re nata occurrit textus Matth. 8. v. 19., ubi fatetur Chriſtus nec proprium
C
habere habitaculum: *Et accedens unus Scriba ait illi. Magiſter ſequar te, quocunque ieris: & dixit ei Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*. Excitatus Scriba operum Chriſti magnitudine ipſum ſequi exoptabat, ſed Chriſtus ſuam imitandam propoſuit paupertatem, ut inde diſceret in ſequela Chriſti haud exquirendam eſſe virtutem miracula perpetrandi, & temporale lucrum, ſed cœleſtes theſauros, qui paupertate acquiruntur. Audiamus Hieronymum in hunc locum — Talis ergo fides juxta ſententiam Domini condemnatur, & dicitur
D
„ eis, quid me propter divitias, & ſeculi „ lucra vultis ſequi, cum tantæ ſim paupertatis, ut ne hoſpitiolum quidem habeam, „ & non meo utar tecto — Vitam ergo pauperem egit Chriſtus, ſuiſque imitandam propoſuit; ea propter paupertatem fas eſt vovere.

Deinde Chriſtum pauperem vitam ducere oſtendit S. Thomas 3. *p. quæſt.* 40. *art.* 3. *in corpore* ſequentibus motivis — Primò quidem, quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod veniſſe ſe di„ cit Marc. 1. Eamus in proximos vicos, & „ civitates, ut & ibi prædicem; ad hoc enim „ veni; oportet autem prædicatores verbi
E
„ Dei, ut omnino vacent prædicationi, omnino a ſecularium rerum cura eſſe abſolutos; quod facere non poſſunt, qui divitias poſſident; unde & ipſe Dominus Apo„ ſtolos ad prædicandum mittens, dicit eis „ Matth. 10. Nolite poſſidere aurum, neque „ argentum, & ipſi Apoſtoli dicunt Act. 6. „ Non eſt æquum nos relinquere verbum „ Dei, & miniſtrare menſis. Secundò, quia „ ſicut mortem corporalem aſſumpſit, ut nobis vitam largiretur ſpiritualem, ita corporalem paupertatem ſuſtinuit, ut nobis „ divitias ſpirituales largiretur, ſecundum „ illud 2. ad Corinth. 8. Scitis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter „ vos egenus factus eſt, ut illius inopiâ vos „ divites eſſetis. Tertiò, ne, ſi divitias haberet, cupiditati ejus prædicatio adſcriberetur, unde Hieronym. dicit ſuper Matthæum, quod ſi Diſcipuli ejus divitias habuiſſent, viderentur non causâ ſalutis hominum, ſed causâ lucri prædicaſſe, & eadem ratio eſt de Chriſto, ut tantò major „ virtus Divinitatis ejus oſtenderetur, quantò „ per paupertatem videbatur abjectior; unde „ dicitur in quodam ſermone Epheſini Concilii: omnia paupera, & vilia elegit, omnia mediocria, & pluribus obſcura, ut Divinitas cognoſceretur orbem transformaſſe „ terrarum, propterea pauperculam elegit „ matrem, pauperiorem patriam, egens „ fuit pecuniis, & hoc tibi exponit præſepe — Hæc momenta optima ſunt, atque Scripturis conſona, eaque palam faciunt ad Chriſti imitationem valdè honeſtum eſſe viris perfectionis ſtatum profitentibus, paupertatem vovere; & ſane qui particulari jure valedicunt ſeculo, ſecularibus ſeſe non debent implicare; hæc uno obtruncat ictu voluntaria paupertatis promiſſio. Regularium Ordines aliorum ſaluti exemplo, & verbo incumbunt, ne cupiditati temporalium tribuatur eorum labor, optimum eis eſt paupertatis conſilium ſequi. Uno verbo Chriſtus ſtatum perfectorum potiſſimè exprimebat; ſi ergo pauperem elegit vitam, volentibus perfectionis ſtatum aſſumere, votum paupertatis opus eſt adoptare.

239 PROB. II. Quod ſpecialiter Chriſtus, ut deſerviens ad Beatitudinis conſecutionem, ſuo commendat teſtimonio, apta voti materia cenſenda eſt; ſed voluntaria paupertas hujuſcemodi eſt; ergo. In majori propoſitione nulla occurrit difficultas; opus namque peculiariter laudabile Deo placet, proindeque aptum eſt, ut in Dei cultum, medio voto, offeratur. Minor evincitur ex Matthæo cap. 5. v. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*. Contextus ſpecialem paupertatis commendationem innuit aperte: etenim illas inter Beatitudines, quæ ſunt velut præcipua perfectionis capita, primum ſortita eſt locum paupertas ſpiritus, quæ dubio-procul ad æternam felicitatem deſervit: ſiquidem *ipſorum eſt regnum Cælorum*.

Paupertas ſpecialiter a Chriſto commendata.

Supereſt oſtendere Chriſtum ibidem loqui de Evangelica paupertate. Nuſquam melius dignoſcere poſſumus alicujus Scripturæ ſenſum, quam ſi alia occurrat Scriptura præcedentem explicans; atqui Scripturam habemus primam explicantem de paupertate: nam Luc. 6. v. 21. doctrina de Beatitudinibus a Chriſto tradita recenſetur, atque inſuper increpatio oppoſiti cuilibet Beatitudini: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt Regnum Dei. Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini &c.*, & v. 24. *Veruntamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*. Quid clariùs ad intelligendum in prima Beatitudine Chriſtum locutum fuiſſe de paupertate, cui opponitur divitiarum poſſeſſio.

Ea

Ea propter quamvis pauperum nomine afflicti intelligi poſſint, ut contendit Calvinus in hunc locum, juxta illud Pſal. 24. v. 16. *Unicus, & pauper ſum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt*: vel humiles ſecundùm Chryſoſtomi interpretationem, dicente Iſaia cap. 66. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & trementem ſermones meos*: vel timentes Deum filiali timore, ob quod Iſaiæ 11. Sancti Spiritus dona enumerantur, & ultimo loco donum timoris deſcribitur, quod primæ Beatitudini, quam Dominus evangeliſavit, correſpondet, nuſquam tamen excluditur intelligentia de vera paupertate; immo apte ceteri ſenſus huic ſubordinantur: paupertas namque rectò ſociata cordis affectu fovet humilitatem, contritionem, Deique timorem, ſicut divitiarum poſſeſſio cordis elationem gignit, ſuperbiam, acediam, alioſque pravos animi motus. Quibus omnia Hæreticorum machinamenta adverſus hunc textum excogitata plane corruunt.

Haud tamen prætermittendum, quæ in hunc locum refert Angelicus -- Nota quod „ Moyſi primò promiſit divitias: Deut. 28. „ Faciet Te Dominus Deus tuus excelſiorem „ cunctis gentibus, quæ verſantur in terra, „ & infra: Benedictus tu in Civitate; & „ ideo ut diſtinguat Dominus legem veterem a nova, primò ponit Beatitudinem in „ contemptu divitiarum temporalium -- Ex conſideratione igitur veteris, & novæ legis palam fit diſcrimen mediorum deſervientium ad ſalutem, inter quæ primum obtinet locum voluntaria paupertas, divitiarumque abdicatio.

Nec Chriſtus ad affectivam tantummodo paupertatem, ſed ad actualem, realemque reſpexit: etenim abſolutus ille loquendi modus: *Beati pauperes ſpiritu*, quid majus innuit, quam animi diſpoſitionem ad deſerendas, ſi neceſſitas urgeat, divitias; ſiquidem viri licet pietate inſignes, ſi divitiis affluant, illiſque bene utantur, adhuc non dicuntur abſolute pauperes ſpiritu, & meritò ſane: Tertullianus namque *lib. 4. contra Marcionem cap.* 14. præcitatum textum legit -- Beati mendici (ſic enim exigit interpretatio vocabuli, quod eſt in Græco.) „ quorum illorum eſt regnum Cœlorum -- Porro mendicus realem paupertatem habet. Addas velim, quod ſi affectiva paupertas diſponit ad perfectionem, fortiùs ad eam præparat affectiva inſimul, & realis. Hinc laudato loco optime diſcurrit S. Thomas -- „ Et iſti dicuntur dupliciter; quia etſi aliqui „ divitias habent, tamen non habent eas in „ corde: Pſal. 61. Divitiæ ſi affluant, no„ lite cor apponere, aliqui neque habent „ affectu, & iſtud ſecurius, quia mens tra„ hitur a ſpiritualibus ex divitiis; & iſti di„ cuntur proprie pauperes ſpiritu, quia „ actus donorum, qui ſunt ſupra humanum „ modum, ſunt hominis beati, & quod ho„ mo omnes divitias abjiciat, ut neque ali„ quo etiam modo appetat, hoc eſt ſupra „ humanum modum; iſtis autem repromit„ titur Regnum Cœlorum, in quo notatur „ non ſolùm altitudo honoris, ſed affluen„ tia divitiarum: Jacobi 2. Nonne Deus ele„ git pauperes in mundo, divites in fide --

Obvium eſt aliud Matthæi teſtimonium cap. 19. v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* Quibus Evangelicæ paupertatis conſilium tradidit, ut in Controverſia *de diſtinctione Præceptorum, & Conſiliorum* oſtendimus, atque Hæreticorum effugia occluſimus; ea propter in ejuſdem dilucidatione immorandum non eſt. Illud tamen advertere operæ pretium eſt, Chriſtum ſuaſorem fuiſſe perfectæ paupertatis, media ſcilicet ſtabili abdicatione, quæ utique non habetur abſque firma promiſſione; idcirco monuit Juvenem, ut omnibus venditis rediret, ipſum ſecuturus, quo innuere voluit non amplius reverti debere ad priſtinum ſtatum, ut perfectio acquiratur -- Quia exoneratus iſtis, poteris faci„ lius contemplari cœleſtia -- inquit ibidem S. Thomas. Unde cum dixit Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe*, non declarat perfectionem ocyus acquirendam, ſed divitiarum abdicationem ejuſdem eſſe principium; cumque ad ipſam adipiſcendam ſemper ſit neceſſaria cœleſtium contemplatio, ſemper itidem oportet divitiis exoneratum eſſe.

Rerum abdicatio ad cœleſtium contemplationē deſervit.

Occurrit itidem aliud teſtimonium ex Actis Apoſtol. cap. 4. v. 32., & 34. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia . . . Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* His affabre deſcribitur perfecta Evangelicæ paupertatis forma, nec effugium Calvino ſupereſt, unde male repetit ſingulos bonorum dominium retinuiſſe, atque ſolummodo ea ultro ceteris communicaſſe Chriſtianis: etenim *neque quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat*, inquit Scriptura, ſubdens: *Erant illis omnia communia . . . Quotquot poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant*, quibus plane intelligere deberet Calvinus pios illos fideles omne abdicaſſe dominium, liberumque bonorum uſum Apoſtolis commendaſſe. Qui ergo tam ſalutare exemplum imitari voluerit, ritum minime ſuperſtitioſum exercebit, ſed laudabilem, Deoque acceptabilem, quique ad eum obſervandum voto ſeſe obſtrinxerit, melius faciet, & paupertatis exercitium duplicabitur ad coronam.

Jeroſolymis perfecta rerum abdicatio.

Res clareſcet ex his, quæ ibidem habentur *cap.* 5. Siquidem niſi liceret paupertatem voto Deo nuncupare, non eſſent criminandi illius tranſgreſſores; atqui Deus punit promiſſæ paupertatis fractores, ut palam fit ex facto Ananiæ, & Sapphiræ, qui inopinata morte ob occultatam partem divendití agri puniti ſunt: nec aliud ſane crimen hocce eſſe poterat, quam ſacrilegii ob voti violationem. Nam ratione ſimplicis mendacii non erat lethalis culpa, cum foret tantummodo officioſum; neque eſſe poterat gra-

ve

ve peccatum ob affectum avaritiæ ; cum non eſſet inordinatus divitiarum appetitus adverſus aliquam Dei legem , ſed erat detentio rei , quam juſte poſſidebant , atque ultro charitativo affectu ſpondebant ; nec ratione ambitionis gravitas culpæ deſumi poterat ob idem momentum ; nec demum mortalis culpæ rei cenſendi erant ob Hypocriſim , cum in re levi , & indebita ſimulabant totum dare pauperibus ; & aliàs hujuſcemodi fictio , ſi ad ſua elargienda non tenebantur , nemini damnoſa erat ; ex alio igitur capite venanda eſt peccati gravitas , quam Deus tam acri punitione mulctavit ; cumque neque ex naturali , aut divina lege habeatur , ſit oportet ex aliqua lege orta ex ſpontanea voluntate ; hæc porro alia non eſt , quam voluntaria promiſſio Deo facta , firmataque voto .

Marcus Antonius de Dominis *lib. 2. de Republica Chriſtiana cap.* 12. cum plura de voto tradiderit , ſubdit *n.* 20. -- Id verò non ,, titubanter , ſed libere affirmarem , ſi in ,, actu illius , quem Deus per Petri vocem ,, ſeveriſſimo ſupplicio mulctavit , à voto ,, pependiſſe vel Scriptura diceret , vel ex ,, Scriptura ſufficienter colligeretur --

Verùm ſuo ſe gladio ferit Apoſtata . Si ſincere ſcrutatus fuiſſet Scripturas , id clare intellexiſſet : & ſane , quid aliud niſi violatio voti innuitur , cum Petrus Ananſam ita allocutus eſt v. 3. *Anania : cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto , & fraudare de pretio agri ?* Etenim fraus non intervenit , cum de re propria , ſed dum de aliena agitur : ſi ergo interfuit fraus , res illa aliena erat , non quidem ex venditione , cum prævie Ananſas foret legitimus agri Dominus , ratione igitur promiſſionis factæ de pretio agri offerendo pro communi fidelium ſuſtentatione . Votum ſimiliter colligitur ex illis verbis : *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto* . Mendacium namque immediate contra Spiritum Sanctum his exprimitur . ſed non habetur tale mendacium , ſeu nemo mentitur Spiritui Sancto , niſi id quod Deo promiſit , irritum faciat ; ergo Ananſas jam pretium agri Deo voviſſe meritò dicendum eſt . Ulterius v. 4. legitur : *Nonne manens tibi manebat , & venundatum in tua erat poteſtate ?* Vis porro horum verborum nulla eſt , niſi ad hunc ſenſum reducatur : tuus erat ager , liber eras , ut dares , vel retineres ; nemo te cogebat tua pauperibus diſtribuere : ſi ergo nolebas dare , promittere non debebas , nec per votum ea Deo conſecrare . Id demum evincitur ex v. 9. *Quid utique convenit vobis tentare ſpiritum Domini ?* Tentat Deum , qui juramentum eidem præſtitum infringit ; ſiquidem quantum eſt ex ſe ipſum provocat , ut ſignis oſtendat ſe in teſtem adductum fuiſſe promiſſionis falsò , & illuſorie factæ .

Sacrilegos fuiſſe Ananſam , & Sapphiram docent Patres , ex Græcis Chryſoſtomus *hom.* 12. *in Acta Apoſtol.* inquit -- Quare hoc feciſti ? ,, Voluiſti habere ? oportebat initio habere , ,, & non promittere , nunc autem poſtquam ,, conſecraſti , majus ſacrilegium commiſiſti : ,, qui enim aliena rapit , forſan alienarum re- ,, rum deſiderio rapit : tibi autem licebat tua ,, retinere ; cur igitur ſacra feciſti ea , & ,, poſtea accepiſti ? -- S. Baſilius *de inſtitut.* ,, *Monachorum Ser.* 1. -- Danda omnino ſe- ,, dulò opera eſt , ne quid quoquo pacto pro- ,, feſſione noſtra indignum faciamus , neve ,, ſimili atque Ananſas judicio efficiamur ,, obnoxii . Licebat enim initio Ananſæ poſ- ,, ſeſſiunculam ſuam Deo non polliceri , at- ,, que vovere ; ſed poſtquam humanæ gloriæ ,, cupiditate inductus , quidquid in bonis ,, habebat , per profeſſionem Deo conſecra- ,, vit , quo videlicet egregio iſtiuſmodi facto ,, hominum de ſe admirationem excitaret , ,, de pretio autem callide poſtea neſcio quid ,, intervertit , ejuſmodi adverſum ſe indigna- ,, tionem Dei provocavit , cujus Petrus mi- ,, niſter fuit -- Idem alii plures ; ex Latinis S. Hieronymus *de ſervanda Virginitate Epiſt.* 8. *cap.* 7. -- In Actis Apoſtolorum , ,, quando Domini noſtri adhuc calebat cruor , ,, & fervebat recens in credentibus fides , ,, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas , & pre- ,, tia earum ad Apoſtolorum deferebant pe- ,, des , ut oſtenderent pecunias eſſe calcan- ,, das : dabaturque ſingulis prout cuique ,, opus erat . Ananſas , & Sapphira diſpenſa- ,, tores timidi , immò corde duplici , & ideo ,, condemnati , quia poſt votum obtulerunt ,, quaſi ſua , & non ejus , cui ſemel ea vo- ,, verant , partemque ſibi jam alienæ ſubſtan- ,, tiæ reſervarunt , metuentes famem . quam ,, vera fides non timet -- S. Auguſtinus *Ser.* 27. *de verbis Apoſtoli* -- Dum ex eo quod ,, promiſerat , partem ſubtraxit , ſacrilegii ,, ſimul condemnatur , & fraudis -- S. Fulgentius , aliis omiſſis , *in Epiſt. de debito conjugali cap.* 8. -- Quam ſit malum , quamque ,, ſollicite fugiendum , ſi quis de hoc quod ,, Deo voverit , aut retinere , aut rapere ,, aliquid mortifera prævaricatione pertentet , exemplo ſunt Ananſas , & Sapphira --

240 PROB. III. Quod ad perfectionis conſecutionem deſervit , opportuna , aptaque eſt materia voti ; ſed realis paupertas voluntarie adoptata hujuſmodi eſt ; ergo . Minor elucidatur . Dupliciter opus aliquod ad perfectionis conſecutionem valet deſervire , vel quia in ſe peculiarem habet bonitatem , vel quia impedimenta removet perfectioni adverſa . Voluntaria paupertas ad perfectionem conducit , removendo ejuſdem impedimenta ; divitiarum namque poſſeſſio a divinis rebus hominis affectum retrahit .

Divitiæ impedimentum perfectionis.

Pro certo habemus ex Chriſti ſententia bonum uſum divitiarum perdifficilem eſſe . Matth. 19. v. 23. , & ſeq. *Amen dico vobis , quia dives difficile intrabit in regnum Cælorum ; & iterum dico vobis : Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire , quam divitem intrare in regnum Cælorum* . Et ſane divitiæ animum convertunt ad temporalia . Luc. 12. v. 19. *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos , requieſce , comede , bibe , epulare* . Porro hos affectus compeſcere non adeo facile eſt ; ſecum itidem trahunt quandam cæleſtium oblivionem , ut ex eadem parabola evincitur . Placet hac ſuper re audire S. Thomam 2. 2. *q.* 186. *art.* 3. -- Ex hoc autem , quod aliquis ,, res mundanas poſſidet , allicitur animus ,, ejus ad earum amorem : unde Auguſtinus

,, dicit

,, dicit in *Epiſt.*43. *ad Paulinum*, *&* *Theraſiam*
,, quod terrena diliguntur arctius adepta,
,, quam concupita: nam unde juvenis ille
,, triſtia diſceſſit, niſi quia magnas divitias
,, habebat? Aliud eſt enim nolle incorporare,
,, quæ deſunt, aliud jam incorporata divel-
,, lere: illa enim velut extranea repudian-
,, tur, iſta verò velut in membra proſcin-
,, duntur. Et Chryſoſtomus dicit ſuper Mat-
,, thæum *hom.* 64. Quod appoſitio divitia-
,, rum majorem accendit flammam, & ve-
,, hementior fit cupido; & ideo eſt, quod
,, ad perfectionem charitatis acquirendam
,, primum fundamentum eſt voluntaria pau-
,, pertas, ut aliquis abſque proprio vivat --
& *in reſp. ad* 2. -- Dicendum quod ille, qui
,, omnia ſua dimittit propter Chriſtum non
,, exponit ſe periculo neque ſpirituali, ne-
,, que corporali. Spirituale enim periculum
,, ex paupertate provenit, quando non eſt
,, voluntaria, quia ex affectu aggregandi
,, pecunias, quem patiuntur illi, qui invo-
,, luntarie ſunt pauperes, incidit homo in
,, multa peccata, ſecundùm illud 1. ad Ti-
,, moth. ult. Qui volunt divites fieri, inci-
,, dunt in tentationem, & in laqueum Dia-
,, boli. Iſte autem affectus deponitur ab his,
,, qui voluntariam paupertatem ſequuntur.
,, Magis autem dominatur in his, qui divi-
,, tias poſſident, ut ex ſupradictis patet.
,, Corporale etiam periculum non imminet
,, illis, qui intentione ſequendi Chriſtum
,, omnia ſua relinquunt, divinæ providentiæ
,, ſe committentes -- Rem abſolvamus refe-
rendo, quæ tradit Haymo *in Explicatione Evan-
gelii de Martyribus* ad illa verba: *Beati pauperes
ſpiritu*, ut hinc compertum fiat, quam mire
paupertas Evangelica deſerviat ad perfectio-
nis conſecutionem -- Et quæ virtus talem in-
,, ter reliquas beatitudines tenere debet prin-
,, cipatum, niſi ſpontanea paupertas? Ex
,, ipſa enim ceteræ virtutes exordium quod-
,, dam, & originem ſumunt; ſicut denique
,, ex una radice arboris multi rami, & folia
,, prodeunt, ſic ex ſpontanea paupertate
,, multæ virtutes generantur. Qui enim
,, ſpontaneam amat paupertatem, erit miſe-
,, ricors per largitatem, & non tenax per
,, avaritiam. Erit conſequenter & mitis,
,, quia divitias non quærit per jactantiam,
,, qui paupertatem diligit cum humilitate.
,, Erit & pacificus, quia non erit occaſio
,, rixandi, ubi non eſt voluntas acquirendi.
,, Habebit etiam & cordis munditiam, quia
,, ſicut illi, qui divitias diligunt, turbulenti
,, ſunt animo, ita qui ſpontaneam pauperta-
,, tem amant, ſolliciti ſunt, quæ Dei ſunt,
,, quomodo placeant Deo --

Paupertatis laudes.

241 PROB. IV. Illicitum cenſeri ne-
quit, quod primitivæ Eccleſiæ Patres com-
mendarunt, & cujus laudabilia praxis teſtes
extitere; ſed primitivæ Eccleſiæ Patres pau-
pertatis votum commendant, ejuſdemque
teſtes fuere: igitur laudabiliter a Monachis
vovetur paupertas. Brevibus rem expediam,
cum in luce verſemur. S. Baſilius *in Regulis
fuſius diſputatis interrogatione* 9. ad illa ver-
ba Luc. 12. *Vendite*, *quæ poſſidetis &c.* ait --
,, Equidem ex hoc colligo, qui hac mente
,, a ſuis diſcedat, hunc hujuſcemodi curam
,, de parte patrimonii ſui, nullo modo opor-
,, tere negligere, contraque illud accurare,
,, ut cum eam omnem diligentiſſime ſecum
,, abſtulerit, eam velut rem jam Domino
,, conſecratam ſumma cum religione diſtri-
,, buat -- & *in Conſtitutionibus Monaſticis cap.*
19. -- Perfectiſſimam ego vitæ communio-
,, nem illam appello, a qua privata omnis
,, rei cujuſque excluſa poſſeſſio eſt, & elimi-
,, nata; itemque unde diſſenſio omnis, ac
,, perturbatio omnis, contentio omnis abeſt,
,, & rixæ; contraque omnia communia, ani-
,, mi, mentes, corpora, eaque quibuſcun-
,, que neceſſariò ad victum, cultumque uti-
,, mur . . . Huic vitæ inſtituto quid eſt tan-
,, dem, quod jure æquiparari poſſit? Quid
,, eo beatius dici? Quid hac conjunctione,
,, unitate, neceſſitudine aptiùs excogitari?
,, . . . Hi Liberatoris noſtri, ejuſque vitæ,
,, dum inter nos verſaretur, inſtitutorum
,, veri, perfectique imitatores exiſtunt.
,, Quemadmodum enim ille coacto diſcipu-
,, lorum choro communia cuncta, ſeque
,, ipſum communem Apoſtolis præbuit; item
,, hi quoque Antiſtiti ſuo obtemperantes
,, (qui modo vitæ ſuæ præſcripta rectè con-
,, ſervant) genus vivendi Apoſtolorum, ac
,, Domini imitantur. Hi vitæ diligenter
,, communitate retenta, Angelorum vivendi
,, ritum æmulantur. Nulla eſt inter Ange-
,, los lis, nulla contentio, nulla controver-
,, ſia -- S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 16.
-- Pulchra res inopia, & pecuniarum con-
,, temptio. Teſtis eſt Zachæus, atque etiam
,, Chriſtus. Ille, dum domum ſuam Chri-
,, ſto ingredienti omnes propemodum opes
,, ſuas dono obtulit; hic dum diviti illi per-
,, fectam vitam hac re definivit -- Joannes
Caſſianus *Collat.* 24. *cap.* 26. -- Monachi ſoli
,, perpetuæ conjunctionis retinent unitatem,
,, atque indiſcrete poſſident univerſa, qui
,, omnia ſua eſſe quæ fratrum, omnia fra-
,, trum credunt eſſe quæ ſua ſunt -- S. Cy-
prianus *lib. de Lapſis* -- Nec vinci a ſeculo
,, poſſet, qui unde vinceretur in ſeculo non
,, haberet. Sequeretur Dominum ſolutus, &
,, liber, ut Apoſtoli, & ſub Apoſtolis multi,
,, & nonnulli ſæpe fecerunt, qui & rebus
,, ſuis, & parentibus derelictis, individuis
,, Chriſto nexibus adhæſerunt. Sequi autem
,, Chriſtum quomodo poſſunt, qui patrimo-
,, nii vinculo detinentur? Aut quomodo cæ-
,, lum petunt, & ad ſublimia, & alta con-
,, ſcendunt, qui terrenis cupiditatibus de-
,, gravantur? -- S. Hieronymus ad Heliodo-
rum *Epiſt.* 1. *cap.* 6. -- Perfectus ſervus Chri-
,, ſti, nihil præter Chriſtum habet, aut ſi
,, quid præter Chriſtum habet, perfectus non
,, eſt -- & in cap. 19. Matthæi ad illa ver-
ba: *Si vis perfectus eſſe &c.* -- In poteſtate
,, noſtra eſt, utrum velimus eſſe perfecti.
,, Tamen quicunque perfectus eſſe voluerit,
,, debet vendere quæ habet, & non ex parte
,, vendere, ſicut Ananias fecit, & Sapphira,
,, ſed totum vendere, & cum vendiderit,
,, dare omne pauperibus, & ſic ſibi præpa-
,, rare theſaurum in regno Cœlorum. Et
,, hoc ad perfectionem non ſufficit, niſi poſt
,, contemptas divitias Salvatorem ſequatur,
,, ideſt relictis malis, faciat bona -- S. Au-
guſti-

guſtinus *Epiſt.* 109. ad Sanctimoniales ſcribens habet -- Hæc ſunt, quæ ut obſervetis, „ præcipimus, in Monaſterio conſtitutæ. Pri„ mum propter quod eſtis in unum congre„ gatæ, ut unanimes habitetis in domo, & „ ſit vobis cor unum, & anima una in Deo, „ & non dicatis aliquid proprium, ſed ſint „ vobis omnia communia, & diſtribuatur „ unicuique veſtrum a Præpoſita veſtra vi„ ctus & tegumentum, non æqualiter om„ nibus, ſed unicuique ſicut opus fuerit -- In eandem ſententiam reliqui Patres confluunt, unde plane fit laudabile eſſe Deo ſe ſuaque nuncupare.

§. IV.

SOLVITUR PRIMUM ARGUMENTUM, ET DILUCIDATUR, NUM CHRISTUS EMISERIT VOTA?

242 OBJIC. I. Paulus 1. ad Corinth. 4. nos provocat ad Chriſti imitationem. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*; ſed nullibi habemus Chriſtum paupertatis votum emiſiſſe; ergo nec nos illud emittere debemus.

Nonnulli ex recentioribus minorem propoſitionem negant, atque propugnant Chriſtum caſtitatem, & paupertatem voviſſe; quædam adoptantes momenta, quibus ſuam tueri ſententiam contendunt, infirmam evulgant rationem S. Thomæ, quem adverſarium habent. Itaque juxta horum principia Heterodoxorum illatio nullam vim habet, & ſponte corruit; quoniam verò Angelicus oppoſitum docet, operæ pretium eſt ipſius fundamenta perpendere, atque ab impugnantibus vindicare. Hinc ſolvetur directè argumentum adverſus Catholicam veritatem ab Adverſariis objectum.

Igitur Angelicus 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. reſolvens argumentum impræſentiarum expoſitum habet -- Dicendum, quod Chriſto ſecundùm ſe non competebat vovere, tum „ quia Deus erat, tum etiam, quia in quan„ tum homo habebat firmatam voluntatem „ in bono, quaſi comprehenſor exiſtens, „ quamvis per quandam ſimilitudinem ex „ perſona ejus dicatur Pſal. 65. ſecundùm „ Gloſſam: vota mea reddam in conſpectu „ timentium eum: loquitur autem de cor„ pore ſuo, quod eſt Eccleſia -- Diſcurſus hujuſcemodi momentoſus eſt, ſi ad mentem S. Doctoris intelligatur, qui non jam ad extraordinariam Dei Providentiam, ſed ad rerum connaturalitatem, atque Chriſti ſtatum attendit, & juxta hanc intelligentiam plura a Theologis Chriſto denegantur, quæ ſimpliciter accepta forſitan nullam involvunt implicantiam, conſideratis metaphyſicis abſtractionibus, & ſub illimitatis Divinæ Omnipotentiæ juribus.

Vis itaque diſcurſus Angelici Doctoris ſic elucidatur. Virtus, quæ in ſuo eſſentiali conſtitutivo aliquam involvit rationem perfectioni connaturalis ſtatus Chriſti adverſantem, de facto excluditur, ſeu Chriſto denegatur; quo momento haud conceditur animæ Chriſti virtus pœnitentiæ proprie dictæ, quia ſupponit perſonale peccatum, quod Chriſto repugnat, nec ſpes quoad ſuum actum primarium, qui dicit motum tendentem ad conſecutionem Beatitudinis eſſentialis, quam ab initio conceptionis poſſidebat, nec fides, quia eſt de obſcuris, & Chriſtus erat comprehenſor, quamvis forte per abſolutam Dei potentiam fides, & ſcientia in eodem intellectu de eodem objecto ad invicem non ſe excludant; ſed votum proprie dictum includit eſſentialiter id quod repugnat connaturaliter perfectioni Chriſti: votum ſiquidem eſſentialiter importat firmare voluntatem in bono, & ſub hac ratione explicatur a S. Doctore loco laudato *in corpore* -- Ita etiam promiſſio, qua Deo aliquid vo„ vemus, non cedit in ejus utilitatem, qui „ a nobis certificari non indiget, ſed ad uti„ litatem noſtram, in quantum vovendo vo„ luntatem noſtram immobiliter firmamus „ ad id quod expedit facere; & ideo expe„ diens eſt vovere -- Hinc Catholici docentes adverſus Hæreticos melius eſſe opus ex voto factum, quam ſine illo, afferre ſueverunt, quod votum habet voluntatem firmare, & compertum ſit ex communi Doctorum ſententia voti naturam explicantium.

Votum firmat voluntatem in bono.

Votum non conſiſtit in ſimplici propoſito, quamvis deliberato, & efficaci, ut perperam dicit M. Antonius *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 18., ſed veram importat promiſſionem Eccl. 5. v. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere*; *diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio*. Tria quidem eſſentialiter ad votum requiruntur: propoſitum voluntatis, deliberatio, & promiſſio, in qua ratio voti perficitur, ut eo loci *art.* 1. docet S. Thomas. Porro ſupra propoſitum additur promiſſio, quia hæc ex natura ſua tendit ad firmandam voluntatem, quam firmitatem dare nequit efficacia ſolius propoſiti. Et ſane in Scripturis votum cum juramento conjungitur; ſed hoc ex ſuo eſſentiali conceptu importat voluntatem firmare in promiſſis; ergo itidem votum firmare debet voluntatem in propoſito. Porro Chriſti voluntas erat perfectiſſime in bono firmata, cum eſſet comprehenſor, proindeque haud erat capax, ut in eo, medio voto, obfirmaretur. Quod clariùs evincitur paritate juxta Thomiſtarum principia. Quia Chriſtus erat naturalis Dei filius, adoptivæ filiationis incapax cenſetur; ita pro re nata, quia Chriſti voluntas vi comprehenſionis in bono firma, & ſtabilis erat, loquendo connaturaliter, confirmari in eodem bono per votum non valebat; ſeu quod in idem redit, non erat ejus ſtatui conveniens vovere.

Diſcriminatur votum a propoſito.

DICES I. Chriſtus capax erat præcepti; ergo ſimiliter & voti: non enim minor obligatio conſurgit ex præcepto, quam ex voto.

RESP. negando paritatem. Præceptum namque ab extrinſeco procedit, atque ordinatur ad ſubjiciendam voluntatem imperio Legiſlatoris, & Domini, non verò ad firmandam voluntatem in bono. Porro Chriſtus ut homo ſubditus erat Deo, eique minor, ea propter capax erat præcepti, per

Diſcrimen votum inter, & præceptū.

quod

quod tribuitur, & conſtituitur forma obedientiæ, quam Salvator perfectiſſime amplexus eſt: voti autem ratio oritur ab intrinſeco voventis, eòque tendit, ut voluntatem ſtabiliat in bono, cujus firmitatis non erat capax Chriſti voluntas, gratiâ comprehenſionis excellentiſſime confirmata: itaque ex quo præceptum, & votum conveniant in conditione obligandi, non inde colligitur æqualis capacitas in Chriſto ad utrumque, ſed opus eſt ſpecialia cujuſcunque perpendere.

A

INSTABIS. Chriſtus ut homo poterat ſe alteri homini per veram promiſſionem adſtringere; ergo etiam Deo per votum.

Negatur iterum paritas. Promiſſio habet voluntatem firmare in bono, hancque firmitatem alteri, cui fit promiſſio, declarare; & hæc duo habet ab intrinſeco, cum promiſſio alteri fiat: Chriſtus quamvis firmatam omnino haberet voluntatem in bono, nihilotamenminus non omnibus innoteſcebat, proindeque exteriori poterat promiſſione ſe alteri homini obligare; ceterum quoad Deum Chriſti voluntas erat non tantum in bono firmata, ſed & perfectiſſime cognita, unde non ſupererat locus ad vovendum.

B

Promiſſio eſt declarativa voluntatis.

URGEBIS. Conſtitutivum juramenti eſt voluntatem in promiſſis confirmare, & tamen Deus, qui in Conſiliis ſuis firmiſſimus eſt, capax eſt juramenti; ergo a fortiori Chriſtus, qua homo, voti capax erit. Argumentum habes ex Apoſtolo ad Heb. 6. v. 17. *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.*

C

S. Thomas *in Commentariis* in præcitatum textum Inſtantiæ facit ſatis ſequentibus -- „ Sciendum quod in illis quæ a Deo procedunt, duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſe „ proceſſus rerum, & Conſilium Dei, a quo „ talis proceſſus cauſatur. Conſilium Dei eſt „ omnino immobile. Iſai. 46. Conſilium „ meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet, „ ſed diſpoſitio eſt bene mutabilis. Nam „ Dominus aliquando pronunciat aliquid, „ ſecundum quod exigit ordo, & proceſſus „ rerum, ſicut patet Iſaiæ 38. Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives; „ habebat enim curſus infirmitatis, quod ex „ illa moreretur, & ſimiliter Jonæ 3. Adhuc „ quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur; „ quia ipſa meruerat ſubverſionem ſui ipſius. „ Jerem. 18. Repente loquar adverſus Gentem, & adverſus Regnum, ut eradicem, & „ deſtruam, & diſperdam illud; ſi pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, quod „ locutus ſum adverſus eam, agam, & „ ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei, & tunc prophetia „ eſt comminationis. Quandoque verò pronunciatur aliquid ſecundum quod reſpicit „ conſilium Dei æternum, & ſuper hoc Deus „ numquam pœnitet, nec illud retrahit. 1. „ Reg. 15. Triumphator in Iſrael non parcet & pœnitudine non flectetur, tamen „ ſciendum eſt, quod quandocumque Dominus promittit aliquid ſub juramento eſt „ prophetia prædeſtinationis; quæ eſt oſtenſiva Divini Conſilii, & iſta promiſſio penitus immutabilis eſt -- Ex quibus patet, quod juramentum in Deo cadit ſupra rerum proceſſum, qui ſecundum ſe eſt mutabilis, & juramento firmatur immutabiliter: votum autem firmat ipſam voluntatem in promiſſis, & ideo repugnat, ubi voluntas eſt jam firmata.

D

E

A

DICES II. Haud Chriſto denegandus eſt actus Religionis perfectiſſimus; ſed votum eſt perfectiſſimus Religionis actus; eo ſiquidem non tantum actus, & res, ſed & voluntas ipſa Deo conſecratur, ita ut amplius nec rem habere, nec velle poteſt -- Sicut „ plus eſt dare arborem cum fructibus, quam „ ſolus ejus fructus — ait Anſelmus *lib. de Similitudinibus cap.* 48. Sic Cornelius a Lapide *in Comment. ad cap. 5. Actorum.*

B

RESP. Nequaquam Chriſto denegandi ſunt actus perfectiſſimi Religionis, qui connaturali ejuſdem ſtatui non adverſantur; ſicut non ſunt denegandi obedientiæ actus juxta ſubjecti capacitatem, nec actus virtutum moralium, quæ ipſi conveniunt, & tamen admitti nequit obedientia ex voto; cum repugnet ejus ſtatui, qui non habet in terris ſuperiorem; nequit itidem admitti pœnitentia proprie dicta; cum non fuerit peccato coinquinatus; habuit perfectiſſimos Religionis actus, ſed non jam illos, qui ex ſua ratione eſſentiali habent firmare in bono voluntatem, cujuſmodi ſunt hi, qui ſunt ex voto. Quod autem majoris perfectionis, & meriti in nobis eſt ex operibus ex voto elicitis, ſupplebatur aliunde in Chriſto ex perfectiori principio, potiſſimum ex virtute charitatis, cum ergo Chriſtus aliàs totam haberet perfectionem, quæ voto ineſt, & abſque voto perfectiſſimam reverentiam, & cultum Deo exhibebat, ideo nihil ex defectu voti excellentiæ detrahebatur.

C

Qui actus Religionis in Chriſto.

Inſtat laudatus Commentator -- Perfe„ cta rerum abrenunciatio non fit niſi per „ votum, ille enim vovens non tantum præ„ ſentia, ſed & futura bona, quæ habere „ poteſt, a ſe abdicat -- Sed Chriſto perfecta rerum abrenunciatio concedenda erat; ergo.

D

Inſtantia retorqueri poteſt in virtute obedientiæ: etenim perfecta voluntatis abnegatio non fit niſi per votum, & tamen votum obedientiæ ab Adverſariis non conceditur Chriſto, defectu legitimi Superioris, itaque perfecta rerum abdicatio habetur per votum in iis, qui voti capaces ſunt, nec aliunde ſuppleri poteſt perfectio; Chriſtus perfectam bonorum abrenunciationem habebat ex nobiliori principio excellentioris perfectionis, ob quam haud indigebat voluntatem ſuam in bono firmare. Utique perfectiſſima dilectio Dei perfectam imperavit rerum abdicationem.

E

Perfectio abdicationis ſive ex voto, ſive ex charitate.

Urget iterum Cornelius -- Tria vota „ Religionis ſunt tria præſtantiſſima holo„ cauſta; Chriſtus autem ſe, ſuaque in per„ fectiſſimum holocauſtum Deo Patri obtu„ lit -- ergo.

Vota Religionis ſunt quidem holocauſtum; ſed non omne holocauſtum habetur per votum. Holocauſtum illud eſt, in quo

Holocauſtum Chriſtus obtulit, & quale.

Z nulla

nulla pars victimæ reſervatur, ſed tota in Dei obſequium conſummitur; Chriſtus ſeipſum, ſuaque in holocauſtum Patri obtulit, cum ex perfectiſſima charitate, & obedientia nihil ſibi reſervavit. Totum dedit pro ſalute humani generis, atque pro holocauſtis materialium victimarum ſeipſum Chriſtus ſubrogavit, ut ex Pſal. 39. habet Apoſtolus ad Heb. 10. v. 5. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi; holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Obtulit ergo Chriſtus holocauſtum, ſed non ex voto ob momentum ſæpe numero relatum. Ea propter nulla eſt eorum interpretatio, qui dicunt S. Thomam ſolummodo velle, quod Chriſto non competeret ea ratione vovere, qua ſolent reliqui homines, ex neceſſitate ſcilicet firmandi voluntatem in bono, ceterum aliis de cauſis vovere potuiſſe, immo ut voviſſe; nulla, inquam, eſt hujuſcemodi interpretatio; Angelicus namque inſtituit argumentum ex intrinſecis, & eſſentialibus voti, ſicut cum excludit fidem proprie dictam, argumentatur ex formalibus ipſius virtutis, quæ cum eſſentialiter dicat obſcuritatem, connaturalitati ſtatus comprehenſoris adverſatur.

Dicit demum. David Pſal. 21. v. 26. in perſona Chriſti ait: *Vota mea*, ideſt ut legunt S. Baſilius, & Theodoretus, *promiſſa mea reddam in conſpectu timentium eum*; ergo.

Reſpondet Angelicus *cit. loco ad* 3. vocem illam fore Chriſti loquentis in perſona ſuæ Eccleſiæ. Indubium eſt quandoque Chriſtum in Scripturis loqui in propria, quandoque in myſtica Perſona, nempe Eccleſiæ, & tunc loqui in perſona Eccleſiæ cenſendus eſt, quando ea quæ dicuntur, non congruunt connaturali ſtatui perſonæ propriæ, ut in caſu voti probavimus.

Inſtat contra hanc ſolutionem Sylvius 2. 2. *q.* 88. Quamvis S. Thomas eo loci textum illum explicet in perſona Eccleſiæ, in expoſitione tamen Pſalmi 21. exponit in perſona propria -- Hic oſtendit, quomodo laudi „ adjungit opus. Votum Chriſti fuit, ut ſe „ daret pro ſalute fidelium. Ipſe enim illud „ vovit in quantum homo --

Ceterum inſtantia evaneſcit, ſi contextus perpendatur. Proſequitur igitur ad dicta Pſal. 21. -- Ut facerem voluntatem tuam „ Deus meus volui, quæ quidem voluntas „ Dei eſt ſanctificatio noſtra. Iſaiæ 6. Deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me; hæc vota ſolvit Chriſtus, dando „ ſe ad paſſionem, & iterum quando dedit „ corpus ſuum in cibum fidelium: unde dicit: vota, ideſt, ſacrificia reddam in ara „ Crucis, & in ſacrificium fidelium -- His palam fit, nomine voti, ſi actus ſpectetur, deſiderium, actualemque intelligere voluntatem, qua pro nobis ſeipſum obtulit Chriſtus ad paſſionem, ex parte verò objecti ipſam actualem intelligere paſſionem, & mortem Crucis, quare perperam detorquetur S. Doctor, cum explicatur de votis in propria ſignificatione.

Votum quandoque ſumitur pro deſiderio.

DICES III. Quamvis Chriſti anima per ſcientiam beatam ſuo ſtatui proportionata cognoſcat objecta, nihilominus novo modo per ſcientiam infuſam eadem cognoſcit, pluraque per ſcientiam naturalem acquiſitam; ergo etſi voluntas Chriſti eſſet in bono confirmata ratione ſtatus comprehenſionis, poterat novo modo per votum firmari in bono.

Argumentum hujuſmodi ab omnibus fere Theologis diſſolvendum eſt; ſiquidem pluribus aptari poteſt, quæ propugnari non valent. V. g. datur in anima Chriſti duplex ſcientia, beata ſcilicet, & infuſa, & tamen non datur duplex charitas, una primæ, ſecunda alteri correſpondens. Rationem, & quidem univerſalem cur in Chriſti intellectu multiplicentur virtutes, ſecus in voluntate tradunt PP. Salmanticenſes *de Incarnatione Tract. 21. diſp. 17. de ſcientia Chriſti dub. 4. n. 60.* Mihi ſufficit ex Theologorum doctrina ideo ſcientiam duplicari in anima Chriſti; quia ſi una, aliave deeſſet, foret imperfecta; ſiquidem expleta non eſſet quoad omnem potentiam ſibi debitam. Verùm hæc eadem ratio evincit nequaquam Chriſto convenire vovere; nam ejus voluntas non plene in bono firmata ſupponeretur. Nec novus modus ab Adverſantibus excogitatus ipſis ſuppetias fert: etenim vel realis eſt, & jam aliquid in Chriſto deficit de firmitate in bono, quod abſurdum eſt, vel fictitius, & plane ablegandus; indecens quippe eſt quidquam in Chriſto fingere.

DICES IV. Licet forma aliqua omnem præſtare non valeat effectum ſubjecto, ſi tamen aliquem poteſt, non repugnat recipi in ſubjecto; ergo quamvis votum nequeat voluntati Chriſti effectum tribuere eam firmandi in bono, cum alium præſtare valeat effectum, nempe cultum Dei, ideo Chriſto non repugnat.

RESP. Inſtantia non eſt univerſaliter vera, & potiſſimum deficit cum forma primarium, & eſſentialem effectum nequit tribuere; qua ratione etſi Beati actu non habeant gloriam corporis, carent nihilominus habitu ſpei; quia ratio primaria ſpecificativa, media actuali poſſeſſione eſſentialis beatitudinis animæ, evacuatur: cum ergo diximus voto fore eſſentiale firmare voluntatem in bono, hoc ipſo, quod anima Chriſti hujuſce firmitatis incapax eſt, eidem, ſpectata connaturali perfectione ſtatus, convenire nequaquam poteſt.

Forma prius primarium præſtare debet effectum.

Explicata D. Thomæ ſententia ad directam argumenti Acatholicorum ſolutionem deveniendo dicimus, quod ut Chriſtus nobis ſit paupertatis magiſter, & Scriptura ad ejus non provocet imitationem, ſat eſt ipſum vere paupertatem adoptaſſe, vere illius exercitium commendaſſe, atque votorum doctrinam approbaſſe: nec ſane neceſſe eſt eam medio voto exercuiſſe, ob eminentem perfectionem, quæ impedit capacitatem vovendi. Nos verò qui fluctuantes ſumus in bono, illaque caremus excellenti perfectione, qua voluntas firmatur, aliqua indigemus virtute, per quam ſtabiliatur voluntas; virtus porro hujuſmodi eſt votum, per quod aliqualiter firmitatem, quam habebat Chriſti volun-

Per votum firmatur voluntas in bono.

voluntas, imitamur. Igitur cùm provocamur ad Chriſti imitationem, intelligi debet proportionaliter, non verò ſecundùm perfectam æqualitatem. Ceterum ſi Hæretici admittant Chriſtum pauperem vitam egiſſe, atque paupertatem tanquam perfectioni deſervientem approbaſſe, jam compertum eſt licere eam vovere, cum ipſa ex voto perficiatur, & perfectiori modo, nempe actu Religionis, colatur Deus.

§. V.

SOLVUNTUR RELIQUA ACATHOLICORUM ARGUMENTA.

243 OBJIC. II. Totum Pontificiæ aſſertionis robur innititur ſententiæ Chriſti Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia &c.*, ſed Chriſtus his nihil aliud retulit, niſi id quod in veteri lege erat præceptum, tantummodo illius Juvenis redarguens avaritiam; ergo abſque fundamento ex prædictis colligere ſtudent Catholici Evangelicæ paupertatis ſanctitatem. Audiamus Calvinum *lib. 4. Inſtit. cap.* 13. §. 13. laudatum Matthæi textum interpretantem -- Divitiis cum abundaret, cor illis affixum habebat; ergo quia verbum hoc ſecretum non ſentiebat, a Chriſto lancinatur; unde, inquit, vende omnia, quæ habes; ſi tam bonus cuſtos fuiſſet legis, non diſcederet mœſtus, nam qui Deum diligit ex toto corde, quidquid cum ejus dilectione pugnat, non tantùm pro amore habet, ſed tanquam exitiale abominatur; ergo quod divitem avarum omnia relinquere jubet Chriſtus, perinde eſt ac ſi ambitioſum omnibus honoribus, voluptuoſum, & impudicum omnibus libidinis inſtrumentis juberet renunciare &c. Fruſtra igitur hypoteſim illam ad generalem interpretationem trahit, ac ſi Chriſtus hominis perfectionem in renunciatione bonorum conſtitueret --

Haud neceſſe eſt in ſolutione hujuſce argumenti diu immorari, cum illud diſſolverimus *in Controverſia de diſtinct. Præceptorum, & Conſiliorum*, Matthæi textum enucleando, ea propter breves ſubdam animadverſiones, & abunde factum erit ſatis argumento. Prima animadverſio eſt circa majorem propoſitionem, quæ dubio-procul falſa eſt; aliàs namque Scripturas dedimus, quibus paupertatis excellentiam commendatam habemus. Altera eſt circa minorem propoſitionem, quæ itidem falsò propugnatur. Siquidem ipſemet Evangelicus textus ſatis apte oſtendit Chriſtum locutum fuiſſe de perfectione; & ſecundùm hanc intelligentiam ipſum explicuerunt Patres, quod & Calvinus ultro fatetur, licet impie ſubdat Patres erraſſe. Verùm nos magis credimus luminaribus, quæ Deus poſuit in Eccleſia, ut luceant omnibus, qui in ea ſunt, quam Hæretico homini, quem neſcimus, unde venerit, & a quo miſſus fuerit, niſi a Diabolo. Tertia circa illud, quod Chriſtus perfectiorem ſupra veterem legem non docuerit, quod ſane a veritate penitus exorbitat, Chriſto docente Joann. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis*. Quarta quoad id quod ſubdit, Juvenem illum haud fidelem fuiſſe legis cuſtodem: Marci enim 10. v. 21. dicitur: *Jeſus autem intuitus illum dilexit*: porro ſi non fuiſſet legis obſervator, non eum dilexiſſet Chriſtus. Sincerum fuiſſe Juvenis illius reſponſum, quo faſſus eſt mandata a juventute ſervaſſe, ipſa Scriptura ſuadet, ex qua apparet ex animo acceſſiſſe, ut a Domino inſtrueretur; cum enim quis ſubdole Chriſtum interrogavit, ſolemne eſt Scripturæ id innuere, ut videre eſt Matth. 22. v. 35., & Luc. 10. v. 25., ubi de Scriba dicitur: *Tentans illum*: bona fide interrogaſſe illud idem innuit, quod audita Chriſti reſponſione *abiit triſtis*: ſi enim ſubdole acceſſiſſet, non erat, unde triſtis abiret, cum veniſſet, ut Chriſtum tentaret, non ut ejus amplecteretur doctrinam. Quinta eſt circa dilectionis præceptum: hoc quippe latitudinem dicit: etenim in charitate unus eſt alio perfectior; qui bonorum medietatem pauperibus elargitur, ex hoc perfectior eſt eo, qui decimam tantummodo partem diſtribuit. Ad præceptum charitatis implendum nequaquam neceſſaria cenſetur actualis bonorum omnium abdicatio, aliàs Calviniani omnia tenerentur dimittere. Cum ergo Chriſtus de actuali loquatur abdicatione, jam plane fit non loqui de eo quod eſt neceſſe ad charitatis adimplendum præceptum. Sexta reſpicit id quod dicit, juſſiſſe nempe Chriſtum divitem avarum omnia relinquere, quod equidem nullimode ſubſiſtit. Ad eradicandam avaritiam haud opus eſt, quod actu bona omnia dimittantur, ſed ſufficit pravum affectum corrigere, & illicita media acquirendi, retinendique bona effugere; ut novit ipſemet Calvinus in ambitioſo, ad cujus emendationem non requiritur, quod dignitates omnes refugiat. Ratio id clare probat: ſiquidem ipſa actualis bonorum poſſeſſio ſecundùm ſe non eſt proxima occaſio avaritiæ; aliàs nemo unus, habens bona, juſtus eſſe poſſet. Ultimo demum animadverto, quod certum eſt, quidquid de animo Juvenis illius dicatur, Apoſtolos ſententiam Chriſti intellexiſſe de conſilio perfectionis, ideoque dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus Te*, & Chriſtus reaſſumendo, illiſque promittendo ſpeciale præmium, ſuam confirmavit doctrinam. Quare omnino amandanda eſt arbitraria, falſaque Calvini interpretatio.

Animadverſiones in argumentũ Calvini.

244 OBJIC. III. Si cum abdicatione omnium bonorum non ſtat perfectio, & ſi ſine illa ſubſiſtit, totum, quod de conſilio Evangelicæ paupertatis dicitur, corruit; atque res ita ſe habet, ut ibidem contendit probare Calvinus -- Perfectos igitur ſe facturos jactant, omnia ſua relinquendo; ſi in hoc ſua eſt perfectionis ſumma, quid ſibi vult, quod Paulus docet eum, qui ſua omnia diſtribuerit pauperibus, niſi charitatem habeat nihil eſſe &c. Hic reſpondeant neceſſe eſt, ſummum hoc quidem, ſed unicum eſſe perfectionis opus. Verùm hic quoque reclamat Paulus, qui non du-

„ bitat charitatem ſine hujuſmodi renunciatione facere vinculum perfectionis --

RESP. Hæretici ſolent hoſtes fingere, quos feriant. Nuſquam Catholici dixerunt formalem perfectionem verſari in exercitio Evangelicæ paupertatis, ſed perpetuò propugnarunt ipſam charitatem eſſe perfectionis ſummam, juxta Pauli effatum: *Finis præcepti charitas*. Volunt quidem Evangelicam paupertatem medium fore deſerviens ad conſequendam perfectionem, docent ipſam eſſe Inſtrumentum oppidò validum pro adipiſcenda perfectionis ſumma, quatenus impedimenta removet, quæ charitatis conſecutionem retardant, atque ejuſdem exercitium reddunt difficile, & virtutum actus progerminat, puta humilitatis, manſuetudinis, timoris Domini, & hujuſmodi.

Evangelica paupertas ordinatur ad perfectionem.

Præterea ſicut virtus quælibet ſuam dicit bonitatem, & perfectionem, Evangelica paupertas ſuam peculiarem importat bonitatem, ob quam Chriſtus ſingulare præmium promiſit; quod ſi bonorum abdicatio fiat, ſeu eligatur ex charitatis imperio, tunc perfectionis ſummam attingit, atque excellens evadit dilectionis opus; quo ſenſu potiſſime loquuntur Patres, cum abſolute, & ſimpliciter paupertatem perfectionis ſummam appellant; quare nuſquam Chriſtus, aut Patres oppoſuerunt charitati paupertatem, ſed eam præintellexerunt, cum in mediis debeat ſemper finis inſpici, atque præ oculis haberi.

Ut res clareſcat, perpendamus Apoſtoli textus, quos Calvinus adoptat; primus ſit ille relatus 1. ad Corinth. 13. v. 3. *Et ſi diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Juvat ab Hæretico ſciſcitari, an, ex quo Paulus hoc enunciet, rejiciat eleemoſynam, nec eam bonam velit, atque ſaluti deſervientem? Neget laudabile eſſe Martyrium, atque flocci faciat, cum ſubdat: *Et ſi tradidero corpus meum itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*? Reprobet fidem velut inutilem, ex quo dicat: *Et ſi habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem non habuero, nihil ſum*? Utique, ſi quid ſapit Calvinus, talia non adoptabit ſenſa; quia eleemoſyna ſæpe numero in Scripturis commendatur, atque ab Apoſtolo injungitur, & Martyrium tanquam excellentiſſimum opus a Domino collaudatur, ſicut & fides, utpote fundamentum ſpiritualis ædificii, cum ſcriptum ſit: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Fateatur igitur oportet, alias quoque virtutes propriam habere honeſtatem, & perfectionem; ſed quia charitas eſt forma virtutum, abſque charitate efficaciter, & meritorie non influunt in vitam æternam.

Charitas forma virtutum.

Textus alter eſt ad Coloſs. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*. Exquirendum iterum eſt a Calvino, an, ex quo ſic loquatur Apoſtolus, nihili faciat alias virtutes, & tanquam inutiles, atque ſine perfectione non curet? Utique hoc affirmare non audebit Hæreticus, cum ibidem v. 12. aperte oppoſitum innuat: *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*. Fatendum igitur eſt ceteras virtutes ſuam habere perfectionem; ſed quia radix meriti charitas eſt, charitas deſideratur, ut completam habeant perfectionem. Diſcat igitur Calvinus, quo pacto Evangelica paupertas ſuam peculiarem habeat excellentiam, ſanctitatem, honeſtatem, perfectionem, & meritum, & tamen ſine charitate promiſſum præmium non conſequatur: diſcat bene diſtinguere, & unicuique quod ſuum eſt tribuere: diſcat tandem Scripturas recte intelligere, & a via veritatis minime aberrabit.

Charitas virtutum perfectionem complet.

245 OBJIC. IV. Nequit bonorum omnium abdicatio perfectionis Inſtrumentum eſſe, ſi ſecum affert tentationem, a qua Dominicâ Oratione petimus liberari; atqui ita eſſe affirmat Apoſtolus 2. ad Corinth. 8. v. 13. *Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate in præſenti tempore, veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat*, quibus eam reprobat liberalitatem, qua omnia abdicantur propter Deum; quia tentationem inducit; id enim innuitur per illa verba: *Vobis autem tribulatio*.

RESP. Egregia ſane Pauli doctrina eſt, ſed perperam ab Acatholicis intellecta. Ibi Apoſtolus eleemoſynam commendat, atque ex regulis prudentiæ menſuram præſcribit. Suaſor eſt divitibus eleemoſynas elargiri, non tamen teneri ad omnia inter pauperes diſtribuenda, ſuis neceſſaria ſubtrahendo. Charitas ordinata eſt, ideoque innuit, ut primò proximioribus provideant, dein ceteris præſto ſint. Præſcribitur ſervanda æqualitas, quæ tunc habetur, cum ita extraneorum reparatur indigentia, ut non eſuriant domeſtici. Nec docet Paulus non fore laudabilius omnia dare pauperibus, ſed ſe humanæ attemperat infirmitati. Audiamus S. Thomam in hunc locum -- Dicendum eſt ſecundùm
„ Gloſſam, quod melius eſſet totum dare
„ pauperibus, & affligi pro Chriſto; illud
„ autem quod dicit hic, condeſcendendo
„ fecit; quia infirmi erant, & forte deficerent,
„ ſi egeſtate premerentur: intentionem
„ ſuam manifeſtat, cum dicit: ſed ex
„ æqualitate &c. Quaſi dicat, non intendo
„ tribulationem veſtram, ſed quandam
„ æqualitatem, ut ſcilicet veſtra abundantia &c. --

Charitas ordinata eſt.

Ceterum ex laudato Pauli textu nihil evinci adverſus eos, qui omnia pauperibus largiuntur, in aperto eſt, ex quo a Patribus illi ſumme commendantur, qui omnes facultates ſuas indigentibus diſtribuerunt. Qua de re paſſim occurrunt Eccleſiaſtica monumenta.

246 OBJIC. V. Si Evangelica paupertas Inſtrumentum foret perfectionis, ad hanc perveniri non poſſet ſine bonorum abdicatione; ſed hoc eſt falſum: etenim Gen. 17. Abrahæ dixit Deus: *Ambula coram me, & eſto perfectus*; hìc de bonorum abdicatione altum ſilentium: non ergo paupertas perfectioni deſervit: non ergo licet eam vovere.

In pluribus deficit argumentum, I. in eo quod Inſtrumentum neceſſitatis cum utili

con-

confundit. Quando dicimus Evangelicam paupertatem fore inſtrumentum perfectionis, non intendimus aſſerere taliter eſſe neceſſarium, ut ſine ipſa perfectus quis eſſe non poſſit. Ultro concedimus eos, qui divitias poſſident juſtos eſſe poſſe, ſalutem conſequi, atque ad ſanctitatem pervenire, ut ſuperius aperte docuimus; ſed id unum volumus Evangelicam paupertatem inſtrumentum eſſe utilitatis, quatenus facilius pauperes ad Sanctitatem perveniunt, quod dilucidat Angelicus *in cap.* 48. Iſaiæ -- Paupertas confert multa; primò peccatorum recognitionem; ſecundò „ virtutum conſervationem: Eccleſ. 10. Pauper gloriatur per diſciplinam, & timorem ſuum; tertiò cordis quietem: Tobiæ 5. Sufficiat nobis paupertas noſtra &c. Quartò deſiderii impletionem: Pſal. 9. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus; quintò divinæ dulcedinis participationem: Pſal. 63. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus; ſextò exaltationem: 1. Reg. ult. Suſcitat de pulvere egenum; ſeptimò cœleſtem hereditatem: Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu &c. -- Hæc, & ſimilia a paupertate dimanant, licet quandoque in aliquibus eam profitentibus hiſce careat, nec ad perfectionem diſponat; ſed hoc non quidem ipſius, ſed profitentium vitio, qui poſtquam manum miſerunt ad aratrum, reſpiciunt retro, frigeſcit in eis charitas, & tepeſcit ſanctæ paupertatis amor.

Evangelica paupertate facilius perfectio conſequitur.

Deficit II. argumentum; confundit namque ſubſtantialem perfectionem cum perfectionis ſtatu, illa a quolibet perſonarum genere ſive divitum, ſive pauperum acquiri poteſt; alter verò abſque temporalium abdicatione non ſubſiſtit: etenim profeſſio ſtatus perfectionis dicit ſpiritualem mortem, quæ proprie non habetur, niſi per ſolemnia Religioſorum vota.

Deficit III. quia perfectionem veteris Legis involvit cum perfectione novæ Legis. In Lege veteri non tantæ erat excellentiæ, ſicut in nova. Indubie Chriſtus plurima tradidit nobiliorum virtutum documenta, quæ apud Judæos ignota erant. Conſiliorum doctrina non erat dilucide intellecta, ſicut in Lege gratiæ: tunc temporis terrenorum affluentia referebat futuram in Lege nova ſpiritualium bonorum abundantiam, proindeque nil mirum, ſi Pater Credentium Abraham electus ſit ad perfectionem, temporales etiam habiturus divitias; ut autem in eo umbra Evangelicæ paupertatis præluceret, præcepit illi Deus, ut exiret de domo ſua, & de cognatione ſua.

247 OBJIC. VI. ex Brentio *in Confeſſione Wirtembergenſi cap. de votis Monaſticis*. Qui vovet, vel pauper eſt, vel dives; ſi pauper, non habet, quid voveat; ſi vovet, idem facit, ac ægrotus qui voveret ægrotari; ſi dives, aut vovet omnia communia facere, & tunc nihil aliud præſtat, quam ſibi certiùs de victu providere, & jam paupertatem refugit; aut ob majus meritum vovet omnia pauperibus elargiri, & vivere vult ex eleemoſynis, & peccat contra fidem, quia unus eſt mediator Dei, & hominum, qui omnia nobis meruit, immo peccat contra charitatem; ſiquidem abſque neceſſitate proximo ſit moleſtus mendicando.

Non multum immorandum eſt in reſponſione præſentis argumenti, cui jam Patres abunde fecerunt ſatis. Pauper multum dat, cum totum quod habet, atque habere poteſt, elargitur; unde cum Deus affectum penſet, votum illius dubio-procul ipſi erit acceptum. Vide Auguſtinum *Epiſt.* 89., & Hieronymum *in Matth. cap.* 16. Exemplum de ægroto abs re aſſertur, ſiquidem non datur voluntaria ægritudo a Deo commendata, atque ad ſalutis perfectionem ordinata, ſicut voluntaria paupertas ſpecialiter laudata a Domino. Dives verò ſi omnia diſtribuat, ut de communibus bonis vivat, egregium opus peragit: licet enim aliunde ei de victu provideatur, revera tamen in particulari pauper eſt, cum nihil proprium habeat, nec quidquam, de quo libere diſponere poſſit, aut independenter uti in ſui commodum. Nec dando omnia pauperibus propter majus meritum agit contra fidem. Nam Chriſtus eſt quidem mediator noſter, ſed noſtra merita, quæ utique ab ipſo vim habent, non excludit. Nec etiam mendicare charitati adverſatur; ſiquidem nulla ibi intervenit coactio, & aliàs divitibus datur occaſio actus virtutis exercendi.

Votum paupertatis ſive divitum, ſive pauperis Deo acceptum.

§. VI.

AN MONACHI TENEANTUR MANIBUS LABORARE.

POſt bellum adverſus Evangelicam paupertatem initum, iterum claſſicum concinunt Monaſtici ſtatus hoſtes, atque adverſus vivendi modum, quo Monachi diverſimode vivere conſueverunt, arma dirigunt. Quatuor ſunt modi, quibus regulariter vivunt viri Religioſi. Primus eorum eſt, qui ſibi victum labore manuum acquirunt, ſive agros excolendo, ſive artefacta conficiendo, ſive codices tranſcribendo, & hujuſmodi. De Ægypti, & Orientis Monachis id teſtatur Auguſtinus *lib. de Moribus Eccleſiæ cap.* 31. -- Simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus. Nemo quidquam poſſidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea quibus & corpus paſci poſſit, & a Deo mens impediri non poſſit -- Modus alter eſt illorum, qui patrimonia in commune reponunt, ideſt, qui ex paternis bonis, quæ ad Religionem afferunt, commune unum peculium conſtituunt, unde ſingulis diſtribuitur, prout neceſſitas, & charitas poſtulat; qua de re *Act.* 4. exemplum occurrit. Tertius modus eſt quorundam, qui ex bonis a fidelibus liberaliter donatis vitam ſuſtentant. S. Hieronymus *de obitu Paulæ* ipſam commendat *in Epiſt.* 27. *ad Euſtochium*, quod ex propriis facultatibus quatuor Monaſteria ædificaverit, atque ſuſtentaverit. Modus ultimus ab his habetur, qui vivunt ex mendicatione, ideſt, qui oſtiatim quotidianam ſuſtentationem emendicant. Singuli hujuſmodi

modi

modi ſunt examinandi, atque ab erroribus expurgandi, non tamen æquali ſtudio, ac labore; diligentiùs in iis inſiſtendum, quos acriùs impugnant, reprehenduntque Acatholici. Potiſſimum adverſus vivendi modum ex mendicatione inſurgunt, atque conatus omnes impendunt, ad quem evertendum aliainter aſſumunt neceſſitatem corporaliter laborandi ad victum acquirendum; ea propter impræſentiarum hocce diſcutiendum aſſumimus.

Licitum est Religioſis corporaliter operari.

Ad pleniorem præſentis materiæ dilucidationem prævie eliminandus eſt error ex adverſo oppoſitus, eorum ſcilicet, qui contendebant Religioſis viris haud licere corporaliter operari, ſibique manuum labore victum acquirere, ſed debere ſeſe divinæ committere Providentiæ, atque ex alieno ſuſtentari labore. Hujuſce erroris Principes fuiſſe Maſſalianos, ſeu Euphemitas, ideſt præcatores legitur apud Epiphanium *Hær.* 80., qui refert ipſos deceptos ex illegitima interpretatione ſententiæ Chriſti: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui manet in vitam æternam*. Joann. 6. S. Auguſtinus *lib. 2. Retract. cap. 21.* rationem aſſignans, quare *Opuſculum de Opere Monachorum* ſcripſerit, id egiſſe affirmat, quia quibuſdam in Monaſteriis prope Carthaginem hujuſmodi error vigebat, unde exortæ contentiones erant, pro quibus ſedandis Aurelius Epiſcopus Auguſtinum rogavit, ut hac de re tenderet, quid ſentiendum, a quo ſane non eſt recedendum, cum in præcitato Opuſculo clariſſime, & nervoſe erroneam hanc opinionem refellat. Auguſtinianæ argumentationis ſumma ad ſequens ratiocinium reducitur.

Dignitas ſtatus non officit labori.

248 Altior eſt ſtatus Apoſtolicus ſtatu Monaſtico, ſeu Regulari; ſed Apoſtolicis viris fas erat manuum labore ſibi victum comparare; ergo etiam licebit viris Religioſis. Illatio inconcuſſa eſt; ſiquidem momentum, cur iſtis non liceat labor manuum, eſt dignitas, & perfectio ſtatus. Minor propoſitio declaratur ex Apoſtolo 2. ad Theſſalonic. 3. v. 6., & ſeqq. *Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt a nobis, ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione nocte, & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus; non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes, iis autem qui ejuſmodi ſunt denunciamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent*. Hic Magnus Apoſtolus fatetur labore manuum ſibi victum procuraſſe, atque ad idem provocat reliquos ex fratribus, quos inter enumerabantur ſocii peregrinationis ſuæ, atque Evangelicæ prædicationis miniſtri.

DICES. Apoſtolus eo loci ſermonem habet de myſtico labore, atque ſpirituali operatione, videlicet de oratione, prædicatione Evangelica, Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque ſpiritualibus exercitiis.

Verùm hujuſmodi interpretatio prorſus arbitraria eſt, ut ex ſola textus lectione evincitur, quod apte advertit Auguſtinus. Et ſane dum dicitur: *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo*, clare innuitur non comediſſe Paulum panem ab alio acceptum, & ex eleemoſyna oblatum, ſed propria corporali operatione acquiſitum, quod evidenter intelligitur ex ſequentibus: *Ne quem veſtrum gravaremus*.

Sed rem plane compertam facit, quod ſubditur: *Non quaſi nos non haberemus poteſtatem*. Significat enim Apoſtolus, quod poterat abſque corporali labore vivere, atque ex fidelium eleemoſynis ſuſtentari. Conſonat namque hæc propoſitio his, quæ habet 1. ad Corinth. 9. v. 4., & ſeqq., ubi probat ſe veraciter Apoſtolum, ſicut & ceteri itidem Apoſtoli, atque eandem habere poteſtatem, quam alii habent, panem manducandi ex fructu prædicationis: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Evangelizantes Apoſtolos piæ mulieres comitabantur, quarum ſumptibus nutriebantur, Chriſtum imitantes, qui dum Civitates, aliaque circuibat loca, tali modo ſuſtentabatur, ut legitur Luc. 8. v. 2., & ſeq. *Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalena, de qua ſeptem Dæmonia exierant, & Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Hunc vivendi modum didicerant Apoſtoli ex Magiſtri doctrina, tradita Matth. 10. v. 9., & ſeq. *Nolite poſſidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via . . . dignus enim eſt operarius cibo ſuo*; & Luc. 10. v. 7. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Eodem igitur modo poterat Paulus ſuſtentari: non enim pro ipſo peculiaris lex in oppoſitum urgebat, itaut manibus operari teneretur, ideo ſubdit laudato loco ad Corinthios v. 6. *Aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc faciendi?* Poterat quidem ex Evangelico miniſterio victum ſibi comparare, atque a corporali labore abſtinere, a ſpirituali tamen haud poterat, ut ipſemet teſtatur ibidem v. 16. *Væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero*.

Chriſtus ex eleemoſynis vivebat.

In eodem capite proſequitur oſtendere Paulus, qualiter ſibi victum labore manuum acquirebat, cum poſſet eleemoſynis oblatis ab his, quibus evangelizabat, nutriri: ſubdit enim v. 7., & ſeqq. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? &c. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non uſi ſumus hac poteſtate &c. Neſcitis quoniam, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt,*

ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum uſus ſum. En clara mens Apoſtoli. S. Paulum manibus laboraſſe conſtat ex 18. cap. Actuum Apoſtolicorum, ubi dicitur v. 1. *Poſt hæc egreſſus ab Athenis venit Corinthum, & inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam uxorem ejus (eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos a Roma) acceſſit ad eos, & quia ejuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erant autem ſcenofactoriæ artis)* Act. 20. v. 33. habetur: *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quam accipere.* His palam fit Paulum corporale opus, & non tantum ſpirituale, & Evangelicum exercuiſſe, idemque aliis commendaſſe. Has Scripturas dilucidat S. Auguſtinus laudato loco.

S. Epiphanius plura adverſus hunc errorem refert *hær.* 80., ex quo nonnulla tranſcribere juvat, utpote quæ pro evitando otio corporalem laborem commendant -- Cum
„ non poſſint ex juſtis laboribus quotidia-
„ num habere alimentum, ſed cogantur
„ propter otii egeſtatem menſæ divitum par-
„ ticipes fieri; quapropter præcepit Divina
„ Scriptura; ne cupias cibos divitum: hi
„ enim hærent ex vita mendaci: & rurſus
„ in alio loco dicit: quod oportet tales ſibi-
„ ipſis parare; ſi verò inſatiabilior es, ne
„ concupiſcas ipſorum cibos: hæc enim par-
„ te gloriam repererunt pueri in Babylone,
„ qui abnegaverunt menſam Regis, & ma-
„ luerunt ſeminibus contenti eſſe, quam
„ menſà frui; & cibis, ac pecuniis gloriæ
„ renunciaverunt: ſic Moyſes maluit coaffli-
„ gi cum populo Dei, quam frui theſauris
„ in Ægypto: operans autem propriis ma-
„ nibus adeptus eſt Prophetiam --

DICES I. Impoſſibile erat Paulo corporali operationi ita incumbere, ut ex lucro ſibi, ſociiſque victum acquireret; cum ſollicitudinem haberet omnium Eccleſiarum; ergo fateamur oportet loqui in præcitatis textibus non quidem de corporali, ſed de myſtico labore.

Mira Pauli dexteritas.

Fatetur S. Auguſtinus ſe quidem neſcire, quomodo Apoſtolus id peragere potuerit; attamen indubium eſt ipſum ibidem ſermonem habere de vero, & proprio labore manuum: plura occurrunt in viris excellentioris notæ, quæ ferme impoſſibilia videri poſſunt. Quomodo enim tot doctrinalia volumina ediderunt inſignes Epiſcopi, qui toti erant in ædificanda ſibi concredita Eccleſia. Compertum utique eſt, quod divina charitas eſt ſollicita, nec laboribus fatigatur. Illud innuit Auguſtinus, Paulum quandoque nonniſi die Sabbati prædicaſſe; eo ſcilicet tempore, quo in Synagogis evangelizabat Judæis; hinc legitur Act. 18. v. 4. *Et diſputabat in Synagoga per omne Sab-*
A *batum, interponens nomen Domini Jeſu, ſuadebatque Judæis, & Græcis*; quare reliquum temporis in laboribus inſumere poterat, atque ad plures dies ſibi de victu, equidem frugali, providere; ſemper enim mortificationem Jeſu Chriſti in corpore ſuo circumferebat; cum verò quotidie prædicationi incumbebat, ex labore manuum ſuarum non ſuſtentabatur, ſed ex his, quæ ei deferebant Fratres ex Macedonia, ut aperte habetur 2. ad Corinth. 11. v. 9. *Et cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia*, quod apte advertit S. Auguſti-
B nus, ut hinc intelligant Heterodoxi haud deferendum eſſe Evangelicum miniſterium, ut labore manuum quis vivat, ut infra dicetur.

DICES II. Nequit Diſcipulus adverſari dogmatibus Magiſtri ſui; ſed Chriſtus, ipſum ſequi volentes, docuit non eſſe victum quærendum corporali defatigatione: Joann. 6. v. 27. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*; ergo Paulus ejuſdem labii eſſe debet.

Verùm hujuſcemodi interpretatio longe aberrat a præintento Chriſti ſenſu: ipſe enim eum alloquitur populum, quem altera die
C magno multiplicationis miraculo paverat. Accedebat iterum ad Chriſtum non quidem devotione, aut ſignis permotus, ſed ut rurſum manducaret; ea propter eos admonet docendo, quod ad eum accedendum non eſt ob corporale commodum, ſed ob ſpiritualem profectum. In hunc locum v. 26. habet S. Thomas ex Auguſtino -- Locum iſtorum
„ tenent, qui quærunt Jeſum non propter
„ ſeipſum, ſed ut aliqua commoda ſecularia
„ conſequantur, ſicut ſunt illi, qui negotia
„ habentes, ad Prælatos, & Clericos acce-
„ dunt, non propter Chriſtum, ſed ut eo-
„ rum interceſſione promoveantur apud Ma-
D „ gnates; ſicut ſunt illi qui ad Eccleſias con-
„ fugiunt, non propter Jeſum, ſed quia a
„ potentioribus premuntur; ſicut etiam ſunt
„ illi, qui ad Sacros Ordines, ad Dominum
„ appropinquantes, non eiſdem merita vir-
„ tutum, ſed ſubſidio vitæ præſentis inqui-
„ runt, ſcilicet divitias, & honores, ut Greg.
„ dicit 23. Moralium. Et hoc patet; nam
„ facere ſigna virtutis Divinæ eſt, ſed man-
„ ducare panem multiplicatum eſt tempo-
„ rale; qui ergo non veniunt ad Chriſtum
„ propter virtutem, quam in eo vident, ſed
„ propter hoc quod ex panibus manducant,
„ non Chriſto ſerviunt, ſed ſuo ventri, ut
E „ dicitur Phil. 3., & Pſal. 48. Confitebitur
„ tibi, cum bene feceris ei; ad veritatem
„ eos reducit, proponendo eis ſpiritualem
„ cibum --

Spiritualem hunc cibum, qui alius ſane non eſt, quam ſanctitas, atque æternæ felicitatis adeptio, conſequi valeat manibus laborantes, ſive ſeculares ſint, ſive Monachi, ſi debite in mechanicis exerceantur; quod optime advertit Epiphanius *cit. hær.* 80. -- Seduxit enim quorumdam opinionem ſer-
„ mo a Salvatore dictus. Operamini non ci-
„ bum, qui perit, ſed qui manet in vitam
„ æter-

„ æternam: arbitrantur autem eum, qui pe-
A „ rit, eſſe honeſtam operationem, cujus la-
„ borem habemus ad juſtitiam, quæ ſane
„ implebatur in Abraham per vitulum, &
„ in labore Viduæ per Eliam, & in opera-
„ tione ipſius Job, per filios, ac ſervos, &
„ jumenta, ac poſſeſſiones, & in omnibus
„ Dei ſervis, qui ad juſtitiam laborant pro-
„ priis manibus ad impertiendum etiam in-
„ digentibus --

DICES III. Servos ſuos Dominus jubet eſſe ſecuros de cibo, & veſtimento, ſicut ſecuras facit aves, & flores campi, ut conſtat Matth. 6. a verſiculo 25. uſque ad finem: *Ideo dico vobis ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid*
B *induamini .... Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa .... Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent .... Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi.*

Huic argumento, quod eſt fundamentum hujus erroris, Auguſtinus *lib. cit. cap.* 23. Ingenioſe reſpondet, Chriſtus de volatilibus cæli dixit, quod neque in horrea congregant -- Cur ergo iſti manus otioſas, & ple-
C „ na repoſitoria volunt habere? Cur ea, quæ
„ ſumunt ex laboribus aliorum, recondunt,
„ & ſervant; unde quotidie proferatur? Cur
„ denique molunt, & coquunt? Hoc enim
„ aves non faciunt -- Alia addit omnino videnda. Deinde deſcendit explicare cap. 26. verum ſenſum dictorum Chriſti. igitur *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis &c.*, ideo dictum eſt ne quis ideo Evangelium prædicet, ut inde habeat, quod manducet, & quod veſtiatur; tunc enim ſerviret Deo, & Mammonæ, itidem id dictum eſt, ne ut ea omittantur, ſed ut in illis agendis recta intentio procuretur -- Non ut iſta
D „ non procurent quantum neceſſitatis ſatis
„ eſt, unde honeſte potuerint; ſed ut non
„ iſta intueantur, & propter iſta faciant,
„ quidquid in Evangelii præconio facere ju-
„ bentur; eam quippe intuitionem quare
„ quid fiat, oculum vocat; unde paulò ſu-
„ perius loquebatur, ut ad hæc deſcenderet,
„ & dicebat; lucerna corporis tui eſt oculus
„ tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex totum
„ corpus tuum lucidum erit; ſi verò oculus
„ tuus nequam fuerit, totum corpus tene-
„ broſum erit; ideſt, talia erunt facta, qua-
„ lis fuerit intentio tua, cur ea facias; &
„ ad hoc enim ut veniret, ſupra de eleemo-
E „ ſynis præceperat dicens: *Nolite condere vo-*
„ *bis theſauros* -- Alia ſunt in contextu Evangelico hunc eſſe ſenſum comprobantia.

De volatilibus cæli, & liliis agri ideo dictum eſt, ne credatur Deus ſervos ſuos in neceſſitatibus deſerere, cujus admirabilis providentia ad hæc etſi minima extenditur; quod autem extra neceſſitatem velint ſibi provideri eo modo quo volatilia cæli, & lilia agri, & velint otiari, eſt Deum tentare. Poſiti in neceſſitate, vel ad Dei obſequium indiſpenſabiliter occupati, ſpem reponant in Deum, & divinum experientur ſubſidium. Declarat a ſimili Auguſtinus ſequenti capite -- Neque enim quia dixit Deus:
„ Invoca me in die tribulationis, & eximam
„ te, & glorificabis me, propterea non de-
„ buit fugere Apoſtolus, & per murum in
„ ſporta ſubmitti, ut manus perſequentium
„ evaderet, ſed expectare potius, ut com-
„ prenderetur, & eum ſicut tres pueros de
„ mediis ignibus liberaret. Aut propter hoc
„ nec Dominus dicere debuit; ſi vos perſe-
„ cuti fuerint in una Civitate, fugite in
„ aliam, quia ipſe dixit; ſi quid petieritis
„ in nomine meo, dabitur vobis. Sicut ergo
„ quiſque perſecutionem fugientibus diſci-
„ pulis Chriſti objiceret hujuſmodi quæſtio-
„ nem, cur non ſtetiſſent potius, & invo-
„ cato Deo per ejus mirabilia ſic eruerentur, ut Daniel a Leonibus, & Petrus ex
„ vinculis; reſponderent non oportuiſſe
„ tentare Deum, ſed tunc cum talia, ſi vel-
„ let, eſſe facturum cum ipſi quid facerent,
„ non haberent. Cum verò ei fugam in po-
„ teſtatem dediſſet, etiamſi per illam libe-
„ rantur, non niſi ab ipſo liberari; ſic etiam
„ Dei ſervis vacantibus, & valentibus exem-
„ plo, & præcepto Apoſtolico manibus ſuis
„ victum transigere, ſi quis ex Evangelio
„ moveret quæſtionem de volatilibus cæli,
„ quæ non ſeminant, neque metunt, neque
„ congregant in apothecas, & de liliis agri,
„ quia non laborant, neque nent, facile
„ reſpondebunt; ſi & nos per aliquam vel
„ infirmitatem, vel occupationem non poſ-
„ ſimus operari, ſic ille non paſcet, & ve-
„ ſtiet, quemadmodum aves, & *lilia*, quæ
„ nihil operantur hujuſmodi. Cum autem
„ poſſumus, non debemus tentare Deum no-
„ ſtrum, quia & hoc poſſumus, ejus mu-
„ nere poſſumus &c. --

Illud verò: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum* ideo dicitur, ut cogitatio noſtra non figatur in hæc terrena, ſed dirigatur, & firmetur in cæleſtia -- Quapropter in iſta mi-
„ litia noſtra, nec in craſtinum cogitamus,
„ quia non propter iſta temporalia, quo
„ pertinet craſtinus, ſed propter illa ſempi-
„ terna, ubi ſemper hodiernus eſt, nos illi
„ probavimus, ut ei nullis negotiis ſecula-
„ ribus implicati placeamus --

DICES IV. Nihil prodeſt ſervis Dei ſeculum reliquiſſe, & ad ſpiritualem tranſvolaſſe converſationem, ſi iiſdem actibus, quibus in ſeculo occupabantur, & jam dimiſerunt, debent iterum implicari.

Multum quidem prodeſt, quod homo Evangelicæ paupertatis conſilium a Chriſto Domino traditum amplectatur, bona ſeculi tum poſſeſſa, tum quæ ſperare poterat relinquendo. Perfectionem non impedit moderatus labor; hinc Apoſtolus mechanica exercebat, & tamen ſanctiſſime curſum ſuum conſummavit; qui habitum Regularem ſuſcipiunt vel divites ſunt, vel pauperes, ſi divites, egregie faciunt, ſi ea abdicando, per quæ laute vivebant, humilem ſtatum aſſumunt, & ſibi, & aliis labore manuum victum procurant; ſub quo exercitio ſuperbiæ tumor valde contunditur, & diſperditur. Si pauperes, bonum opus pariter operantur, ſi in ſpiritu humilitatis viliora opificia exercentes,

ceotes, communi charitati deſerviant, non ſibi lucrum acquirentes, ſed ſocietati. Turpius quidem eſt, ſi pauperes, & inferioris notæ homines in Monaſteriis ſe ſubtrahant a labore corporali, quem divites, & nobiles non refugiunt. Quod notat Aug. *lib. cit. cap.* 25. *ſub fine* -- Neque enim propterea in mi-
„ litia Chriſtiana ad pietatem divites humi-
„ liantur, ut pauperes ad ſuperbiam extol-
„ lantur; nullo modo enim decet, ut in ea
„ vita, ubi fiunt Senatores laborioſi, fiant
„ opifices otioſi: & quo veniunt relictis di-
„ vitiis ſuis, qui fuerant prædiorum Domi-
„ ni, ibi ſint ruſtici delicati --

DICES. Qui manibus laborant retro reſpiciunt, quia iterum exercent ſecularia; ſed mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, non eſt aptus Regno Dei, ut teſtatur Chriſtus; ergo Monachis non licet labor mechanicus.

Retro reſpiciunt, qui profano ſpiritu ſecularia exercent, & quæ abſque peccato fieri nequeunt, ſecus autem opera indifferentia, & quæ ſubſervire poſſunt fraternæ charitati, & exerceri queunt ſpiritu ſanctitatis. Habemus ſimile argumentum a Magno Gregorio propoſitum *hom.* 24. *in Evang.* loquendo de Petro, qui poſt vocationem ad Chriſti ſequelam, rediit ad piſcationem --
„ Sed ſi virtus diſcretionis inſpicitur, citius
„ videtur, quia nimirum negotium, quod
„ ante converſionem ſine peccato extitit,
„ hoc etiam poſt converſionem repetere cul-
„ pa non fuit; nam piſcatorem Petrum, Mat-
„ thæum verò telonearium ſcimus, & poſt
„ converſionem ſuam ad piſcationem Petrus
„ rediit, Matthæus verò ad telonei negotium
„ non recedit, quia aliud eſt victum per pi-
„ ſcationem quærere, aliud autem telonei
„ lucris pecunias augere: ſunt enim pleca-
„ que negotia, quæ ſine peccatis exhiberi
„ aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo
„ ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe
„ eſt, ut poſt converſionem animus non re-
„ currat --

Ex his dictis facile quiſque intelliget Monachis non fore illicitum manuum labore victum ſibi, & confratribus procurare, nec hujuſmodi opus impedire aſſecutionem Religioſæ perfectionis, quoties aſſumitur ſub regula prudentiæ, in cujus confirmationem plura adhuc poſſent adduci, ſed non vacat ulterius immorari, cum adverſus veritatem hanc via quidquam urgeant Hæretici, & toti ſint in oppoſitum errorem propugnandum, videlicet teneri Regulares ad laborem manuum ſub præcepto.

Patronus hujus doctrinæ aſſeritur Guillelmus de Sancto Amore, a quo Amoræi ejus diſcipuli appellati ſunt, per quos traductus eſt error uſque ad Wicleſitas, per hos ampliores radices jecit. Contendunt enim iſti, quotquot ſunt Regulares ſub interminatione Divini Judicii obligatos eſſe ad quærendum victum labore manuum. Accipe verba, quibus id refert noſter Thomas Waldenſis *tom.* 1. *Doctrinalis fidei lib* 4. *art.* 2. *cap.* 22. --
„ Tenet enim hæreſis iſta, quod omnis Re-
„ ligioſus tenetur vivere de labore manuum
„ de neceſſitate ſalutis, & nullum ab hac
„ regula excipiunt Wicleſitæ, qui Clauſtri
„ metas continuare proponit. Amoræi verò
„ nullum excipiunt, niſi cujus miniſterium
„ forte ſufficienti præſidio vitæ ſuffultum
„ eſt -- Huic errori ſuppetias fert Calvinus *lib.* 4. *Inſt. cap.* 13. §. 10. Item Lutherus apud De Caſtro *libro de Hæreſibus verbo Labor*, ſed paulò modeſtius, quatenus excipit Prædicatores verbi Dei, cæteros autem omnes ad laborandum cogit. Hujuſce erroneæ opinionis fautores recenſet S. Thomas *Opuſ.* 19. *contra impugnantes Religionem cap.* 5. Hinc agendo ibidem de Patronis doctrinæ iſtius pravum ipſorum finem detegit: intendunt ſiquidem divertere, atque impedire, ne Religioſi ſtudiis vacent, quibus ſe habiles reddant ad divinæ prædicationis miniſterium, ut hinc, ſublato verbo Dei ex ore Religioſorum, qui in proximorum ſalutem ferveſcere ſolent, plebs in pejora ruat, atque in his computeſcat.

§. VII.

STATUITUR CATHOLICA VERITAS.

DIcendum Monachos non teneri ad laborem manuum, nec eos in ſtatu damnationis fore, qui mechanice non operantur. Concluſio indefinita eſt, ſicut indefinite oppoſitum propugnabat Wicleſus *art.* 24. videlicet -- Fratres tenentur per labo-
„ res manuum victum quærere, & non per
„ mendicitatem -- Conſtantienſe Concilium ſequenti cenſura hanc notavit propoſitionem -- Prima pars eſt ſcandaloſa, & præſumptuo-
„ ſe aſſerta pro quanto ſic generaliter, &
„ indiſtincte loquitur, ſecunda erronea pro
„ quanto aſſerit mendicitatem fratribus non
„ licere --

249 PROB. deinde 1. Qui verbo Dei incumbunt, atque altari adminiſtrant, abſque manuum labore poſſunt ex alienis, ex bonis ſcilicet fidelium, vivere, dicente Paulo 1. ad Corinth. 9. v. 13., & ſeq. *Qui altari deſerviunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*; atqui Regularium plerique verbo Dei incumbunt, atque altari adminiſtrant; hinc abſque mechanico labore a Fidelibus victum recipere poſſunt. De hac poteſtate ſcribit Auguſtinus *lib. de Opere Monachorum cap.* 21. -- Si enim Evangeliſtæ
„ ſunt, fateor, habent; ſi miniſtri altaris,
„ diſpenſatores Sacramentorum, bene ſibi
„ iſtam non arrogant, ſed plane vendicant
„ poteſtatem -- Hujuſce rationem reddit de Serm. Domini in Monte, ut refertur a Waldenſi loco ſuperius laudato *cap.* 24. -- Sicut
„ autem omnes militantes accipiunt anno-
„ nam, & ſtipendium, ſic omnes evange-
„ liſantes accipiunt victum, & tegumen-
„ tum --

Incumbentes verbo Dei nõ tenentur laborare.

DICES. Scriptura de his ſermonem habet, quibus divino jure convenit verbo Dei incumbere; loquitur namque de ſtipendio ex juſtitia debito; ſed Monachi nequaquam verbo Dei incumbunt ex jure divino, ſed

voluntarie ; ergo ipſis ob Evangelicam prædicationem ſubſidium non debetur , adeoque non eis rationabile ſuppetit momentum , unde a mechanico labore eximantur .

Falſitas hujuſce inſtantiæ pluribus oſtenditur I. Qui jure divino tenentur verbo Dei incumbere , ſunt Prælati ſucceſſores Apoſtolorum ; ſed præter iſtos alii adinveniuntur , quibus fas eſt juxta Evangelicam doctrinam vivere ex prædicationis fructu , ut patet Luc. 10. , ubi Chriſtus ſeptuaginta Diſcipulis , quos Apoſtolorum coadjutores deputaverat , dixit , ut in eadem domo , cui evangelizabant , manentes ederent , quæ ipſis apponerentur ; ergo cum Regulares ſeptuaginta Diſcipulis ſuffecti fuerint , ſintque Epiſcoporum Coadjutores , jam plane fit , illis evangelizantibus licitum fore ſtipendium recipere ex fructu Evangelii , & adminiſtrationis Sacramentorum .

Regulares diſcipulis Chriſti ſuccedunt .

II. Affirmat Apoſtolus non tantum ipſum , & Barnabam , ſicut & ceteros Apoſtolos poteſtatem habere victum accipiendi ex prædicationis miniſterio , ſed etiam alios Evangelizantes ; unde ſic argumentatur 1. ad Corinth. 9. v. 12. *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt , quare non potius nos ?* Hoc pro re nata intellexit Auguſtinus *de opere Monachorum cap.* 8. -- Cujus poteſtatis participes
„ etiam erant aliqui alii , qui non eis primò
„ Evangelium annunciaverunt , ſed ad eorum Eccleſiam idipſum prædicantes poſtea
„ venerant ; ideo cum dixiſſet : ſi nos vobis
„ ſpiritualia ſeminavimus , magnum eſt , ſi
„ carnalia veſtra metamus ? ſubjecit : ſi alii
„ poteſtatis veſtræ participant , cur non magis nos ? --

Omnes Evangelizantes vivere poſſunt ex prædicatione .

III. Paulus eo loci contendit miniſtris licere ex Evangelio vivere , adoptata paritate laborantium in vinea , & paſcentium gregem ; atqui his non tantum ſtipendia dantur , debenturque , qui a Domino vineæ vocati laborant , ſed & illis , qui ſe ultro offerunt , atque ad laborem acceptantur ; ergo cum Religioſi aſſumpti ſint ad laborandum in vinea Domini , quatenus Eccleſia Regularia inſtituta approbavit , vitam activam in populorum ſalutem profitentia , palam fit poſſe licite ex Evangelico miniſterio ſubſidia recipere.

Vivere debent de grege , qui paſcunt gregem .

IV. S. Auguſtinus , cujus verba ex *cap.* 21. dedimus ſuperiùs , dubio-procul ſermonem habet de Monachis , atque pro eis loquitur , Pauli ſenſa accommodando : *Si Evangeliſtæ ſunt &c.* ergo aliena eſt a ſententia Auguſtini illa limitatio ad ſolos Prælatos , atque Miniſtros divinæ inſtitutionis : ea propter ſicut non dantur tantummodo Judices ordinarii , ſed itidem delegati , quibus ſua debentur ſtipendia , ita non eſt abs re adinveniri tum ordinarii , tum delegati juris Evangelicos Miniſtros , quibus ſtipendia conveniant . Porro Regulares Evangelicis Miniſtris accenſentur , quippe qui approbati ſunt ab Eccleſia , quos indubie tanquam delegatos verbi Dei annunciatores ipſa admittere potuit ſive ob multitudinem fidelium , infideliumque , qui inſtrui debent , ſive ad meliorem , abundantioremve populorum inſtructionem , quibus non ſufficiunt Epiſcopi , & Parochi .

Regulares miniſtri Evangelici .

250 PROB. II. Eccleſia in Scripturis ſacris analogica proportione humanæ Reipublicæ aſſimilatur ; ſed qui in humana Republica utiliter communi bono incumbunt , neceſſaria victui recipiunt , dicente Apoſtolo ad Rom. 13. v. 6. *Ideo & tributa præſtatis , miniſtri enim Dei ſunt* , & 1. ad Corinth. 9. v. 7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam ?* ergo & illi , qui in ſpiritualibus communi utilitati deſerviunt , ſubſidia vitæ recipere poſſunt ; & quidem jure majori , cum ſpiritale incrementum longe majus ſit temporali ; ſed Regulares Ordines in ſpiritualibus communi fidelium bono præſto ſunt , ſive concionando , ſive Sacramenta adminiſtrando , ſive ob populorum felicitatem Deum exorando . *Arma militiæ noſtræ ſpiritualia ſunt* , dicebat Apoſtolus . Unde alii Deo militant in bonum publicum orationibus , alii ſacrificiis , jejuniis , flagellationibus , alii Scripturarum meditationibus , quibus errores evellantur , foveanturque virtutes , & hujuſmodi ; ergo .

Eccleſia aſſimilatur Reipublicæ .

DICES . Analogica proportio in eo conſiderari debet , quod ſicut qui in terrena Republica laborant , corporalia metunt , ita qui in Eccleſia pro ejuſdem ſpiritali bono inſudant , ſpiritualia ſubſidia recipiant .

Ceterum inſtantia non urget ; ſiquidem Apoſtolus de corporali ſubſidio loquens habet 1. ad Corinth. 9. v. 13. *Neſcitis quoniam , qui in ſacrario operantur , quæ de ſacrario ſunt , edunt* , atqui in ſacrario operantur ſpiritalia Regulares , ſacra nempe munia exercendo ; ergo de bonis fidelium ſuſtentari debent ; & meritò quidem ; etenim ſuadente Apoſtolo : alter alterius onera portare debemus . Regulares orando , Sacramenta miniſtrando onera portant fidelium , proportione quadam Chriſtum imitantes , qui peccata noſtra tulit , & languores noſtros ipſe portavit : portent ergo oportet ſeculares onus ſuum , bona corporis ſacris Miniſtris ſubminiſtrando , mutuum charitatis officium exercentes .

Regulares inter , & Seculares quæ charitatis officia .

251 PROB. III. Chriſtus contemplationis otium actioni , atque mechanico exercitio præferendum eſſe aperte docuit Luc. 10. v. 40. , & ſeqq. *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium , quæ ſtetit , & ait : Domine non eſt tibi curæ , quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare ? Dic ergo illi , ut me adjuvet . Et reſpondens dixit illi Dominus : Martha , Martha ſollicita es , & turbaris erga plurima : porro unum eſt neceſſarium : Maria optimam partem elegit , quæ non auferetur ab ea .* His non reprobat Chriſtus charitatis officia erga hoſpites , ſed præferendam docet contemplationem , quæ neutiquam deſerenda eſt ob ſervile opus : hinc S. Gregorius *lib. 5. Moral. cap.* 22. ad textum Job. 4. *Quando ſolet ſopor occupare homines* , explicatâ contemplationis naturâ ſubdit -- Neque enim ad con-
„ templandum interna perducitur , niſi ab iis ,
„ quæ exterius implicant , ſtudioſe ſubtrahatur . Hinc eſt enim , quod per ſemetipſum
„ veritas dicit . Nemo poteſt duobus Dominis ſervire : hinc Paulus ait : nemo mili-
„ tans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus ,
„ ut ei placeat , cui ſe probavit : hinc etiam
„ per Prophetam Dominus admonet dicens :
„ vacate , & videte , quoniam ego ſum
„ Deus -- Ex his compertum quiſque habere

Qui vacant contemplationi a mechanicis excuſantur.

beee poteſt contemplationis otium a corpoeali labore excuſare. Potro plerique Regularium Ordines ex inſtituto contemplationi vacare debeut; hos inter habentur Carmelitæ, in quorum Regula ab Innocentio IV. rurſus confirmata Lugduni an. 1248. anno V. Pontificatus Kal. Septembris legitur *n.* 4. -- ,, Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel juxta ,, eas, die, ac nocte in lege Domini me- ,, ditantes, & in orationibus vigilantes, niſi ,, aliis juſtis occaſionibus occupentue -- Prædicti itaque Regulares a mechanicis juſte eaempti eſſe poſſunt. Audiamus D. Bernardum hac ſupee re in Apologia ad Guilleimum Abbatem cap. quod incipit: *Unde nunc mihi* -- Jam verò de labore manuum quid gloria- ,, mini, cum & Martha laborans increpata, ,, & Maria quieſcens laudata ſit, & Paulus ,, aperte dicar: labor corporis ad modicum ,, valet, pietas autem ad omnia? Optimus ,, labor, de quo Propheta dicebat; laboravi ,, in gemitu meo; Et de quo alibi: me- ,, mor fui Dei, & delectatus ſum, & exer- ,, citatus ſum. At ne corporale intelligas ,, exercitium; & defecit, inquit, ſpiritus ,, meus. Ubi autem non corpus, ſed ſpiri- ,, tus fatigatur, ſpiritualis proculdubio labor ,, intelligitur. Quid ergo inquis? ſiccine ,, illa ſpiritualia perſuades, ut etiam hæc, ,, quæ ea regula habemus corporalia dam- ,, nes? Nequaquam, ſed illa oportet agere, ,, & iſta non omittere. Alioquin cum aut ,, iſta omitti neceſſe eſt, aut illa, iſta potius ,, omittenda, quam illa; quantò enim ſpi- ,, ritus corpore melior eſt, tantò ſpiritualia, ,, quam corporalis exercitatio fructuoſior -- Videndus etiam ad ea verba Cantic. 2. *Adjuro vos, Filiæ Jeruſalem, per capreas, cervoſque &c.*

Et Gloſſa ad illa verba Matthæi 6. *Reſpicite volatilia cæli* apte dicit -- Sancti me- ,, ritò avibus comparantur, qui cælum pe- ,, tunt, & quidem remoti jam ſunt a mun- ,, do, ut jam in terris nihil agant, nihil la- ,, borent, ſed ſola contemplatione jam in ,, cælo degunt, de quibus dicitur: qui ſunt ,, hi, qui ut nubes volant? -- Quare ſicut admirabili providentia non ſeminantibus avibus Deus alimenta præſtat, ita viris contemplativis ſuccurrit; unde hi licite a labore manuum eximuntur. Quæ diximus abunde ſufficerent ad catholicam veritatem elucidandam; juvat tamen aliqua ex S. Thoma *Opuſc.* 19. *cap.* 5. tranſcribere, quorum plura ſuperius dedimus -- Sic ergo patet, quod ,, Religioſi, & Secolares, qui & ſine furto,

S. Thomas Ordinum Regularium propugnator.

,, & ſine concupiſcentia alienarum rerum, ,, ac ſine turpi cura victum habere poſſunt ,, undecumque, ex præcepto Apoſtoli labo- ,, rare non tenentur. Similiter nec ex præ- ,, cepto Auguſtini in lib. de Opere Mona- ,, chorum, cum non inducat niſi ad obſer- ,, vanda præcepta Apoſtolica, ſicut patet in- ,, ſpicienti diligenter verba ejus; ergo non ,, tenentur Religioſi manibus laborare, niſi ,, in caſu. Item illi, qui habent aliàs unde ,, vivant, quam de labore manuum, non ,, tenentur manibus operari: alioquin omnes ,, divites & omnes Clerici, & Laici, qui ,, non laborant, eſſent in ſtatu damnationis, ,, quod eſt abſurdum. Sed aliqui Religioſi ,, ſunt, qui habent, unde aliàs vivant, ,, quam de labore manuum, quia habent ,, poſſeſſiones, quæ ad eorum vitam ſuſten- ,, tandam a fidelibus collatæ ſunt: vel ha- ,, bent miniſterium prædicationis ſibi com- ,, miſſum, de quo vivere poſſunt. 1. ad Co- ,, rinth. 9. Dominus ordinavit his, qui Evan- ,, gelium annunciant, de Evangelio vivere; ,, Gloſſa; ſic Dominus rationabiliter diſpo- ,, ſuit de prædicatoribus, ut expeditiores ſint ,, ad prædicandum verbum Dei: unde non ,, poteſt dici, quod hoc intelligendum ſit ,, ſolùm de Prælatis, quibus ex auctoritate ,, ordinaria prædicare incumbit, quia tam ,, ipſos, quam alios quoſcunque, qui ex eo- ,, rum commiſſione prædicant, oportet ex- ,, peditos eſſe ad prædicandum verbum Dei, ,, inter quos poſſunt eſſe Religioſi, ſicut ſu- ,, pra probatum eſt. Similiter aliqui Reli- ,, gioſi ſunt, qui Eccleſiæ deſerviunt in di- ,, vino officio, & de hoc etiam licite vivere ,, poſſunt; unde dicitur 1. ad Corinth. 9. ,, Qui altari deſerviunt, cum altari partici- ,, pant. Et de his duobus dicit Auguſtinus ,, in lib. de Opere Monachorum de Religio- ,, ſis loquens: ſi Evangeliſtæ ſunt, fateor, ,, habent, ſcilicet, poteſtatem de ſumptibus ,, fidelium vivendi. Si miniſtri altaris, bene ,, ſibi iſtam non arrogant, ſed plane vendi- ,, cant poteſtatem. Similiter ſunt aliqui Re- ,, ligioſi, qui Sacræ Scripturæ vacant, & de ,, hoc etiam licite vivere poſſunt. Unde di- ,, cit Hieronymus in Epiſt. contra Vigilan- ,, tium: hæc in Judæa uſque modo perſeve- ,, rat conſuetudo, non ſolum apud nos, ſed ,, etiam apud Judæos, ut qui in lege Domi- ,, ni meditantur die, ac nocte, & partem ,, non habent in terra, niſi ſolum Deum, ,, Synagogarum, & totius Orbis foveantur ,, miniſteriis; ergo patet quod non omnes ,, Religioſi tenentur manibus laborare. Item ,, utilitas ſpiritualis præfertur utilitati tem- ,, porali: ſed qui ſerviunt utilitati communi ,, ad pacem temporalem conſervandam, li- ,, cite accipiunt, unde vivunt, unde dicitur ,, Rom. 13. ideo & tributa præſtatis: mini- ,, ſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervien- ,, tes. Gloſſa, dum pugnant pro patria; ,, ergo multò fortius, qui in ſpiritualibus ,, communi utilitati deſerviunt, vel prædi- ,, cando, vel Sacræ Scripturæ inſiſtendo, vel ,, Eccleſiæ deſerviendo, in qua fiunt oratio- ,, nes pro ſalute totius Eccleſiæ, poſſunt li- ,, cite accipere a fidelibus, unde ſuſtenten- ,, tur: non ergo tenentur manibus laborare.

,, Item ſicut dicit Auguſtinus lib. de ,, Opere Monachorum Apoſtolus manibus ,, operabatur, ubi Judæis ſolo die Sabbati ,, prædicare conſueverat, habens reliquum ,, tempus liberum ad manibus laborandum, ,, ſicut faciebat, cum eſſet Corinthi. Sed ,, quando erat Athenis, ubi poterat quo- ,, tidie prædicare, manibus non operabatur, ,, ſed vivebat de his, quæ detulerant ſibi ,, fratres de Macedonia venientes. Ex quo ,, patet quod officium prædicationis non eſt ,, propter laborem manuum dimittendum; ,, ergo illi, qui poſſunt prædicationi inſiſte- ,, re, & aliis, quæ ad ſalutem animarum

„ ſpectant, ſive authoritate ordinaria hoc agant, ſive ex commiſſione alterius, debent omnino a labore manuum abſtinere. Item opera miſericordiæ præferuntur corporalibus exercitiis. 1. ad Timoh. 4. Corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia valet: ſed opera pietatis ſunt intermittenda, ut vacetur prædicationi: *Act.* 6. Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Luc. 9. Sine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuncia Regnum Dei. Gloſſa. Dominus docet bona minora pro utilitate majorum eſſe prætermittenda. Majus eſt enim animas mortuorum prædicando ſuſcitare; quam corpus mortui terrâ abſcondere: ergo & illi, qui licite prædicare poſſunt qualitercunque, debent laborem manuum propter prædicationem intermittere. Item non eſt poſſibile ſtudio Sacræ Scripturæ continuò inſiſtere, & de labore manuum victum quærere, ſed ſicut Gregorius in Paſtorali dicit, exponens illud quod Exodi 25. dicitur. Vectes ſemper erunt in circulis. Nimirum neceſſe eſt, inquit, ut qui ad officium prædicationis excubant, a ſacræ lectionis ſtudio non recedant, ut ſcilicet, ſemper ſint parati ad prædicandum, & ſi non ſemper prædicent, ut patet per ea, quæ ibi ſubduntur; ergo illi, qui ad prædicandum deputati ſunt, ſive ex propria authoritate, ſicut Prælati, ſive ex Prælatorum commiſſione, debent a labore manuum ceſſare, ut ſtudio vacent. Item quod Religioſi poſſint, labore manuum dimiſſo, ſtudio Sacræ Scripturæ abſque reprehenſione vacare, patet per id quod dicit Hieronymus in Prologo ſuper Job. Si aut fiſcellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in ſudore vultus mei comederem panem, & ventris opus ſollicita mente pertractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet: nunc autem, quia juxta ſententiam Salvatoris, volo operari cibum, qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam ſentibus, virgultiſque purgare, error mihi geminus injungitur. Et infra. Quapropter, o fratres dilectiſſimi, pro flabello, calathis, ſportelliſque munuſculis Monachorum ſpiritalia hæc, & manſura dona ſuſcipite; ergo patet, quod Beatus Hieronymus, qui erat Monachus, loco laboris manualis, ſtudium Sacræ Scripturæ aſſumpſerat, de quo tamen ab invidis reprehendebatur; ergo & aliis Religioſis hoc ipſum licet, quantumcunque murmurent Detractores. Item Auguſtinus in lib. de Opere Monachorum. Qui relictâ, vel diſtributa ſive amplâ, ſive qualicunque opulentiâ inter pauperes Chriſti pia, & ſalubri humilitate numerari voluerint, ſi corpore ita valent, & Eccleſiaſticis occupationibus vacant, ſi & ipſi manibus operentur, ut pigris auferant excuſationem, multò miſericordiùs agunt, quam cum omnia ſua indigentibus diviſerunt: ex quo patet, quod tam illos qui corpore non valent, quam illos qui Eccleſiaſticis operibus implicantur, non vult manibus laborare: ſed inter Eccleſiaſticas occupationes prædicatio eſt utilior, & dignior. 1. ad Timoth. 5. Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina; ergo illi, qui in prædicatione occupantur, non debent manibus laborare -- Hæc, pluraque alia habet Angelicus, ſicut & S. Bonaventura in Apologia pro eadem re exarata.

§. VIII.

ACATHOLICORUM ARGUMENTIS FIT SATIS.

252 OBJIC. I. Ad præceptorum obſervantiam perinde Monachi tenentur, ac Seculares, ſed 2. ad Theſſalonic. 4. v. 11. legere eſt præceptum laborandi manibus: *Operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis*; & Gen. 3. Protoparenti dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: porro Regulares nequaquam præſtantioris conditionis ſunt ad Protoparentem, unde ſine manuum labore victum tranſigere queant; ergo.

RESP. Si Pauli contextum perpendamus, plane compertum fiet eo loci non univerſale, abſolutumque præceptum promulgaſſe, ſed conditionatum, ad ſcandalum nempe vitandum, ut indubie manifeſtat cauſalis: *Et ut honeſte ambuletis, ad eos qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis*. Quidam enim cum opprobrio Chriſtiani nominis eleemoſynas minus caute, & honeſte a Gentibus petebant, quod Hieronymus in hunc locum ſatis innuit -- Quidam inquiete per „ diverſorum diſcurrebant domos, aliqua etiam ad Religionis opprobrium poſtulantes ab Infidelibus. Quamquam ad eos in ſecunda plenius exequitur, unde magis vult eos vel proprii negotii cura, vel labore manuum occupari, quam otioſitatis detrimentum, & inquietudinis peccatum habere -- Intendit itidem Apoſtolus alienarum rerum cupiditatem e fidelium cordibus evellere, ut apparet ex textu. Videatur S. Thomas in hunc locum.

Ceterum hujuſmodi ſolutio; quæ textui mire congruit, nullimode Amoræis favet adverſus Monachos, qui abſque manuum labore victitant, ſed abſque ſcandalo, & abſque alienarum rerum cupiditate. Si tamen ultro daremus in utroque textu haberi præceptum abſolutum, & generale, ſeu veriùs explicari præceptum naturalis ordinis, quo homo adſtringitur ad victum ſibi procurandum; cum hominem diſcriminaverit Deus a ceteris animantibus, rationem illi largiendo, manuſque, quibus ſibi bene conſulere poſſet, præceptum hocce non jam ſingulos, ſed communitatem afficeret. Cum verò præceptum hujuſmodi ſit, ſinguli ad illud non tenentur, ſiquidem apud communitatem non unum eſt omnium munus, ſicut corporis membra non eundem actum habent, licet membra ad invicem ſunt ſollicita, ut docet Apo-

Præceptum de victu ſibi procurando non eſſet pro ſingulis.

Apoſtolus; es quo colligitur eos, qui aliunde victum habent, a mechanicis vacare poſſe; eumque unum membrum myſtici corporis Eccleſiæ ſit pro alio ſollicitum in ſpiritualibus, optime poteſt participare de fructu corporalis ſollicitudinis alterius membri Eccleſiæ.

DICES. Quæ Paulus in laudata Epiſtola præcepit, concinunt iis, quæ in ſecunda tradit cap. 3. *Qui non vult operari, non manducet*; ſed his aperte Religioſos alloquitur: nam Gloſſa ibi dicit -- Vult ſervos Dei „ corporaliter operari, unde vivant -- Porro nomine ſervorum Dei potiſſimum veniunt Religioſi.

Deficit quoad omnia inſtantia. Deficit in eo, quod aſſerit Paulum determinate alloqui Religioſos; nam Paulus ſermonem habet ad Theſſalonicenſes, & in ipſis ad reliquos fideles, quos juxta conſuetum loquendi modum fratres nuncupat. Deficit etiam in eo quod vult omnes Religioſos comprehendi, cum ad eos ſolummodo, qui inquiete ambulant, & curioſe curſitantes otiantur, ſermonem dirigat: hoc manifeſtum fit ex v. 11. *Audivimus enim inter vos quoſdam ambulantes inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes, iis autem qui ejuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes panem ſuum manducent.* Deficit demum dum ſupponit Gloſſam de omnibus Dei ſervis ſermonem inſtituere, cum tantummodo de quibuſdam, qui aliunde honeſte occupati non erant, aut decepti credentes Monachis haud licere laborare, ſed divinæ providentiæ ſeſe committere debere.

253 OBJIC. II. Perfectis viris apprime congruit pauperibus ſubſidia præſtare; ſed ut quis habeat, unde egentem ſublevet, præcipit Paulus ad Epheſ. 4. v. 28. manibus operari: *Laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeas, unde tribuat neceſſitatem patienti*; ergo Religioſi ad laborem tenentur. Addas, quod ſuper illud Lucæ 12. v. 33. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam* vult Gloſſa, quod omnia vendantur pro Domino, ut inde manibus laboretur ſive pro victu, ſive pro elargiendis eleemoſynis.

Corporalis labor ad plura ordinari poteſt.

RESP. Ad plura corporalem laborem ordinari nos docet Scriptura. Deſervit ad congruam vitæ ſuſtentationem juxta illud Pſal. 127. v. 2. *Labores manuum tuarum, quia manducabis*, & ob hoc ad laborem tenentur, quotquot aliàs non habent, unde vivant; ordinatur ad evitandum otium, Eccli. 33. v. 28. *Mitte illum*, ideſt ſervum, *in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit otioſitas*; ſi hoc ſpectetur, laborare debet, quicunque aliter repellere non valet otium: unuſquiſque enim conari debet, ut graviſſima evitet mala, quæ ab otioſitate dimanant. Ceterum corporalis exercitatio non id unum eſt, per quod otium fugiamus. Exercitia per horas diſtributa abunde inter clauſtra impediunt, ne quis otiari poſſit, ſi ſuo fungi munere velit. Carnem itidem refrænat labor 2. ad Corinth. 6. v. 6. *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate*; non eſt tamen defatigatio corporis

A medium prorſus neceſſarium ad carnis inſultus cohibendos. Jejunia, vigiliæ, flagellationes, cilicia, ſilentium, jugis meditatio, aliaque hujuſmodi felicius carnem edomant. Labor furta præcavet, ad Epheſ. 4. v. 28. *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus ſuis.* Equidem ad evitandam rei alienæ ſubreptionem ad unum omnes laborare tenentur, ſi aliud non ſuppetat medium. Verùmenimverò ſicut quamplures Seculares, qui corporaliter non laborant, nequaquam furantur, poterunt ſimiliter hoc crimen effugere Regulares, etſi manibus non laborent. Eſt denique ordinatus labor ad eleemoſynas elargiendas pau-

B peribus. Act. 20. v. 35. *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* Ob hoc obligatur quilibet ad laborem, quoties præceptum eleemoſynæ urget; hoc porro raro occurrit, & rariùs ut hic, vel ille ita obligetur, ut ad laborandum adſtringatur. Relata igitur loca in objectione vel ſimplex involvunt conſilium, & jam obligationem non important, vel continent præceptum conditionatum, & tunc accedente conditione urget: quare abſoluta non adeſt neceſſitas laborandi, ut intendebant Amoræi, & Wiclefitæ.

DICES. Præcipua exercitia, quibus

C vacant Religioſi, ſunt Oratio, Pſalmodia, Scripturarum lectio, prædicatio verbi Dei, & ratione horum excuſari dicuntur a labore manuum; ſed Auguſtinus *lib. de Opere Monachorum cap.* 17. aperte fatetur hæc nequaquam excuſare, quod ſingulariter probat; nam de oratione notat, quod ſicut ipſa non excuſat a comeſtione, atque a præparatione ciborum, ita nec a labore, quam rationem ſingulis capitibus aptat, adjiciens omnia poſſe commode diſtribui per diſcreta intervalla; ſubdit tamen ſpecialiter de oratione -- Citius exauditur obedientis una oratio, „ quam decem millia contemptoris... Can-

D „ tica cantare divina etiam manibus labo- „ rantes facile poſſunt -- quod oſtendit exemplo Secularium opificum cantantium ſuas cantiones, cantilenas, & carmina, addens de lectione -- Quod autem ſe dicunt „ lectioni vacare, nonne illic inveniunt, „ quod præcipit Apoſtolus? Quæ eſt ergo „ iſta perverſitas, lectioni nolle obtempera- „ re, dum vult ei vacare? -- De prædicatione ſubjungit, quod non omnes poſſunt, & unus pro pluribus ſatis eſt, quod ſi omnes valent, viciſſitudo fieri debet, ut modo unus, modo alius Dei verbum annunciet. Hinc palam fit Auguſtinum ſtare pro Amo-

E ræis, & Wiclefiſtis.

RESP. Novi argumentum hocce fore Adverſantium Achillem, verùm non habent, unde ex Auguſtino triumphum canant. Vidimus namque Sanctum Doctorem in eodem capite plures a labore excipere. Poſſemus utique uno verbo obſtruere ora loquentium inique, dicendo Sanctum Auguſtinum ad Monachos ſermonem habere, qui ex inſtituto tenebantur laborare, & refellit momenta, quibus nonnulli ſeſe ab onere ſuſceptæ legis per profeſſionem ſubtrahentes ignaviam ſuam excuſare ſueverant. Illud tamen indubium

eſt

ut Auguſtinum conſone loqui ad præintentum finem in exarando illo libro, ut ea ejuſdem initio abunde conſtat. Pro illis ſiquidem tractatum edidit, ſeu adverſus illos, qui contendebant Monachis non licere mechanice operari, quatenus unice Divinæ Providentiæ ſeſe commendare debent, Chriſti verba adoptantes Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus &c. Reſpicite volatilia cœli &c.*, atque Apoſtoli ſenſa explicatores de ſpirituali labore, oratione nempe, Pſalmodia, lectione, & hujuſmodi; ea propter Auguſtinus in eo totus eſt, ut Monachis palam faciat haud illicitum eſſe laborare; declarat Paulum de corporali labore ſermonem inſtituiſſe, & legitimum exponit ſenſum verborum Domini, innuens qualiter unà cum illis exercitiis labor compati poſſit, quæ talia non ſunt, ut mechanicis officiat. Attamen præſtat audire S. Thomam laudato Opuſculo, qui apprime mentem Auguſtini novit -- Dicendum quod ſpiritualibus

Spiritualibus dupliciter quis vacare poteſt.

„ operibus, quæ objectio tangit, poteſt quis
„ vacare dupliciter, ſcilicet, quaſi inſer-
„ viens utilitati communi, & quaſi inſiſtens
„ utilitati privatæ, quod patet per ſingula.
„ Poteſt enim aliquis orationibus, & Pſal-
„ mis vacare, divinum officium in Eccleſia
„ celebrando, quod eſt quoddam opus pu-
„ blicum ad Eccleſiæ ædificationem ordina-
„ tum, & poteſt etiam prædictis aliquis va-
„ care per modum privatæ orationis, quod
„ interdum etiam laici faciunt, & ſic de
„ aliis loquitur Auguſtinus, non autem pri-
„ mo modo, quod patet ex hoc quod dicit,
„ quod cantica divina decantare manibus
„ operantes poſſunt, exemplo opificum, qui
„ fabulis corda, & linguas donant, cum
„ tamen manibus ab opere non recedant,
„ quod non fieretur in illis, qui debent in
„ Eccleſia horas Canonicas celebrare. Simi-
„ liter lectioni aliquis vacat quaſi operi pu-
„ blico in ſcholis docendo, vel etiam addi-
„ ſcendo, ut Magiſtri, & Scholares faciunt
„ Religioſi, vel Sæculares, ſed quaſi operi
„ privato, qui ſibi ipſis ad conſolationem
„ ſuam Scripturas perlegunt, ſicut Monachi
„ in clauſtris faciunt, & ſic loquitur Augu-
„ ſtinus: unde non dicit, qui dicunt ſe va-
„ care doctrinæ, vel inſtructioni, ſed dicit,
„ quod dicunt ſe vacare lectioni. Similiter
„ verbo Dei aliquis inſiſtit quaſi operi publi-
„ co publice populis prædicando, ſed tan-
„ quam privato operi inſiſtit verbo Dei, qui
„ alicui in communi locutione verba ædifi-
„ catoria loquitur, ſicut Monachi in deſerto
„ fratribus ad ſe venientibus multa dicebant
„ ad ædificationem ipſorum. Et ſic loquitur
„ Auguſtinus, quod patet ex hoc quod di-
„ cit. Nunquid omnes in Monaſterio poſ-
„ ſunt venientibus ad ſe fratribus divinas ex-
„ ponere lectiones? & ideo etiam non di-
„ cit, ſi prædicatio ſit eroganda, ſed ſi ſer-
„ mo erogandus eſt, quia ut dicit Gloſſa
„ 1. Corinth. 2. Sermo eſt, qui privatim
„ fit, prædicatio autem quæ fit in communi.
„ Illi ergo, qui prædictis ſpiritualibus ope-
„ ribus, quaſi operibus publicis vacant, ſuo
„ labore legitime victum acquirunt a fideli-
„ bus accipiendo, utilitati communi inſer-
„ vientes. Qui autem prædictis operibus
„ quaſi privatis vacant, a labore manuum
„ abſtinentes, quandoque quidem ſunt tranſ-
„ greſſores præcepti Apoſtolici, quando ſci-
„ licet ſunt de illis, quibus denuntiat Apo-
„ ſtolus, ut cum ſilentio operantes ſuum pa-
„ nem manducent, ut dictum eſt. De his er-
„ go loquitur Auguſtinus, ut patet ex hoc,
„ quod dicit. Cur & non præceptis Apoſto-
„ licis obſervandis aliquas partes temporum
„ deputamus? Et etiam ex hoc quod dicit.
„ Citius exauditur una obedientis oratio,
„ quam decem millia contemptoris. Et ex
„ hoc quod dicit. Quæ eſt iſta perverſitas,
„ lectioni nolle obtemperare? Ex quibus
„ omnibus patet, quod loquitur de vacan-
„ tibus ſpiritualibus operibus, qui præce-
„ ptum Apoſtolicum tranſgrediuntur. Nec
„ tranſgrediuntur, niſi qui ad obſervandum
„ obligantur, de quibus prius dictum eſt.
„ Quandoque etiam vacantes prædictis, ut
„ etiam privatis operibus, Apoſtoli præce-
„ ptum non tranſgrediuntur manibus non
„ operantes, quia non laborioſam vitam ex
„ pigritia fugientes, vacui & otioſi volunt
„ paſci, ſed abundantia divini amoris ab
„ omni exteriori opere retrahuntur, ut con-
„ templationi vacent, ut per authoritates
„ ſuperinductas probatum eſt -- Igitur ſi ſpiritualia exercitia, quæ ad privatam utilitatem deſtinantur, continua ſint, & aliàs non adſit peculiare ſtatutum laborandi, jure merito a labore eximuntur Monachi.

254 OBJIC. III. Religioſi potiori jure imitari debent Apoſtolicam vitam; atqui Apoſtoli manibus laborabant 1. ad Corinth. 4. *Laboramus operantes manibus noſtris*; ergo.

RESP. Apoſtoli quandoque ex neceſſitate laborabant, tunc temporis videlicet, cum nemo ad victum neceſſaria ſuppeditabat, ut notat Gloſſa in laudatum Pauli textum; quandoque ex ſupererogatione operabantur, ut clariſſime evincitur ex eodem Apoſtolo 1. ad Corinth. 9. Sæpe numero a mechanicis abſtinuerunt, ut cum Paulus Athenis commorabatur, vivens ex his, quæ ex Macedonia mittebantur. Religioſi itaque ad imitandos Apoſtolos quoad laborem manuum tenentur, quoties urget neceſſitas, quoties peculiare viget inſtitutum obligans ad hujuſmodi ſupererogationis opus, ſecus ſi nulla adſit lex: non enim adſtringuntur Monachi ad omnia conſilia, & ad omnia ſupererogationis opera, quæ Apoſtoli adoptaverunt.

Religioſi quando Apoſtolos imitari tenentur.

DICES. Paulus 1. ad Corinth. 6. nos hortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus; ſed Fratres in vacuum gratiam Dei recipiunt, quando laborandi oportunitatem habentes otiantur; ergo.

RESP. Illi in vacuum Dei gratiam recipiunt, qui nec mechanice, nec ſpiritualiter exercentur, ſed deſides in Monaſterio delicate vitam peragunt, & hi potiſſimum, qui e ruſticana vita, aut ea ſervili conditione venerunt ad Monaſteria, quique in ſeculo ex plebejo opificio, ac labore miſere victitabant, inter clauſtra operari refugiunt, de quibus videndus Auguſtinus laudato libro *de Opere Monachorum cap. 21., & 22.*

Qui ſpiritualiter operantur, divinæ gratiæ non ſunt injurii.

RE-

REPLICABIS. Monaſtica diſciplina, quæ impræſentiarum viget, ab Eccleſia approbatur, prout eſt ab antiqua primorom Seculorum exemplata; ſed primis rei Chriſtianæ Seculis Monachi manibus laborabant, ut videre eſt apud Epiphanium *hær.* 80. apud Hieronymum *Epiſt. ad Ruſticum*, apud Auguſtinum *lib.* 1. *de moribus Eccleſiæ cap.* 33., apud Caſſianum *lib.* 2. *cap.* 3., *& lib.* 5. *cap.* 2. *de Inſtitutis Monachorum*, qui omnes affirmant in Monaſteriis id fieri ex lege ab Apoſtolo tradita; ergo.

Inſtantia quoad plura deficit. Etenim non omnes Monaſtici Ordines, qui nunc vigent, a primis exemplati fuerunt, cum ad unum omnes optime noverint diverſos fuiſſe Ordinum Fundatores, qui alias a primævis regulas tradiderunt; quod ſi qui ad exemplar primitivorum leges condidere, quaſdam adoptarunt, quaſdam motarunt, addideruntque alias; ea propter pleraque Regularia inſtituta laborem manuum prætermiſerunt. S. Benedictus opus manuum, quo potiſſimum victus acquiritur, nequaquam lege præcepit, ſed, ut ait Rupertus Abbas *lib.* 3. in Regulam S. Patris, fuit *permiſſum*, ſeu *patientiæ conſilium*, & Petrus Cluniacenſis *Epiſt.* 28. *lib.* 1. probat opus manuum non præſcribi in Regula, niſi ad vitandum otium, quapropter Monachi bonis quibuſcunque operibus vacantes Regulam ſervare meritò cenſebantur -- Quocunque bono exercitio, otioſitate

Opus manuũ præſcriptum ad evitandum otiũ.

„ fugata, regula cuſtoditur. Nemo hæc
„ agentium juſte tranſgreſſor dicitur, calum-
„ nia illata rejicitur. Niſi autem eſſent ope-
„ ra præter ruſticationem, Deo acceptabilia,
„ nequaquam Judæis diceret Dominus: ope-
„ ramini non cibum, qui perit, ſed qui per-
„ manet in vitam æternam. Si ſane corpo-
„ ralia opera ſpiritualibus exercitiis præfer-
„ rerentur, nequaquam Maria ad pedes Do-
„ mini ſedere, & verba ejus indeſinenter au-
„ dire a ceteris operibus otioſa elegiſſet;
„ nequaquam Sororem ſuam ſolam miniſtra-
„ re permiſiſſet, nequaquam Dominus tam
„ optimam partem elegiſſe dixiſſet: ergo ſi
„ orando, legendo, pſallendo, injuncta
„ religioſe implendo; vel alia quælibet hu-
„ juſmodi bona agendo animus occupatur,
„ Regula, ut diximus, perfecte ſervatur;
„ quoniam hæc operando Monachus non
„ otioſus, ſed bene negotioſus in omnibus
„ comprobatur. Diſcipulum Beati Benedicti
„ S. Maurum, ad has Galliarum partes pro
„ conſtruendis ſecundùm ipſius doctrinam
„ Cœnobiis ab ipſo directum, legimus hunc
„ morem in Monaſterio, quod in Andega-
„ venſi Epiſcopatu conſtruxerat, tenuiſſe,
„ ut quia eis ſine proprio labore cuncta ne-
„ ceſſaria ſuppeditabant, omiſſo manuum
„ opere, ſpiritualibus, ut diximus, exer-
„ citiis exercitati, otioſi non eſſent, ſicque
„ ſibi nuper a Sancto traditam Regulam,
„ bona ſemper operando, optime conſerva-
„ rent -- Hinc proſequitur oſtendere Monachis indecens fore ruſticanum exercitium, imo & impoſſibile -- Et ne primò impoſſi-
„ bile demonſtremus, quomodo fieri poteſt,
„ ut genus languida oleribus, & leguminibus
„ fere nullas vires corpori dantibus, immo

Ruſticanum opus Monachis indecens, & impoſſibile.

A „ ipſam vitam vix ſuſtentantibus enutrita, &
„ idcirco non parum debilitata, aſperrimum
„ ipſis quoque bubulcis, & ruſticis agricul-
„ turæ laborem ferat, & tam duram ro-
„ ris everſionem, & ſubverſionem; ali-
„ quando æſtus ardore, aliquando imbrium,
„ nivium, & frigoris importunitate ſauciata
„ patiatur? Et qui ſibi ipſis ipſum etiam vi-
„ lem, & debilem cibum abſtinentiæ cauſâ
„ plerunque ſubtrahunt; quomodo tanti la-
„ boris aſperitatem, & aſſiduitatem ferre
„ poterunt? Annon videtur indecens, immo
„ indecentiſſimum, ut fratres, qui aſſidue
„ in clauſtro morari, ſilentio, orationi, le-
„ ctioni, ac meditationi, ac ceteris Regulæ
B „ præceptis, & Eccleſiaſticis miniſteriis in-
„ tentiſſime operam dare præcipiuntur, his
„ omnibus dimiſſis, ruſticationi, & vulga-
„ ribus operibus intendant? --

A Petru Cluniacenſi non diſcrepat Sanctus Bernardus *Epiſt.* 228. -- Simplici oculo
„ tu uteris, qui opus manuum ſecundùm
„ Regulæ præceptum obſervas: quia & Re-
„ gulæ obedire, & otioſitatem inimicam
„ animæ, ſecundùm ejuſdem Regulæ dicta,
„ talibus exercitiis, tam ſacris non ſolùm
„ Monachis, ſed & Apoſtolicis inſtitutioni-
„ bus vis cavere, & in quantum facultas da-
„ tur, juxta Patres antiquos, & vitæ neceſ-
C „ ſaria providere. Simplici oculo & tu ute-
„ ris, qui hoc opus manuum ex parte poſt-
„ poſuiſti: quia non in ſylvis, nec in de-
„ ſertis, ſed in medio urbium, & caſtro-
„ rum conſtitutus, & undique populis cir-
„ cumſeptus, nec toties, & toties ire, &
„ redire horum causâ operum, per promiſ-
„ cuam utriuſque ſexus multitudinem, abſ-
„ que aliquo, vel plurimo periculo potes,
„ nec inſuper opportuna loca, ubi talibus
„ exerceri operibus poſſis, plerumque poſſi-
„ des. Sed ne inimica Religioſorum otioſi-
„ tas, te vacante, locum tibi nocendi in-
„ veniat, aut ubi, & quando potes, mani-
D „ bus operaris, aut ubi non potes, opus
„ hoc manuum operibus divinis per vices
„ variando compenſas: ſicque ne domum
„ pectoris tui vacantem nequaquam ſpiritus
„ ſibi vendicet, quibus potes ſacris ſtudiis
„ totum vitæ tuæ occupas --

Satius Monachis ſacris vacare.

Hinc dignus Monachis labor, ſibi, & Eccleſiæ perutilis, manuumque operi præferendus utique eſt in ſacris litteris exercitatio, lectio, ſcriptio, editioque librorum, quod clare innuit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis ſæpe laudatus *Epiſt.* 20. *lib.* 1. --
„ Sed quod utilius eſt, pro aratro converta-
„ tur manus ad pennam, pro exarandis
E „ agris, divinis litteris paginæ exarentur,
„ ſeratur in chartula verbi Dei ſeminarium,
„ quod maturatis ſegetibus, hoc eſt, libris
„ perfectis, multiplicatis frugibus, eſurien-
„ tes lectores repleat, & ſic panis cœleſtis
„ lethalem animæ famem depellat -- Non itaque e re Monaſtica impræſentiarum eſt manibus laborare ex Regulæ præcepto; quinimmo, etſi hujuſmodi præceptum haberetur, convenientius in ſacras exercitationes commutatur, cum unice ordinetur ad evitandam otioſitatem.

Ultro fatemur antiquis Monachis ſolemne

lemne fuiſſe manibus laborare, & quidem opportune, ſiquidem in opprobrium Catholicæ Religionis cedebat a Gentilibus ſubſidia expoſcere; cum enim ad multa millia in Monaſterio viverent, ut ſcribit Theodoretus *cap.* 30. *Hiſtoria Religioſa* -- In Ægypto fe„ runt quædam eſſe Monaſteria, quæ viro„ rum habeant ad quinque millia -- Fidelium eleemoſynis ſuſtentari non poterant, aliàs ſedulò communi bono non incumbebant: plerique namque laici erant, & ſatis otii habebant, unde commode labori vacare poterant. Hoc tamen non omnibus Monachis commune erat. De Paulo Abbate, qui Monachis præerat quingentis in Pherme, Sceti monte, refert Sozomenus *lib. 6. cap. 29.*, quod nullum hic opus faciebat, nec ab ullo accipiebat quidquam, præterquam quod eſurus eſſet. Orationi tamen interdum vacabat, trecentas orationes velut tributum quoddam perſolvens Deo, & S. Epiphanius *in Expoſitione Fidei Catholicæ n.* 23. variam vivendi rationem in Monaſteriis deſcribit -- Nonnulli „ ita ſeculo renunciarunt, ut leviores quaſ„ dam artes, & minus negotioſas ſibi ipſi „ excogitarent, ne ætatem in otio degerent, „ aut cibum cum cujuſque incommodo ſu„ merent. Plures autem in decantandis pſal„ mis, ac perpetuis orationibus, & Sancta„ rum Scripturarum lectionibus, iiſdemque „ memoriter pronunciandis ſeipſos exer„ cent -- & in Monaſterio Turonenſi S. Martini, teſte Severo Sulpitio in ejus vita -- Ars „ ibi exceptis Scriptoribus nulla habebatur, „ cui tamen operi minor ætas deputabatur, „ majores orationi vacabant -- Et S. Auguſtinus *lib. de Opere Monachorum cap.* 25. ſuaſor eſt divitibus, qui, diſtributis facultatibus, Monaſticum ſtatum adoptarunt, ut laborioſi ſint ad aliorum exemplum non abſolute, ſed ſi ab Eccleſiaſticis occupationibus vacent -- Quamobrem etiam illi, qui reli„ cta, vel diſtributa, ſive ampla, ſive qua„ licunque opulenta facultate, inter paupe„ res Chriſti pià, & ſalubri humilitate nu„ merari voluerunt; ſi corpore ita valent, „ & ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant, „ quanquam eis tam magnum animi ſui do„ cumentum afferentibus, & ejuſdem ſocie„ tatis indigentiæ, de his rebus, quæ ha„ bebant, vel plurimum, vel non parum „ conferentibus, vicem ſuſtendandæ vitæ eo„ rum res ipſa communis, & fraterna cha„ ritas debeat: tamen ſi & ipſi aliquid ma„ nibus operentur, ut pigris ex vita humi„ liore, & ab hac exercitatione venientibus „ auferant excuſationem, multò miſericor„ dius agunt, quam cum omnia ſua indi„ gentibus diviſerunt -- Ex his palam fit non omnibus Monachis, primis Eccleſiæ Seculis, præceptum fuiſſe laborem, ut perperam intendebat inſtantia.

Non una vivendi forma in Monachis quoad laborem.

§. IX.

AN REGULARIBUS LICEAT EX MENDICATIONE VIVERE.

256 A Joviniano Evangelicæ paupertatis perſecutio ſumpſit exordium, quatenus bonum æque, ac meritorium propugnabat retinere divitias, ac omnibus renunciare pro Chriſto; Jovinianus Vigilantium ſucceſſorem habuit, dein Catharos, in quibus quodammodo ſtetit, donec alii inſurrexerunt, qui eam funditus evertere conati ſunt. Jovinianus paupertatis meritum æquavit divitiis, has paupertati prætulit Vigilantius, ſed iſti paupertatem abſolute execrantur, atque affirmant haud licitum fore omnia relinquere pro Chriſto, eoſque inter Religioſos adoptari, qui non habent neceſſaria ad vivendum, ſed ex fidelium eleemoſynis ſuſtentantur, hoſque a ſalutis tramite longe aberrare. Hujuſce erroris Principem habes Guillelmum de Sancto Amore Pariſienſem Doctorem, cui adhæſerunt Odo de Duaco, Nicolaus Decanus de Barro ſuper Albam, & Chriſtianus Canonicus Bellovacenſis. Senſa ſua Guillelmus manifeſtavit tum in Concione de Publicano, & Phariſæo, *in lib. de Periculis noviſſimorum temporum*, & *in quæſtione de valido Mendicante*, ubi alia inter ſparſim habentur ſequentia. *In lib. de Periculis &c. cap.* 12. -- Per tales, *ſupple Regulares viros*, „ inſtabunt, vel inſtant pericula noviſſimo„ rum temporum univerſæ Eccleſiæ. De „ Evangelio non poſſunt vivere. Vivere de„ bent de labore corporis. Periculum eſt in „ mendicando: quoniam qui de mendicitate „ vivere volunt, fiunt adulatores, detracto„ res, mendaces, & fures, & a juſtitia de„ clinantes. Omnia pro Chriſto relinquere, „ & ſequi Chriſtum mendicando non eſt „ opus perfectionis. Regularibus, quos Ec„ cleſia mendicare permittit, mendicare non „ licet, cum faciant contra Apoſtolum, & „ alias Scripturas -- *In lib. de valido Mendicante* -- Valido Mendicanti facienda non eſt „ eleemoſyna. Mendicans validus graviter „ delinquit: ergo qui ſcienter ſe ponit in „ tali ſtatu, videtur quod non ſit in ſtatu „ ſalvandorum -- Hunc errorem adoptarunt Gyraldus de Abbatis Villa apud S. Bonaventuram ſub initio Apologiæ pauperum, Wicleſus apud Waldenſem *tom.* 1. *lib.* 4. *art.* 1. Lutherus apud Alphonſum de Caſtro *lib. de Hæreſibus verbo Mendicitas*, quibus meritò accenſendi ſunt maledici quidam, licet Catholici, qui verbis ſaltem huic aſtipulantur ſententiæ.

Antequam ad ſcopum accedamus, lubet pauca adnotare quoad Monachos, qui de bonis patrimonialibus in commune collatis vivunt. Qui hunc vivendi modum directe, & ex profeſſo reprobet, non invenio; & jure quidem optimo: etenim nullimode hujuſmodi vivendi modus damnabilis eſſe poteſt, cum obvium occurrat exemplum in Scripturis Act. 4. ubi deſcribuntur fideles ea, quæ poſſidebant, vendidiſſe, atque pretium

ad

ad Apoſtolos attuliſſe, ut ex eo ſingulis neceſ-
ſaria tribuerentur: unde apud antiquos Mo- A
nachos mos fuit ab his, qui ſtatum Monaſti-
cum profitebantur, aliquid pro communi ſu-
ſtentatione recipere; hinc S. Auguſtinus *Epiſt.*
109. *ad Sanctimoniales* habet -- Quæ aliquid
„ habebant in ſeculo, quando ingreſſæ ſunt
„ Monaſterium, libenter velint illud eſſe
„ commune -- *& lib. de Opere Monachorum*
cap. 25. a labore manuum eos excuſat, qui
bona ſua, dum Monaſticam vivendi rationem
adoptarunt, Monaſterio donarunt -- Quamo-
„ brem etiam illi, qui relictâ, vel diſtri-
„ butâ ſive amplâ, ſive qualicunque opulen-
„ tâ facultate, inter pauperes Chriſti piâ,
„ & ſalubri humilitate numerari voluerunt; B
„ ſi corpore ita valent, & ab Eccleſiaſticis
„ occupationibus vacant, quamquam eis tam
„ magnum animi ſui documentum afferen-
„ tibus, & ejuſdem ſocietatis indigentiæ,
„ de his rebus quas habebant, vel pluri-
„ mum, vel non parum conferentibus, vi-
„ cem ſuſtentandæ vitæ eorum res ipſa com-
„ munis, & fraterna charitas debeat; ta-
„ men ſi & ipſi aliquid manibus operen-
„ tur &c. Quod quidem ſi nolunt, quis au-
„ deat cogere? -- In vita S. Placidi de
S. Benedicto legitur -- Bona, quæ fuerunt
„ Monachorum ſuorum, non ſinebat aliò
„ derivari, quam ad ſua Monaſteria, ut C
„ inde multos Dei ſervos alere poſſet --

Monachi de bonis patrimonialibus vivere poſſunt.

Seculo V. paulò æquiores, immo inhu-
mani habebantur Parentes, qui filios mona-
ſticam vitam profeſſos patrimonii portione,
& ſortitione hereditatis fraudabant. Audia-
tur Salvianus Maſſilienſis Presbyter *lib.* 3. *ad*
Eccleſiam Catholicam -- At verò nunc diver-
„ ſiſſime, & impiiſſime, nullis omnino a
„ ſuis minus relinquitur, quam quibus ob
„ Dei reverentiam plus debetur: nullos pie-
„ tas minus reſpicit, quam quos Religio
„ præcipue commendat. Denique ſi qui a
„ Parentibus filii offeruntur Deo, omnibus
„ filiis poſtponuntur oblati: indigni judi- D
„ cantur hereditate, qui digni fuerant con-
„ ſecratione, ac per hoc una tantùm re Pa-
„ rentibus viles fiunt, quia cœperint Deo
„ eſſe pretioſi. Ex quo intelligi poteſt,
„ quod nullus pene apud homines vilior eſt,
„ quam Deus, cujus utique fit deſpectione,
„ ut eos præcipue parentes filios ſpernant,
„ qui ad Deum cœperint pertinere. Sed præ-
„ claram videlicet, qui hoc faciunt, ratio-
„ nem conſilii ſui reddunt, dicentes: quid
„ opus eſt, ut filiis jam Religioſis æquâ cum
„ fratribus ſuis hereditatis portio relinqua-
„ tur? Nihil ergo juſtiùs, nihil digniùs
„ quam ut, qui cœperunt Religioſi eſſe, E
„ mendicent? Non quidem quod eos hæc
„ res mendicitate oppreſſura ſit, quod a ter-
„ renis facultatibus abdicantur, cœlum ſpe
„ poſſidentes, citò etiam re poſſeſſuros, re-
„ gente illos Deo ſuo, ac protegente, qui
„ eos cum immortali ſpe æternorum, etiam
„ ſufficientia temporalium muneratur. Sed
„ tamen quantum ad inhumanitatem paren-
„ tum attinet, egent, a quibus ſic relicti
„ ſunt, ut egerent. Certe etiamſi qui non
„ penitus domo eliminantur, & quibus non
„ omnino quaſi extorribus, quaſi aqua, &

Inhumani Parentes, qui filios Monachos hereditate fraudabant.

„ ignis interdicitur, cum aut tenues, aut
„ quaſi uſufructuarii relinquuntur, tamen A
„ tanto inferiores fratribus relinquuntur, ut,
„ etiamſi paupertate non egeant, compara-
„ tione tamen egere videantur. Dicitis.
„ Quid opus ſit Religioſis æquam accipere
„ cum fratribus patrimonii portionem? Re-
„ ſpondeo, ut Religionis fungatur officio,
„ ut Religioſorum rebus Religio ditetur, ut
„ donent, ut largiantur, ut illis habentibus,
„ cuncti habeant non habentes. immo ſi
„ tanta eſt eorum fides atque perfectio, ut
„ habeant citò non habituri, beatius utique,
„ poſtquam habuerint, non habentes. Cur
„ eis, quæſo, o inhumaniſſimi Parentes,
„ neceſſitatem indigniſſimæ paupertatis im- B
„ ponitis? Permittite hoc Religioni ipſi,
„ cui filios tradidiſtis. Si tantum eos inopes
„ eſſe cupitis, concedite id ipſorum devo-
„ tioni: liceat eis, quæſo, ut velint paupe-
„ res fieri: eligere inopiam debent, non
„ ſuſtinere. Poſtremò etiamſi ſuſtineant,
„ devotione eam tolerent, non damnatione
„ patiantur. Cur eos velut a natura expel-
„ litis, & quaſi e jure ſanguinis abdicatis?
„ Et ego eos pauperes volo; ſed ut habeat
„ tamen præmium ſuum ipſa paupertas, ac
„ præclara demutatione, eligant inopiam
„ ex copia, ut ex inopiæ electione copiam
„ conſequantur -- C

Indubium adeo eſt, Monachos ex bonis
patrimonialibus in commune collatis ſuſten-
tari potuiſſe, ut eodem Seculo V. poterant
ipſi de iiſdem bonis, quæ horum nomine
Monaſterium poſſidebat, per teſtamentum
diſponere. Id patet *ex Cod. Juſtin. lib.* 1.
Tit. 3. *cap.* 20. -- Si quis Epiſcopus, aut
„ Presbyter . . . aut Monachus, aut Mulier,
„ quæ ſolitariæ vitæ dedita eſt, nullo con-
„ dito teſtamento deceſſerit, nec ei parentes
„ utriuſque ſexus, vel liberi &c. bona, quæ
„ ad eum pertinent, Sacro-ſanctæ Eccleſiæ,
„ vel Monaſterio, cui fuerat deſtinatus;
„ omnifariam ſocientur -- *& lib.* 1. *ejuſdem* D
Codicis de Epiſcopis, & Clericis L. 54., *&* 55.
paternam adire poterant hereditatem -- Ut
„ non liceat parentibus impedire, quo mi-
„ nus liberi eorum volentes, Monachi, aut
„ Clerici fiant; aut eam ob ſolam cauſam
„ exheredare. Sed ſi ipſi teſtamentum con-
„ dant, neceſſe habento, quadrantem * illis
„ relinquere. Si autem hoc non fecerint,
„ locus ſit ab inteſtato . . . Quod ſi illi Mo-
„ naſteria, aut Eccleſias relinquant, aut
„ mundani fiant, omne ipſorum jus ad Mo-
„ naſterium, aut Eccleſiam pertinet -- Etiam
Seculo VI. Monachi de bonis ſibi obvenien-
tibus condere poterant teſtamentum, ut ha- E
betur ex S. Gregorio *lib.* 1. *Epiſt.* 42., *& ali-*
bi. Monachi, & Sanctimoniales Seculo IX.
paternam colligere poterant hereditatem; id
teſtatur Flodoardus *lib.* 4. *Hiſt. Remenſis cap.* 1.
ſicut & Seculis XI., & XII. ex cap. *Statu-*
tum eſt apud Gratianum *cauſa* 18. *q.* 1. He-
reditas porro Monachis obveniens colligeba-
tur a Monaſterio; & quidem ad communem
Monachorum ſuſtentationem. Hinc Guillel-
mus Epiſcopus Pariſienſis *lib. de Moribus cap.*
9. inſurgit adverſus Parentes, qui filios in
Clauſtro degentes a patria hereditate ar-

Monachi Seculo V. condere poterant teſtamentum.

** Quadrans quarta pars bonorum eſt.*

 cent

cent -- Alii a parentibus, & propinquis eo „ modo in clauſtro projiciuntur, quemadmo„ dum catuli, & porculi, quos matres non „ ſufficiunt enotrire, ut videlicet mundo „ non ſpiritualiter, ſed, ut ita dicam, ci„ viliter moriantur: videlicet, ut portione „ hereditaria priventur, & ad eos, qui in „ ſeculo remanent, devolvatur. Et quan„ tum ad hoc ſimoniaca eſt hujuſmodi pro„ jectio, immerſio, vel intentio -- Ex quibus compertum ſit haud illicitum fore vivere ex bonis in commune collatis.

Illud itaque perpendendum occurrit, an ſtatus ille liceat, in quo Monachi ex mendicatione vivunt. Non enim credo, quod Monaſtici Ordinis hoſtes damnabunt tanquam illicitum vivere ex eleemoſynis ſponte oblatis; cum unuſquiſque eo licite uti poteſt, quod ab alio ultro donatur, cum nemini fiat injuria; unde meritò S. Hieronymus ad Euſtochium laudat Paulam, quod ex ſuis bonis quatuor aleret Monaſteria, quod iidem de S. Gregorio legitur in ejus vita a Joanne Diacono conſcripta *lib. 2. cap. 5., & 6.*

Dicendum eſt licitum eſſe vivere ex mendicatione.

257 PROB. I. Licitum eſt, oppidò, & laudabile, ſumme honeſtum, atque meritorium Chriſtum quoad vivendi modum imitari; atqui a Chriſto modus vivendi ex mendicatione adoptatus fuit; ergo Religioſis licitum eſt, laudabile, honeſtum, atque meritorium vivere ex mendicatione. Minor propoſitio evincitur præſupponendo ex Auguſtino ad illud Pſalmi 108. v. 10. *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent*, quod vivere ex mendicatione nihil aliud ſit, quam ex aliorum miſericordia ſuſtentari -- Quid „ eſt aliud mendicare, quam ad hominum „ miſericordiam vivere -- ſed Chriſtus ad hominum miſericordiam vivebat; ergo. Res elucidatur ex cap. 9. Lucæ v. 58., ubi Chriſtus de ſeipſo dicit. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*, quibus palam fit Chriſtum nihil proprium habuiſſe, ut PP. explicant, & quidem nec in communi, aliàs illa propoſitio non cenſeretur prorſus vera, & abſoluta: qui enim hoſpitium habet in communi, nequit abſolute affirmare, non habere ubi caput reclinet; cum revera in communi habeat; vivebat iidem Chriſtus ex alieno; dicitur namque Luc. 8. v. 3. *Multæ mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*; igitur ad miſericordiam aliorum vivebat, proindeque voluntariam paupertatem laudabilis mendicationis exercuiſſe fatendum eſt.

Chriſtus ex eleemoſynis vivebat.

Nec aliter ſane contingere poterat: Oracula ſiquidem Prophetarum de Chriſto nullimode potuerunt deficere; hæc porro Chriſtum mendicum futurum aperte enunciarunt: nam Pſalmus 39. de Chriſto eſt, & Chriſto a D. Paulo ad Heb. 9. accommodatur, ibi autem v. 18. legitur: *Ego autem mendicus ſum, & pauper. Dominus ſollicitus eſt mei*. Hic non quæcunque deſcribitur paupertas, ſed ea quæ involvit mendicationem: ſiquidem nuſquam Scriptura abſque myſterio verba ingeminat, nec in ea quidquam legere eſt, quod rem aliquam non ſignificet: cum ergo Chriſtum dicat Scriptura mendicum inſimul, & pauperem, jam plane fit Chriſtum ſtatum utrumque adoptaſſe. Potiſſimùm cum Scripturæ verba in propria ſignificatione ſint intelligenda, quoties evidens non ſequitur abſurdum. Rem dilucidat Gloſſa -- Hoc dicit Chriſtus de ſe ex forma ſer„ vi .... Mendicus eſt, qui ab alio petit, „ & pauper, qui ſibi non ſufficit -- Similia „ habet eadem Gloſſa ad illud Pſalmi 69. *Ego verò egenus, & pauper ſum* -- Sum ege„ nus, ideſt, petens, & pauper ſum, ideſt, „ inſufficiens mihi -- Idem vivendi inſtitutum refertur Pſal. 108. v. 10. *Perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum*. Hic de Chriſto loqui Prophetam apte colligitur, ex quo S. Petrus Act. 1. ubi agit de ſubſtituendo Apoſtolo locu Judæ prævaricatoris, laudatum Pſalmum aſſumit: cum ergo hujuſcemodi Oracula adimpleri debuerint, cogimur affirmare Chriſtum mendicaſſe. Et ſane ſi ex forma ſervi, quam aſſumpſit, mendicus factus eſt Chriſtus, ei nequaquam repugnat mendicare; non enim ſervis indecora eſt talis vivendi ratio, tunc maxime cum ad humiliationis exercitium ſtatus iſte aſſumatur, ſicut ad indigentium conſolationem, ut habet S. Hieronymus in Pſal. 108. mox laudatum -- Qui cum eſſet dives, propter nos „ pauper factus Dominus inopem ſe dicit, „ & mendicum; & quis in divitiis ſuis glo„ riatur? Habetis conſolationem pauperes, „ & Dominus vobiſcum pauper eſt -- Ex quo igitur Chriſtus mendicus factus eſt, & pauper, pauperes conſolatur Hieronymus. Porro qui magis conſolari indigent, hi ſunt, qui nihil habentes ſtipem petere coguntur: ut ergo Chriſtus cum illis ſit, debuit nihil poſſediſſe, & mendicaſſe. Alia occurrunt momenta in Sacris Evangeliis, quibus abunde probatur Chriſtum ex mendicatione vixiſſe. Etenim ignoremus licet, quomodo ad prædicationem uſque vitam Chriſtus traduxerit, attamen pro re nata illud indubium eſt primum vitæ exordium in diverſorio, & quidem omnibus obvio, habuiſſe. Rem dilucidat S. Fulgentius *Serm. de Epiphania*, cujus initium: *Poſt miraculum*, exclamans -- „ O mundi natura conſer mecum. Quis eſt „ iſte, cui exhibes obſequium, & non habet „ tectum? Quia eſt, qui præſepe vagitibus „ implet? ... Stupens enim video pannos, „ & intueor cœlos; æſtuo cum conſpicio in „ præſepe mendicum, & ſuper aſtra præcla„ rum -- Dilucide ſane Chriſti naſcentis mendicitas deſcribitur.

Chriſtus mendicus, & pauper.

Cum duodennis, inſciis Parentibus, puer remanſit in Templo, mendicationem exercuiſſe apte conjicit S. Bernardus *hom. infra Octavam Epiphaniæ*, ſeu Aelberdus Abbas Rievallenſis Ord. Ciſtercienſis, qui puerum Jeſum alloquens, ſciſcitando, qui nam ei tunc temporis cibum, hoſpitiumve dederit, ſubdit -- Quid dicam Deus meus? An ut te „ per omnia noſtræ conformares paupertati, „ & in te humanæ naturæ calamitates ſuſci„ peres, quaſi unus e turba pauperum ſti„ pem per oſtia mendicabas? Quis dabit me „ buccellarum illarum ſic mendicatarum

n par-

„ participem fieri , vel ſaltem divini illius
„ edulii reliquiis ſaginari ! A

Joann. 4. A muliere Samaritana potum expoſtulavit Salvator, qua de re loquitur Auguſtinus in Pſal. 108. ad illa verba : *Perſecutus eſt hominem inopem , & mendicum* -- Non „ eſt dedignatus Dominus pauper fieri, cum „ dives eſſet , ut illius paupertate nos ditaremur : mendicum autem quomodo intelligam , niſi forte , quia dixit mulieri Samaritanæ : Da mihi bibere , & in Cruce ait : Sitio -- & Gloſſa ibid. -- Perſecutus „ eſt Judas , vel populus hominem Chriſtum „ inopem , quia non habuit , ubi caput reclinaret , & mendicum , qui mendicabat „ aquam de Samaritana , dicendo mulieri B „ Samaritanæ : mulier da mihi bibere --

Aperte Chriſtum mendicaſſe advertit S. Thoma *Opuſc.* 19. *cap.* 7. dum Lucæ 19. v. 5. dixit Zachæo : *Zachae feſtinans deſcende : quia hodie in domo tua oportet me manere* . Ubi Gloſſa -- Non invitatus invitat , „ quia etſi nondum audierat vocem invitantis , audierat tamen affectum --

Idem clariùs evincitur ex Matth. cap. 27. v. 17. ubi deſcribitur Paſchatis celebratio in aliena domo ; accedentibus namque Diſcipulis, atque poſtulantibus , ubinam parandum eſſet Paſcha , ipſos ad quendam miſit , a quo neceſſaria pro Paſchali ſolemnitate exquirerent , ad quod attendens Chryſoſtomus *hom.* C 82. *in Matth.* ait -- Hinc etiam patet nullam „ ſibi domum , nullum diverſorium fuiſſe ; „ puto autem neque diſcipulis ejus ; nam „ profecto ipſum ad eos divertere rogaſſent -- Huic concinit Theophilactus *in cap.* 22. *Lucæ* -- Mittit autem eos , *ideſt Diſcipulos* , in alienam domum ; neque enim domum habebat vel ipſe , vel Diſcipuli ejus, „ alioquin in una Diſcipulorum domo manducaſſet Paſcha -- Idem colligit Beda ex his quæ Chriſto dixerunt Diſcipuli : *Ubi vis paremus?* -- Quaſi dicant, non habemus domicilium , non habemus tabernaculum . D „ Audiant , quibus ædificandarum domorum „ cura eſt... Cognoſcant Chriſtum omnium „ Dominum , qui locum , ubi caput inclinaret , non habuit -- Ejuſdem labii ſunt reliqui Patres , qui hunc locum verſant .

Matth. 21. , & Marc. 11. comprobatur Redemptorem proprio caruiſſe hoſpitio; cum enim e Templo ementes , & vendentes ejiciſſet , *circumſpectis omnibus, cum jam veſpere eſſet* , ubi Gloſſa -- Circumſpectis omnibus ſi „ quis cum hoſpitio ſuſciperet . Tantæ enim „ paupertatis fuit , & ita nulli adulatus , ut „ in tanta urbe nullum hoſpitium inveniret. „ Ex quo patet , *habet S. Thomas laudato* E „ *Opuſc. cap.* 7. , quod Chriſtus ita pauper „ fuit , quod hoſpitium conducere non poſſet , ſed ab aliis hoſpitium petebat, & expectabat --

Chriſtus proprium non habebat hoſpitium.

Veritati, quam propugnamus, fert ſuppetias id , quod legitur Matth. 17. Cum enim Chriſtus non haberet, unde tributum ſolveret, mandavit Petro , ut iret ad mare , & miſſo hamo , ex ore piſcis , quem aprehendiſſet , extracto ſtatere, pro utriſque Miniſtris daret -- Sed & ſimpliciter intellectum ædificat auditorem, dum tantæ Dominus fuerit paupertatis , ut unde tributa pro ſe , & Apoſtolo redderet , non habuerit -- ait Hieronymus in hunc locum , qui & Chriſti Diſcipulos pauperes deſcribit Matth. 12. ubi legitur, quod ſpicas evellebant, cum eſurientes non haberent ; unde ſaturare famem -- „ In alio quoque Evangeliſta legimus , quod „ propter nimiam importunitatem, nec veſcendi quidem habebant locum , & ideo „ quaſi homines eſuriebant; quod autem ſpicas ſegetum manibus confricant , & inediam conſolantur , vitæ auſterioris indicium eſt , non præparatas epulas , ſed cibos ſimplices quærentium --

Ex his , quæ hucuſque diximus , plane compertum ſit , Chriſtum ab exordio vitæ ſuæ mendicitatis exemplum dediſſe ; habet enim Anſelmus *Epiſt.* , *ſeu lib. de diverſitate Sacramentorum* , cujus initium : *Domino* , *& amico Vualerammo* -- Pauper verò ita fuit , „ ut veniens in mundum non in ſua, ſed in „ aliena domo naſceretur ; & natus propter „ inopiam loci in præſepio brutorum animalium poneretur -- Hanc porro vivendi rationem imitandam proponit S. Hieronymus *Epiſt. ad Furiam* -- Intellige ſuper egenum , „ & pauperem : omni petenti te da , ſed „ maxime domeſticis fidei , Nudum veſti , „ eſurientem ciba , ægrotantem viſita , quotieſcunque manum extenderis Chriſtum „ cogita : & cave ne mendicante Domino Deo tuo alienas divitias augeas -- & Chryſoſtomus *hom.* 86. *in Matth.* ad pauperum levamen ſeſe excitans habet -- O Chryſoſtome , verecundaris audiens , quod „ mendicat Chriſtus ? Verecundare magis „ cum mendicanti non des : hoc enim eſt „ verecundia , hoc ſupplicium , hoc tormentum . Mendicare enim cum ejus bonitatis „ ſit ſignum , ornari in eo nos oportet , non „ dare verò crudelitatis -- ſic apud Waldenſem *tom.* 1. *lib.* 4. *art.* 1. *cap.* 4. Non ergo debent Acatholici Religioſos viros criminari, quia mendicando ſibi Chriſti exemplum imitandum proponunt , ſed potius humilem eorundem ſpiritum venerari , atque pluribus commendare .

Armacanus *Ser.* 4. ultro concedit Chriſtum ita pauperem fuiſſe , ut omni rerum proprietate caruerit , verùm cum hocce paupertatis genus operibus admirandis accenſeatur , abs re ut imitandum proponi affirmat , ſicut male exhiberetur Chriſtus tanquam exemplar , ex quo ipſe quadraginta diebus abſque ullo prorſus cibo vitam traduxerit.

Ceterum pro re nata perperam aſſumitur paritas de jejunio : ſiquidem ad unum omnes compertum habent abſque miraculo plures mendicando totam vitam traducere ; unde mendicatio inter miracula non recenſetur, ſecus eſt de carentia cibi , & potu ad multos dies; cum natura his indigeat ad nutritionem ; ea propter ad longum tempus quis non ſubſiſtit , ſi alimentum ſubtrahatur, proindeque Chriſti jejunium admirandum quidem eſt , non imitandum .

Quædam miranda in Chriſto, quædam imitanda.

Nec momenti eſt , quod malignando venditat Wiclefus *in libello de Diabolo* , *& membris ejus* Religioſis videlicet non eſſe licitum mendicare , niſi a Chriſto licentiam ha-

habeant ; hanc porro non habent , cum ipſemet Chriſtus nequaquam emendicaverit .

Verùm huc uſque Scripturis , Patrumque teſtimoniis invicte probavimus Chriſtum vixiſſe ex mendicatione . Eſto tamen mendicationis exemplum in eo non præceſſiſſet , non inde evincitur Religioſis illicitum fore mendicare . Non enim id omne peragere debemus , quæ Chriſtus fecit ; aliàs veſpere ſumenda eſſet Euchariſtia , nemo unus deberet nubere , nemo agros excolere , & hujuſmodi , cum Chriſtus nocturno tempore Euchariſtiam inſtituerit , cœlibem duxerit vitam , nec rurale laboritium exercuerit .

§. X.

MOMENTA ADVERSUS CHRISTI MENDICATIONEM REFELLUNTUR .

258 RIchardus Epiſcopus Armachanus Chriſtum nullum habuiſſe rerum dominium , atque pauperem fuiſſe concedit , verùm pauperem voluntarium fuiſſe negat , eo ductus motivo , quod Chriſtus , utpote ſecundus Adam , ſortitus fuit privilegium ſtatus innocentiæ . Primus namque Adam , licet neceſſaria ſibi ſumere potuerit , nullius tamen erat Dominus , cum rerum diſcretio poſt peccatum fuerit habita ; Chriſtus itaque , cum ex lege privilegio ſuccederet ſtatus innocentiæ , nullum poterat rerum habere dominium , proindeque ejuſdem paupertas haud trahi poteſt in exemplum . Utvis enim rerum careret dominio , non erat abſolute egenus , cum re qualibet uti potuiſſet , ſicut in ſtatu originalis juſtitiæ nullus mendicus , nullus egenus fuiſſet , quia ſine dominio liberum rerum uſum quiſquis habebat .

Argumentum perpero modo inſtituitur : ſi enim quidquam evinceret , probaret Chriſtum neque formam ſervi aſſumpſiſſe contra Apoſtolum ad Philipp. 2. v. 7. ſiquidem pro ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet ſervilis conditio . Cum igitur Chriſtus ſecundus Adam poſt rerum diviſionem advenerit in ſimilitudinem peccati ad lapſum primi Adam reparandum , eadem , quæ ceteri homines , habebat jura ; ea propter non jam ex lege , ſed voluntarie paupertatem adoptavit . Hoc Scripturæ ſuadent , hoc Patres prædicant .

Chriſtus in ſimilitudinē peccati .

259 Wicleſus *lib. 4. Trialogi cap. 28., & in libello de Blaſphemiis cap. 2. ſecunda Blaſphemia* non tantum concedit Chriſtum in ſuis membris mendicaſſe , quod & Amoræi admittunt , ſed etiam in perſona propria , quod iſti inficiantur ; vult tamen aliter a Religioſorum modo mendicaſſe , videlicet , non verbis ſtipem petendo , ut Religioſis ſolemne eſt , ſed honeſtiſſima mendicatione , quæ ſtatui innocentiæ conveniebat , quæ ſita erat — In hoc , quod expoſuit , & dixit facto penuriam , in qua fuit , & non petiit „ verbo relevamen ſuæ miſeriæ — Per nutus igitur mendicaſſe Chriſtum Wicleſus contendit , quod abunde ipſi ſufficit , ut clamitet Religioſam mendicationem fore damnabilem , cum hæc potiſſimum verbis exerceatur . Addit inde Chriſtum proprie non mendicaſſe ; ille namque proprie non dicitur mendicare , qui a ſuis ſua petit , Chriſtus autem , cum omnium eſſet Dominus , a ſervis ſua exquirebat , adeoque nequaquam mendicaſſe dicendum eſt .

RESP. Æque , immo magis dominatio adverſatur ſervituti , quam mendicitati ; etenim vir ingenuus duriùs ſervitutis jugum patitur , quam mendicandi ruborem ; atqui Chriſtus non erubuit ſervitutis ſtatum eligere , dicente Apoſtolo ad Galat. 4. v. 1. *Nihil differt a ſervo , cum ſit Dominus omnium* ; ergo cum jure dominii ſtatum mendicationis potuit eligere . Et ſane Chriſtus non rerum ſolummodo , ſed hominum Dominus erat , inſimul & ſupremus Judex , qui non judicari , ſed judicare , atque ſententiam dicere poterat ; & tamen indubie a ſe hoc jus abdicavit , unde hominibus imperare renuit , & a Pilato paſſus eſt judicari , eidem poteſtate ſupra ſeipſum conceſsâ , *Non haberes in me poteſtatem ullam , niſi tibi datum eſſet deſuper* ; nec ſententiam dicere voluit , licet requiſitus , ut legere eſt Luc. 12. v. 13. , & ſeq. *Ait autem ei quidam de Turba : Magiſter , dic Fratri meo , ut dividat mecum hereditatem . At ille dixit illi : Homo quis me conſtituit Judicem , aut diviſorem ſuper vos* . Cur ergo non potuit etiam dominium rerum omnium abdicare , ut humilitatis ſemitam nobis ſterneret ? Nec inficias quis ire poteſt eum vere mendicare , qui aliàs erat Dominus , ſi poſtquam omnia dimiſit , ab eo petat , cui ſua jura ceſſit , atque bona donavit .

Servitus durior mendicitate .

260 OBJIC. III. Chriſti mendicitas non evincitur , ex quo aquam a Samaritana , aut hoſpitium experierit ad celebrandum Paſcha ; ſiquidem utrobique non phraſi uſus eſt mendicantis , ſed imperantis . Mulieri namque dixit : *Da mihi bibere* . Joan. 4. , & Diſcipulis : *Ite . . . & dicite &c.* Matth. 26. ; ergo .

RESP. Prædictas phraſes eſſe verè indigentis probant Scripturæ , & Patres : Pſal. 118. v. 34. Pſalmiſta Dominum rogat : *Da mihi intellectum* : Salomon Sap. 9. v. 4. *Da mihi , Domine , ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam* : Virgines fatuæ Matth. 25. v. 8. *Date nobis de oleo veſtro* , quibus mendicaſſe Virgines aſſerit Beda *lib. 5. ſuper Lucam* , ſicut cum dicimus : *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie , & dimitte nobis peccata noſtra* , Luc. 11. Niſi forte quis abs re crederet , quod Domino imperamus , cum talia dicimus . Audiamus Ambroſium *lib. de vinea Naboth. cap. 2.* — Da mihi , quæ alia vox „ egentis eſt ? Quæ vox alia ſtipem publicam „ poſtulantis , niſi da mihi ? Hoc eſt , da „ mihi , quo egeo , da mihi , quia aliud „ vivendi ſubſidium habere non poſſum . Da „ mihi , quia non eſt mihi panis ad victum , „ nummus ad potum , ſumptus ad alimen- „ tum , ad indumentum ſubſtantia . Da „ mihi , quia niſi tu dederis , habere non „ potero . Da mihi , quia ſcriptum eſt : date „ eleemoſynam — Male igitur aſſerit Adverſarius Chriſtum non mendicaſſe , quia eâ uſus eſt voce : *Da mihi* , cum mendicis apte congruat . Adhibuit itidem hujuſmodi loquendi

Vox egentis quæ ?

modum

modum Chriſtus, ob certam, quam habebat, rerum præſcientiam, & poteſtatem hominum voluntates flectendi ad id, quod exquirebat, propterea alia etiam phraſi in argumento relata uſus eſt.

261 Subdit Adverſarins, Chriſtum non jam materialem, ſed ſpiritualem aquam expoſtulaſſe; nondum enim erat hora ſexta, dum potum petiit, eaque propter haud credibile eſt jejuno ſtomaco voluiſſe bibere: porro Fratres non ſpiritalia, ſed corporalia mendicant.

Scripturæ verba litteraliter intelligenda.

RESP. Quoties nullum ſequitur abſurdum, verba Sacræ Scripturæ primò in ſenſu litterali ſunt intelligenda; hic namque ſenſus fundamentum eſt ſenſus myſtici, & allegorici. Ad hanc porro litteralem intelligentiam nos cogit impræſentiarum contextus: ex aqua namque materiali myſticæ aquæ myſteria explicare intendebat Chriſtus; optimus autem ordo eſt ex viſibilibus ad inviſibilia aſcendere, ut docet Paulus ad Rom., & hujuſmodi docendi modus Chriſto frequens fuit, ut ex Evangelio compertum ſit. Contextus declarat Salvatorem fuiſſe ex itinere fatigatum, unde ſuper puteum ſedebat; quid verò connaturalius, quam fatigatum ex itinere ſitire. Quare ſicut negari nequaquam poteſt Chriſtum feſſum revera fuiſſe, ita nec aſſerere tunc temporis non fuiſſe ſiti vexatum. Quod potiſſimum evincitur, ex quo inſtituta fuerit Chriſtum inter, & Mulierem quæſtio de Judæorum more non comedendi, nec bibendi cum Samaritanis, quam ipſemet diſſolvit; quod ut convenienter fieret, opus fuit materialem aquam expoſcere. Itaque non inficias imus Chriſtum a Samaritana fidei aquam petiiſſe; ſiquidem ipſe in omnibus æterna ſpectabat, ſed materialem inſimul aquam expoſtulavit.

262 Initat Wiclefus. Ex quo Chriſtus aquam petiit a Samaritana, non inde invicte colligi poteſt ipſum mendicaſſe, quod plane evincitur ex Auguſtinn in Pſal. 108. ſuperius relato; ſiquidem ibidem dubitanter id aſſeruiſſe videtur. Utitur namque particula *forte*, quæ hæſitantis eſt -- Mendicum „ autem quomodo intelligam, niſi forte, „ quia dixit Mulieri Samaritanæ: Da mihi „ bibere -- Idque clariùs patet, ex quo S. Doctor ibi affirmat Chriſtum in membris ſuis mendicaſſe; quare Religioſi ex facto Chriſti ſolidum non habent mendicationis exemplum.

Particula forte non ſemper dubitantis.

RESP. Particula *forte* non ſemper dubitantis, ſed ſæpenumero affirmantia vox eſt. Res pluribus clareſcere poſſet, Patrum teſtimonia referendo, quoniam verò habemus Ambroſium dilucide pro re nata loquentem, cetera omittimus. Cum enim Novatiani negarent veniam concedi a Domino poſt lapſum pœnitentibus, id probare ſatagebant ex Petri ſententia Act. 8. v. 22., ubi Simoni Mago pœnitentiam ſuadens habet: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui*. Verùm Sanctus Præſul reſpondet *lib. 2. de Pœnit. cap.* 5. — Hoc illis „ reſponſum ſit. Ego autem nec Petrum du„ bitaſſe credo, nec dico, nec verbi unius „ præjudicio tantam cauſam ſtrangulandam „ arbitror. Nam ſi putant dubitaſſe Petrum, „ nunquid & Deus dubitavit, qui ait ad Je„ remiam Prophetam: Sta in atrio domus „ Domini, & reſponſum dabis omni Judæ, „ his, qui veniunt adorare in domo Domi„ ni, omnia verba, quæ conſtitui tibi „ reſpondere illis. Noli auferre verbum; „ forſitan audient, & avertentur? Dicant „ ergo & Dominum ignoraſſe quid eſſet fu„ turum. Sed non ignorantia in eo verbo ex„ primitur, ſed in Scripturis Divinis fre„ quens hujuſmodi conſuetudo advertitur, „ eo quod ſimplex ſit elocutio &c. Denique „ habes in Evangelio, quod ipſe filius de „ Patre ait, cum miſiſſet Servos ad vineam „ ſuam, & occidiſſent, dixiſſe Patrem; mittam filium meum dilectiſſimum, forſitan „ hunc verebuntur, & alibi ex ſua perſona „ Filius ait: neque me ſcitis, neque Patrem „ meum; ſi enim me ſciretis, forſitan & „ Patrem meum ſciretis; ſi ergo his verbis „ uſus eſt Petrus, quibus Dominus uſus eſt „ ſine præjudicio ſcientiæ ſuæ, cur non acci„ piamus & Petrum his uſum ſermonibus ſine „ ſuæ fidei præjudicio? — Nec altera Auguſtini expoſitio urget; ſiquidem in uno eodemque textu litteralis, & myſticus ſenſus adinvenitur, atque uterque adoptandus, ut adæquata ſit expoſitio; aliàs hiſtorica veritas fundamentum eſt allegoriæ, & quoties unum alteri ſubordinatur, non negatur unum, ſi aliud reticeatur, nec primum rejicitur, ex quo ſubdatur ſecundum; ea propter Auguſtinus non excludit a Chriſti Perſona mendicationem, ex quo velit ipſum in ſervis ſuis mendicaſſe; ſicut perperam quis diceret Chriſtum in perſona propria non fuiſſe perſecutum, ex quo fuerit perſecutus in Servis ſuis.

263 OBJIC. IV. Plura Scripturæ loca aperte declarant Chriſtum temporalia poſſediſſe: Joann. 4. *Diſcipuli enim ejus abierant in Civitatem, ut cibos emerent*. Matth. 14. *Non habent neceſſe ire: date illis vos manducare*. Joann. 12. de Juda legitur. *Fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat*. Hoc utuntur textu Patres, ut adverſus Hæreticos evincant fas eſſe fidelibus aliqua in craſtinum reſervare.

Chriſti paupertas non ſemper eadē.

Ob laudata Scripturæ momenta in eam devenerunt ſententiam Doctores, quæ aſſerit Chriſtum pro temporum diſcrimine diverſum paupertatis genus adoptaſſe; & apte quidem, ut ſcilicet omnibus foret exemplum; omnium quippe magiſter erat; ea propter quandoque propria habuit ſaltem in communi, quandoque nihil, itaut ex mendicatione prorſus viveret. Quo poſito non urgent relata Scripturæ momenta; etenim ut Religioſis fas ſit vivere ex mendicatione, ſat eſt Chriſtum aliquando hac de re exemplum præbuiſſe.

DICES. Judas fur nuncupatur: porro furtum eſt ablatio rei alienæ invito Domino; quare ut ille fur diceretur, alienum debuit auferre; cur ergo ea rapuerit, quæ Apoſtolorum Collegio largiebantur, dicendum meritò eſt hocce habuiſſe dominium.

RESP. Judas furti reus indubie cenſe-

tetur,

Digitized by Google

Judas vere fur.

retur, etiamſi dominium penes Apoſtolicum Collegium non fuiſſet, ſed penes dantes eleemoſynam, puta, penes mulieres illas, quæ juxta Evangelii teſtimonium Chriſto adminiſtrabant; jam enim invito Domino aliena uſurpaſſet, cum mulieres illæ pro Chriſti, Apoſtolorumque ſuſtentatione ſua largirentur, non jam ut Judas ea pro libito diſtraheret.

INSTABIS. Pſal. 21. legitur de Chriſto moriente: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*; ſed hoc innuit proprietatem; ergo.

Chriſtus mortis tempore potiſſime pauper.

Nonnulli apud P. Suarez volunt Chriſtum veſtium proprietatem habuiſſe; verùm hujuſmodi ſententia Patribus adverſari videtur, qui potiſſimum Chriſti paupertatem, paſſionis tempore commendant. Nec officit relatus textus; optime namque intelligi poteſt veſtes fuiſſe Chriſti non quoad proprietatem, ſed quoad uſum. Et ſane talis loquendi modus apud Religioſos ſolemnis eſt: dicunt ſiquidem hi cellam meam, meum pallium, cum tamen de his non habeant niſi uſum, careantque proprietate in particulari.

INSTABIS. Carentia dominii in communi nequaquam adverſatur perfectioni, ut Joannes XXII. enunciavit *in Extravag. ad Conditorem*; hincque oppoſitum ſentientes damnati fuere; ergo hujuſcemodi paupertas a Chriſto pro quolibet vitæ tempore ableganda eſt.

Ultro concedimus carentiam dominii in communi non repugnare perfectioni, haud tamen negari poteſt majorem rigorem dicere intra genus paupertatis, majoremque importare dependentiam ab alio. Ceterum paupertas, quæ cum ſtatu perfectionis compatitur, latitudinem habet. Utique paupertas, quæ lectum permittit ſtratum, perfectioni non contrariatur, & tamen aſperior creditur, quæ ſolummodo ſtramentum præcipit.

URGEBIS. Laudatus Pontifex eo loci tanquam hæreticum damnare videtur eorum aſſertum, qui contendebant Chriſtum nullius rei verum habuiſſe dominium.

Doctores facili negotio Joannem XXII. affirmantem Chriſtum dominium habuiſſe componunt cum Nicolao IV. eidem illud negante, recurrendo ad locutiones indefinitas, quæ ad diverſa tempora extenduntur: unde Joannis ſententia verificatur, quia aliquando Chriſtus proprium habuit; verificatur itidem Nicolai aſſertum, quia aliquando omni prorſus dominio caruit. Quod ſi quis propugnare velit toto prædicationis tempore, ſeu toto vitæ decurſu quolibet rerum dominio caruiſſe Chriſtum, aſſerere poſſet, ut innuit P. Suarez, dominium rerum, quibus Chriſtus utebatur, extitiſſe penes Eccleſiam, ſicut dominium rerum, quas ad pedes Apoſtolorum primâ rei Chriſtianæ ætate Chriſtifideles ponebant, erat penes Eccleſiam. Et ſane conſiderare poſſumus communitatem aliquam perſonarum ſub ſtrictioris paupertatis lege viventium abſque dominio nec in particulari, nec in communi, nec exiſtente in ipſa Regularium Congregatione, aut apud Eccleſiam, & hujuſcemodi paupertatis, utpote abſque ſubſiſtentia, ableganda eſt profeſſio; vel abſque dominio particularis communitatis, ſed exiſtente penes Eccleſiam, & genus hocce paupertatis nullam involvit repugnantiam, nullamque imperfectionem, immo majoris auſteritatis ſpeciem refert, ex quo ipſa meritò laudabilis cenſetur. Cum autem Chriſtus totius Eccleſiæ caput eſſet, atque caput inſimul, & inſtitutor ſtatus Religioſi, qui per ſolemnia vota, ut ſuperius probatum eſt, in Apoſtolis ſumpſit exordium, concedi poteſt habuiſſe, ut Eccleſiæ caput, rerum dominium in communi, ſed eodem caruiſſe ut caput Religioſæ communitatis. Nec repugnat unum, idemque affirmari, & negari de Chriſto penes diverſam conſiderationem; ut in ſimili mox dicemus.

SUBSUMES. Joannes prælaudatus in Chriſto negat uſum diſtinctum fuiſſe a dominio; ſed Chriſtus in propria perſona, & ut Religioſæ Communitatis caput rerum uſum habuit; ergo earundem itidem dominium habuit.

Sunt, qui aſſerunt Pontificem ut particularem Doctorem erraſſe; verum pro re nata dicimus Pontificem ibidem non fuiſſe locutum in eo vulgari ſenſu, quo inter Doctores excitatur quæſtio circa diſtinctionem uſus a dominio in rebus, quæ uno actu conſummuntur, ſed in alio ſenſu plane diſcreto: etenim pro dominio intellexit juſtum titulum, legitimumque jus utendi rebus; quo ſane carent fures, dum res furtim ſublatas diſtrahunt; quod compertum fiet Bullam perſcrutanti, quod & Macedo in ſuis Controverſiis opportune advertit.

§. XI.

ALTERA CATHOLICÆ VERITATIS PROBATIO.

264 PROB. II. Mendicare, ut jam innuimus, eſt vivere ad miſericordiam hominum; hoc porro, ſi, factâ rerum omnium abdicatione, ex Chriſti amore fiat, licitum eſt, atque meritorium; ſiquidem hocce vivendi genus, Chriſto Magiſtro, ab Apoſtolis fuit adoptatum: Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Ob Chriſtum itaque, immo ipſo docente, omnia dereliquerunt, ut habet Auguſtinus *lib. 17. de Civit. Dei cap.* 4. -- Dixerant, inquam, potentes illi: ecce nos „ dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. „ Hoc votum potentiſſimi voverant. Sed „ unde hoc eis, niſi ab illo, de quo hic „ continuò dictum eſt: dans votum voven„ ti -- Votum igitur omnia deſerendi ob Regnum Cœlorum a Deo inſpiratum habemus.

Votum paupertatis a Deo Apoſtolis inſpiratū.

Quod dilucidat S. Ambroſius *in Exhortat. ad Virgines* ad illud Joann. 19. *Et recepit eam in ſua*, ut legit S. Doctor -- Quid eſt in ſua: „ cum reliquerit Patrem, & Matrem, & „ Chriſtum ſecutus ſit? Aut quomodo in „ ſua, cum ipſi Apoſtoli dixerint: ecce nos „ reliquimus omnia noſtra, & ſecuti ſumus „ te: quæ ſua habebat Joannes, qui ſecula„ ria, & mundana non habebat? -- Idem evin-

evincitur ea cap. 10. Matth. v. 9., & ſeq. *Nolite poſſidere aurum, nec argentum in zonis veſtris, non peram in via, nec duas tunicas.* Verba hæc dubio-procul ſunt adhortantis ad omnimodam rerum abdicationem, quibus profectò obtemperaverunt Diſcipuli; ergo commendatam a Chriſto paupertatem adoptaverunt Apoſtoli.

Suaſor itidem fuit Chriſtus, ut Diſcipuli ex fidelium eleemoſynis viverent. Luc. 10. v. 7. *In eadem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt*, in hujus loci commentariis habet Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus a Waldenſi *lib. 4. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 5.* relatus -- Vide ergo „ qualiter diſcipulos mendicare inſtituit, & „ pretio eos enutrimentum habere noluit -- Mendicare inſtituit, inquit, ne quis diceret hoc non ordinari, ut ex propoſito fieret, ſed fortuito, caſu nempe quo talis contingeret neceſſitas mendicandi, potiſſimum cum hujuſmodi arbitrariam interpretationem Evangelicus textus diſſolvat cap. 9. v. 3., ubi legitur: *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis*: fuit itaque poſitiva Chriſti inſtitutio Apoſtolis præſcripta, ut tali modu viverent, quod obſervatum habemus, dum 1. ad Corinth. 9. legitur Apoſtolos ex prædicationis fructu, ideſt ex eleemoſynis acceptis vixiſſe.

DICUNT I. Wicleſiſtæ, & Amoræi mandatum illud, quod Apoſtoli nihil haberent, temporarium fuiſſe, atque a Chriſto in ultima cœna revocatum: duo namque mandaverat Chriſtus Diſcipulis Matth. 10. ne ſcilicet abirent in viam gentium, & ut nihil ſecum deferrent, haberentve, primum revocavit Matth. ultimo, cum Apoſtolis præcepit prædicare, & docere omnes gentes, aliud verò Luc. 22. cum dixit: *Qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram*, non ergo Chriſti doctrina, aut Apoſtolorum exemplum Mendicantibus opitulantur.

Si ultro Hæreticis daremus ſuppoſitum, nihil adhuc adverſus nos: ſiquidem nobis abunde ſat eſt Chriſtum quandoque rigidam commendaſſe paupertatem, ut tanquam laudabilem illam proſequi poſſimus: non enim illicitum quidpiam quovis tempore poterat imitandum proponere; immo addas velim, tunc temporis in Apoſtolis futurum inſtituiſſe in Eccleſia Mendicantium Religioſorum ſtatum; in proprietate namque tunc Apoſtoli magis præſeferebant Regularium, quam Epiſcoporum exemplar, cum non adhuc Sacerdotali dignitate eſſent inaugurati, quod in ultima cœna contigiſſe compertum eſt: ca propter ſi ibidem de ſacculo, & pera mandatum dedit, id feciſſe cenſendum eſt, ut in ipſis Epiſcopos inſtrueret, qui pro Eccleſiæ neceſſitatibus bona valent poſſidere; unde pro temporum diſcrimine diverſos voluit ſtatus innuere, quandoque nempe Monachorum, quandoque Epiſcoporum.

Apoſtoli exemplar paupertatis.

Ceterum ſuppoſitum falſum eſt; non enim Chriſtus primum illud mandatum, ſeu conſilium revocavit, quod ipſimet Apoſtoli intellexerunt, ideoque etiam poſt Chriſti paſſionem ex eleemoſynis vixerunt, ut diximus ex 1. ad Corinth. 9., & in ſequenti probatione pluribus propugnabimus: nec verum eſt abſolute, quod aliud præceptum revocaverit; ibi enim prædicationis ordinem deſignavit, ſtatuit primùm Judæis foret evangelizandum, dein Gentibus, ut videre eſt Act. 1. idem legitur de ipſomet Chriſto, qui dicebat ſe non veniſſe, niſi ad filios Iſrael, & tamen pro omnibus venerat; unde intelligere debemus præcipue adveniſſe pro Hebræorum ſalute; reſpectus autem ad primariam rationem ſufficit pro veritate propoſitionis abſolutæ: hunc eſſe ſenſum innuit contextus: *In viam gentium ne abieritis, & in Civitatem Samaritanorum ne intraveritis, ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.* Primò igitur enunciandum erat Judæis Evangelium, hinc aliis; hunc ordinem ſervaverunt Paulus, & Barnabas Act. 13. v. 46. *Tunc conſtanter Paulus, & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.*

Ordo enunciandi Evangelium.

Quod additur ex Luca: *Nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram* peculiariter dictum intelligitur pro tempore paſſionis, ſcilicet pro eo temporis intervallo, quod ultimam cœnam inter, & inchoationem prædicationis poſt Spiritus Sancti adventum intercessit; quia percuſſo Paſtore, cum diſpergerentur oves, æquum erat, ut Apoſtoli, qui nondum virtute ex alto repleti timidi latitabant, haberent, unde viverent. Hoc clare conſtat ex his, quæ ibi referuntur, quæ alia non ſunt, niſi de perſecutione, & Chriſti paſſione; præcipue cum ipſe loquendi modus rem præſentem deſcribat: *Nunc qui habet ſacculum &c.*, & notandum quod non ait Chriſtus: *Nunc dico, qui habet &c.*, ſed abſolute: *Nunc qui habet*, ut aperte innoteſcat priorem non revocare doctrinam, ſed præſentis temporis declarare neceſſitatem.

Quandoque æquum eſt alimenta ſervare.

DICUNT II. Chriſtus eo loci Matth. 10. non jam conſilium, ſed præceptum dedit Apoſtolis; eaque propter doctrina illa non aſtipulatur Mendicantibus Religioſis, qui contendunt Chriſti conſilium ſequi.

RESP. Falsò aſſeritur ibidem impoſitum fuiſſe Apoſtolis præceptum. Eis dedit tantummodo inſtructionem Apoſtolatu dignam, permittendo, ut de prædicationis fructu vivere poſſent; ceterum nihil poterant accipere, & de piſcatione, aliove labore ſuſtentari, ut Pauli exemplo comprobatum habemus, qui potens a fidelibus meritò victum recipere, artis ſcenofactoriæ ſubſidio ſuſtentabatur. His addere placet, quod ſi Apoſtoli præcepto fuiſſent adſtricti ad mendicandum, hoc repugnaſſet fini prædicationis, aut ſaltem Evangelizantibus obfuiſſet: rudes etenim populi in eam deveniſſent ſententiam Apoſtolos non jam veritatis amore, ſed ex neceſſitate, ut ſcilicet alimenta ipſis ſuppeditarentur, Dei verbum enunciare, quo argumento uſus eſt D. Paulus, rationem reddens, cur ex labore manuum victum ſibi compararet, cum aliàs ex prædicationis fructu ſuſtentationem potuiſſet recipere: verba igitur laudata permiſſionem invol-

Mendicatio non ex præcepto, ſed ex conſilio.

involvunt, & declarant haud illicitum fore vivere ex prædicatione.

DICUNT III. Apoſtoli, quod ſummarat, exquirebant, utpote debitum ea juſtitia, eo nempe titulo, quo merces debetur Operariis; ideo dixit Salvator: *Dignus eſt Operarius mercede ſua*, & Paulus 1. ad Corinth. 9. v. 14. *Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*, & prius v. 7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?* Atqui Religioſis nequaquam ex juſtitia victus debetur a fidelibus: hi ergo mendicare nequaquam debent ad exemplum Apoſtolorum.

Debitum duplex.

RESP. Duplex eſt debitum, aliud juſtitiæ, & ſtricti juris, morale aliud; primum oritur ex conventione, ſeu pacto, aliove titulo obligationem inducente, ſub vi coactiva cadentem, ita quod contrahens cogi poſſit, ſi debito ſatisfacere nolit; oritur ſecundum ex labore, nulla præcedente pactione, ſicut ea titulo remunerationis, quod ſub vi coactiva non cadit; unde qui tali titulo eſt obligatus, nequit cogi ad ſolutionem. Porro Chriſtus de hoc debito ſermonem habet, & ſufficit, ut quis ab alio victum emendicare valeat: etenim ex quo quis negare poſſit, quod petitur, & negando cogi nequeat, ſuppetit locus mendicationi. Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap.* 45. diſtinguit in Apoſtolis Epiſcopalem dignitatem, ratione cujus conſtitutus eſt gradus Paſtoris ordinarii, & dignitatem Apoſtolatus; ut Epiſcopi cogere poterant fideles ad neceſſaria ſubminiſtranda, quia Paſtor jus habet rigoroſæ juſtitiæ, ut ab ovibus nutriatur, ut Apoſtoli hanc non habebant poteſtatem, potiſſimum relate ad Infideles, ſed ſolo charitatis titulo poſtulare ſubſidia poterant.

Notandum tamen occurrit doctrinam Chriſti, ſicut & Pauli intelligi pro eo tempore, quo Apoſtoli ſibi Eccleſiam, gregemque comparaſſent; ſiquidem de lacte gregis non ſumit, niſi qui oves habet, ſicut de fructu vineæ non comedit, niſi qui plantatam vineam habet: cum ergo ſtatim ab initio apud infideles Apoſtoli gregem non habuerint, ſub primordiis nullum in bona infidelium jus habebant, adeoque proprie mendicabant. Notandum itidem eum, qui jus habet ſubſidii in aliorum bona, ſi juri hujuſcemodi abrenunciet, poſſe rigoroſa mendicatione eleemoſynam ab alio petere, Apoſtoli autem cuilibet juri abrenunciarunt: *Ecce nos reliquimus omnia*, eo quod perfectionis ſtatum elegerint, ut patet de Paulo 1. ad Corinth. 9. idemque aſſerendum indubie eſt de aliis Apoſtolis, cum non minoris forent perfectionis, & Apoſtolatus excellentia ſolummodo ſpiritualibus incumbens optimo jure requirebat, ut omnia temporalia jura abdicarent; cum hæc non ad cœleſtem, ſed ad terrenam civitatem ſpectent.

Regulares jus habent poſtulandi ſubſidia.

Hinc ad Regulares deveniendo, cum hi aſſumpti ſint ut coadjutores Paſtorum ad laborandum in Eccleſia Dei, & ipſi jus habent æquitatis ad poſtulandum a populis ſubſidium: etenim Chriſti doctrina ad ſolos Præſules non coarctatur, ſed merito ad quoſcunque licite Dei verbum annunciantes extenditur. Ad hoc probandum, præter ea, quæ ſuperius diximus, apte deſerviunt, quæ Angelicus Doctor *Opuſc. 19. cap. 7.* refert. Videlicet Scripturæ verba non eſſe reſtrictiva, ſed ampliativa: etenim abſolute dicitur— „ Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis „ plantat vineam, & de fructu ejus non „ edit? Quis paſcit gregem, & de lacte „ gregis non manducat? quæ omnia, & „ plura alia exempla inducit, ut Gloſſa di- „ cit, ad oſtendendum, quod Apoſtoli non „ ſibi aliquid ultra debitum uſurpant, ſi „ ſicut Dominus conſtituit, ex Evangelio „ viventes panem gratuitum manducabant „ ab eis ſumptum, quibus gratuitam gratiam „ prædicabant: ſed conſtat quod militi cui- „ libet, & plantatori vineæ, & paſtori gre- „ gis debetur victus ex ſuo opere propter „ hoc, quod in opere laborant: cum ergo „ in Evangelio laborem habeant prædicando „ non ſolum Prælati, ſed etiam quicunque „ alii licite prædicant, utique poſſunt ab „ eis, quibus prædicant, panem accipere, „ unde ſuſtententur. item Apoſtolus probat, „ quod poterant Apoſtoli temporalia accipe- „ re ab eis, quibus prædicabant, quia eis „ ſpiritualia ſeminabant, quia qui dat ma- „ gna, non eſt mirum, ſi accipiat parva... „ ſed eadem ſpiritualia, quæ prædicant Præ- „ lati, prædicant alii ex eorum authoritate; „ ergo etiam ipſi poſſunt ab his quibus præ- „ dicant, carnalia accipere, unde vivant. Item „ eodem capite dicit Apoſtolus: Dominus or- „ dinavit his, qui Evangelium annunciant, „ de Evangelio vivere. Gloſſa. *Hoc* rationa- „ biliter fecit, ut expeditiores ſint ad præ- „ dicandum verbum Dei. Sed omnes, qui „ ad prædicandum deputantur; oportet eſſe „ expeditos ad prædicandum, ſive ſint Præ- „ lati, ſive authoritate Prælatorum prædi- „ cent; ergo ad eos etiam, qui non ſunt „ Prælati ordinatio Domini ſe extendit, ut „ de Evangelio vivant &c. —

Proſequitur dein oſtendere, quod non ſolùm Evangelizantibus, ſed & hi, qui eiſdem miniſtrant, ſubſidium habere debent ex fructu prædicationis, quod probat ex Apoſtolo qui collectas mittebat ad fideles, qui erant Jeroſolymis ad Rom. 15. qui ſane non omnes erant Evangeliſtæ, & Prædicatores. Alia ſubdit momenta pro re nata, quæ dilucide catholicam veritatem evincunt.

Fas eſt pro aliis ſtipem rogare.

265 PROB. III. Ejuſdem rationis eſt honeſte mendicare per ſe, vel pro ſe, ac mendicare per alium, & pro alio; actio namque mediata, vel immediata non variat naturam, & conditionem ſubſtantialem rei, & actus; ſed per alium, & pro aliis mendicare licitum eſt; ergo etiam pro ſe, & per ſe. Min. nota eſt ex Apoſtolo, qui pro Sanctis, qui Jeroſolymis degebant, ſtipem poſtulabat, 1. ad Corinth. 16. v. 1. *De Collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* 2. ad Corinth. 8. Eccleſiæ Macedoniæ proponit exemplum, quæ profuſam, ipſo hortante populum, eleemoſynam tranſmiſerat; hinc ſpiritualia; quæ ob illam charitatem illi obvenerant, perpendit, ſuadens dein ad idem Corinthios v. 6. *Ita ut rogaremus Titum, ut*

quem-

quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, ut & in hac gratia abundetis; & ad Rom. 15. v. 25., & ſeq. refert eleemoſynam ab Eccleſia Macedoniæ, & Achaiæ, quam ipſe Paulus Jeroſolymam deferre ſtatuerat. *Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare Sanctis. Probaverunt autem Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Jeruſalem.* Si ergo pro pauperibus poſtulabat Paulus eleemoſynam, cur non licebat etiam pro ſe petere?

DICES. Apoſtolus exquirebat ſubſidium poteſtate ſuæ Prælationis, ea propter perperam dicitur ipſum mendicaſſe.

Verùm contextus aliter probat. Non enim Paulus auctoritate, ſed conſilio utebatur, nec fideles ex debito ſubjectionis ad Prælationem, ſed ex charitate, & ex liberalitate eleemoſynam largiti ſunt, & aliud non agnoſcit debitum Apoſtolus, quam æquitatis, quatenus Macedones ex Collegio pauperum Jeroſolymorum ſpiritualia receperant. *Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* 1. ad Corinth. 16. v. 2. *Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondens, quod ei bene placuerit.* 2. ad Corinth. 8. v. 8. *Non quaſi imperans dico, ſed per aliorum ſollicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans . . . Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis utile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore*, & cap. 9. v. 2., & 7. iterum pro re eadem ſuaſor non poteſtatem, ſed charitativæ æmulationis, & liberalitatis momenta proponit. *Veſtra æmulatio provocavit plurimos . . . Unuſquiſque prout deſtinavi in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* His palam fit Paulum non imperaſſe, ſed ſuaſiſſe eleemoſynæ largitionem.

Pauperibus eleemoſyna impertienda.

266 PROB. IV. Si Scriptura ſuadet pauperibus eleemoſynam impertiri, dubio-procul iiſdem fas eſt eam a fidelibus petere; indigentiæ namque pauperum haud ſubveniri poteſt, niſi innoteſcat; innoteſcit autem ex quo ſubſidium poſtuletur; atqui Scriptura ſuadet pauperibus elargiendam eſſe eleemoſynam, ut legere eſt Epiſt. 3. Joann. v. 5. *Chariſſime, fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui reddiderunt teſtimonium charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ, quos benefaciens, deduces digne Deo. Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes a Gentibus; ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis.* In hoc textu plura adnotanda ſunt; I. Exhortatio, & quædam obligatio ad elargiendam Peregrinis eleemoſynam; II. Peregrinorum qualitas, qui ſunt Servi Dei, hoc eſt, ut ait Gloſſa, *alienati a rebus propriis*; III. Cauſalis: *Pro nomine enim ejus profecti ſunt*; peragunt videlicet opus in Chriſti obſequium; IV. Petitio: *Debemus ſuſcipere*; non poſſumus aliquem ſuſcipere, niſi ad nos deſcendat, eaque propter poſtulet hoſpitalitatem. Finis demum: *Ut cooperatores ſimus veritatis*; elargitio namque eleemoſynæ Servis Dei, quædam eſt ad Evangelicum miniſterium cooperatio. Talis ſcribebat Joannes, ut Diotrephes malitiam reprobaret; hunc æmulantur Amoræi, & Wiclephiſtæ, qui mendicatium mordent paupertatem. Videatur S. Thomas in laudatum Joannis locum.

Idem evincitur ex cap. 10. Matth. v. 41. *Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*; *Qui recipit*, utique venientem; non enim quis recipitur, niſi veniat, *In nomine juſti*, quia non attenditur Perſonæ meritum, num bona ſit, vel non, ſed titulus ſpectatur, videlicet, ſi Sanctitatis præferat titulum, qui in profeſſione ſacri miniſterii, vel ſtatus conſiſtit. Obiter placet advertere aptam diſtributionem, quam refert Evangeliſta. Docet primò ſuſcipiendos eſſe Prælatos v. 40. *Qui recipit vos, me recipit*: ſecundò ſuſcipiendos eſſe Prælatorum miniſtros v. 41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ &c.*; tertiò quoslibet Dei Servos ſuſcipiendos: *Qui recipit juſtum in nomine juſti.* Ut hinc compertum habeamos elargiendam fore eleemoſynam Evangelizantibus tum ex vi muneris, tum ex deputatione, ut ſunt Regulares, tum Dei Servis ex profeſſione, proindeque iſtis fas eſt ſtipem petere a fidelibus.

Evangelizantibus ſubveniendum.

267 PROB. V. Cuilibet pauperi licitum eſt eleemoſynam petere, & cuilibet dandam eſſe præcipit Scriptura; ergo potiori jure Dei Servis competit eam poſtulare, atque recipere. Prima propoſitio oſtenditur. Prov. 21. v. 13. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. Ad clamorem pauperis* inquit Scriptura, abſolute, & univerſaliter, nullimode diſcriminans validum inter, & invalidum, bonum inter, & malum, & qui clamanti, cum poſſit, ſubſidium denegat, incidit in Dei judicium.

Cuilibet petenti ſubſidium præſtandum.

Pſal. 111. v. 9. legitur. *Diſperſit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.* Pauperibus generaliter, nulla appoſita conditione, & qui ita indefinite inopes ſublevat, æternæ juſtitiæ coronam apud Deum promeretur.

Luc. 6. v. 30. *Omni autem petenti te, tribue. Omni*, valido ſcilicet, & invalido, pauperi, & mendico, digno, & indigno; ad unum omnes includuntur.

Hinc demonſtratur conſeq. Luc. 16. v. 9. *Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; ſed hi, qui potiſſime nos recipere poſſunt in æterna tabernacula, ſunt dubio-procul Servi Dei, qui omnibus abrenunciarunt propter Dominum; præcipue ergo Dei famulis benefaciendum eſt. Et ſane judicii die ſalvos faciet Dominus, qui Chriſto ſubſidium præbuere in minimis ſuis; minimi autem ſunt humiles pauperes, qui ob ejus amorem vanitates, & divitias contempſerunt.

268 PROB. VI. Quæ ad perfectionem conſequendam deſerviunt, apte a Regularibus aſſumuntur; ſed mendicatio hujuſmodi eſt; purgat ſiquidem animum a maculis,

Mendicatio ad perfectionem conducit.

Digitized by Google

atque ſuperbiam ab humanis cordibus arcet ; primum quidem palam fit , ex quo Eccleſia pro gravioribus criminibus peregrinationes injungit , faciendas mendicando , ergo non tantùm peregrinatio , ſed mendicatio etiam deſervit ad cordis puritatem ; ſuperbiam quoque coercet, deprimitque; hominem namque erubeſcentiæ , irriſionibus , ludibrio ſæpenumero exponit ; hæc porro omnia maxime adverſantur humanæ elationi , potiſſimum ſi mendicans ſit vir ingenuus , nec infimæ conditionis : ſicut ergo licet aſſumere jejunia , flagellationes , vigilias , aliaque hujuſmodi , quia hæc concupiſcentiam compeſcunt , ita fas erit paupertatem adoptare , & mendicationem , cum hæc ad perfectionem conducant .

269 PROB. VII. Fortior eſt Chriſti charitas, quam naturalis amicitia ; ſed inter amicos , ſi unus re aliqua indiget , ab altero petit , eâque habitâ licite utitur; quæ maxime vera ſunt , quando ſtante amicitia mutua intercedunt officia , atque recompenſatio habetur ſive in eodem , ſive in diverſo rerum genere ; atque hinc dilucidatur argumentum . Siquidem fas eſt id ab alio expoſcere , ex cujus largitione conditio alterius efficitur melior ; atqui ex largitione eleemoſynæ melior evadit dantis conditio ; adveniunt quippe illi ſpiritualia , quæ excellentiora ſunt divitiis .

Ex Patribus demum laudabilem eſſe paupertatem invicte propugnare poſſemus , quoniam verò in re ſatis nota verſamur , unum non niſi Auguſtini , & Hieronymi teſtimonium placet referre . Auguſtinus itaque *lib. 5. de Civit. Dei cap.* 18. poſito exemplo Lucii Valerii Conſularis viri , qui ad eum paupertatis ſtatum devenit , ut non niſi mendicata ſtipe ſepulturam habuerit , ſuaſor eſt Chriſtianis , ut hujuſcemodi paupertatem æmulentur -- Quomodo autem ſe audebit ſe
„ extollere de voluntaria paupertate Chri-
„ ſtianus , ut in hujus vitæ peregrinatione
„ expeditior ambulet viam , quæ ducit ad
„ patriam , ubi veræ divitiæ ipſe Deus eſt ,
„ cum audiat , vel legat L. Valerium , qui
„ in ſuo defunctus eſt conſulatu , uſque
„ adeo fuiſſe pauperem , ut nummis a popu-
„ lo collatis , ejus ſepultura curaretur ? --

Aliud in Conſulari fœmina profert S. Hieron. *in Epitaphio S. Paulæ* , quam aliquando monuerat , ut modum in largiendis eleemoſynis imponeret , & aliquid ſibi reſervaret ; ſed illa amore Chriſti extremam eligere voluit inopiam , quod inde commendavit S. Pater -- Fateor errorem meum , cum
„ in largiendo eſſet profuſior , arguebam ,
„ illud proferens de Apoſtolo ; non ut alii
„ refrigerium , vobis autem tribulatio , ſed
„ ex qualitate in hoc tempore , ut veſtra
„ abundantia ſit ad illorum inopiam , & il-
„ lorum abundantia ad veſtram inopiam .
„ Et hoc de Evangelio Salvatoris ; qui ha-
„ bet duas tunicas , det alteram non haben-
„ ti ; & providendum eſſe , ne , quod liben-
„ ter faceret , ſemper facere non poſſet .
„ Multaque hujuſmodi , quæ illa mira vere-
„ cundia, & ſermone parciſſimo diſſolvebat:
„ teſtem invocans Dominum , ſe pro illius
„ amore cuncta facere , & hoc habere voti,
„ ut mendicans ipſa moreretur , ut unum
„ nummum filiæ non dimitteret , & in fu-
„ nere ſuo aliena ſindone involveretur . Ad
„ extremum inferebat ; ego ſi petiero , mul-
„ tos inveniam , qui mihi tribuant ; mendi-
„ cans , ſi a me non acceperit , quæ ei poſ-
„ ſum etiam de alieno tribuere , & mortuus
„ fuerit , a quo anima ejus requiretur ? Ego
„ cautiorem in re familiari eſſe cupiebam ,
„ ſed illa ardentior fide , toto Salvatori ani-
„ mo jungebatur , & pauperem Dominum
„ pauper ſpiritu ſequebatur , reddens ei ,
„ quod acceperat , pauper pro ipſo effecta .
„ Denique conſecuta eſt , quod optabat , &
„ in grandi ære alieno filiam dereliquit ,
„ quod hucuſque debens , non ſuis viribus ,
„ ſed Chriſti ſe confidit miſericordia reddi-
„ turam -- Superius alia teſtimonia dedimus ejuſdem Hieron. , qui ad Oceanum de Fabiola dicit , quod optabat , divitiis pro Domino profuſis , vitam ſtipe emendicata ſuſtentare .

§. XII.

ACATHOLICORUM ARGUMENTA EX VETERI TESTAMENTO ASSUMPTA DISSOLVUNTUR .

270 OBJIC. I. Chriſtus non venit ſolvere legem . ſed adimplere ; ſed lex vetat mendicare Deut. 15. v. 4. *Et omnino indigens , & mendicus non erit inter vos* ; ergo mendicatio prohibita eſt . Mendicitas enim a malo eſt , nempe a peccato , ſive ex parte ipſius validi mendicantis , cui ipſa non eſt neceſſaria , ſive ex parte populorum , qui aliorum non præveniunt inopiam ; proindeque omnis mendicitas , ut ait Wiclefus , a Diabolo introducta eſt .

RESP. Chriſtus equidem non venit ſolvere legem , ſed adimplere , immo & perficere , atque juxta recondita myſteria explicare . Ipſam autem perfecit , explicuitque ſuperaddendo Evangelica Conſilia , quorum unum eſt de Evangelica paupertate . Chriſtus finis erat , ad quem Legalium conſtitutiones reſpiciebant , cujus morte mortuæ effectæ ſunt ; ea propter etſi illud fuiſſet præceptum , jam ceſſaſſet utpote legale ; verùm tale nequaquam fuiſſe probe evincit contextus , qui futuros prænunciat pauperes v. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* *Nullum præceptum vetat mendicare.* Et nota quod juxta Hebraicam phraſim idem redit nomen pauperis , & mendici . Ceterum mendicos fuiſſe inter Judæos indubie apparet ex Lazaro ad divitis januam mendicante Luc. 16. , de Cæco ſecus viam Jericho ſedente Luc.18., de Cæco nato Joan. 9. , de Claudo ad ſpecioſam portam templi Act. 3. Perperam igitur venditatur præceptum , ne quis mendicaret . Quod ſi quis contendat ibidem adeſſe præceptum , divites afficiet , ut taliter alienis neceſſitatibus occurrant , ne ad paupertatem concives deveniant , & ob inopiam mendicare cogantur , ideo Scriptura divites urget , ut mutuum dent

dent pauperibus, etiam appropinquante ſeptimo anno, quo fit remiſſio, ſubdens v. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Idcirco Ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra.*

Equidem copioſam divitiarum abundantiam ibidem v. 5. promiſit Deus Judæis, itaut nemo unus fuiſſet mendicus, ſi divinis obtemperaſſent mandatis: *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris univerſa, quæ juſſit, & quæ Ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus eſt.* Quoniam verò legem non obſervaverunt, facti ſunt in direptionem, devicti ab hoſtibus, atque in captivitatem ducti, multa perpeſſi ſunt mala, per quæ mendici plures evaſerunt; utvis tamen mendicitas occaſione peccati evenerit, non inde tamen a Diabolo inducta fuit: non enim omne malum, quod mores non tangit, a culpa derivatum cenſendum eſt a Diabolo invectum, atque lege prohibitum: ſiquidem ob peccatum inducta ſunt jejunia, cilicia, flagellationes, pluraque ſtatuta, quibus ſupplicia adverſus refractarios decernuntur, & tamen non jam vetita, ſed bona communi hominum calculo dicuntur.

Non omne malū a Diabolo.

DICES. Haud ſas eſt ſeſe periculo peccati exponere; ſed electiu inopiæ cum rerum omnium abdicatione exponit periculo peccari, dicente Eccleſ. 27. v. 1. *Propter inopiam multi deliquerunt*; ergo.

Scripturæ textus ad eos alludit, qui naturali laborant inopia, orta ex involuntaria neceſſitate, quam virtutis amore, patienterque non ſuſtinent; unde divitiarum cupiditatem fovent, cui non valentes per licita media ſatisfacere, ad fraudes ſæpe convertuntur; ſubditur namque: *Et qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum*, videlicet a lege, & juſtitia.

Involuntaria paupertas ſæpe vitioſa.

INSTABIS. Quod iniquis imprecatur Scriptura, Servis Dei apte nequit congruere; ſed mendicitatem iniquis Scriptura imprecatur Pſal. 8. *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent*; ergo.

Agitur ibidem de involuntaria paupertate, quæ a Deo in pœnam intenditur; noſtra verò Evangelica eſt, nempe voluntaria, atque cæleſtium amore aſſumpta. Deinde quandoque quod uni tanquam pœna infligitur, laudabiliter ab altero eligitur. Judices non raro tradunt reos flagellis, quibus Sancti merentur, Deoque faciunt ſatis. Demandatur ſceleſtus in exilium, cum ultro ab hominum frequentia plures, ut liberius Deo vacent, elongantur. Spoliantur criminoſi divitiis in punitionem delictorum, qui autem Deo placere ſatagunt, pauperibus ſponte ſua omnia largiuntur: mendicitas itaque a Deo potuit Proditori Judæ, ejuſque familiæ in pœnam infligi, & nihilominus ab his eligi poteſt, qui Deo placere ſtudent.

Paupertas quandoque pœnalis.

271 OBJIC. II. Salomon divinâ illuſtratus ſapientiâ poſtulabat Prov. 30. a mendicitate liberari: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus; aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei.*

RESP. Salomon æque a Deo popoſcit a mendicitate liberari, & a divitiis, & tamen Wicleſus tot Principes non execratur, & Mercatores, qui divitiis affluunt. Igitur loquitur Salomon in perſona eorum, qui tanti non valent, ut mendicitatem adoptent, qui in hominibus veteris Teſtamenti præfigurantur: lex namque illa non poterat voluntariæ paupertatis pondus portare, & lex Pædagogiæ haud valebat divitiarum, & inopiæ tentamenta devincere; ea propter non tantùm in perſona propria, quam eorum, qui tali legi ſubdebantur, petit liberari. In lege gratiæ, utpote perfectionis, vires ſuppetunt ad excellentiora exercenda, inter quæ indubie eſt voluntaria paupertas.

In lege gratiæ voluntaria paupertas.

DICES. Servis Dei apprime convenit, quod melius eſt; ſed retinere divitias, ut acquiratur ſapientia, melius eſt, quam eas abjicere ad vacandum ſapientiæ Eccle. 7. v. 12. *Utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt videntibus Solem. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio, & ſapientia, quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo*: non ergo omnium divitiarum abdicatio a Servis Dei aſſumitur ad vacandum ſapientiæ.

Falsò aſſeritur melior cæleſtis ſapientia cum divitiis, quam cum Evangelica paupertate. Juxta dictamen rationis majus bonum minori comparatum eligibilius eſt, proindeque ſapientia, ſi referatur ad divitias, quæ utique bonis inferioris notæ accenſentur, eligenda eſt. Iiidem nemo unus inficias ibit, quod ſapientia cum perfectione Evangelicæ paupertatis nobilioris ſit æſtimationis, quam ſit ipſa cum divitiis conjuncta. Scriptura ibidem reſpicit politicos uſus, atque commercia, ideoque dicit: *Magis prodeſt videntibus Solem*, ideſt peragentibus ſecularia; propterea recte aſſeritur, quod in ordine ad humanam politiam magis ſit utilis ſapientia cum divitiis, quam ſola ſapientia, aut ſolæ divitiæ.

Paupertas præſtantior divitiis.

INSTABIS. Etiam in ordine ad cæleſtem ſapientiam paupertas mendicans dici nequit melior: etenim Pſal. 36. legitur: *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*; ergo panem emendicantes non modo meliores, ſed neque juſti habentur.

RESP. Juſtus erat David, & tamen panem a Sacerdote poſtulavit, dum a facie fugiebat Saulis: juſtus erat Elias, aſt a perſequente Jezabele declinans, panem a muliere popoſcit; juſtus erat Lazarus, quamvis ab Epulone victum emendicaret: juſtus erat Paulus, qui aliàs fame, ſiti, frigore laboraſſe commemorat. Alius igitur eſt Scripturæ ſenſus. Sunt, qui volunt ibi ſermonem eſſe de pane ſpirituali, Deique auxilio, quod nuſquam deficit juſto. Hujuſcemodi interpretatio vera eſt, ſed inſimul textus intelligi poteſt litteraliter, quatenus juſtus nunquam anxie, & velut derelictus, ſed pacato animo, & confidenter panem quærit. Ceterum ad tempus Deus Servos ſuos deſerere indubie evincitur tum ex Scripturis, tum ex Eccleſiaſticis monumentis. Ipſummet juſtorum caput Chriſtus temporariam hanc derelictionem paſſus eſt; unde Pſalmiſta ejuſdem re-

Juſtus nuſquam derelictus a Deo.

ferens perſonam clamabat: *Domine Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Ad quod attendens S. Hieronymus *in Comment. ad caput* 27. *Matthæi* habet -- Ne mireris verbo„rum humilitatem, & querimonias dereli„cti, cum formam Servi ſciens, ſcandalum „Crucis videas -- Job Deo perquam acceptus graviſſimis fuit percuſſus calamitatibus, ſicut & Apoſtoli, aliique probatæ ſanctitatis viri; flagellat namque Dominus omnem filium, quem recipit, ſed finaliter non deſerit, & mortificatum vivificat.

272 OBJIC. III. Qui ſubtrahit ſubſidium vitæ, agit contra præceptum: *Non occides*: ſed temporalibus bonis abrenuncians ſubtrahit vitæ ſubſidium, ut in aperto eſt; ergo.

Dei Servis nihil deeſſe poteſt.

Perantiqua eſt hujuſmodi cantilena, cui paſſim occurrunt Patres, oſtendentes nihil defuturum Dei Servis, paſcendos a Chriſto, qui Chriſto deſerviunt, nec terrena deſideranda ab his, quibus divina largiuntur: qui ergo omnibus pro Chriſto abrenunciant, nequaquam ſibi vitæ ſubſidium ſubtrahunt, ſed in melius commutant, cum in protectione cœli commorentur; adeoque perperam dicitur ipſos ſe exponere periculo violandi præceptum non occidendi.

DICES. Secundùm ordinatæ charitatis dictamen plus homo ſibi, quam aliis debet; ſed gravi reus foret crimine, qui totum alteri ſubtraheret, unde vivat: ſcriptum eſt enim Eccl. 34. *Panis egentium; vita pauperis, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt*; ergo etiam peccat, qui totum ſibi ſubtrahit, pauperem, & mendicam adoptando Religionem.

Voluntaria paupertas ſecura.

RESP. Quilibet rerum ſuarum Dominus eſt, adeoque pro libito de illis diſponere valet, rerum autem alterius nequaquam Dominus eſt, eaque propter abſque injuria quidquam illi detrahere nequit. Qui pro Chriſto bona ſua pauperibus donat, voluntariam eligit paupertatem, qui autem aliena ſurripit, proximum in coactam adigit paupertatem: coacta porro paupertas periculis undique ſcatet, ſecus voluntaria, quæ ex amore virtutis oritur, atque fovetur.

273 OBJIC. IV. Oportet Dei Servos præ ceteris illuminatos, & juſtos eſſe; ſed mendicatio illuminationem impedit, & juſtitiam, dicente Scriptura Deut. 16. *Non accipies perſonam, nec munera; quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum*; ergo non decet Dei Servos, viroſque Religioſos omnia abdicare, atque ex mendicatione vivere.

Quando timenda paupertas.

RESP. Illuminatio Servorum Dei a rectitudine intentionis ortum habet, juxta illud: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: videndum igitur, qua intentione ſapientes munera, & juſti eleemoſynas, quæ tanquam munera cenſentur, recipiant; ſi ea recipiunt temporalium cupiditate illecti, meritò obcæcatio pertimeſcenda eſt; ſi verò virtutis amore, videlicet tanquam neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, ut abſque temporalium ſollicitudine Deo vacent, omnia ſarta tecta ſunt.

274 OBJIC. V. Status Religioſus eſt eorum, qui vocati ſunt in libertatem ſpiritus: non enim Servi eſſe debent ſeculi, qui Deo famulantur; ſed vivendo ex eleemoſynis, omnibus, quæ poſſidebant, abdicatis, Servi evadunt ſeculi: ſcriptum eſt enim Prov. 22. v. 7. *Qui accipit mutuum, ſervus eſt fœnerantis*; quod fortiùs verificatur de eo, qui oblatum recipit; hic indubie Servus fit dantis; ergo.

Servitus una timoris, amoris altera.

Duplex eſt ſervitus, una timoris, amoris altera. Servitus timoris ad veterem legem, amoris ad novam ſpectat; in hac homo liberatus a captivitate peccati, Servus efficitur juſtitiæ. Servitus timoris ortum habet ex radice cupiditatis, quæ ad terrena inclinat. Porro ſollicitudo, atque terrenorum affectio proprie innuunt ſpiritum veteris legis: unde hi, qui impræſentiarum expetunt temporalia ad prædictam legem pertinere cenſendi ſunt; ab hac autem ſervitute liber eſſe debet vir Dei, cui Paulus ad Rom. 8. v. 15. dicit: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore*. Servitus amoris a charitate dimanat, quæ ad cœleſtia cor elevat. Igitur, qui virtutis amore, atque affectu vacandi divinis omnia abdicat, victurus ex eleemoſynis, hic vere Servus amoris eſt, & ſervitus hujuſmodi, quæ utique amabilis eſt, viris Religioſis convenit, de qua dicebat Apoſtolus 2. ad Corinth. 4. v. 5. *Non nos metipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nos autem ſervos veſtros per Jeſum*. Qui itaque ſeipſos non quærunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, qui deſiderio placendi Deo proximorum ſaluti incumbunt, hi Servi ſunt, ſed honorabili ſervitute, quæ maxime digna eſt Dei Servis, unde abſque ulla nota eleemoſynas poſtulant, atque de iiſdem vivunt.

§. XIII.

ARGUMENTIS ACATHOLICORUM EX NOVO TESTAMENTO FIT SATIS.

275 OBJIC. I. Nefas eſt tentare Deum: Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*; ſed qui temporalia poſſidet, eaque a ſe abdicat pauperem ingrediens Religionem, Deum tentat; tentatur namque Deus, dum ex alieno vivere vult, qui ex propriis commode poterat ſuſtentari, volens quod Deus aliorum corda excitet ad eorum ſubſidium; ergo ſtatus hujuſmodi malus eſt.

Laudandus, qui ſe divinæ credit providentiæ.

RESP. Qui omnibus dimiſſis propter Chriſtum in ipſum ſpem ponit, nequaquam dicendus eſt tentator Dei; hoc autem facit, qui Evangelicam eligit paupertatem. Tentat Deum, qui ſe eidem committit in his, in quibus a Domino adjuvari nequit, niſi medio miraculo, ut ſi quis ſe a turri præcipitem daret, ſperans divinum adjutorium; excuſaretur tamen ſi id ſpeciali Spiritus Sancti impulſu perageret. Ceterum nequaquam Deum tentare dicitur, qui Divinæ ſe credit Providentiæ quoad ea, in quibus a Domino, mediis cauſarum ſecundarum operatione, ſubveniri poteſt. Hocce pro re nata habemus; etenim ſub ſpe divinarum promiſſionum,

num, quæ media fidelium pietate adimplentur, divitiis abrenunciant, qui ſe Deo in ſtatu paupertatis conſecrant.

DICES. Quod Chriſtus redarguit, criminoſum eſt; ſed Chriſtus redarguit, qui eleemoſynas petunt, atque recipiunt prætextu pietatis, puta orationis, & ſimilium: Matth. 23. v. 14. *Væ autem vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes*; ergo.

Non quoſcunque redarguit Chriſtus, ſed hypocritas, ut contextus explicat: hi ſunt, qui per ſpiritualia opera temporale lucrum ſolummodo intendunt: hujuſmodi erant Phariſæi, qui per orationes, aliaſque ceremonias de populorum ſubſtantia diteſcere quærebant. Utique ſi qui ſunt inter nos, qui hoc ducuntur ſpiritu, pejores ſunt Phariſæis, utpote filii legis gratiæ. Propterea non erit abs re adnotare, quæ habet Cajetanus *in Comment. D. Thomæ* 2. 2. *q.* 187. *art.*5. *in fine* -- Habes hinc Mendicantes in aliorum „ perſona fraudolenter, & ſimiliter quæſto„ res fingentes mirabilia, & promittentes „ tot, & tanta non ſervanda, non ſolùm „ peccant mortaliter pernicioſo mendacio, „ uſurpando quæ ſibi in aliena perſona, ſeu „ officio dantur; ſed tenentur efficere, ut „ ad intentionem piam donantium, quæ „ accepta ſunt, perducantur -- Quare ſi contingeret, quod Religioſi unius Ordinis accederent ad viros Ordinis alterius benevolos, atque vel ob veſtium ſimilitudinem, vel ob inſcitiam eorum apud quos mendicant, fingunt ſe alios, ac revera ſunt, ut eleemoſynas emungant, nihil aliàs habituri, hi peſſime agunt, atque obnoxii ſunt reſtitutioni; involuntarie ſiquidem illis impertitur eleemoſyna, & doloſe fraudantur benevoli alterius Ordinis, qui detrimentum patitur. Verùm graviori adhuc rei ſunt crimine, qui, ut ſibi abundantius acquirant, aliiſque ſubtrahant, aliorum Ordinum ſanctitatem, & perfectionem deprimunt, aut falsò affirmant hunc v. g. Ordinem eleemoſynis non indigere, habere divitias, & hujuſmodi. Hi plane damnabiles ſunt, atque tenentur ad bonum Religionis nomen reparandum; quod quidem apud laicos viros ſemel deperditum, nuſquam ſufficienter inſtauratur, ut experientia abunde comprobat: etenim quoties efformatum eſt judicium, quod Religio aliqua remiſſe agat in ſuarum legum obſervantia, quod altera divitiis affluat, quibuſcunque allegatis in contrarium momentis, nuſquam illud commutatur, quinimmo velut hereditario jure ad poſteros deſcendens augetur; tenentur etiam ob pernicioſum mendacium ad reſtitutionem receptorum bonorum, quæ aliàs illi Ordini deveniſſent.

Fraudes in Mendicantibus damnabiles.

276 OBJIC. II. Qui in temporalium abdicatione prudentiæ leges prætergreditur, licite non agere indubium eſt; ſed qui, abdicatis omnibus, nihil ſibi reſervans, mendicationis ſtatum aſſumit, leges prudentiæ prætergreditur; dicitur namque Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti*, unam videlicet ſibi retineat, tribuat alteram proximo: igitur nec omnia abdicanda, nec omnia ſunt reſervanda.

RESP. Temporalia quædam ad præſentaneos uſus neceſſaria ſunt, quædam in futurum reſervari poſſunt; illa non poſſumus ex toto abdicare, puta veſtes, cibum &c. eſt enim e re honeſta, ut homo indutus incedat, & neceſſitas exigit, ut vita aliquâ ſuſtentetur alimoniâ, ea propter quæ nobis impræſentiarum neceſſaria ſunt, non omnia, ſed cum diſcretione ſunt diſpenſanda: quæ verò in futurum reſervantur, poſſumus virtutis amore donare, ut ſub ſpe Divinæ Providentiæ ex eleemoſynis vivamus.

Quandoque non omnia abdicare poſſumus.

DICES. Non ea abdicare poſſumus, quæ a Domino petere debemus; ſed temporalia a Deo debemus petere, cum Chriſtus Luc. 11. nos docuerit quotidie alimenta quærere: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; ergo.

RESP. Alia eſt abrenunciatio, quâ quis temporalibus uti non vult, alia quâ quis nihil vult poſſidere, aut habere; prima mala eſt, cum teneamur vitam ſuſtentare; altera, ſi virtutis amore habeatur, eſt laudabilis. Porro Chriſtus panem quotidianum poſtulare docet, quantum ad victum ſat eſt, non autem præcipit; quod petamus poſſeſſiones, atque terrenorum dominium, cum hocce non omnibus ſit neceſſarium, ideo panem quotidianum dixit, ut inde compertum haberemus abigendam eſſe rerum ſollicitudinem in futurum, atque temporalium deſiderium.

Sollicitudo temporalium ablegande.

INSTABIS. Non eſt commendanda, nec licita abdicatio, ob quam ex alienis quis abſque labore vivat: validis namque haud tribuendæ ſunt eleemoſynæ, dicente Luca cap. 14. v. 13. *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi*. Cæcis itaque, debilibus, claudis ſubveniendum eſt, ſecus bene valentibus, ut ſunt Religioſi.

Triumphum canit Wicleſus contendens eo loci haberi præceptum de elargienda eleemoſyna tribus tantummodo pauperum generibus; verùm quam longe a veritate aberrat. Chriſtus plura hominum millia pavit, nec tamen omnes claudi, cæci, aut debiles erant; indigebant quidem tunc temporis omnes, hocque ſat fuit, ut illis ſubſidia largiretur Dominus. Paulus, & Barnabas collectas faciebant pro Sanctis, qui erant Jeroſolymis, nec tamen cenſendum eſt omnes fuiſſe claudos, cæcos, aut debiles. Ceterum maligne textum ad tria hominum genera coarctat Wicleſus, cum ibi quatuor deſcribantur, & primò pauperes generatim advocandos mandat. Vult ergo pauperes ad convivium admittendos, licet cæci, claudi, debileſve non ſint. Chriſtus itaque innuere vult motivo quidem virtutis faciendam eſſe eleemoſynam, non jam acquieſcendo carni, & ſanguini; unde vult eos eſſe vocandos, qui retribuere non valent, ne mercedem hic reportemus, quod ſane contingeret, ſi divitibus, amicis, conſanguineiſque epulæ diſtribuerentur.

Motivo virtutis facienda eleemoſyna.

REPLICABIS. Joann. 4. legitur Apoſtolos panes emiſſe, & cap. 12. dicitur Chriſtum loculos habuiſſe; ergo compertum eſt

haud

haud licere omnia abdicare, ut hinc ex mendicatione vivatur.

RESP. In primis quæ Chriſtus, ſeu Apoſtolicum Collegium habebat, non erant poſſeſſiones, aut bona immobilia, ſed modica quædam pecunia; deinde non erant bona, vel reſervata in abdicatione primò facta, dum Chriſti ſequelam adoptarunt Apoſtoli, aut manuum labore conquiſita, ſed erant eleemoſynæ a piis mulieribus oblatæ non tantum ad propriam ſuſtentationem, ſed potiſſimum pro pauperibus ſublevandis, & ob hoc Chriſtus loculos habuiſſe legitur; Ipſi namque de pauperibus cura erat. Addas velim Chriſtum referre perſonam non tantùm perfectorum, verum & infirmorum ad informandam Eccleſiam pro omni ſtatu; ſicut Chriſtus quandoque cum Publicanis comedebat, vinumque bibebat, ut infirmis indulgeret, quin inde fas ſit inferre non licere his, qui ad perfectiora contendunt, ſive Eremiticum vivendi genus, ſive abſtinentiam a vino; ita proportionaliter de Evangelica paupertate dicendum eſt.

Chriſtus loculos habebat ad pauperes ſublevandos.

277 OBJIC. III. Regulares vitam referunt Chriſtianorum primitivæ Eccleſiæ; ſed in his non erat egeſtas impellens ad mendicandum; ſcriptum namque eſt Act. 4. *Nec enim quiſquam egenus erat inter illos*: ergo ſuperſtitionem ſapit ea bonorum abdicatio, quæ mendicandi inducit neceſſitatem, & 12. *q. 1. cap. Videntes* dicitur ex conſtitutione Sacerdotum omnia ad hunc finem fuiſſe communia, ut nullus egens foret.

RESP. Perperam dicitur ab Hæreticis Chriſtianos primo rei Chriſtianæ ævo non fuiſſe egeſtate conſtrictos; dicebat namque Paulus 1. ad Corinth. 4. v. 15. *Uſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus*; & 2. ad eoſdem 6. v. 4. *In multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus*. Planum eſt ex Scriptura quomodo idem Apoſtolus totus erat pro collectis faciendis in pauperum ſubſidium. Itaque litteræ ſenſus is eſt, quod bona omnia erant communia, ſingulisque diſtribuebantur, quantum facultas præſtabat; ea propter ſuam quilibet portionem habebat, ideoque nullus erat egenus. Ad hanc regulam loquitur laudatus Canon; præcipit namque Miniſtris, ut bona ſingulis fideliter diſtribuant, ita ut nullus ſine portione ſit, qua poſita diſtributione nemo egenus erat invenire. Hinc habemus Eccleſiæ licitum eſſe ad infirmorum levamen, qui auſteriorem vitam ſuſtinere haud valent, communia habere bona. Nec ea quo præcipiatur Eccleſiam ad hunc finem habere bona, ſequitur, quod hi, qui perfectiora ſectari volunt, non poſſint pro Chriſto omnia relinquere, & ex mendicatione vivere; alia ſiquidem eſt ratio perfectorum, ac imperfectorum.

Quidam ex primis Chriſtianis pauperes.

DICES. Religioſi, cum ſint in ſtatu perfectionis, majoris perfectionis opera debent exercere; ſed vivere ex mendicatione non eſt perfectionis: Act. 20. *Beatius eſt magis dare, quàm accipere*: ergo perfectius eſt Religioſos manibus laborare, ut ex lucro ſuſtententur, habeantque inſimul, unde pauperibus ſubveniant.

Argumentum hocce magni faciunt Adverſarii, cum tamen nullius ſit momenti, niſi velimus dicere B. Petrum, cum relictis retibus ſecutus eſt Chriſtum, imperfectiorem ſtatum elegiſſe, præ illo quo ex piſcatione vivebat. Indubium eſt, quod ſi dare, & accipere ſolitarie perpendantur, perfectius fore primum ſecundo; illud enim oritur ex fœcunditate virtutis activæ, hoc autem ſupponit carentiam bonitatis, & virtutis in ſubjecto, immo & indigentiam, attamen contingere poteſt, ut tales occurrant circumſtantiæ, ut melior ſit conditio, & ſtatus recipientis, quam dantis, ut in caſu videre eſt; ſiquidem recipiens eleemoſynas ex abundantia virtutis conſtitutus eſt in ſtatu mendicandi; abdicavit namque omnia pro Chriſto, & voluntarius pauper effectus eſt. Deinde ſi beatius eſt dare ſimpliciter, multò beatius erit meliora dare; atqui mendicantes Regulares dant meliora, cum ſpiritualia largiantur: eorum igitur ſtatus erit perfectior. Ultro quidem fatemur adhuc melius facere; qui labore manuum victum ſibi quærunt, atque pauperibus provident, ſi nobilioribus non occupentur exercitiis; ſed hoc de Religioſis nequit verificari.

Circumſtantiæ perfectionem rerum immutant.

278 OBJIC. IV. Apoſtolus ad Rom. 12. innuit, quod ſacrificium oblatum Deo eſſe debet ſecundùm dictamen rationis: *Rationabile obſequium veſtrum*; ſed ſacrificium, quo quis omnia ſua relinquit, non eſt ſecundum dictamen rationis; nimis quippe eſt, adeoque irrationabile omnia diſtribuere, nihil ſibi retinendo.

RESP. Irrationabile eſt obſequium, cum medium rationis excedit, nec proportionatus adeſt finis. In noſtro autem caſu acquiſitio Regni Cœlorum, atque ſpiritualis perfectionis conſecutio eſt finis ab eo intentus, qui omnia ſua Deo offert, voluntariam aſſumendo paupertatem. Quis autem dicere audebit eum, qui tale medium eligit irrationabiliter operari?

Finis mediis correſpondet.

DICES. Donatio pro Chriſto non cenſetur laudabilis, niſi fiat juxta præſcriptam ab Apoſtolo formam; is autem docet taliter largiendam eſſe eleemoſynam, ut tamen aliquid retineatur, habens voluntatem majora dandi: 2. ad Corinth. 8. v. 12. *Si enim voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet, accepta eſt*.

Hoc quidem docet Apoſtolus, verùm non inſtruit ibidem volentes ſemitam ſtrictæ paupertatis percurrere, ſed infirmos, debiles, ut explicat Gloſſa, ne forte in egeſtate vexati cadant in tentationes.

INSTABIS. Gloſſa in cap. 5. Epiſt. 1. ad Theſſal. ad illa verba: *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis &c.* docet, quod ſicut divitiæ pariunt negligentiam ſalutis, ita egeſtas declinat a juſtitia; ſed qui omnia reliquit, egeſtatis periculo ſe exponit: ergo etiam periculo declinandi a juſtitia, adeoque non agit laudabiliter.

Gloſſa agit de egeſtate coacta, conjuncta cum deſiderio diteſcendi, & ideo ſatiari cupit; egeſtas hujuſmodi periculis obnoxia eſt; nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, ſecus eſt de Evangelica paupertate, quæ voluntaria

Voluntaria paupertas abſque periculo.

ria aſſumitur ; hæc enim cum paucis contenta ſit , ut docet Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. a periculo immunis eſt .

279 OBJIC. V. Apoſtolus ideo a Corinthiis victum non recipiebat , ut Pſeudoapoſtolis occaſionem auferret prædicandi 2. ad Corinth. 11. Hi namque , ſpe ſuſtentationis illecti , evangelizandi munus aſſumebant , & etiam ne foret in ſcandalum Gentibus ; 1. ad Eoſdem 9. Atqui etiam hac tempeſtate plures ſunt Pſeudoapoſtoli , falſi nempe Religioſi , pluresque ſcandalum patiuntur , dum vident Religioſos abſque labore vivere : ergo his nullimode elargienda eſt eleemoſyna . Hoc utitur argumento S. Auguſtinus *lib. de Opere Monach.* ut ipſos ad laborandum excitet , atque infirmis offendiculum auferat .

Argumentu reſpondet S. Thomas *Opuſc.* 19. *cap.* 7. -- Dicendum quod majus damnum ſequebatur ex prædicatione Pſeudoapoſtolorum , quibus prædicandi occaſionem Apoſtolus auferebat de ſumptibus fidelium non vivendo , cum contraria fidei prædicarent , quam de hoc , quod Apoſtolus ſe labori manuum implicabat , de proprio labore vivens . Nunc autem e converſo , quia major profectus eſt Eccleſiæ fidelibus de hoc , quod aliqui exemplum humilitatis præbent in paupertate , & mendicitate vivendo voluntarie propter Chriſtum , & dimiſſo labore manuum , occupando ſe in his , quæ pertinent ad ſalutem animarum , quam ſequatur damnum de hoc , quod aliqui turpiter de eleemoſynis vivere volunt , & ideo non debent deſiſtere pauperes Chriſti ab hoc quod de eleemoſynis vivant , ut aliis occaſionem auferant -- Quoad aliud . Tempore prædicationis Pauli vivere ex prædicatione ſcandalum erat Gentibus , quia apud ipſos mos non erat Doctoribus alimenta ſubminiſtrare , ut Judæis ſolemne erat ; nunc autem deſtructo Idolorum cultu dicta ratio non urget . Sunt quidem nonnulli , qui impræſentiarum ſcandalizantur , dum vident Religioſos manibus non laborare , ſed ſcandalum hujuſmodi Phariſæorum eſt . Quod ſi quis Religioſus otietur , corripiendus eſt ; hunc , alioſque hujuſmodi meritò redarguit Auguſtinus , non tamen omnes ; cum ibidem aſſerat illos , qui occaſionibus Eccleſiaſticis implicantur , non debere manibus laborare .

Otioſi redarguendi.

DICES . Apoſtolus 1. ad Theſſal. 2. v. 5. de ſeipſo habet : *Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis , ſicut ſcitis ; neque in occaſione avaritiæ* ; & in eadem Epiſt. cap. 5. v. 22. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos* ; ſed Religioſi , qui mendicant , adulantur eos , a quibus paſcuntur , eaque peragunt , quæ ſunt occaſio avaritiæ , atque ſpeciem mali præſeferentia ; dum pro corporalibus ſpiritualia miniſtrant , unde ſicut Giezi ſimoniæ crimen incurrunt ; ergo Religioſis nefas eſt ex mendicatione ſibi victum procurare .

RESP. Prædicta non urgent adverſus Evangelicam paupertatem : etenim pauper ſpiritu non erubeſcit Evangelium , immo ſecurius , & ſine adulatione Chriſtum prædicat ; & quamvis malis diſpliceat , bonis tamen placet , a quibus ſufficienter ſuſtentari poterit : equidem contingit quandoque ab omnibus rejici , attamen verus Chriſti pauper æquo animo haſce ſuffert viciſſitudines , cum majora paſſum fuiſſe Magiſtrum ſuum noverit . Nec qui eleemoſynas petunt , quid agunt , quod ſit occaſio avaritiæ . Avaritia namque , quæ eſt immoderatus amor habendi , tunc occurrit , quando ſovetur deſiderium ditescendi , & ex cupiditate aſſumitur prædicatio ; ubi verò ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria quæruntur , nulla adeſt occaſio avaritiæ . Nec Simoniæ labes , aut mali ſpecies miſcetur , ubi temporalia pro ſpiritualibus recipiuntur , quoties in prædicatione Evangelii , aut Sacramentorum adminiſtratione non intenditur id , quod recipitur . Non debent itaque Prædicatores temporalia , ſed æterna intendere , atque victum , aliaque recipere tanquam acceſſoria ; juxta illud Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei , & juſtitiam ejus , & hæc omnia adjicientur vobis .*

Pauper non erubeſcit Evangelium.

INSTABIS . Viri Apoſtolici non debent eſſe proximis graves , 2. ad Corinth. 12. *Non ero gravis vobis . Non enim quæro , quæ veſtra ſunt , ſed vos .* Sed Religioſi mendicando ſunt proximis graves , cum eorum bona requirant ; ergo .

RESP. Immeritò dicuntur proximis graves , dum debito modo mendicant Religioſi ; modicum enim petunt , & non jam cogendo , ſed ſolius charitatis titulo danda expoſtulant , hinc acceptum , ſpiritualium retributione abundantius compenſant ; unde fideles , quæ dare volunt , poſſunt abſque tædio donare , & quidem animo hilari , ſpe copioſæ mercedis . Apoſtolus ab eleemoſynis abſtinebat , quia ſupererogationis actus exercere volebat : abſtinebat , ut audaciam retunderet Pſeudoapoſtolorum , qui injuſte prorſus victum exquirebant , adverſus Chriſti doctrinam prædicantes , atque ad judaiſmum provocantes .

Regulares mendicando non ſunt proximo graves.

280 OBJIC. VI. Juſtis quidem , non verò peccatoribus eleemoſyna impertienda eſt juxta illud Eccli. 12. v. 4. *Da miſericordi , & ne ſuſcipias peccatorem* ; ſed Religioſi bene valentes a manuum labore quieſcentes peccatoribus meritò accenſendi ſunt ; ergo his eleemoſyna deneganda eſt .

RESP. In eleemoſynis erogandis non ſunt ſcrutanda hominum crimina , ſed poſtulantis paupertas ſpectanda eſt . Hoc clare innuunt Patres , quos inter eſt Chryſoſtomus relatus *Diſt.* 42. *cap. Quieſcamus* . Loquitur de Abraham , qui ſe hoſpitalem omnibus præbebat , & meritò ſane -- Non enim, *inquit*, „ es vita eorum , quos accipis , mercedem „ tibi retributurus eſt Deus , ſed ex voluntate tua , ex liberalitate , ex honorificentia „ multa , ex miſericordia , & bonitate -- Auguſtinus *contra quinque hæreſes hær.* 2. profert exemplum Lot , qui abſque diſcuſſione Angelos recepit , addens -- Diſcite , Chriſtiani , ſine diſcretione hoſpites ſuſcipere , „ ne forte cui domum clauſeritis , cui humanitatem negaveritis , ipſe ſit Chriſtus -- *& Epiſt.* 149. *ad Profuturum* -- In recipiendis hoſpitibus ignotis ſolemus dicere ,

„ multò

„ multò eſſe melius malum hominem perpe-
„ ti, quam forſitan per ignorantiam excludi
„ bonum, dum cavemus, ne recipiatur ma-
„ lus -- Temeritatis igitur notam haud reſugere poteſt, qui perſonarum vitam velit diſcernere, quæ utique major eſt, quo perſonæ ſtrictioris ſunt ſanctitatis, & inſtituti.

Laudatum Scripturæ textum apte dilucidat S. Auguſtinus *Pſal.* 102. ad illa verba: *Faciens miſericordiam Dominus, & judicium.* Peccator ſuſcipiendus non eſt, ideſt, ejus peccatum; iniquo non eſt facienda miſericordia tanquam iniquo, ideſt, quaſi intentione, & amore iniquitatis illius. Danda eſt eleemoſyna operi Dei; non operi hominis; in peccatore autem eſt opus Dei, & opus hominis. Videatur S. Doctor, qui egregie loquitur, atque Scripturas conciliat. Ceterum doctrina, quæ docet peccatoribus elargiendam non eſſe eleemoſynam, e Manichæorum fontibus dimanat, adeoque prorſus execranda eſt.

281 OBJIC. VII. Eleemoſyna juxta charitatis regulas exercenda eſt; ſed hæc præſcribit propinquis, qui certe plerunque Regulares non ſunt, fore providendum; ergo.

Wiclefus hocce verſat momentum, ut fideles avertat ab eleemoſyna Regularibus impertienda. Docet igitur largiendas eſſe eleemoſynas proximis, & vicinis pauperibus; aſt vicinorum nomine mendicos, ſeu egenos laicos, qui oſtiatim ſtipem flagitant, intelligit. A Vigilantio errorem adoptavit Wiclefus, qui hoc prætextu Paleſtinis Monachis denegandas eſſe affirmabat eleemoſynas. Ut igitur funditus hujuſmodi argumentum evertatur, abunde ſufficiet Pauli exemplum, qui ab his, qui Macedoniam, & Achajam incolebant, ſtipem efflagitabat pro Chriſtianis Jeroſolymis degentibus, qui nullimode Regionibus illis proximi, aut vicini erant. Verùm ad clariorem rei dilucidationem audiamus S. Gregorium *lib.* 21. *Mor. cap.* 14. --

Pauperibus quibuſcunque ſubveniendū eſt.

„ Sunt nonnulli, qui pietatis ſuæ viſcera
„ tendere uſque ad incognitos neſciunt, ſed
„ ſolis, quos per aſſiduitatem notitiæ didi-
„ cerint, miſerentur, apud quos nimirum
„ familiaritas pluſquam natura valet, dum
„ quibuſdam neceſſaria, non quia homines
„ ſunt, ſed quia noti, largiuntur. Unde
„ nunc per Beatum Job dicitur: ſi deſpexi
„ prætereuntem, eo quod non habuerit in-
„ dumentum. Ignoto enim proximo miſer-
„ tum ſe indicat, quem prætereuntem vo-
„ cat, quia utique ad piam mentem plus
„ natura valet, quam notitia. Nam ut
„ unuſquiſque qui indiget, eo ipſo quo ho-
„ mo eſt, ei jam incognitus non eſt -- Immo laudabiliùs eſſe ſcribit Chryſoſtomus *hom.* 40. *ſuper Epiſt. ad Heb.* ignotis eleemoſynam tribuere, quod comprobat -- Qui quidem
„ amico benefacit, omnino non propter
„ Deum facit, qui vero ignoto, hoc pro-
„ pter Deum operatur pure; ne pareat ergo
„ pecuniis, & ſi omnia oportet evacuare,
„ da -- Omnibus itaque pauperibus ſubveniendum eſt, quando autem omnibus non ſufficiunt bona, ſervandus eſt utique charitatis ordo, ea propter, ceteris paribus, potius parentibus, quam extraneis dandum eſt.

Alia objiciunt Amoræi, & Wiclefiſtæ adverſus Religioſorum mendicationem, quæ facili negotio ex prædictis enervantur; referuntur enim ad gyrovagos, atque adverſus effictos pauperes, adverſus pericula, quæ quandoque ex mendicitate oriuntur; ſed horum doctrina nec catholicam veritatem, nec nos ferit. Utique reprobandi ſunt validi mendicantes, melioribus exercitiis non occupati; quia juſto carent titulo ſibi victum ex eleemoſynis procurandi; reprobandi itidem otioſi, ſimulati, gyrovagi, qui ſanctitatis prætextu diteſcere ſtudent. Paupertas involuntaria habet pericula, niſi patienter ſuſtineatur -- Dicamus ergo, *verba ſunt S. Bo-*
„ *naventuræ in Apologia Pauperum*, pro cauſa
„ Pauperum defendenda, quod hujuſmodi
„ Evangelici viri, qui propriis facultatibus
„ renunciaverunt, & ſaluti animarum inten-
„ dunt, non ſunt viri ſanguinum, ſed mi-
„ ſericordiæ, quorum juſtitiæ oblivionem
„ non acceperunt, quoniam ex abundante
„ miſericordia temporalia bona largiti ſunt
„ ad ſuſtentanda corpora Pauperum, & ſpi-
„ ritualia bona continue largiuntur ad ſu-
„ ſtentationem animarum, & ideo digni
„ ſunt, ut ab Eccleſia ſuſtententur, quia
„ non gravant, ſed alleviant multò amplius
„ quam illi, qui Eccleſiaſticorum redditaum
„ ubertate pingueſcunt, quos cum & pluri-
„ mi eorum habere potuiſſent, multò magis
„ pro Chriſto illis carere voluerunt. Hi er-
„ go cum eleemoſynas petunt; & accipiunt
„ nullum Pauperum defraudant, quia potius
„ cauſas Pauperum agunt, cum ſuis ſacris
„ exemplis, & monitis impios homines ad
„ opera pietatis inducunt -- Hinc proſequitur oſtendendo corporalem ſuſtentationem Mendicantibus Religioſis deberi lege miſericordiæ tanquam pauperibus, & eo magis, quo pauperes voluntarii ſunt, Chriſtoque devoti. Non inficias imus quoſdam ex mendicatione a perfectionis ſtatu, quem profeſſi fuerunt, deficere, ſed paucorum vitium perperam omnibus affingitur. Audiatur S. Hieronymus adverſus Vigilantium -- Error au-
„ tem, & culpa Juvenum, viliſſimarumque
„ mulierum, qui per noctem ſæpe depre-
„ henditur, non eſt Religioſis hominibus
„ imputandus; quia & in vigiliis Paſchæ
„ tale quid fieri plerunque convincitur, &
„ tamen paucorum culpa non præjudicat
„ Religioni, quia & abſque vigiliis poſſunt
„ errare, vel in ſuis, vel in alienis domi-
„ bus, Apoſtolorum fidem Judæ proditio
„ non deſtruxit, & noſtras ergo vigilias
„ malæ aliorum vigiliæ non deſtruent -- Egregiam hanc tanti Doctoris ſententiam apte pro re nata accommodari poſſe ad unum omnes facile vident.

§. XIV.

§. XIV.

ARGUMENTA BEGUARDORUM ADVERSUS PAUPERTATEM REGULARIUM POSSIDENTIUM IN COMMUNI REFELLUNTUR.

282 INter articulos Wiclefi per Conſtantienſe Concilium *Seſſ.* 22. damnatos legitur 44. adverſus Regulares Ordines bona in communi poſſidentes -- Auguſtinus, Be„ nedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi „ pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſ„ ſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt „ Religiones -- In Directorio Inquiſitorum 2. *p. q.* 15. habetur Beguardos, ſeu ut alii legunt Begardos, docuiſſe *hæreſi* 3. -- Ha„ bere aliquid in communi diminuit de per„ fectione Evangelica -- *& hær.* 4. -- Apo„ ſtoli ſine diminutione perfectionis eorum, „ & ſine peccato, non potuerunt habere „ aliquid nec in propriu, nec in communi-- Horum errores a Clemente V. in Viennenſi Concilio Œcumenico damnati fuere, & Viterbii ſub temporibus Urbani V. fuerunt, ut pertinaces hæretici, damnati, atque igne cumbuſti. Hujuſmodi hæreſis nihil momentoſum profert, nihilotamenminus ad complementum eorum, quæ de paupertate dicta ſunt, innuam, quæ afferri ſueverunt, atque a S. Thoma 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. relata ſunt, omiſſo argumento Chriſti, & Apoſtolorum, de quo abunde ſuperius.

283 OBJIC. I. Ad perfectionem ſpectat carere omnino divitiis, dicente Chriſto Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; ſed qui bona habent in communi divitiis non carent; ergo non ſunt in ſtatu perfectionis.

Divitiæ ſæpe perfectionis impedimentū.

RESP. Paupertas non eſt ipſa perfectio, ſed medium, & inſtrumentum perfectionis, quatenus ejuſdem impedimenta removet. Ex divitiarum poſſeſſione tria potiſſimum habentur, quæ perfectioni adverſantur, ſollicitudo nempe, amor, & ſuperbia; primum deſcribitur Matth. 13. *Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum Dei audit, & ſollicitudo ſeculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum.* Impedimentum aliud eſt amor, quo nonniſi difficiliter contemnuntur divitiæ; ut declaratur Matth. 19., ubi divitibus difficilis cœlorum ingreſſus oſtenditur. Tertium demum eſt ſuperbia, qua inflatur animus, nimiumque elevatur, dicente Pſalmiſta Pſal. 48. *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur.* Duo hæc poſteriora abundantem divitiarum poſſeſſionem conſequuntur, ſecus ſi illæ ad ſufficientem vitæ ſuſtentationem tantùm deſerviant; primum verò omnimode ſeparari nequit a divitiis, ſive in magna, ſive in parva habeantur copia. Non enim conſervari queunt ſine aliqua ſollicitudine. Ceterum ſi opes in particulari poſſideantur, pravos fovent quandoque animi motus, proindeque earum ſollicitudo adverſatur perfectioni, ſi verò in communi habeantur, ad augmentum charitatis ſpectant, qui quærit, non jam quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti; ea propter earundem ſollicitudo non obeſt perfectioni; ad eas namque conſervandas, adminiſtrandaſque non omnium, ſed paucorum ſtudium exquirunt, aliis divinis obſequiis plane vacantibus. Nec miniſtris obeſt ſollicitudo circa temporalia; nam meritum illis augetur ex obedientia, & ex charitatis officiis erga alios. Porro inſtrumenti bonitas attenditur penes utilitatem, & proportionem ad finem, ſicut bonitas medicinæ penes proportionem ad morbum. Hinc non ideo perfectius eſt inſtitutum, quia exactiorem profitetur paupertatem, ſed quia eam adoptavit, quæ maxime proprio fini conducit. Unde Militaris Ordo, qui inſtitutus eſt ad pugnandum adverſus fidei hoſtes, magnam divitiarum copiam neceſſariò expoſcit; Ordo vitæ mixtæ, qui nempe ad contemplationem ordinatus eſt, ſed inſimul ad contemplata aliis tradere, moderatas exigit divitias in communi; ſiquidem quo magis Religioſi tenentur eſſe ſolliciti de ſpiritualibus, atque in illis occupari, eo minorem habere debent ſollicitudinem circa temporalia: eſt autem minoris ſollicitudinis occaſio moderate aliqua reſervare, quam obligari in dies ad inquirenda vitæ neceſſaria, ut habet S. Thomas laudato loco *in Corpore* -- Illis autem, „ qui ordinantur ad contemplata aliis tra„ denda, competit vitam habere maxime „ ab exterioribus ſollicitudinibus expeditam. „ Quod quidem fit, dum modica, quæ ſunt „ neceſſaria vitæ, congruo tempore procu„ rata conſervantur -- Demum Ordo ſolius contemplationis majoris paupertatis capax eſt, cum ex Philoſophorum effato ſpeculanti modica ſufficiant.

284 OBJIC. II. Ea ratione, qua ad perfectionis ſtatum requiritur continentia, quæ undequaque perfecta ſit, requiritur etiam perfecta paupertas, rerumque omnium abdicatio; ſicut enim de illa legitur 1. ad Corinth. 7. *Volo vos ſine ſollicitudine eſſe*, ita de hac Matth. 6. habetur: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*; ergo nihil reſervandum eſt in futurum, nihilque poſſidendum.

Inordinata ſollicitudo damnabilis.

RESP. Alia eſt ratio continentiæ, alia paupertatis: etenim nemo unus eſt, qui non videat uxoratum pluribus diſtrahi, quod ſane quoad bona, ſi moderata ſint, non verificatur; ea propter eo loci Chriſtus inordinatam prohibet ſollicitudinem tum circa ſuperflua, tum circa futura utpote incerta, quæ Deo ſunt committenda.

285 OBJIC. III. Chriſtus a viris perfectionem ſectantibus nihil eſſe poſſidendum præcipit Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via*; ergo poſſidere etiam in communi temporalia adverſatur perfectioni.

Paupertas non eſt abſolute ad perfectionem neceſſaria.

Præcitata verba non jam præceptum, ſed permiſſionem important: docet ibi Chriſtus bonam eſſe Evangelicam paupertatem, quæ nihil prorſus ſibi reſervat, ſed hanc ad perfectionis ſtatum non fore neceſſariam. Dicere itidem poſſumus Chriſtum ſermonem inſtituere ad Evangelizantes verbum Dei, qui jus habent vivendi ex Evangelio.

286 OBJIC. IV. Ideo fas eſt profitentibus perfectionis ſtatum bona habere reſervata, quia ſcriptum eſt Joann. 10. Chriſtum loculos habuiſſe; ſed hoc nihil evincit pro re nata; ſiquidem tunc perſonam infirmorum referebat, nec bona retinebat, niſi ut pauperibus ſubſidia miniſtraret; ergo.

RESP. Chriſtus non tantum infirmorum perſonam gerebat, ſed etiam, ut Eccleſiam ſuam informaret, loculos habere voluit. Congruum namque erat, ut intelligeremus rerum quarundam poſſeſſionem, ut miniſtri alantur, perfectioni nequaquam adverſari. Quomodo autem Chriſtus, qui nullimodæ imperfectionis capax fuit, infirmorum perſonam referret, palam fit ſi id intelligatur de imperfectione negativa ex parte operis, quatenus aliquando opus aliquod aſſumebat, quod tantæ non erat perfectionis relate ad excellentiora; jejunium, puta, relate ad prædicationem dici poterat opus imperfectum; ceterum ex parte operantis omnia Chriſti opera perfectiſſima erant ſive quia erant ex motivo perfectiſſimæ charitatis, ſive quia ea exercebat prout magis ad præintentum finem conducebant; & ſecundùm hanc conſiderationem poſſidere bona in communi conducit ad perfectionem, prout deſerviunt ad prælectum finem a Regularibus Ordinibus.

Miniſtri Altaris congrue aluntur.

287 OBJIC. V. A perfectione elongatur, qui bona in particulari poſſidet; ſed hoc ipſo quod bona habeantur in communi, particularibus conveniunt; utilitas namque ad particulares deſcendit; ergo bona nullimode congruunt perfectioni.

RESP. Quamvis ad particulares deſcendit utilitas, attamen bona in communi haud officiunt ſtatui perfectionis, immo mire eidem deſervire poſſunt; privati ſiquidem, cum nullam habeant quoad temporalia ſollicitudinem, abſque ullo prorſus impedimento divinis vacare poſſunt; cum verò bona peculiariter poſſidentur; aliter res ſe habet; neceſſariò namque ſecularibus ſeſe implicare debent negotiis, quæ dubio-procul avocant a rerum cœleſtium ſtudio. Non inficias imus etiam bona in communi a perfectionis ſcopo non rarò avertere, id tamen evenire poſſe fatemur, ſi divitiæ maxime ſuperfluant, ita ut talis fiat redundantia, ut particulares laſciviant, ſuperbiant, molleſque evadant: equus enim impinguatus recalcitrat.

Bona in communi poſſeſſa quando noxia

288 OBJIC. VI. Ex poſſeſſione divitiarum etiam in communi rixæ, & diſſenſiones oriuntur: quando enim plures habent ejuſdem rei dominium, jurgia inſurgere compertum eſt; unde ad hæc evitanda diviſio bonorum inſtituta fuit: atqui rixæ, & diſſenſiones perfectioni indubie adverſantur; ergo.

RESP. Quando plures habent in particulari ejuſdem rei dominium, atque adminiſtrationem, utique jurgia facile poſſunt exoriri, ſi verò adminiſtratio penes aliquos ſit, nulla ſubeſt occaſio diſſidiorum, immo charitas ex fideli, prudentique diſpenſatione fovetur, quod ſi quandoque diſcordiæ habeantur, vel ob infidelitatem Diſpenſatoris, vel ob irrequietam inferioris cupiditatem, non jam bona in communi poſſeſſa criminanda ſunt, ſed varia hominum ſtudia; aliàs nulla lex foret laudabilis, cum ea ſubditorum malitia ſæpenumero refractarios culpabiles reddat.

Jurgia inter poſſeſſores unde oriantur.

289 OBJIC. VII. Abbas Iſaac apud S. Gregorium *lib. 3. Dialog. cap.* 14. ſæpe a Diſcipulis rogatus, ut oblatas acceptaret poſſeſſiones, reſpondere ſuevit: Monachus, qui in terra poſſeſſiones quærit, Monachus non eſt; ergo alienum eſt a Monaſtica perfectione quælibet bonorum poſſeſſio.

Argumento reſpondet S. Thomas laudato loco *in reſp. ad* 4. -- Dicendum, quod „ Iſaac poſſeſſiones renuebat accipere, quia „ timebat, ne per hoc ad ſuperfluas divitias „ veniretur, per quarum abuſum impediretur religionis perfectio. Unde Gregorius „ ibidem ſubdit: ſic metuebat paupertatis „ ſuæ ſecuritatis perdere, ſicut avari divitias „ cuſtodire. Non autem legitur, quod renuerit recipere aliqua neceſſitia ad vitæ ſuſtentationem communiter conſervandam --

Divitiarum abuſus damnabilis.

290 Ex dictis inferas I. graviter adſtrictos fore Religioſos, & potiſſimum mendicantes, non tantum ut recte vivant, ſeriò divinis vacent, ſed etiam ut proximorum ſaluti pro viribus ſtudeant: etenim eleemoſynas ſive ſtabiles, ſive manuales valent recipere, ut ſine impedimento Deum pro populo obſecrentur. Audiamus S. Petrum Cluniacenſem *Epiſt.* 28. *libri* 1. qui adverſus eos, qui Ordinem ſuum criminabantur, ex quo beneficia, & decimas poſſidebat, ſic reſpondet -- Nos, ſicut in ſupradictis, ſic „ & in iſtis, Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem prætendimus, atque ipſius Sanctionibus nos Parochiales Eccleſias, & idcirco „ ipſarum primitias, & decimas legitime „ poſſidere, confirmamus: nam ſi Tribui „ Levi hereditas inter fratres ſuos data non „ eſt, ut expeditiores ad Dei cultum, & circa divina Myſteria redderentur, neque ab „ eis ſecularibus impedimentis revocarentur, „ atque ideo primitiis, decimis, & oblationibus aliorum alerentur, recte eadem „ Monachis conceduntur, qui ſicut illa Tribus, rerum temporalium hereditate privati ſunt, ac divinis ſervitiis diu, noctuque inſiſtunt. Qui namque juſtius fidelium oblata ſuſcipiunt, Monachi, qui „ aſſidue pro peccatis offerentium intercedunt, an Clerici? . . . Quia ergo Monachi ex maxima parte fidelium ſaluti invigilant, licet Sacramenta minime miniſtrent, æſtimamus ipſorum primitias, decimas, & oblationes, & quæcunque beneficia eos digne poſſe ſuſcipere; quoniam „ & reliqua populo Chriſtiano neceſſaria a „ Presbyteris, & Clericis faciunt exhiberi. „ Iſta verò dicendo, nequaquam Clericos ab „ Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum rerum „ poſſeſſionibus excludere volumus, ſed Monachos hæc omnia legitime poſſe obtinere, „ iſtis rationibus, & auctoritatibus approbamus. Si enim ipſi pro officio Baptiſmatis, „ Pœnitentiæ, Prædicationis, ac ceterorum „ Sacramentorum populo exhibitorum, de „ redditibus Eccleſiaſticis vivere volunt, cur „ Monachi pro orationibus, pro Pſalmis,

„ pro

Digitized by Google

„ pro lacrymis, pro eleemoſynis, ac multiplicibus bonis ad ſalutem populi Deo „ oblatis, rebus Eccleſiaſticis, & devotorum „ oblationibus non utantur? -- En quo titulo juſte bona a fidelibus accipere, atque retinere poſſunt Religioſi. Quare male agunt, qui oſcitanter divinis incumbunt, atque bonis a fidelibus donatis abutuntur; defraudant enim in re gravi offerentes, qui ob ſpem ſpiritualia ſubſidia recipiendi, temporalia largiuntur; defraudant & alios pauperes, quibus darentur eleemoſynæ. Hinc juxta quorundam ſententiam ad reſtitutionem tenentur vel ipſis Dominis, vel pauperibus; involuntaria quippe cenſentur illa elargitio; ſi enim ſcirent homines nullum ſibi ſpirituale commodum evenire, utique aliis indigentibus ſubvenirent, crederem tamen Religioſos non teneri ad reſtitutionem; quia eleemoſynæ non jam particularibus, ſed Communitati donantur; hæcque dominium acquirit; aliàs in ea ſemper aliqui ſunt, qui Deo fideliter inſerviunt. E re tamen Superiorum eſt, vigiles eſſe ne offerentium ſpes eludatur; ea propter ſedulò ſtudeant ut leges ſerventur, atque Deo commendentur, qui bona retribuunt. Æquum enim eſt, ut ſi nos temporalia colligimus, metant & illi ſpiritualia.

291 Inferas II. haud licere Religioſis acceptas eleemoſynas ſive de mobilibus, ſive de immobilibus in uſus non neceſſarios, ſeu ſuperfluos diſtrahere. Hoc a fortiori colligitur ex his, quæ relate ad Clericos dicit Gaufridus Claræval lenſis Abbas §. 17. Declamationum in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia* ex ſententiis S. Bernardi contextarum -- Sed eſto ſtudioſe quis, & fructuoſe „ laboret: dignus plane eſt operarius mercede ſua; ut qui altari ſervit, de altario „ vivat. Vivat, inquam, de altario, ut „ juxta eundem Apoſtolum, alimenta, & „ quibus tegatur habens, his contentus „ ſit. Tertium enim hoc periculum eſt: „ de altario, inquit, vivat, non ſuperbiat, non luxurietur, denique non ditetur. Non, contra Sancti * cujuſdam plane „ dignam omni acceptione ſententiam, ex „ Clericatu ditior fiat. Non ſibi de bonis „ Eccleſiæ ampla palatia fabricet, mutans „ quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut ſuperfluitate „ diſpergat -- Audiendus itidem hac ſuper re Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus Ser. habito in Concilio Turonenſi -- Poſſumus itaque licite divitias poſſidere, ſi tamen earum nos non reputaverimus Dominos, ſed „ Miniſtros: ſi intellexerimus patrimonium „ pauperum eſſe patrimonium Chriſti, ſi „ proventibus Eccleſiæ, ſi pauperum neceſſitatibus erogantur: alioquin fures, & latrones nos ratio manifeſta convincet, ſi „ res alienas invitis Dominis, noſtro præſumpſerimus arbitrio contrectare -- Hæc perpendant Superiores Regulares; ne dum inania meditantur, atque Chriſti patrimonium inutiliter expendunt, laqueum ſibi parent ad interitum.

* *S. Hieronymus ad Nepotianum.*

PARS TERTIA.

§. I.

DE VOTO MONASTICÆ OBEDIENTIÆ.

292 POſtquam plura de Caſtitate, & Paupertate dedimus, ſupereſt, ut de Obedientiæ voto impræſentiarum agamus. Adverſus præſtantiſſimam hanc virtutem primi, ut habet Alphonſus de Caſtro *de Hæreſ. verbo Obedientia*, inſurrexerunt Waldenſes, pleno ore dicentes haud fore obediendum Rom. Pontifici, ſicut nec aliis Eccleſiæ Prælatis; his concinit Joannes Hus *art.* 12. in Conſtantienſi Concilio *Seſs.* 15. damnato -- „ Obedientia Eccleſiaſtica eſt ſecundùm „ adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ præter expreſſam auctoritatem Scripturæ -- Lutherus *de Captivit. Babylonica* -- Chriſtianis nihil ulla in re imponi poteſt legum „ ſive ab hominibus, ſive ab Angelis, niſi „ quantum volunt: liberi enim ſunt ab omnibus -- *& de falſo ſtatu Eccleſiaſtico* -- Nulla eſt poteſtas Eccleſiaſtica -- Pſeudomagiſtro adſtipulantur Diſcipuli *in Colloquio Aldenburgenſi* -- Opera bona legis, & nova „ obedientia non ad regnum Chriſti, ſed ad „ mundum pertinent. Qui credit Chriſtianus, ſupra omnem eſt obedientiam, & ſupra omnem legem -- Verùm de obedientia ſecundùm hujuſmodi intelligentiam non inſtituimus ſermonem, ſed de obedientia, quæ Monachis convenit ratione ſtatus. Lampetiani apud Damaſcenum *de Hæreſibus* -- „ Liberum vitæ inſtitutum tam in veſtitu, „ quam in aliis rebus, etiam Monachis permittunt -- Beguardi apud Alvarum Pelagium *de Planctu Eccleſiæ lib.* 2. *art.* 52. docent eos -- qui ſunt in gradu perfectionis „ non eſſe humanæ ſubjectos obedientiæ, „ nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligari, „ quia dicunt; ubi eſt Spiritus Domini, ibi „ libertas -- Hunc errorem redivivum habes *in prop.* 65. Michaelis Molinos -- Præpoſitis „ obediendum eſt in exteriore, & latitudo „ voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore verò „ res aliter ſe habet, quo ſolus Deus, & „ Director intrant -- Lutherus *de votis Monaſticis* agens de obedientia Monachorum, habet -- Peccant hic eàdem inſaniâ Monaſtici, qua & in paupertatem. Primò quod „ conſilium eam faciunt; deinde quod ſolis „ ſibi arrogant. Ideo dum eam vovent, & „ impie negant mandatum Dei, & ſacrilege „ damnant votum baptiſmi ſui. Si verò aliqui „ pie vovent, non niſi corporalem vovent. „ At niſi ſpiritus in eis ſit, & tandem aliis „ quoque ſubdat, nihil vovetur, niſi contrarium Evangelicæ obedientiæ. Inter omnia „ vota Monaſtica nullum eſt minus ſubſtantiale, quam obedientiæ votum. Igitur „ ſtat concluſio: obedientiam Monaſticam „ eſſe rudem, & puerilem obedientiam pro „ rudimento dumtaxat Juventutis inſtitutam, nec aliter apud Deum acceptam, „ nec aliter voveri poſſibilem, niſi impiam,

Hæretici obedientiæ hoſtes.

 „ &

„ & ſacrilegam facere voles-- Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 13. §. 12. generaliter omnia Evangelica Conſilia execratur ; Petrus Martyr , aliique Novatores adverſus Religioſam Obedientiam inſurgunt , eamque velut ſuperſtitioſam traducunt . Ceterum catholice ſentiendo .

Dicendum votum Monaſticæ Obedientiæ licitum fore , honeſtum , Deo placens , atque meritorium .

Obedientia Deo placet.

293 PROB. I. Illud licite , honeſte , & meritorie vovetur , quod a Deo commendatur , ipſique placet ; ſed hujuſmodi eſt obedientia , etiam quoad ea , quæ præcepta non ſunt , cum legere ſit 1. Reg. 15. v. 22. *Melior eſt enim obedientia , quam victima* . Proverb. 21. v. 28. *Vir obediens loquetur victorias* . Eccle. 4. v. 17. *Multò enim melior eſt obedientia , quam ſtultorum victimæ* . Eccli. 3. v. 1. *Filii Sapientiæ , Eccleſia Juſtorum , & natio illorum , obedientia , & dilectio* . His compertum ſit plurimum Deo placere obedientiam . Porro Spiritus Sanctus indefinitam aſſumit locutionem , ut intelligamus ipſam non coarctari ad ea , quæ præcepta ſunt , ſed itidem ad illa omnia extendi , quæ a Superioribus mandantur ; in his quippe hominis voluntas Deo immolatur . Hac ſuper re apte S. Gregorius *lib.* 35. *Moral. cap.* 10. -- Melior eſt obedientia , quam victimæ ; quia „ per victimas aliena caro , per obedientiam „ voluntas propria mactatur : tantò igitur „ quiſque Deum citius placat , quantò ante „ oculos ejus repreſſa arbitrii ſui ſuperbia „ gladio præcepti ſe immolat -- Indubium autem eſt arbitrii ſuperbiam magis reprimi , ſi non ſolùm divino præcepto ſe homo ſubdit , ſed ultro hominum imperio ſeſe ſubmittat . Et ſane res eluceſcit , ſi ſcripturalis comparatio perpendatur : ſicut enim non omnes victimæ præceptæ erant , ſed plurimæ ſpontaneæ , ita non omnis obedientia eſt de præceptis , ſed non rarò de arbitrariis . Unit ſimiliter Scriptura obedientiam cum dilectione . Juſtorum autem dilectio ad ea non limitatur , quæ a Domino præcipiuntur , verùm etiam ſpontanea comprehendit ; eaque propter ad eadem extenditur obedientia juſtorum . Egregie Auguſtinus *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 28. ſcribebat -- Fecerunt Civitates duas „ amores duo , terrenam ſcilicet amor ſui „ uſque ad contemptum Dei , cœleſtem verò „ amor Dei uſque ad contemptum ſui -- atqui Dei amor , qui hominem inclinat ad ſeſe alteri in omnibus ſubjiciendum , majorem fundat ſui contemptum ; ergo ſupernam conſtruit Civitatem , adeoque valde placet ſpontanea obedientia , cujuſmodi eſt Monaſtica .

Obedientia a Deo remunerata.

294 PROB. II. Quod Deus ſpeciali decorat coronâ , honeſtum plane cenſendum eſt , eique placens ; ſed Deus peculiariter ſpontaneam coronat obedientiam , ut videre eſt in filiis Jonadab , quos perpetua generationum ſerie remuneravit , ex quo Patris præcepto abſtinendi a vino obtemperarunt ; Jeremiæ 35. v. 6. , & ſeqq. *Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis : non bibetis vinum vos , & filii veſtri uſque in ſempiternum . Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab Patris noſtri , & omnibus , quæ præcepit nobis , ita ut non biberemus vinum cunctis diebus noſtris . . . Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias : hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſrael : pro eo quod obediſtis præcepto Jonadab Patris veſtri , & cuſtodiſtis omnia mandata ejus , & feciſtis univerſa , quæ præcepit vobis : propterea hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſrael : non deficiet vir de ſtirpe Jonadab filii Rechab , ſtans in conſpectu meo cunctis diebus* . Porro abſtinentia a vino nequaquam præcepta a Deo erat , ſed arbitraria , & ſupererogationis .

295 Dicit Petrus Martyr Rechabitas divino adſtrictos præcepto Patri obtemperaſſe : ſiquidem filii in omnibus Parentibus tenentur obedire , dicente Apoſtolo ad Coloſſ. 3. *Filii obedite Parentibus per omnia* .

Verùm inſtantia hujuſmodi nullius momenti eſt ; Deus ſiquidem Recabitarum obedientiam tanquam ſpeciali laude dignam remunerat ; ſi autem fuiſſet de debitis ex divino præcepto , non ibi ſpecialis commendationis momentum adfuiſſet : etenim æque potuiſſet in exemplum adducere quoſcunque obedientes filios . Aliàs contextus innuit filios Jonadab voluntarie Patris mandato obtemperaſſe , atque ob hoc laudatos : *Firmaverunt igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum Patris ſui , quod præceperat eis* , v. 16. Quod clarius evincitur , ex quo exemplo Rechabitarum reprehendit Deus Judæos , quatenus illi voci hominum obtemperarunt , ipſi verò voci Dei noluerunt obedire , v. 14. *Ego autem locutus ſum ad vos , de mane conſurgens , & loquens , & non obediſtis mihi* . Porro ſi obligati fuiſſent Patri obedire , ex quo divinum urgeret præceptum , nullum haberet robur argumentum , ſiquidem etiam illi voci Dei obſecuti fuiſſent . Ceterum nemo unus eſt , qui probe non dignoſcat , Filios non ſemper , atque in omnibus ex mandato Dei Parentibus obedire debere ; differunt namque a Servis , quorum conditio majorem importat ſubjectionem . Utique Novatores tanquam reos violati divini præcepti non damnabunt filios ſuos , ſi contra eorum mandatum biberent vinum : nec urget Apoſtoli teſtimonium ; ſiquidem indefinite ibi loquitur , innuens filios debere parentibus obedire , ſive ex lege naturali , & divina , ſive ex reverentia ; niſi mavis dicere ipſum loqui de filiis pubertatem nondum nactis .

Chriſtus obedientiæ exemplar.

296 PROB. III. Quod exemplo ſuo firmavit Chriſtus , indubie honeſtum cenſendum eſt , cum Magiſter veritatis nonniſi ſancta fecerit , & docuerit ; atqui Chriſtus perfectiſſimum fuit obedientiæ exemplum ſive relate ad Deum , ſive relate ad homines ; unde dicitur Joan. 4. v. 34. *Meus cibus eſt , ut faciam voluntatem ejus , qui miſit me , ut perficiam opus ejus.* Ad Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem , mortem autem Crucis* . Ad Heb. 5. v. 8. *Et quidem cum eſſet filius Dei , didicit ex eis , quæ paſſus eſt , obedientiam* . Demum Luc. 2. v. 51. *Et deſcendit cum eis , & venit Nazareth ; & erat ſubditus illis* . Ex his palam fit aſſiduum obedientiæ ſtudium Chriſti : nec Scriptura ſermonem inſtituit de his , quæ præcepta erant : non omnia enim , quæ ipſe per-

peregit, præceperat Pater; ſed plura ultro exhibuit; adimplevit enim opera conſilii: unde dicebat Joann. 8. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Dubio-procul ſupponit Apoſtolus Chriſtum obtemperaſſe etiam in non debitis, cum Philippenſibus ſuaſor ſit ex ejuſdem exemplo ad humilem voluntariam obedientiam: *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*: advertenda itidem eſt locutio Pauli ad Heb. 5. v. 8. *Didicit ex eis, quæ paſſus eſt obedientiam*. Qui aliquid diſcit, id voluntarie præſtat, ut notat S. Thomas; aliàs Chriſtus ut homo non erat magis Servus Dei, quam ceteri homines; hi porro plura licite operari valent, quæ illis præcepta non ſunt; adeoque Chriſto non omnia fuere præſcripta, & tamen, ut ex laudato Apoſtolo ibid. v. 10., aperte novimus ipſum quovis tempore operatum fuiſſe juxta Patris voluntatem, propterea que etiam in non debitis obediens fuit: utique cum eſſet Dei filius, nec Deiparæ Matri, nec S. Joſeph erat ſubditus, & tamen illis exacte obtemperavit, ut ex cit. Lucæ capite videre eſt; non quidem ex neceſſitate, ſed ad exemplum. Honeſtum igitur eſt ſe ſponte aliis ſubdere, atque voto ſeſe in tali ſubjectione firmare, ut pro viribus Chriſtum imitemur.

297 PROB. IV. Chriſtus non niſi ad id quod ſanctum, & honeſtum eſt, adhortatur; ſed adhortatur ad obedientiam Matth. 16. v. 24. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: porro ſeipſum abnegare, quid aliud eſt, quam propriam voluntatem divinæ ſubjicere, quod obedire eſt: ea propter ibidem obedientiam docuit, primariò quidem quoad mandata, ut contextus explicat: *Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur*; ſed inſimul obedientiam, quæ ſub conſilio cadit: etenim ſi propriam abnegare voluntatem quoad neceſſaria ad ſalutem bonum eſt, & laudabile, cur non erit ejuſdem rationis abnegatio quoad ea quæ libere exerceri poſſunt? Et quidem ſi Deo preces fundere, cum neceſſitas urget, bonum eſt, quis uſquam prudens contendet bonum haud eſſe orare extra neceſſitatis caſum?

Obedientia a Chriſto commendata.

298 PROB. V. Peculiaris Chriſti ſequela, quamvis non ſit de neceſſitate ſalutis, indubie tamen plurimùm eſt commendabilis; atqui in hac ſpecialis involvitur obedientia: ſiquidem peculiaris hæc ſequela eam intelligimus, qua quis non affective tantùm, ſed actualiter Deo dicatur, quo pacto Apoſtoli Chriſtum ſequebantur, converſantes, atque cum eo commorantes: in hac autem ſequela involvi obedientiam non tantùm quoad præcepta, verùm etiam quoad ea quæ ex libera pendent voluntate, palam fit ex S. Thoma 2. 2. q. 186. art. 6. -- Manifeſtum eſt autem „ ex præmiſſis, quod ad perfectionem Chri„ ſtianæ vitæ pertinet paupertas, continentia, „ & obedientia, & ideo Religionis ſtatus re„ quirit, ut ad hæc tria aliquis voto obli„ getur --

Chriſti ſequela ſpecialem importat obedientiam.

299 PROB. VI. Proſequi dictamen, & Spiritus Sancti conſilium dubio-procul optimum eſt, quodque tale eſt, voveri rectiſſime poteſt; ſed alterius arbitrio ſe committere quoad regimen ſuæ conſcientiæ eſt juxta dictamen, atque Spiritus Sancti conſilium Proverb. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ . . . Ne ſis ſapiens apud temetipſum*; ergo regendum ſe tradere viro prudenti optimum eſt. Et ſane homo per originalem noxam vulnus ignorantiæ in intellectu, pravæque affectionis in voluntate recepit, ita ut meritò cæco illi a nativitate, qui clamabat in via, aut ei, qui a latronibus ſemivivus relictus eſt, comparari valet; unde in prudenti rerum expenſione, atque electione facile decipitur; proindeque ut recte agat, atque ſcopulos evitet, bonum eſt alterius ſequi voluntatem. Habes argumentum ex S Baſilio *in Conſtitut. Monaſticis cap.* 23. -- Res „ omnium difficillima eſt ſeipſum cognoſce„ re, & curare, propterea quod naturaliter „ ſeipſum quiſque amat, & quilibet propte„ rea quod in ſeipſos propenſi ſunt, in ve„ ritatis judicio falluntur; porro ab alio co„ gnoſci, curatique facile eſt -- Qui infirma eſt valetudine, licet prudens, nequaquam ſibi fidit, ſed extraneum medicum exquirit; cumque animi infirmitates faciliùs ad interitum inclinent, e viro prudenti erit alteri ſe ſubdere, illique obtemperare.

Alteri ſe ſubdere prudentis eſt.

300 PROB. VII. Niſus, quo quis contendit perfectiora ſectari, laudabilis eſt, ideo ad aſſecutionem perfectionis ipſius Dei, & Chriſti, juxta naturæ vires, excitamur: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*; ergo bonum eſt ſtatum, modumque vivendi eligere, quo perfectio conſequi poſſit. Status hujuſmodi Monaſtica profeſſio eſt, ad cujus finem aſſequendum apprime neceſſaria eſt obedientia. Audiamus S. Thomam 2. 2. q. 186. art. 5. -- Status Religionis eſt „ quædam diſciplina, vel exercitium ten„ dendi in perfectionem. Quicunque au„ tem inſtruuntur, vel excitantur, ut per„ veniant ad aliquem finem, oportet, quod „ directionem alicujus ſequantur, ſecundùm „ cujus arbitrium inſtruantur, vel exciten„ tur: ut perveniant ad aliquem finem, „ quaſi Diſcipuli ſub Magiſtro. Et ideo „ oportet, quod Religioſi in his quæ perti„ nent ad Religioſam vitam, alicujus in„ ſtructioni, & imperio ſubdantur: unde „ & 7. quæſt. 1. dicitur. Monachorum vita „ ſubjectionis habet verbum, & diſciplina„ tus. Imperio autem, & alterius inſtru„ ctioni ſubjicitur homo per obedientiam, „ & ideo obedientia requiritur ad Religio„ nis perfectionem -- *& ſeq. art.* oſtendit neceſſarium fore, quod obedientia voto firmetur. Momentum hocce bene dilucidat Caſſianus *Coll.* 2. *cap.* 11. declarans quanta ſit neceſſitas obtemperandi ſpirituali Magiſtro, ut quis perfectionem aſſequatur.

Obedientia neceſſaria ad perfectionem.

301 Ineluctabile demum argumentum deſumi poteſt ex perpetua Eccleſiæ diſciplina a Sanctis Patribus tradita, atque eximie commendata. S. Ephrem *de virtutibus, & vitiis cap. de Obedientia* ſcribit -- Beatus qui „ vera, & minime ſimulata præditus eſt obe„ dien-

Obedientia a Patribus commendata.

„ dientia : quoniam hic imitator eſt optimi
„ noſtri Præceptoris, qui obediens ſuit uſ-
A „ que ad mortem — S. Baſilius *in Conſtitut.*
„ *Monaſticis cap.* 20. -- Oportet, ut qui ſe
„ ad vitæ hujus rationem contulerit, is ſta-
„ bili, firmâ, immobilique voluntatia con-
„ ſtantiâ ſit, judicioque ejuſmodi, quod a
„ malevolis ſpiritibus neque attentari poſſit,
„ neque loco depelli, animi præterea firmi-
„ tate tanta, ut ad mortem uſque Martyrum
„ conſtantiam præſeferat, cum divinis præ-
„ ceptis retinendis, tum obedientia adver-
„ ſus Magiſtros ſuos conſervanda. Siquidem
„ hoc totius vitæ hujus inſtituti caput eſt...
„ Etenim qui ſe alicui artium iſtarum libe-
B „ ralium, ac mechanicarum dediderit, ar-
„ tifici ſuo quacunque ratione parendum pu-
„ tat, neque ulla in re præceptis ejus ad-
„ verſatur : multò certe credibilius eſt, qui
„ ſe ad pietatis, Religioniſque percipien-
„ dam doctrinam contulerunt, eos Antiſliti
„ ſuo libentiſſime obſequi, diligentiſſime ob-
„ temperare — *& cap.* 23. -- Quemadmo-
„ dum Paſtori ſuo oves obtemperant, &
„ viam, quamcunque ille vult, ingrediun-
„ tur, ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt,
„ moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil
„ omnino illorum juſſa curioſius perſcrutan-
„ tes, quando libera ſunt a peccato —

C S. Hieronymus multa refert in com-
mendationem Obedientiæ Monaſticæ *Epiſt.* 4.
ad Ruſticum, quem inſtruit ad vitam pera-
gendam in Monaſterio -- Et ne plura repli-
„ cando faſtidium legenti faciam, per hæc
„ omnia ad illum tendit oratio, ut doceam
„ te, non tuo arbitrio dimittendum, ſed
„ vivere debere in Monaſterio ſub unius di-
„ ſciplina Patris, conſortioque multorum,
„ ut ab alio diſcas humilitatem, ab alio pa-
„ tientiam . . . non facias, quod vis, come-
„ das quod juberis, veſtiare, quod acceperis;
„ operis tui penſum perſolvas; ſubjiciaris cui
„ non vis; laſſus ad ſtratum venias, ambu-
D „ lanſque dormites; & nec dum expleto
„ ſomno ſurgere compellaris —

Et *Epiſt.* 8. *ad Demetriadem* -- Bonum
„ eſt obedire majoribus, parere perfectis,
„ & poſt regulas ſcripturarum vitæ ſuæ tra-
„ mitem ab aliis diſcere, nec præceptore
„ uti peſſimo. ſcilicet præſumptione ſua --

S. Auguſtinus *de Monaſtica Obedientia*
ſcribit *Epiſt.* 109. -- Præpoſitæ tanquam Ma-
„ tri obediatur, honore ſervato, ut nec in
„ illa offendatur Deus, multò magis Presby-
„ tero, qui omnium veſtram curam gerit --
Lib. 1. *de Morib. Eccleſ. cap.* 31. de Cœnobi-
tis agens -- Nulla ſuperbia conſulunt his,
E „ quos filios vocant, magna ſua in jubendo
„ auctoritate magna ipſorum in obediendo
„ voluntate -- & alibi : fuiſſe autem voto
promiſſam declarat Pſal. 75. ad illa verba :
Vovete, & reddite -- Nemo ergo poſitus in
„ Monaſterio frater, dicat : recedo de Mo-
„ naſterio, neque enim ſoli, qui ſunt in
„ Monaſterio perventuri ſunt ad Regnum
„ Cœlorum; & illi qui ibi non ſunt, ad
„ Deum non pertinent. Reſpondetur ei; ſed
„ illi non voverunt, tu voviſti, tu retrò
„ reſpexiſti : de die judicii cum Dominus
„ minaretur, quid ait? Mementote uxoris
„ Lot? . . Liberata eſt a Sodomia, & in
„ via poſita retrorſum reſpexit &c. nam &
„ modo dicimus illud quibuſdam fratribus
„ noſtris, quos fortè viderimus velut infir-
„ mari in propoſito bono : & talis eſſe vis,
„ quales iſti? Objicimus illis quoſdam, qui
„ retrò reſpexerunt; illi fatui ſunt in ſe &c.
„ Jam quia iſta tractavimus, forte volebas
„ vovere, & modo non vis vovere; ſed
„ quid tibi dixerit Pſal. attende : non dicit;
„ nolite vovere; ſed vovete, & reddite.
„ Quia audiſti : reddite : non vis vovere?
„ ergo vovere volebas, & non reddere? imò
„ utrumque fac. Unum fit ex profeſſione
„ tua, aliud ex adjutorio Dei perficietur &c.--
Alia ad rem habet Pſal. 49., quibus mani-
feſtè declarat excellentiam votorum, eorum-
que inſolubilitatem, noſtrorum Proteſtan-
tium fraudes detegens. Severus Sulpitius
tom. 3. *cap.* 12. *Dialogo I. de virtutibus Mo-
nachorum Orientalium* ait -- Præcipua ibi vir-
„ tus, & prima eſt obedientia, neque ali-
„ ter adveniens ad Monaſterium Abbatis ſu-
„ ſcipitur, quam qui tentatus prius fuerit,
„ & probatus, nullum unquam recuſaturum
„ quodlibet arduum, & difficile, indignum-
„ que toleratu Abbatis imperium -- Caſſia-
nus *de Inſtitutis Cœnobitis lib.* 4. *cap.* 10. lo-
quens de Monachis in Thebaide commoran-
tibus habet -- Poſt hæc tantâ obſervantiâ
„ obedientiæ regula cuſtoditur, ut juniores
„ abſque Præpoſiti ſui ſcientia, vel permiſſu,
„ non ſolùm non audeant cellam progredi,
„ ſed nec ipſi quidem communi, ac natu-
„ rali neceſſitati ſatisfacere ſua auctoritate
„ præſumant. Sicque univerſa complere quæ-
„ cunque fuerint ab eo præcepta, tanquam ſi
„ a Deo ſint cœlitus edita, ſine ulla diſcuſ-
„ ſione feſtinant --

Illuſtri obedientiæ exemplo rem noſtram
comprobat Sozomenus *lib.* 6. *Hiſt. Eccleſiaſt.
cap.* 29. -- Pior, cum ſtatuiſſet ab ineunte
„ ætate vitæ Monaſticæ ſe conſecrare, eo
„ ipſo temporis veſtigio, quo ea de cauſa
„ paternis ædibus egreſſus ſit, ſpopondit
„ Deo, ſe de cetero neminem ex ſuis ali-
„ quando oculis aſpecturum. Poſt annos *Excellens obedientiæ exemplum.*
„ quinquaginta Soror accepit eum adhuc vi-
„ vere. Quæ cum præ immenſo gaudio nun-
„ tii tam inſperati eſſet pene obſtupefacta,
„ quieſcere non potuit, niſi fratrem oculis
„ intueretur. Quam ætate provectam, la-
„ mentantem, atque plorantem in hac re
„ auxilium, Epiſcopus illius loci commiſe-
„ ratus, ſcripſit ad Præſides Monachorum in
„ ſolitudine degentium, ut Piorem ad ſe
„ mitterent. Qui juſſus, eo profectus eſt,
„ quippe cum non poſſet illis contradicere :
„ nam non fas erat Monachis Ægypti, cre-
„ do item aliis, imperatis reſilire. Ille igi-
„ tur, uno ſecum aſſumpto, venit in Pa-
„ triam, atque ſtans pro foribus domus pa-
„ ternæ ſignum dedit ſe veniſſe. Ubi verò
„ fores crepare ſenſit, oculis occluſis, ſoro-
„ rem nomine compellavit, dixitque : ego
„ Pior frater tuus, age, me contuere, quan-
„ tum lubet. Illa igitur mire hac de re oble-
„ ctata, gratias Deo egit. Is autem cum
„ prope fores precatus eſſet, revertitur ad
„ locum, in quo habitabat --

Alios

Alios prætermittimus Patres, ſicut & miracula, quibus Deus obedientiæ virtutem illuſtravit, cum Eccleſiaſtica monumenta præſto ſint, atque in re ſatis nota verſemur.

§. II.

QUÆDAM ACHATOLICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

302 OBJIC. I. Votum Monaſticæ Obedientiæ eſt relate ad unum; ſed hoc Scripturæ adverſatur præcipienti omnibus fore obtemperandum ad Philipp. 2. v. 3. *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*, & 1. Petri 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ*; ergo vovere obedientiam idem eſt, ac vovere ſub hac forma: *Deus: Voveo tibi nolle me ſecundùm Evangelium tuum omnibus ſubjici, ſed tantùm uni majori*: ſic Lutherus.

Mirum ſane eſt Lutherum contendere omnibus eſſe obtemperandum, cum nervis omnibus conatus fuerit omnem de medio tollere ſubordinationem ſive ad Eccleſiaſticam, ſive ad Civilem poteſtatem. Si omnibus obedientia præſtanda eſt, cur ſibi tantummodo, ſuæque legi vult eſſe obtemperandum? Si omnes cenſendi ſunt Superiores, cur ipſemet aliis ſubjici renuit? Ceterum ſi Scriptura docet omnibus obediendum, perperam diſcriminatur Pater-familias a Servo, Dominus ab Operario. Si e re catholica eſt omnes eſſe ad invicem Superiores, male præcipitur militibus obedire Ducibus, Servis parere Dominis. Si omnes omnium ſunt Superiores, quomodo poſuit Chriſtus in Eccleſia quoſdam Paſtores, alios autem Doctores? Quomodo omnia corporis membra non eundem actum habent? Verùm ſi omnes omnibus obedire deberent, nullus plane foret, qui præciperet, eaque propter nullus, qui obediret. Paulus itaque eo loci loquitur de præeminentia quoad æſtimationem virtutis, quatenus quilibet fratrem ſuum ſanctiorem dijudicare debet, ex qua ſincera cognitione pax oritur erga fratrem, fugantur contentiones, repellitur ſuperbia: ideo dicit Apoſtolus: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*: quomodo autem hoc contingere valeat, apte explicat Angelicus *ibid. lect.* 1. -- Nullus eſt ſic malus, quin habeat aliquid boni: unde non oportet, quod eum præponat ſibi ſimpliciter (*loquitur de Superiore relate ad Subditum*) ſed quantum ad hoc dicat in mente ſua ſic: forte in me eſt aliquis defectus, qui non eſt in illo; & hoc oſtendit Auguſtinus *in lib. de Virginit.* quomodo Virgo præferat ſibi conjugatam, quia forte ferventior; ſed detur, quomodo quantum ad omnia ſit ille bonus, & ille malus, nihilominus tu, & ille geritis duplicem perſonam, ſcilicet tui, & Chriſti; ſi ergo illum non præponas ratione ſuæ perſonæ, præponas ratione imaginis divinæ: Rom. 12. Honore invicem prævenientes -- & ſub hac conſideratione poſſumus quemcunque venerari, licet Superior non ſit. Hinc tamen colligere fas eſt, quod poteſt quilibet ſibi alium hominem Superiorem conſtituere etiam in his, quæ libera ſunt. Apoſtolus Petrus nomine omnis creaturæ hominem intelligit, qui omni pollet poteſtate ad imperandum, ea propter v. 14. immediate ſubdit: *Sive Regi tanquam præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum.*

Alii obedire, alii imperare debent.

303 OBJIC. II. Votum illud non obligat, quod non niſi intercedente diſpenſatione ſubſiſtit; ſed obedientiæ votum eſt hujuſmodi, ut patet in Superiore Cœnobii, cujus votum non ligat, cum ab obedientia immunis ſit; proindeque nec Subditorum votum tenet, cum ejuſdem ſit rationis.

Prævenit Doctor Angelicus objectiunculam 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad* 4. loquendo de Religioſo ad Epiſcopatum aſſumpto -- Similiter etiam non abſolvitur a voto obedientiæ, ſed per accidens obedire non tenetur, ſi Superiorem non habeat, ſicut nec Abbas Monaſterii, qui tamen non eſt obedientiæ voto abſolutus -- *&* *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. habet -- Subjectio Religioſorum principaliter attenditur ad Epiſcopos, qui comparantur ad eos, ſicut perfectores ad perfectos, ut patet per Dionyſium 6. *cap. Eccleſ. Hier.*, ubi etiam dicit, quod Monachorum Ordo, Pontificum conſummativis virtutibus mancipatur, & divinis eorum illuminationibus edocetur. Unde ab Epiſcoporum obedientia nec Eremitæ, nec etiam Prælati Religionum excuſantur; & ſi a Diœceſanis Epiſcopis totaliter, vel ex parte ſunt exempti, obligantur tamen ad obediendum Summo Pontifici, non ſolùm in his, quæ ſunt communia aliis, ſed etiam in illis, quæ ſpecialiter pertinent ad diſciplinam Religionis -- Ex his habes plenam ſolutionem argumenti.

304 OBJIC. III. Vovere Abbati obedientiam, nil aliud eſt, quam ſe ſponte Abbatis Servum conſtituere; atqui hoc ab Apoſtolo vetitum habemus 1. ad Corinth. 7. v. 23. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*; ergo.

Verùm non niſi imprudenter quis dicere valet hoc ſentire Apoſtolum, qui adeo dilucide obedientiam præcipit Prælatis, ſive ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ſive ad Coloſſ. 3. v. 22., & ſeqq. *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Chriſto ſervite*, ſive ad Heb. 13. v. 17. *Obedite Prapoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Quid plura, cum eo loci in rem noſtram aperte loquatur. *Servus vocatus es, non ſit tibi cura, ſed ſi potes fieri liber, magis utere. Qui enim vocatus eſt Servus, libertus eſt Domini, ſimiliter, qui liber vocatus eſt, Servus vocatus eſt Chriſti*: ubi aperte docet, quod Servus curare non debet, ut a ſervitute abſolvatur, licet ob perverſionis periculum libertatem conſulat:

Libertas æque, ac ſervitus ad ſalutem deſerviunt.

ſolar : ſermonem enim habet ad mancipia Ethnicorum. Declarat itidem ſervitutem, & libertatem in Domino eſſe ad ſalutem, noſque ſollicitos tantummodo eſſe debere de his, quæ ad ſalutem pertinent, proindeque ſervitutem æque, ac libertatem a nobis fore ſpectandas ; unde concludit : *Unuſquiſque, in quo vocatus eſt, Fratres in hoc permaneat apud Deum*, ideſt, ſive Servos, ſive liber perſeveret in ſervitute Dei, mandata ejus ad finem uſque ſervando. Cum igitur dicit : *Nolite fieri ſervi hominum*, innuit, quod nemo hominibus obtemperare debet, Dei ſervitutem derelinquendo, proptereaque cum de obedientia inſtituit ſermonem, perpetuò aſſerit obediendum propter Deum, non propter homines. Videatur S. Thomas in hunc Pauli textum.

305 OBJIC. IV. Nequaquam Deo placent, quæ coactè peraguntur, ut ait Apoſtolus 2. ad Corinth. 9. v. 7. *Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate. Hilarem enim Datorem diligit Deus* : ſed quæ ex obedientiæ voto exercentur, ex neceſſitate fiunt ; ergo Deo nequaquam placere poſſunt.

Locus iſte aperte adverſatur Acatholicis, qui contendunt opera ex voto exercita non eſſe voluntaria : Paulus verò vult, quod ſint, & plena ſint voluntarietate. Contextus rem evincit, igitur v. 6., & ſeq. habet : *Hoc autem dico qui parce ſeminat, parce & metet ; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet ; unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate ; hilarem enim Datorem diligit Deus*. Vides clarè loqui de operibus ſpontaneis, videlicet de eleemoſynis non debitis, faciendis Sanctis Jeroſolymæ degentibus, non autem de illis, quæ facienda ſunt ex obligatione ; ad hæc hortatur Scriptura, ut faciamus omnino libenter. Ceterum argumentum proponit D. Th. 2. 2. *q.* 186. *art.* 5., & ſolvit ad 5. -- Dicendum quod neceſſitas coa-
,, ctionis facit involuntarium, & ideo ex-
,, cludit rationem laudis, & meriti ; ſed ne-
,, ceſſitas conſequens obedientiam non eſt
,, neceſſitas coactionis, ſed liberæ voluntatis
,, in quantum homo vult obedire, licet for-
,, tè non vellet id, quod mandatur, ſecun-
,, dùm ſe conſideratum implere ; & ideò
,, quia neceſſitati aliqua faciendi, quæ ſe-
,, cundùm ſe non placent, per votum obe-
,, dientiæ homo ſe ſubjicit propter Deum,
,, ex ipſo ea, quæ facit, ſunt Deo magis ac-
,, cepta, etiam ſi ſint minora ; quia nihil
,, majus poteſt homo Deo dare, quam quod
,, propriam voluntatem propter ipſum vo-
,, luntati alterius ſubjiciat --

Opera ex voto libera ſunt.

306 OBJIC. V. Ultro ſe exponere periculo obtemperandi Diabolo damnabile eſt ; ſed per obedientiæ votum homo ſe ultro exponit periculo obediendi Diabolo ; nam ut ſcribit Wicleſus *lib. de Purgatorio Secta Chriſti* -- Conſtat quidem ex fide Scripturæ
,, Joan. 6., quod Prælatus de poſſibili eſt
,, præſcitus, & quod probabiliter ſæpe eve-
,, nit, eſt unus Diabolus, ſicut Judas --

RESP. Scriptura, nullo appoſito diſcrimine, præſcribit Superioribus obediendum ſive bonis, ſive malis, immo aperte mandat obtemperandum non ſolùm modeſtis, ſed
A Dominis etiam dyſcolis 1. Petri 2. v. 18. & Chriſtus ſuaſor eſt, ut audiantur Phariſæi ſedentes ſuper Cathedram Moyſis, quamvis non fuerint eorundem opera ſectanda Matth. 23. v. 2., & 3. Palam igitur fit Superioribus parendum eſſe, etiamſi mali ſint ; ſiquidem non eorum malitia, ſed munus, & Chriſti perſona, cujus vices gerunt, ſpectanda ſunt ; ea propter indefinite Luc. 10. v. 16. relate ad Prælatos dicit Chriſtus : *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Quod ſi mali ſint, majus inde meritum obvenit obtemperantibus, dum captivantes intellectum in obſequium fidei, in verbo Do-
B mini etiam perverſis hominibus ſubduntur.

Cuilibet Superiori obediendum.

307 OBJIC. VI. Quamvis Apoſtolorum ævo honeſtum fuerit obedientiæ votum, quia Chriſto, qui infallibilis eſt, præſtabatur, attamen impræſentiarum nequaquam licitum eſt ; Superiores namque fallibiles ſunt, & ſæpe numero homines præficiuntur rudiores : ſic Wicleſus, dum nos redarguit virtutem obedientiæ commendantes erga Monaſticos Superiores.

Quotquot ſunt Patres illud Chriſti verſantes Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes . . . & ſequere me*, in eam confluunt ſententiam Chriſtum non
C tantum pro ea tempeſtate, qua cum hominibus converſabatur, ſed pro futuris quoque temporibus doctrinam tradidiſſe : unde egregie dixit S. Baſilius *in Conſtit. Monaſticis cap.* 19. -- Hi, *Monachi videlicet*, liberatoris no-
,, ſtri ejuſque vitæ, dum inter nos verſare-
,, tur, inſtitutorum, veri perfectique imi-
,, tatores exiſtunt. Quemadmodum enim
,, ille, coacto Apoſtolorum choro, commu-
,, nia cuncta, ſeque ipſum communem Apo-
,, ſtolis præbuit, ita hi quoque Antiſtiti ſuo
,, obtemperantes . . . genus vivendi Apoſto-
,, lorum imitantur, ac Domini -- & *cap.* 23. ſubdit Chriſtum ad hoc elegiſſe Apoſtolos,
D ut per eos formam relinqueret futuræ poſteritati. Quod autem fallibiles ſint Superiores non urget : etenim vel errant, jubendo illicita, vel non, ſi primum, jam mandatum irritum, caſſumque eſt, adeoque non obligans, unde ſubditus nullum patitur damnum, ſi verò juſſio non verſatur circa illicita, perutile ſemper eſt ſubdito illi obtemperare, cum ex amore virtutis, atque ex affectu placendi Deo abneget ſemetipſum. Ceterum quam male ſentiat Wicleſus, ex eo facile conjici poteſt, quod humanum, ſeu politicum regimen non ſolùm licitum, & honeſtum eſt, ſed & neceſſarium, licet ex
E hominibus coaleſcat, qui infallibilitatis dotem nequaquam ſortiti ſunt, quibus obtemperandum eſt ; cur igitur, ſtante eâdem hominum fallibilitate, non erit honeſtum obedire Prælatis ? Non inficias imus, quandoque præfici rudiores, ignavos, indoctoſve, unde Monaſtica diſciplina nutare ſolet ; verùm non hoc divinæ inſtitutionis, ſed noſtræ infirmitatis culpa eſt, quinimmo hoc ipſum obedientiæ meritum auget, dum Religioſi hiſce Prælatis æque, ac aliis parere ſtudent, id unum præ oculis habentes Chriſtum in Prælatis fore venerandum.

Mandatum circa licita ſemper obedientibus utile.

308 OB.

308 OBJIC. VII. Obedientia eſt parvulorum; ſed ſtatus perfectionis non eſt parvulorum; ergo ſtatui perfectionis obedientia non convenit. Et ſane obedientia eſt eorum, qui indigent alieno dirigi conſilio, quo ipſi carent; hi autem ſunt parvuli, ut innuit Apoſtolus 1. ad Corint. 4. v. 14. Perfecti autem repleti ſunt intelligentiâ, eapropter nullo moderatore per ſemetipſos reguntur. Id habes ex laudato Apoſtolo ad Heb. 5. v. 12., & ſeqq. *Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis, ut vos doceamini, quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ: parvulus enim eſt. Perfectorum enim eſt ſolidus cibus; eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali.* Sic dogmatizant Beguardi contendentes non teneri viros perfectos Prælatis obedire.

S. Thomas evertit argumentum 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 5. *ad* 2. -- Dicendum quod „ ſicut Philoſophus dicit in 2. Ethic. homines exercitantes ſe in operibus perveniunt „ ad aliquos habitus, quos cum acquiſierint, „ eoſdem actus maxime poſſunt operari. Sic „ ergo obediendo illi, qui non ſunt perfectionem adepti, ad perfectionem perveniunt. Illi autem, qui jam ſunt perfectionem adepti, maxime prompti ſunt ad obediendum, non quaſi indigentes dirigi ad „ perfectionem acquirendam, ſed quaſi ex „ hoc ſe conſervantes in eo quod ad perfectionem pertinet -- Qui parvuli ſunt, maxime indigent dirigi, ſed & perfecti, cum Religionis ſtatus ſit ad ulteriorem quovis tempore perfectionem acquirendam. Audiatur itidem D. Auguſtinus *Tract.* 97. *in Joannem*, ubi retundit ſpuriorum Myſticorum doctrinam, nempe quod viri perfecti non tenentur Prælatis obedire -- Cavete, maxi„ me qui parvuli eſtis & adhuc alimentis la„ ctis indigetis, ne hominibus ſub hac oc„ caſione deceptis, ac deceptoribus . . . au„ rem curioſam præbeatis ad incognita ſcien„ da, cum mentes invalidas habeatis ad ve„ ra, & falſa dijudicanda . . . Cavete ti„ mendo, & orando, ne irruatis in illud „ ænigma Salomonis, ubi mulier inſipiens, „ & audax, inops panis effecta, convocat „ prætereuntes dicens: panes occultos liben„ ter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem: „ hæc enim mulier vanitas eſt impiorum, „ cum ſint inſipientiſſimi, aliquid ſe ſcire „ opinantium, ſicut de iſta muliere dictum „ eſt, inops panis effecta. Quæ cum ſit „ inops panis, promittit panes -- Plures itaque qui revera imperfecti ſunt, facile decipi poſſunt, atque ad ſublimia elevatos ſe credere, ut alios doceant, propterea ſemper obediendum eſt; obedientia namque indubiam ſternit viam ad perfectionem. Quod ſi qui vere perfecti ſunt, adhuc obtemperare debent Prælatis: *Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*, ait Apoſtolus ad Heb. 13. v. 17. In eo quidem diſcrimantur parvuli a perfectis, quod illorum obedientia perſæpe pluribus admiſcetur defectibus, ſecus iſtorum.

309 OBJIC. VIII. Quod impoſſibile eſt, dubio-procul nequit eſſe materia voti honeſti, ac meritorii, ſed materia monaſticæ obedientiæ hujuſmodi eſt; hæc ſiquidem nullo concluditur limite, ſed omnem actum, qui præcipi poteſt, comprehendit, aliàs obedientia monaſtica non alia eſt a perfecta Evangelica obedientia, quæ plenam voluntatis abnegationem complectitur, ut innuunt Patres, dum textum Matthæi 16. interpretantur, videlicet: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Addas velim obedientiam hanc fore potiorem partem Religioſæ Profeſſionis conſtitutivam; porro docent Patres Religioſam Profeſſionem eſſe holocauſtum, in quo nihil reſervatur, ſed totum conſummitur, adeoque per obedientiam totaliter, atque in omnibus offertur voluntas: hinc *Cap. Cum ad Monaſterium* Obedientiæ votum voto æquiparatur caſtitatis, quod univerſaliter obligat: manifeſtum eſt autem obſervari nequaquam poſſe votum ſecundùm hanc amplitudinem, cum actus propemodum ſint infiniti, & plerique maxime ardui; eapropter hocce onus meritò importabile cenſeri poteſt. Subdit itidem Obedientiæ votum pluribus Prælatis, qui non rarò arbitrarie imperant, & quandoque contraria mandant.

Argumentum plura involvit, quæ ad Caſuiſtas apte pertinent, ea propter brevi calamo perſtringemus, quæ ad rem noſtram præcipue ſpectant. Primò igitur illud in hac materia indubium eſt ſolas honeſtas actiones cadere ſub præcepto Prælati; pravæ namque actiones Deo adverſantur, cui primariò præſtanda eſt obedientia.

Quæ extenſio voti obedientiæ.

Certum eſt ſecundò non cadere ſub præcepto, & juriſdictione Superioris id, quod contrariatur Regulæ: ad hoc namque non extenditur ejuſdem auctoritas, quæ utique in ædificationem eſt, non in deſtructionem, adeoque non eſt materia obedientiæ; quod verum eſt, etſi opera illa non ſint mala ſimpliciter. Doctrina eſt S. Thomæ *Quodlib.* 1. *art. mihi* 15. -- Perfecta autem obedien„ tia eſt, ut ſimpliciter in omnibus obediat, „ quæ non ſunt contra Regulam, vel contra „ Deum, ſed quod aliquis obediat Prælato „ in his, quæ ſunt contra Deum, vel contra „ Regulam, eſt obedientia incauta, & illi„ cita -- & *Quodlib.* 10. *art. mihi* 10. -- Quod „ enim Religioſus non tenetur Prælato obe„ dire in his, quæ ſunt contra Deum, vel „ contra Regulam, vel quantum ad ea, in „ quibus diſpenſatio Prælatis non committi„ tur, omnes communiter dicunt -- Et meritò ſanè, ſiquidem nullum perlegi oppoſitum ſentientem. Unde habes Subditum non teneri obedire Prælatis in his, quæ Regulari obſervantiæ adverſantur, puta cum Superior frequentes præcipit ſilentii, ſolitudinis, abſtinentiæ, & ſimilium interuptiones; cum enim lex quælibet ſtatuta habeat, more Sanctorum Patrum, animi levamina, ut curæ intermittantur, qui præſcriptum modum non ſervant, nonniſi diſſolutionem, regulæque corruptionem moliuntur, adeoque in his non tenetur Subditus Superiori obtemperare. Sicut nec cum diſpenſat ſine rationa-

Incauta obedientia quæ?

 bili

bili cauſa ; diſpenſatio ſiquidem ſine cauſa
in nuſtro caſu nulla eſt . Equidem ſcio non
eſſe Subditorum cauſam exquirere diſpenſa-
tionis , verùm in maniſeſtis abſque inquiſi-
tione res clareſcit , in his potiſſimum pro
quibus cauſæ diſpenſationis jam ſunt deſigna-
tæ . Hac ſuper re præſtat audire Cajetanum
in Comment. art. 5. *quæſt.* 104. *ad* 3. -- Ad
„ hoc dicitur , quod diſpenſatio poteſt fieri
„ dupliciter , primò abſolute ſine cauſæ diſ-
„ cuſſione , quia ſic videtur Prælato ſuper-
„ ficietenus , aut ſine cauſa diſpenſanti , ut
„ communiter fieri videtur in iſtis levibus ;
„ alio modo cum cauſæ urgentis diſcuſſione ,
„ & concluſione . Si Prælatus ergo præcipiat
„ aliquid contra , vel præter regularem vi-
„ tam diſpenſando primo modo , non tene-
„ tur Subditus obedire , ſed debet ſequi po-
„ tius ſtatutum Religionis ſuæ . Et ratio
„ eſt , quia diſpenſatio ſine cauſa legitima ,
„ ſufficiente ad relaxationem legis , in hoc
„ caſu non eſt diſpenſatio , ſed diſſipatio , niſi
„ ſorte diſpenſans ſit Princeps in bis , quæ
„ ſunt pure juris poſitivi : ſi verò præcipiat
„ aliquid diſpenſando cum cauſa legitima ,
„ ſic tenetur Subditus obedire -- Conſtitu-
tiones noſtræ Superioribus modum aſſignat
quoad diſpenſandum . De Prioribus habent
3. *p. cap.* 25. *n.* 2. -- Prior in his , quæ
„ ad quotidianam communis vitæ diſcipli-
„ nam pertinent juxta occaſiones occurrentes
„ cum ſuis , & ſecum diſpenſare poterit .
„ Caveat tamen ne levi de cauſa etiam in
„ rebus minimis diſpenſet , cum ſine culpa
„ diſpenſare non poſſit , ſi juſta cauſa deſit --
alia *n.* 3. aſſeruntur ; *& cap.* 10. *n.* 5. de
Præpoſito Generali circa ejuſdem poteſtatem
diſpenſandi habetur -- At hoc ex juſta cau-
„ ſa , raròque efficiet . Qua in re ſi delique-
„ rit , in Capitulo Generali graviter punia-
„ tur -- & de Provinciali *cap.* 23. *n.* 5. --
„ Poterit . . . & in his quæ ad mores atti-
„ nent , nec per Conſtitutiones ei prohiben-
„ tur , diſpenſare ; at hoc ex juſta cauſa ,
„ raròque efficiet : qua in re ſi deliquerit in
„ Capitulo Provinciali , tempore ſuæ viſita-
„ tionis , puniatur --

Cum igitur occurrit diſpenſatio ſine
cauſa , non ſolùm non tenentur Subditi obe-
dire , ſed nec debent , niſi ſorte ſcandalum
immineat : ſiquidem per haſce diſpenſationes
paulatim Monaſtica diſciplina labefactatur ,
atque evertitur , ut palam evincitur ex flo-
rentiſſimis Ordinibus , qui a primævo ſpiri-
tus fervore declinaverunt . Et licet potiſſi-
mum e Prælatorum munere ſit relaxationem
præcavere , nihilotamen minus ſuas habent
partes & Subditi . Quodlibet namque mem-
brum ſollicitum eſſe debet de ſalute totius
corporis . Non inficias imus damnabiliores
eſſe Prælatos , ſi pravæ conſuetudines intro-
ducantur , ſed a culpa non excuſantur Sub-
diti , ſi cooperentur , ſcienter , quæ legibus
adverſantur , exercentes .

Nec momenti eſt , ſi dicatur doctrinâ
hac ſimplicitatem ob[illegible]dientiæ Subditorum im-
minui : etenim non [illegible] , ſed tollitur
ignorantia , quæ omnium e[illegible] radix eſt .
Pertinet ergo ad Religioſos ſcire , quæ , &
quando leges obligant , & ſicut Chriſtus in
viris Apoſtolicis conjunctam voluit columbæ
ſimplicitatem , cum Serpentis prudentia , ita
optime componitur ſimplicitas obedientiæ
cum ſcientia eorum , in quibus obediendum
non eſt .

Notandum III. cum S. Thoma 2. 2.
quæſt. 104. *art.* 5. *ad* 3. quod -- poteſt tri-
„ plex obedientia diſtingui , una ſufficiens
„ ad ſalutem , quæ ſcilicet obedit in his , ad
„ quæ obligatur ; alia perfecta , quæ obedit
„ in omnibus licitis ; alia indiſcreta , quæ
„ etiam in illicitis obedit -- Porro obligatio
Regularium non eſt major eâ , quam obe-
dientiæ votum inducit ; votum autem non
ultra Regularis inſtituti intentionem obligat ,
ideſt non ultra Regulam , ſeu præſcriptas ab
Inſtitutoribus leges , atque ab Eccleſia appro-
batas : hinc ſi Regula graviter non obligat ,
tranſgreſſio non erit lethalis , itidem ſi ad
aliqua non adſtringit , non poſſunt a Supe-
riore præcipi . Quod ſane compertum eſt ;
unuſquiſque enim ad id tenetur , quod pro-
miſit , & Religio quælibet determinatam ha-
bet vivendi rationem ; ideo apte dicebat
S. Bernardus *lib. de Præcepto , & Diſpenſat.*
cap. 7. -- Is qui profitetur , ſpondet quidem
„ obedientiam , non tamen omnimodam , ſed
„ determinatam ſecundùm Regulam -- Qui-
libet enim alteri tenetur obedire ſecundum
quod illi ſubeſt , cum non omnium eadem
ſit ſubjectio ; & ſicut alia eſt ſubjectio Diſci-
puli ad Magiſtrum , alia Uxoris ad Virum ,
Servi ad Dominum , Militis ad Ducem ,
Filii ad Patrem , ita omnium Monachorum
non eadem eſt ; & apte quidem , nam ad
pulchritudinem Eccleſiæ diverſarum Religio-
num varietas apte deſervit , propterea que
unaquæque conſtitutos habet obedientiæ li-
mites : quod innuit S. Bernardus laudato
loco -- Si Profeſſo ſecundùm illam Regulam
„ Abbas meus mihi aliud forte imponere
„ tentaverit , quod non ſit ſecundùm Regu-
„ lam , aut etiam quod non ſit ſecundùm
„ iſta inſtituta ; verbi causâ Baſilii , Augu-
„ ſtini , Pacomii , quænam mihi , quæſo ,
„ in hac re neceſſitas imminet obſequendi ?
„ Solùm quippe id a me poſſe exigi arbi-
„ tror , quod promiſi -- Doctrinam hujuſ-
modi ſæpenumero repetit S. Thomas , cum
quo dicimus -- Sufficiens Obedientia eſt , ut
„ Religioſus obediat ſuo Prælato . De his ,
„ quæ ad regulam pertinent , vel directe
„ ſicut ea , quæ ſcripta ſunt in regula , vel
„ indirecte ſicut ea , quæ ad hæc reduci
„ poſſunt , ſicut miniſteria exhibenda Fra-
„ tribus , & pœnæ pro culpis inflictæ , &
„ hujuſmodi ; perfecta autem obedientia eſt ,
„ ut ſimpliciter in omnibus obediat , quæ
„ non ſunt contra regulam , vel contra
„ Deum -- Sic habet *Quodlib.* 1. *art.* 15. , *&*
Quodlib. 10. *art.* 10. poſtquam ſtatuit non eſſe
obediendum præcipienti contra Deum , vel
contra Regulam ait -- Quod etiam in his ,
„ quæ ſunt arctiora quam regula , obedire
„ non teneatur , ſed ſic obedire ſit obedien-
„ tiæ perfectæ , ut ab omnibus dicitur ; ſed
„ circa indifferentia , vel ea , quæ ſunt infra
„ arctitudinem Regulæ , aut æqualia Regu-
„ læ , ſunt duæ opiniones , quibuſdam di-
„ centibus , quod obedire in hujuſmodi eſt
„ de

Votum obedientiæ obligat juxta Regulam.

„ de neceſſitate obedientiæ, aliis autem,
„ quod non eſt de neceſſitate obedientiæ,
„ ſed de perfectione; quæ quidem duæ opi-
„ niones, & ſi multum differre videantur
„ quantum ad vocem, tamen quantum ad
„ rem parum, aut nihil differre inveniun-
„ tur: nam ad regulam pertinere intelligen-
„ da ſunt non ſolum ea, quæ ſunt expreſſa
„ in regula, ſed etiam illa, quæ quncumque
„ modo ad regulam reducuntur, utpotè quæ
„ pertinent ad obſequium fraternæ ſocieta-
„ tatis, & ad punitionem culparum, ad
„ quæ duo fere omnia hujuſmodi indifferen-
„ tia reduci poſſunt; ſi tamen aliqua ſunt,
„ quæ nullatenus ad regulam reducuntur;
„ videtur eſſe verior opinio, quod ubedire
„ in hujuſmodi non ſit de neceſſitate obe-
„ dientiæ, ſed de perfectione, ut Bernardus
„ manifeſtè dicit *in lib. de præcepto, & di-*
„ *ſpenſat.*, & hoc ideo, quia obedientia
„ non ſe extendit ultra poteſtatem, vel jus
„ prælationis, quæ quidem ſecundum regu-
„ lam limitatur -- idem habet 2. 2. *q.* 104.
art. 5. *ad* 3. Ex his eliquatam habes primam
argumenti partem intendentis adſtruere im-
poſſibilitatem voti obedientiæ ob ejus univer-
ſalitatem: negatur enim hanc eſſe neceſſa-
riam ad eſſentiam voti monaſtici obedientiæ,
ſed ſufficit proportionata fini præintento a
qualibet Religione per ſuas leges explicata,
nec quidquam evincunt inducta argumenta,
non primum; nam Obedientia Evangelica
omnem comprehendit latitudinem, atque
extenditur ad ea, quæ ſunt de neceſſitate
ſalutis, ſicut & de perfectione conſilii; quæ
primi generis ſunt ab omnibus obſervari de-
bent, nec noſtrum eſt aliqua amplecti, alia-
que reſpuere; quæ verò alterios ſunt ordi-
nis, libere a nobis adoptantur: quoniam au-
tem libere eliguntur, ideo unus ad plura, ad
pauciora alter obligatur per votum, juxta
quod hanc, vel illam Regulam eligit. Dici
tamen meritò debet, quodlibet Monaſticum
Inſtitutum Evangelicam profiteri obedien-
tiam, ſiquidem eſt ad imitationem illius,
quam Chriſtus conſuluit. Num autem im-
præſentiarum aliquis exiſtat Ordo Regularis
in Eccleſia Dei, qui obedientiam, qua late
patet, profiteatur? S. Bonaventura propu-
gnat genus hocce obedientiæ a Minoritis
promitti: licet enim votum emittatur ſecun-
dùm Regulam, tamen ex vi ejuſdem Regu-
læ tenentur illius Profeſſores in omnibus ob-
temperare, niſi ipſi Regulæ contrarium ſit,
vel directe, aut indirecte ſaluti adverſetur.
Diſtinguit Seraphicus Doctor *Opuſc. de Pro-*
greſſu Religionis lib. 6. *cap.* 27. triplicem obe-
dientiam, ſpiritualem, quâ Eccleſiaſticis
Prælatis ſubjicimur, ſpiritualem, quâ ſponte
alicui promittimus obedientiam in determi-
nata materia, & maxime ſpiritualem, qua
ſine limitatione promiſſio fit ad omnia, quæ
ſaluti non adverſantur æternæ; hancque vo-
cat perfectam, aliam verò a perfectione elon-
gari affirmat. Verùm dubio-procul in ſenſu
negativo intelligendus eſt, ſecus in privati-
vo, aut poſitivo, aliàs velut imperfectos
damnaret omnes Monaſticos Ordines, qui
limitate vovent obedientiam.

Evangelica obedientia habet latitudinem.

Nec urget ſecundum ea paritate voti
caſtitatis, cui reſpondet Angelicus *Quodlib.* 10.
A *art.* 10. *ad* 1. -- Votum continentiæ reſpicit
„ ſpeciale genus actus, ſed votum obedien-
„ tiæ reſpicit generaliter omnes actus, unde
„ niſi determinaretur ejus generalitas; eſſet
„ Religionum confuſio, quia omnes ad idem
„ tenerentur -- Ex quo aſſertionem noſtram
confirmatam habes. Ordo Monaſticus, cum
ſit ordinata acquirendæ perfectionis paleſtra,
neceſſe eſt, quod ordinata media conſtituat
ad finis conſecutionem; ea propter fas eſt,
quod amplitudo voti determinetur: porro
materia, quæ cadere poteſt ſub obedientiæ
voto, eſt propemodum illimitata, comple-
ctens contraria, immo & contradictoria,
B adeoque ut fini uniuſcujuſque Inſtituti ſit
proportionata, determinari per leges opor-
tet. Caſtitatis votum unam tantummodo
materiam habet determinatam, obviam, at-
que manifeſtam, ac per conſequens coarctari
nequaquam debet, ſed ad eam indefinite
extendi.

Diſcrimen obedientiam inter, & caſtitatem.

Ad tertium dicimus, quod ut Religio-
ſus faciat holocauſtum, medio obedientiæ
voto, haud neceſſe eſt univerſalem, atque
ſecundùm omnem extenſionem promittere
ſubjectionem, ſed ſat eſt ſubjectionem pro-
mittere quoad intenſionem, ideſt liberum
arbitrium ſubdere alterius voluntati, Deoque
C offerre. Audiatur S. Thomas *Quodlib.* 10. *art.*
10. *ad* 3. -- Per votum obedientiæ ſupponi-
„ tur Religioſus Prælato ſuo quantum ad ge-
„ neralem diſpoſitionem vitæ ſuæ, licet non
„ quantum ad omnes actus particulares: ſe-
„ cularis autem ſuo Prælato obedire tenetur,
„ quantum ad aliquos actus ſpeciales, non
„ quantum ad generalem diſpoſitionem vitæ
„ ſuæ -- & 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 5. *ad* 4. --
„ Votum obedientiæ ad Religionem perti-
„ nens ſe extendit ad diſpoſitionem totius
„ humanæ vitæ, & ſecundùm hoc votum
„ obedientiæ habet quandam univerſalita-
„ tem, licet non ſe extendat ad omnes par-
D „ ticulares actus -- Quia videlicet voluntas,
quæ humanarum actionum principium eſt,
Deo ſacratur. Quoniam verò, ſtante hac li-
mitatione, non ſatis elucet ratio perfecti ho-
locauſti, immo obedientiæ votum minus per-
fectum apparet præ aliis: etenim votum con-
tinentiæ univerſale eſt in ſua linea, & vo-
tum paupertatis omnem abdicat dominium
in particulari, efficitque cujuslibet rei tem-
poralis dependentiam, inde neceſſe eſt rem
clarius dilucidare. Igitur Monaſtica obedien-
tia duplicem involvit ſubjectionem, unam
exercitii, ſpecificationis alteram; ſubjectio
quoad ſpeciem actuum qualitatem exer-
E cendarum actionum reſpicit, ſubjectio verò
quoad exercitium reſpicit agere, & non
agere; quoad actuum ſpecificationem obe-
dientia non eſt omnino univerſalis, ſecus
quoad exercitium; quia per votum voluntas
Deo vovetur, & ſubjicitur diſpoſitioni Præ-
lati, a quo applicari poteſt quovis tempore
in actionibus Inſtituto conſentaneis, ita ut
omittere, ſeu ceſſare debeat a quacunque
actione alterius rationis: ea propter Religio-
ſus non habet proprium jus quoad agendum,
vel non agendum, & hujuſcemodi univerſa-
litas ſat eſt ad rationem holocauſti.

Quid requiritur ad holocauſtum.

Supereſt, ut diſſolvatur argumentum, quantum ad id quod ultimò ſubditur, deſumptum ex Prælatorum multitudine, atque ex modo præcipiendi. In quolibet Monaſtico Inſtituto recta datur ſubordinatio; ſunt enim cujuslibet Monaſterii Superiores immediati, ſunt & Superiores cujuſcunque Provinciæ, ſunt demum Superiores totius Ordinis. Præter recenſitos, ſi Ordo non ſit exemptus, datur etiam Epiſcopus Diœceſanus, qui prædictis præeſt, & ſuper omnes Romanus Pontifex, non eâ tantummodo ratione, quia eſt Univerſalis Eccleſiæ Pater, ſed ob potiſſimum jus quod habet relate ad omnes Regulares Ordines. Ex his clare patet, quo ordine obediendum ſit; ſiquidem ubi mandata ſunt incompoſſibilia, ſemper Superiori præſtantiori obtemperandum eſt, quo tempore ceſſat obligatio mandati inferioris. Hoc tamen abſolute intelligitur; nam in aliquo caſu mandatum Prælati inferioris prævalere poterit ob ſpeciales circumſtantias occurrentes ab altero Superiore non prævifas, vel etiam ſi Inferior licentiam haberet diſpenſandi in lege Superioris. Quoad præcepta ſimul, & ſemel injuncta, facile reſpondetur non dari obligationem adimplendi omnia ſimul, ſufficit, quod ſucceſſive executioni mandentur; ſi verò ſucceſſionem non patiuntur, illud adimplendum, quod juxta prudentiæ Regulas magis urgere videtur, ſeu quod majoris neceſſitatis, aut utilitatis eſt. Itaque verus Monachus non attendit ſive ad mandatorum varietatem, multiplicitatem, aut contrarietatem, ſed in Prælato Chriſtum contemplatur, atque exequitur mandata. Quod ſæpe numero innuit S. M. Thereſia, ut videre eſt *in Sententiario ſentent.* 26., *&* 46.

Prælatus Chriſti Perſonam refert.

310 Ex dictis infertur I. Obedientiam Monaſticam extendi ad interiores actus, ut abunde evincitur tum ex dictis, tum ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 5., & meritò ſane, ſiquidem ſtatui Monaſtico neceſſaria eſt obedientia, quia eſt ſtatus perfectionis acquirendæ: porro in his quæ ſunt perfectionis, unus indiget ab alio inſtrui, exerceri debet in rerum divinarum contemplatione, ac meditatione, animi motus moderari, ac dirigere, quæ omnia interiores actus potiſſimum connotant, ea propter e Prælatorum munere eſt eos ordinare: tota enim œconomiæ clauſtralis diſciplina ad hoc ſpectat, ut ſubditi ad perfectionem tendant, atque promoveantur, hincque duriſſimum judicium fiet Prælatis, ſi potiorem hanc ſui muneris partem negligant, ſi ſedulò non incumbant ad ſpirituales curandos morbos, ſi gregem ſibi creditam ad charitatem, & perfectionem non provehant; quapropter ſub certa obligatione diſcere, & ſcire tenentur, quæ ad hæc apte exequenda neceſſaria ſunt. Sunt enim ſpirituales Magiſtri, Paſtores, & Doctores, aliàs compertum eſt ex Prælatorum ignorantia, quoad ea quæ ſui muneris ſunt, Religiones ad interitum declinare. Plerique ſubditorum, qui curſum bene cœperant, deficiunt in via, pauci ad perfectionem perveniunt, alii tepidi, alii ſuperficietenus ferventes ſunt, labuntur multi; parvuli petunt panem, verùm non eſt, qui frangat eis, vel ob Prælatorum ignorantiam, vel ob eorundem deſidiam. Prælatis, qui in Aaron, ejuſque filiis exprimuntur, dicitur Levit. 10. v. 10., & ſeq. *Et ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi*. Et Jeremiæ 3. v. 15. *Et dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ, & doctrinâ*; ſcientiâ videlicet Dei, per quam ſpiritualis homo ſemitas perfectionis percurrit.

Actus interni præcipi poſſunt a Prælato.

Ex his in aperto eſt falſam eſſe doctrinam Molinos contendentis neminem teneri rationem reddere Prælatis de interioris vitæ ſtatu, nec eſſe in iis poteſtatem id exquirendi, quia Eccleſia non judicat de occultis; quod Religioſos etiam docebat *prop.* 65. — „ Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & „ latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore verò res aliter ſe habet, quo ſolus „ Deus, & Director intrant — *& prop.* 68. — „ In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio „ ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ, „ & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc „ eſt inſultus Satanæ — Hæc deceptor ille. Jure igitur meritòque dicendum eſt Monaſticam Obedientiam ad interiores actus extendi, ut exigit ratio perfecti holocauſti, quo Religioſus ſe Deo devovet.

311 Infertur II. Obedientiam Monaſticam extendi ad ea, quæ per proprias cujuſcunque Inſtituti leges præſcribuntur; ea propter nequeunt Superiores auſteritates a Regula non conſtitutas mandare. Hujuſmodi doctrina indubia eſt, & ex prædictis palam innoteſcit; ſiquidem votum Monaſticæ Obedientiæ eſt ſecundùm Regulam, adeoque, quæ nec directe, nec indirecte in ea continentur, etſi perfectiſſima ſint, non cadunt ſub voto. Non ob id tamen rationabile eſt eorum murmur, quibus gravior aliqua pœna, quæ in Regula non continetur, ob delictum infligitur; etenim jus habet Superior, ut dignâ mulctet pœnâ delinquentes, & hoc quidem ex vi Regulæ, ob quam Religioſus condignæ ſubditur ſatisfactioni. Poterit itidem Superior aſperiora quædam præcipere, quoties id neceſſarium ducat vel ad præcavenda mala, vel ut cautius vivant Religioſi; cum enim Religioſus ſtatus ſanctior eſſe debeat, & ſecurior, addatur oportet quod ad ejuſdem decorem ſervandum, fovendamque ſecuritatem deſervire poteſt; hinc ſubſiſtunt leges paulò etiam ſeveriores, quæ conduntur.

Novæ leges quando obligent.

Quæri ſolet a Noſtratibus, an Superior cuilibet Subditorum præcipere poſſit, ut Apoſtolicum munus aſſumat in terris Infidelium, cui reſpondeo affirmative: hocce namque non eſt omnino ultra noſtrum Regulare Inſtitutum; ſiquidem dum ſolemnia vota emittuntur, ſicut etiam dum vota renovantur, additur propoſitum eundi ad Miſſiones, cum id a Superioribus fuerit injunctum; unde compertum ſit id non eſſe ultra intentionem Inſtituti noſtri.

312 Infertur III. Religioſum ſi tranſire

ſire velit ad arctiorem, nequaquam impediri poſſe a Prælato; ſemper namque in voto illa conditio ſubauditur, quod impeditivum non ſit majoris boni; nequit tamen hunc tranſitum præcipere Superior, quia eſt ſupra Regulam, quam profeſſus eſt. Subditus in aliquam dignitatem extra Religionem conſentire non poteſt abſque Superioris facultate, quam abſque conſenſu Capituli Conventualis valet impertire, & habetur *Cap. Si Religioſus de Electione in 6.*, ea propter ſi Subditus conſentiat, privandus eſt, *Cum*, ut ait laudatus Canon, *velle, vel nolle non habeat*. Autumant nonnulli etiam Epiſcopatum in hoc Canone comprehendi, ſed revera id aperte colligi non poteſt. Illud tamen indubium eſt, id non intelligi, niſi in caſu electionis proprie talis; unde ſi intercedat ſimplex poſtulatio, vel præſentatio, non adeſt obligatio exquirendi licentiam a Prælato, ſicut ſi Pontifex immediate aliquem aſſumat ad dignitatem. Non eſt tamen e munere Prælati Subdito præcipere, ut Epiſcopatum acceptet; cum Epiſcopalis dignitas non ſit materia voti ob conditiones quas involvit, ob quas apeti nequit. Poteſt quidem hoc præcipere Summus Pontifex ratione juriſdictionis, quam habet in tota Eccleſia, cui debet conſulere.

Votum tranſeundi ad arctiorem impediri nequit.

313 OBJIC. IX. Haud licitum eſſe poteſt votum, quoties ejuſdem materia non eſt honeſta; ſed apud Pontificios pleraque obedientiæ vota circa materiam verſantur non habentem honeſtatem; etenim nonnulli obedientiam vovent homini, qui nulla publica præſtat auctoritate. Porro in hiſce votis nulla relucet honeſtatis prærogativa: ſiquidem alteri ſubjici, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, plane indifferens eſt, & potiſſimum ſi habeatur ſubjectio alteri quacunque poteſtate carenti; in hoc ſiquidem nullum adeſt jus præcipiendi, nullaque vis imperandi. Quare in his non alia eſt bonitas, niſi illa tantummodo, quam habet actus, qui exercetur; ceterum ſi actus ſit ex ſe indifferens, ut ſæpe numero contingit, tunc nulla eſt honeſtas: cum ergo vota hujuſmodi abſolute, & univerſaliter emittantur, vana ſunt, & illicita.

Impetit objectio vota, quæ ſimplicia nuncupantur, utpote alia a ſolemnibus. Verùm Novatoribus adverſatur antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ hujuſmodi vota adoptavit; adverſatur Patrum doctrina, quæ ut apprime utile approbat viro prudenti ſeſe dirigendum commendare; adverſatur praxis Sanctorum, qui non tarò privatis hominibus voluntariam obedientiam præſtiterunt; adverſatur demum Evangelica veritas, quæ propriæ voluntatis abnegationem conſulit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. Et meritò quidem, nam non eſt neceſſe materiam voti habere ex ſe peculiarem bonitatem, ſed ſat eſt utilem eſſe, atque deſervire ad virtutis conſecutionem, ſive aptando ſubjectum, ſive impedimenta amovendo; quo pacto paupertas perfectioni deſervit, aptaque materia voti eſt, & tamen ſecundùm ſe conſiderata peculiarem non importat bonitatem, ſed impedimenta removet, quæ diſtrahunt affectum, & terrenorum involvunt ſollicitudinem; itidem propriæ voluntatis abnegatio exquiſite diſponit animum ad exercitium virtutis, proprium, ut ajunt, amorem eradicando.

Materia voti unde habet honeſtatem.

II. Quamvis ſubjicere ſe homini non habenti aliunde poteſtatem ſecundùm ſe ſit quid indifferens, practice tamen non niſi ex imperio alicujus virtutis, puta humilitatis, vel charitatis provenit.

III. Quæ ex natura ſua ſunt indifferentia, bona evadunt, ſi bonus eſt finis, ob quem eliguntur. Abſtinere v. g. a carnibus die Jovis nullam habet ex ſe bonitatem, ſi verò hoc fiat ad faciendum ſatis Deo pro peccatis, meritò inter actus virtutis recenſetur, ita pro re nata licet ſubordinatio, quæ homini ſit, peculiarem non dicat bonitatem, ſi tamen eligatur, ob finem placendi Deo, eumque colendi, eam quam non habebat, ſortitur bonitatem.

IV. Spirituale ſacrificium ſuam habet honeſtatem ex virtute Religionis; porrò propriam voluntatem propter Deum alteri ſubjicere ſacrificium quoddam eſt, & quidem perfectius, quam victimarum oblatio; nam ut habet S. Gregorius *lib. 35. Moral. cap. 10.* -- Per victimas aliena caro, per obedien„ tiam verò voluntas propria mactatur -- & S. Hieronymus *Epiſt. 28. ad Lucinium* -- Au„ rum deponere incipientium eſt, non per„ fectorum, fecit hoc Crates Thebanus, „ fecit Antiſthenes: ſeipſum offerre Deo pro„ prium Chriſtianorum eſt, & Apoſtolo„ rum --

V. Agere juxta prudentiæ leges honeſtum eſt, atque laudabile; ſed alterius imperio ſubdi in his, quæ ad perfectionem ſpectant, eſt juxta Prudentiæ leges; ſiquidem, ut quis tutò ad perfectionem tendat, plura executioni mandare debet, quæ per Dominica præcepta non ſunt determinata, utpote ſupererogatoria, & ex conſilio, quæ nec poſſunt, nec ab omnibus impleri debent; unde prudens judicium prærequiritur; hoc autem tutiùs ab alio, quam a ſe ipſo habetur; unde ſcite S. Bernardus *Ser. 3. de Circumciſ.* ſcribit -- Ergo ne incurrat qui cur„ rit, illuminari neceſſe eſt lumine diſcre„ tionis, quæ mater virtutum eſt, & con„ ſummatio perfectionis: hæc nimirum docet „ nec quid nimis: atque hæc eſt octava dies, „ in qua circumciditur puer; quia diſcretio „ vere circumcidit, ut non plus, nec mi„ nus fiat. Nam & qui minus eſt, fructum „ boni operis abſcidit, non circumcidit, „ ſicut qui tepidus eſt, ſi minus fiat &c. At „ verò, quia omnino rara iſta avis eſt in „ terris, hujus diſcretionis locum in vobis, „ Fratres, ſuppleat virtus Obedientiæ, ut „ nihil plus, nihil minus, nihil aliter, „ quam imperatum ſit, faciatis --

Prudentis eſt agere ex conſilio.

314 Supereſt, ut explicemus, quomodo ad obedientiam ſpectet actus ille, quo primò quis eligitur, ut eidem præſtetur obedientia. Si proprie loqui velimus, actus hujuſmodi non eſt immediate in linea talis virtutis, ſed tantummodo participative, nempe ex fine, quatenus ex amore obedientiæ elicitur, reliqui actus, qui ad electionem con-

conſequuntur, ad virtutem hanc vere pertinent, ſi ex imperio dirigentis fiant. Si promiſſio, vel votum ſit relate ad Epiſcopum, Parochum, aut Confeſſarium, jam nulla occurrit difficultas; ſiquidem quilibet ex prælaudatis paſtoralem curam habent, ſive ordinariam, ſive delegatam, de quibus dictum eſt: *Qui vos audit, me audit*. Quoniam verò non rarò evenire ſolet, ut quis ſe committat viro ceteroqui docto, atque prudenti, nulla ex prædictis inſignito dignitate, operæ pretium eſt explicare, quomodo in hoc caſu vera intercedat obedientia. Igitur licet homo nullam in alium habeat auctoritatem, nihilotamenminus ea ſuppoſitione, quod ille in Directorem eligitur, eique ſit traditus, Superior evadit, juſque acquirit dominativum, quod abunde ſufficit ad exercitium, veritatemque obedientiæ, ut videre eſt Servum inter, & Dominum. Liber quis eſt, immo æqualis conditionis cum Petro, cui non indiget famulari, ſi eligit illi ſervire, ſeque tradit in Servum, & Petrus famulatum acceptat, jam obtemperare tenetur; quod clariùs elucet in militibus, qui voluntarie caſtra ſequuntur: quamdiù enim militibus accenſentur, Ducibus Exercitus ſubditi ſunt, qui licet jure aliis imperarent, non tamen voluntariis.

Qui alteri ſubditur, hunc ſuperiorem facit.

Quod ſi pro re noſtra accedat promiſſio, vel votum, perfectius eſt, juſque dominativum efficacius. Poſita Directoris electione, atque, habita promiſſione, Director gerit vices Dei, cum jam Superior ſit conſtitutus; unde illum audiens Deum audit, & Director refert Chriſti Perſonam.

Nec ad hoc ut Dei vices gerat, neceſſe eſt per publicam Eccleſiæ auctoritatem deſtinari; quia votum illud non publicum, ſed privatum eſt, pro quo ſat eſt poteſtas dominativa per ſpontaneam alterius traditionem acquiſita. Adeſt tamen publica approbatio in communi, quatenus Eccleſia hunc vivendi modum approbat; non eſt ergo neceſſarium publicum judicium, ſed ſufficit judicium prudens, & probabile, quod electus idoneus ſit ad munus ſuum exequendum.

Neve dubitandi locus ſuperſit, doctrinam, quam propugnamus, innuunt Scripturæ, & Patres adoptant: Eccli. 6. v. 14., & ſeqq. legitur: *Amicus fidelis, protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum*. His adhortatur Spiritus Sanctus, ut virum probum quis eligat, ob multa, quæ inde eveniunt, bona; unde egregie dicebat S. Ambroſius *lib. 3. de Officiis cap. ultimo* -- Solatium hujus vitæ
„ eſt, ut habeas, cui pectus aperias tuum...
„ Ut colloces tibi fidelem virum, qui in
„ proſperis gratuletur tibi, in triſtibus com-
„ patiatur, in perſecutionibus adhorte-
„ tur &c. --

Eccli. 2. v. 1. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: medium porro apprime efficax ad devincendas Dæmonum inſidias eſt confugere ad prudentem virum, eique ſe committere dirigendum, ut innuit Spiritus Sanctus laudato libro cap. 27. v. 19. *Si denudaveris abſcondita illius, non perſequeris poſt eum*: hoc ipſo enim, quod animi anguſtiæ, ac tentationes deteguntur, ocyus fugit tentator. Audiatur Caſſianus *Collat. 18. cap. 10.* rem dilucidans ex doctrina Abbatis Moyſis -- Illico enim ut patefacta
„ fuerit cogitatio maligna, marceſcit, &
„ antequam diſcretionis judicium proferatur,
„ ſerpens deterrimus velut e tenebroſo, &
„ ſubterraneo ſpecu virtute confeſſionis per-
„ tractus ad lucem, & traductus quodam-
„ modo, ac dehoneſtatus abſcedit: tamdiu
„ enim ſuggeſtiones ejus noxiæ dominantur
„ in nobis, quamdiu celantur in corde -- &
meritò ſane; habetur ſiquidem Proverb. 28. v. 13. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur*; ſcribebat propterea S. Gregorius *lib. 7. Moral. cap. ultimo* -- Vulnera clauſa plus
„ cruciant; quia cum putredo, quæ intrin-
„ ſecus fervet, ejicitur, ad ſalutem dolor
„ aperitur --

Quodnam medium ad devincendas tentationes.

S. Baſilius *in Regul. fuſius diſput. reſp. 26.* ſcribit -- Debet viciſſim unuſquiſque eorum,
„ qui inferiores ſunt, ſiquidem memorabi-
„ lem ullam facere progreſſionem ſtudet, &
„ ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis
„ Domini N. Jeſu Chriſti eſt conſentanea,
„ pervenire, cum nullum animi ſui motum
„ apud ſeipſum celatum retinere . . . Hoc
„ enim modo fiet, ut & quod laude dignum
„ ſit, in nobis confirmetur, & quod minus
„ probandum congruo remedio ſanetur; at-
„ que ex hujuſmodi mutua exercendi inter
„ nos conſuetudine per modicas acceſſiones
„ ad perfectionem perveniamus -- S. Auguſt. *lib. 2. contra Adverſarium Legis, & Prophet. cap. 14.* de Obedientia ait -- Maxima eſt vir-
„ tus, & ſic dixerim, omnium origo, ma-
„ terque virtutum -- S. Gregorius *lib. 35. Mo-*
„ *ral. cap.* 10. -- Obedientia ſola virtus eſt,
„ quæ ceteras virtutes menti ingerit, inſer-
„ taſque cuſtodit -- Quid plura, cum Patres perpetui ſint in Obedientiæ commendatione? Unde compertum quiſque habere poteſt, quam laudabile ſit ſeſe alterius imperio ſubdere, ſive per ſolemnem, ſive per privatam promiſſionem, & quam male redarguant Acatholici doctrinam, atque Rom. Eccleſiæ praxim circa votum obedientiæ.

Non inficias imus noſtris hiſce temporibus, quibus ſuborta Quietiſtarum zizania bonum triticum inſecerunt, in ſimplici obedientiæ voto eliciendo prudenter incedendum eſſe, ne quis ſibi laqueum paret ad interitum; ea propter nonnulla placet advertere, ut inſidiæ evitentur. Et quidem quoad Perſonam, cui præſtanda eſt obedientia; ſi Confeſſarius vir prudens ſit, & doctus, aliiſque dotibus exornatus, ipſe eligatur, aliiſque præferatur; qui enim eſt a confeſſionibus, ſupra pœnitentem in foro conſcientiæ juriſdictionem habet; aliàs magis exploratam habere poteſt vivendi rationem ſpiritualis filii; unde tutiùs faciliùſque ipſum diriget: obligatio itidem ſacramentalis ſigilli apprime conducit ad abditos quoſque animi receſſus revelandos, hinc lubenter detegit vulnera, om-

Plura perpendenda ut votum eliciatur.

omneſque interiores motus; virtus quoque Sacramenti mire deſervit, ut conſilia altius cordi inſideant, promptiuſque exequantur. Novi quidem optimum eſſe cordis ſecreta extra ſacramentale tribunal revelare Directori; verùm prædicta manifeſtum faciunt Confeſſarium præ alio potiſſime eligendum eſſe, ubi cetera ſunt paria; & hæc fuit, atque impræſentiarum eſt frequentior praxis in Eccleſia; quod ſi Confeſſarius talibus non præcellat prærogativis, vir prudens, atque diſcretus aſſumatur. Monitum namque eſt S. M. Thereſiæ in ſpiritualibus Magiſtra, quod Confeſſarius doctus, quamvis minus Sanctus, indocto licet ſanctiori præferri debet; quia indoctus ſanctior ſimplicitate decipiet, ſecus qui præſtat doctrinâ.

Spiritualis Magiſter, antequam Diſcipulum ad vota ſimplicia, & præcipue obedientiæ admittat, oportet exacte diſcutiat, exploretque ſpiritum: non enim omni ſpiritui credendum eſt, nec lacrymis, ſuſpiriiſque facile fidendum. Nonnulli ſiquidem, dum in ſibilo auræ tenuis loquitur Deus, ideſt, dum tentationibus non vexantur, atque aliquali fruuntur interiori dulcedine, grandia meditantur, ſed dum inſurgit commotio, nempe, dum ardua quædam occurrunt, frigeſcunt, nec quidquam pro Chriſto pati volunt. Attente igitur ad examen revocandus eſt ſpiritus, atque probandus; nec permittat Director, quod ſtatim eliciatur votum perpetuum, ſed gradatim procedat, ita ut primò ad aliquod temporis, dein ad tempus longius, donec certum habeat experimentum: compertum namque habemus pleroſque a votis ſolutos ferventer perfectioni inſiſtere, ſed deficere, poſtquam votis ſeſe noverunt adſtrictos. Solemne quippe eſt Dæmoni quandam votorum, & juramentorum pruriginem excitare, ut acriùs urgeat, votiſque ligatos vincat. Novit namque impius, quod nitimur in vetitum.

Potiſſimum caveat ſpiritualis Magiſter, ne perſonas, quæ ſui juris non ſunt, admittat ad vota ſimplicia, quæ aliàs propria ſunt Religioſi ſtatus, de quibus nunc eſt ſermo, caute itaque procedat quoad Uxoratas, Ancillas, Puellas, & hujuſmodi; gravia enim inde ſequuntur inconvenientia, & noſtra hac tempeſtate quamplurima deteſtata eſt Eccleſia. Siquidem prætextu voti obedientiæ negabant aliqui debitam obedientiam Maritis, Parentibus, Dominis, hinc rixæ inter domeſticos, atque execrationes, quæ a Chriſtiana pietate prorſus aliena ſunt. Nuſquam propterea jura aliis debita impediri debent, ſed urgentius promovenda eorundem executio.

Illud quoque neceſſe eſt, ut, dum vota ſimplicia, præcipue obedientiæ, & paupertatis emittuntur ſpheram habeant obligationis perſpicuam, atque indubiam; aliàs vota erunt in laqueum. Fas igitur eſt, ut certa formula deſcribatur, ſub qua tantummodo, & non aliter obedientiæ votum obliget, itidem quantitas determinari debet, qua ſtante, & non aliter ſubſiſtat votum paupertatis; oportet demum ut omnia dilucide exprimantur, declarenturque ſive quoad tempus, ſive quoad locum, ſive quoad modum, ut inde nulla ſubeſſe poſſit deceptionis, aut ſcrupuli occaſio. Experientiâ enim teſte, vota hujuſmodi illimitata, indefinita quoad laicas Perſonas gignere ſueverunt tot animi anxietates, ut ad eas tollendas inſudare debuerunt Theologi. Satius hinc eſt, quod vota hæc emittantur ſub obligatione tantummodo veniali. Hoc deſervire poteſt ad meriti augmentum, quin periculo æternæ damnationis exponantur voventes.

Cavendum quam maxime in hoc privato obedientiæ voto, ne interdicatur facultas alios conſulendi in dubiis, ſive in gravioribus, ſive etiam pro libito: quidam enim exactam adeo ſibi volunt deferri obedientiam, ut nullimode velint, quod Clientes adeant viros doctos, ut eos conſulant, ſi quando caſus occurrant, in quibus vel de malitia Directoris, vel de captioſa doctrina, vel de ejuſdem inhabilitate dubium ſuboriatur; hinc tanquam reos execrandi criminis ipſos redarguunt, ſi ab aliis conſilium ſumunt. Vota hujuſmodi ſicut & juramenta nulla ſunt; quia non ſolùm non ſunt de meliori bono, ſed majus bonum impediunt, nec ſunt ab Eccleſia acceptata, cum in damnum cedant animarum. Peſſimum & illud eſt, quod occaſione Quietiſmi vidimus. Prohibent quidam medio juramento, aut obedientiæ voto, ut Clientes documenta, quæ a Pſeudomagiſtris didicerunt, etiam a Superioribus, Parochis, aut Epiſcopis interrogati, nullimode referant; quod ita fideliter obſervant; ut hoc ſilentio nil ſanctius eſſe dijudicent: hinc lupi detecti ſunt ſub ovina pelle. Veritas tenebras non quærit, nec lucem refugit; ea propter hujuſcemodi ſecretum in ſuſpicionem inducit fraudolentis doctrinæ. Alia ſervanda occurrunt in hiſce promiſſionibus, quæ ipſa prudentia, ſpectatis circumſtantiis, dictat, ea propter dicta ſufficiunt, ut diſcant Acatholici utilitatem, & honeſtatem votorum ſive ſolemnium, ſive ſimplicium.

§. III.

APPENDIX

AD OBEDIENTIÆ VOTUM.

AN OBTEMPERANDUM SIT CONSTITUTIONI INNOCENTII XII. DE DISCIPLINA REGULARI QUOAD VITÆ COMMUNIS OBSERVANTIAM.

NIſi urgentiora momenta me cogerent, ſatiùs eſſet ab hac Controverſia declinare. Verſatur quippe inter duo, quæ obſequium inſimul, & reverentiam expoſcunt. Inſtat hinc Apoſtolicæ Sedis auctoritas, illinc debito proſequendi ſunt honore Regulares Ordines, qui aliàs in oppoſitum ſentire videntur. Verùm enim verò obſequium omnibus præſtare curabimus, veritatem, quam ad unum omnes venerantur, amplectentes.

Utque

Utque res clareſcat, nonnulla ſunt adnotanda.

Notandum I. communem vitam eſſentialiter inter duo verſari; primum eſt, ut Religioſorum nemo proprium quid ſibi vendicet: etenim commune, & proprium ad invicem contradictorie adverſantur; eaque propter verificari nequit, quod aliquid ſit commune, ubi ratio proprii intercedit; aliud eſt, ut ea, quæ ad victum, & Religioſorum veſtitum ſunt neceſſaria, ex communibus bonis æqualiter diſtribuantur, prout unicuique neceſſe eſt; non enim erit communis partitio, nec convictus, ſi cum acceptione Perſonarum fiat diſtributio. Quare tunc vita communis ſervatur, quando ex bonis Monaſterii menſa eadem inſtituitur, cibus, veſtis, ſuppellex, & cetera ad ſubſidium pertinentia æqua lance diſpenſantur. Hæc eſt communis vitæ notio, quam Patres tradidere. Chryſoſtomus *hom. 58. ad Populum Antiochenum de Monachis, qui ea tempeſtate florebant*, ſcribit -- Una menſa, unum miniſterium ſuſcipientibus, & exhibentibus, eadem ſercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Non eſt ibi meum, ac tuum, ſed hoc verbum penitus eliminatum eſt -- S. Baſilius *in Regulis brevioribus* 85., *&* 87., *& in Conſtit.* 35. -- Omni modo fugiendum nobis eſt, ne privatim omnino quidquam poſſideamus præter ea, quæ promiſcue omnibus ſimul comparantur -- S. Benedictus *in Regula cap.* 33. -- Præcipue hoc vitium (*ſupple contra communem vivendi rationem*) radicitus amputetur de Monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine juſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque graphium, neque tabulas, ſed nihil omnino: quippe quibus non corpora ſua, nec voluntas licet habere in propria poteſtate -- Idem deſcribit Concil. Tridentinum *Seſs.* 25. *cap.* 2.

Vita communis quæ?

Notandum II., ut Apoſtolica Sanctio vim habeat obligandi, dubio procul præſupponere oportet, quod neceſſaria cuilibet Religioſo a Superiore provideantur, & in hoc apprime ſolliciti erant Patres de Regulari diſciplina ſtudioſi. Audiatur S. Benedictus *in ſua Regula cap.* 55. -- Et ut hoc vitium radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ ſunt neceſſaria, ideſt, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mapula, tabulæ, ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuum Apoſtolorum, quia dabatur ſingulis, prout cuique opus erat -- De hac indiſpenſabili conditione loquitur Tridentinum, ſicut & hi, qui de vita communi leges tradidere, qua de re Innocentius XII. in ſua Conſtitutione de diſciplina Regulari habet -- Studeant verò præcipue, ut ea omnia, quæ tam ad victum, & veſtitum, quam ad reliquas vitæ neceſſitates pertinent, ſingulis Religioſis prompte ſubminiſtrentur, ac præſertim ægritudinis tempore nihil alicui deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat --

Neceſſaria a Superiore præſtanda.

A conditionis hujuſce obſervantiâ Regularis diſciplinæ vigor dependet: hinc evidens, & pene irreparabile eſt æternæ ſalutis periculum in Superioribus, ſi hoc negligant, vel oſcitanter ſe habeant. Audiatur S. Baſilius *in Quæſt. compendio explicatis quæſt.* 150., ubi Superiorum redarguens negligentiam, habet -- Si verò negligens non det fratribus neceſſaria? Reſp. hoc judicium manifeſtum eſt ex verbis Domini, qui dixit: abite vos in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi edere, ſitivi, & non dediſtis mihi potum -- Prælati nuncupantur Patres, ut paterna charitate Subditorum neceſſitates ſublevent, immo materna induere debent viſcera, ut iis, qui Patrem, & Matrem pro Domino dereliquerunt, in omnibus præſto ſint. Proh quam damnabile, ſi aſpero ſupercilio filios humiliter ſibi neceſſaria expoſcentes excipiantur! Quod ſi contingat quandoque neceſſaria deficere, operam omnem impendant, ut quantocyus præſtentur.

Vera charitas multæ eſt induſtriæ, modoſque agnovit benefaciendi; non perſonas, ſed ſingulorum neceſſitates inſpicit. Perſonarum acceptio eſt velut Monaſticæ inſtitutionis peſtis; quare rite, ſancteque habetur in præcitata S. Benedicti Regula *cap.* 34. -- Sicut ſcriptum eſt, dividatur ſingulis prout cuique opus erit. Ubi non dicimus, ut perſonarum (quod abſit) acceptio ſit, ſed infirmitatum conſideratio -- Illud Pauli ad Galat. 1. v. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*, ſæpe perpendant; non ſtudeant nomen ſuum Poſteris commendare ſive in parietibus auro, vel picturis exornatis, ſive in marmoribus, quæ ſecularem redolent vanitatem, ſive in ædificiis ad pompam deſervientibus, quæque a veteri diſciplina elongantur; abſtineant demum a ſuperfluis, & nil deficiet, quo neceſſaria Subditis ſubminiſtrentur. Audiatur S. Gregorius *in Paſtorali p.* 2. *cap.* 7., ubi de cura temporali agens, habet -- Sic itaque Paſtores erga interiora ſtudia Subditorum ſerveant, quatenus in eis quoque exterioris vitæ providentiam non relinquant; nam quaſi jure, ut diximus, a percipienda doctrina Gregis animus frangitur, ſi cura exterioris ſubſidii a Paſtore negligatur --

Solliciti potiſſimum ſint Prælati quoad eos, qui infirma ſunt valetudine. Tanta erga iſtos excelluerunt charitate veteres Monachi, ut Calvinus ad quoſdam noſtri temporis Monachos advertens hac ſuper re deſides, affirmare non dubitaverit non eſſe præſentis temporis Monachatum. S. Hieronymus *Reg. Monaſt. de Infirm. recreatione* ſcribebat -- Tanto miniſterio confoveantur, ut delicias urbium, nec Matris quærant affectum -- Et ſane cum non conſurgere debeat duplex tribulatio in idipſum, durum nimis foret, ſi Monachus, infirmitatis inflictus aculeis, cruciaretur inſimul a ſufficientis ſubſidii carentia. Ex damnabili hac Prælatorum negligentiâ innumera gignuntur mala, quæ plurimum Monaſticam diſciplinam enervant. Plures delicate vivunt, ne infirmentur, refugiunt alii labores, horrent mor-

Magna circa infirmos ſollicitudo.

mortificationem , quam aliàs juxta Apoſtolum ſemper in corpore circumferre deberent; paterno igitur affectu provideantur valetudinarii , ſolentur , ac recreentur .

Hæc peragant Prælati , ſed & Subditi præ oculis S. Pauli 1. ad Timoth. 6. v. 8. monitum habeant : *Habentes autem alimenta : & quibus tegamur , his contenti ſumus* . Meminerint Evangelicam profeſſos eſſe paupertatem , atque incongruum fore ſub capite ſpinoſo membrum eſſe delicatum . Hi qui mollibus veſtiuntur , in domo Regum ſunt , ideſt , qui deliciis ſtudent , Chriſti ſequelam non amplectuntur , ſed ſibi vivunt . Itaque ſive Subditi , ſive Prælati , nervis omnibus , contendere debent , ut Monaſticam diſciplinam ſartam tectam cuſtodiant, promoveantque ; quod facile continget , ſi uterque ſuo fungatur munere .

Notandum III. hanc Controverſiam non inſtitui quoad Ordines illos , quibus ex legitima Apoſtolicæ Sedis confirmatione conceſſum eſt ſub certis quibuſdam conditionibus habere peculium , puta , quod apud Subditos non ſervetur , ſed reponatur in arca ſub cuſtodia Superioris , vel Œconomi , ita ut quoties Subditus pecuniâ indiget , per Superiorem, vel per Œconomum eidem largiatur. Semel enim ac hujuſmodi vitæ genus Apoſtolicæ Sedis judicio ut honeſtum probatum eſt , quovis tempore licitum erit : eapropter dum generali Sanctione Sedes Apoſtolica decernit communem vitam eſſe ſervandam, hoc intelligi debet relate ad illos Ordines , qui in ſua primæva inſtitutione illam profeſſi ſunt , vel etiam relate ad abuſus , qui in quolibet Religioſo Inſtituto ſuperinduci potuere .

Dicendum itaque Innocentianam Conſtitutionem de vita communi juſtam eſſe , eique obtemperandum .

315 PROB. I. Lex , quæ Regularem promovere intendit diſciplinam juxta primævæ inſtitutionis obſervantiam a Sacris Inſtitutoribus præintentam , atque ab Eccleſia approbatam , dubio-procul juſtiſſima eſt , omnemque obligandi vim ſortitur ; ſed hujuſmodi eſt Innocentiana Conſtitutio ; ergo juſtiſſima eſt , atque obligatoria . Minor propoſitio elucidatur . Ordinum Regularium Inſtitutores ſummo ſtudio , zelo , ac ſollicitudine communem vivendi rationem tradidere, eamque exacte obſervari voluerunt , ſevere animadvertentes in Refractarios, ut ex eorundem Regulis , ac Conſtitutionibus compertum eſt : ſiquidem præter ea quæ ſuperiùs dedimus , ſive ex Baſilio , ſive ex Chryſoſtomo , habemus itidem *ex laudato capite* 33. *Regulæ S. Benedicti* -- Omniaque omnibus „ ſint communia , ut ſcriptum eſt , neque „ quiſquam ſuum aliquid eſſe dicat , vel præ„ ſumat -- & ex B. Alberto Patriarcha Jeroſolymitano *in Regula Carmelitis tradita* -- Nul„ lus fratrum ſibi aliquid proprium eſſe di„ cat , ſed ſint vobis omnia communia , & „ diſtribuantur unicuique per manum Prio„ ris, vel per Fratrem ad idem officium de„ putatum , prout cuique opus erit &c. -- S. Hieronymus eadem de re ſcribit ad Euſtochium *Epiſt. 22. de Virginit. cap.* 15. -- Et

Ab Inſtitutoribus vita communis intenta.

„ quia non licet dicere cuiquam tunicam , & A „ ſagum , tectaque juncis texta non habeo : „ ille ita univerſa moderatur , ut nemo , „ quid poſtulet , nemo non habeat -- & Caſſianus *lib.* 4. *de Inſtit. Renunciantium cap.* 13. de antiquis Monachis ait -- Illam ſane vir„ tutem inter ceteras eorum inſtitutiones , „ vel commemorare ſuperfluum puto , quod „ ſcilicet nulli ciſtellam , nulli peculiarem „ ſportellam liceat poſſidere , nec tale ali„ quid , quod velut proprium retinens ſuo „ debeat communiri ſignaculo -- & *cap.* 14. refert , qualiter lucrum ex unius labore in aliorum quoque cedebat utilitatem . Nicephorus Caliſtus *lib.* 4. *Eccleſ. Hiſtor. cap.* 50. B eorundem Monachorum communem vitam recitat -- Simul in eiſdem ædibus vivunt , re „ nulla quæ homines in terram reprimit , „ diſtracti , apud hos neque aurum eſt , ne„ que quodpiam aliud metallum , ſed neque „ veſtis alicujus propria , quod namque ho„ die pallium , aut humerale hic fert , & „ cras alium inductum conſpicias , adeo ut „ unius veſtem , unam omnium , & rurſus „ omnium unius eſſe putes. Omnibus autem „ communis proponitur menſa --

A primorum Monachorum regulis adoptatæ ſunt illæ , quæ ſubſequentibus ſeculis Religioſis tradidere Sanctiſſimi Inſtitutores , C atque Regularis diſciplinæ Reparatores , qui omnes ſtrictiſſimo jure communem vivendi rationem obſervari voluerunt ; unde meritò ſcripſit Trithemius *cap.* 5. *de Proprietate* -- „ Revolvamus omnium Sanctorum Patrum „ ſcripta , & Regulas , & nunquam inve„ nimus Monacho peculium ullatenus per„ miſſum : omnes enim hoc vitium dam„ nant ; omnes Monacho proprium prohi„ bent ; omnes in communi vivere , renun„ ciantes ſeculo præcipiunt -- Audiamus Bedam ſimilia loquentem *lib. Retract. ſuper Acta Apoſtolorum* ad illa verba : *Erant illis omnia communia* -- Communio idem eſt quod Græ- D „ cè cœna , a quo nomine conſtat perfectos „ Dei famulos Cœnobitas græcè , & com„ muniter viventes latinè dici ; qui ergo ita „ vivunt , ut ſint eis omnia communia in „ Domino , recte compoſito ex duobus uno „ nomine vocantur Cœnobitæ ; quæ quidem „ vita tantò terreni ſeculi hujus converſatio„ nibus felicior eſt , quantò magis ſtatum „ futuri ſeculi etiam in præſenti imitatur , „ ubi ſunt communia omnia omnibus Beatis „ cernentibus ejus gloriam , a quo ſunt om„ nia bona -- Hanc igitur communem vitam , quam Regularium Ordinum Inſtitutores voluerunt, Innocentiana Conſtitutio pro- E movet, dum præcipit , ut exacte obſervetur ; ergo juſta eſt , ita ut omnes Regularis diſciplinæ cultores illam amplecti tenentur .

316 PROB. II. Conſtitutio , quæ eſt conſona laudabili praxi Summorum Pontificum , ſanctitate , & doctrina inſignium, eſt juſta , & obligans ; ſed Conſtitutio Innocentiana eſt hujuſmodi ; nam ſequitur veſtigia prædeceſſorum , qui fuerunt ſolliciti de conſervanda , & reparanda obſervantia vitæ communis ; ut ſit clarum ex pluribus Canonibus , quorum paucos ſubdo , 12. *quæſt.* 1. *Can. Dilectiſſimis* habetur -- Quapropter hæc

„ vobis cavenda mandamus, & doctrinis,
„ & exemplis Apoſtolorum obedire præcipi- A
„ mus . . . . ut ab Apoſtolicis regulis non
„ diſcedatis, ſed communem vitam ducen-
„ tes, & Scripturas Sacras rectè intelligen-
„ tes, quæ Domino voviſtis adimplere ſata-
„ gatis — *& ibid. Can. Scimus* — Quicumque
„ veſtrum communem vitam ſuſceptam ha-
„ bet, & vovit ſe nihil proprium habere,
„ videat ne pollicitationem ſuam irritam fa-
„ ciat, ſed hoc, quod Domino eſt pollici-
„ tus, fideliter cuſtodiat, ne damnationem,
„ ſed præmium ſibi acquirat; quoniam ſa-
„ tiùs eſt non vovere, quam votum prout
„ melius poteſt, non perficere — Eadem
causâ *Can. Non dicatis aliquid proprium, ſed* B
ſint vobis omnia communia habetur — Cum
„ hujus noſtræ Congregationis Fratres non
„ ſolùm facultatibus, ſed voluntatibus pro-
„ priis in ipſa Ordinationis ſuſceptione re-
„ nunciaverint, & ſe per promiſſam obe-
„ dientiam penitùs aliorum poteſtati, & im-
„ periis in Chriſto, & pro Chriſto ſubdi-
„ derint, certum eſt eos nihil habere, poſ-
„ ſidere, dare, vel accipere debere, ſine
„ Superioris licentia — *Can. Cum ad Mona-
ſterium*, de ſtatu Monachorum dicitur —
„ Prohibemus diſtricte ſub obteſtatione Di-
„ vini judicii, ne quis Monachorum pro-
„ prium aliquo modo poſſideat, ſed ſi quis C
„ aliquid habeat proprii totum incontinenti
„ reſignet — alii videri poſſunt Canones apud
Auctores, qui materiam hanc verſant.

317 PROB. III. Auctoritate Conci-
liorum. Oſonienſe Concilium per Stepha-
num Cantuarienſem congregatum pro repa-
randa Eccleſiaſtica diſciplina Clericorum, &
Monachorum habet — Decernimus, ut tam
„ Monachi, quam Canonici Regulares, &
„ Moniales in uno dormitorio pariter dor-
„ miant, & quieſcant, ſingulis perſonis,
„ ſingulis lectis aſſignatis, & in uno refe-
„ ctorio ſimul edant, nec per ſe cuilibet,
„ ſed communiter omnibus victualia præpa- D
„ rentur, nec ſingulis eorum denarii pro ve-
„ ſtibus tribuantur, ſed talia per certas Per-
„ ſonas ad hæc deputatas, puta Camerarios,
„ vel Camerarias diligenter expediantur —
Colonienſe ſub Hermanno Archiep. *p.* 10.
cap. 12. — Itidem ut Moniales victum, ac
„ menſam communem ubique habeant —
Concil. Trid. *Seſſ.* 25. *de Regularibus*, *&
Monialibus* præcipiens lapſæ obſervantiæ re-
parationem alia inter habet *cap.* 1. — Præ-
„ cepta ad eorum reſpectivè eſſentiam, nec
„ non ad communem vitam, victum, & ve-
„ ſtitum obſervanda, pertinentia, fideliter
„ obſervent — *& cap.* 2. — Nemini igitur E
„ Regularium, tam virorum, quam mulie-
„ rum, liceat bona immobilia, vel mobilia
„ cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam
„ quovis modo ab eis acquiſita, tanquam
„ propria; aut etiam nomine Conventus poſ-
„ ſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Supe-
„ riori tradantur, Conventuique incorpo-
„ rentur. Nec deinceps liceat Superioribus
„ bona ſtabilia alicui Regulari concedere,
„ etiam ad uſumfructum, vel uſum, admi-
„ niſtrationem, aut commendam. Admini-
„ ſtratio autem bonorum Monaſteriorum,
„ ſeu Conventuum ad ſolos Officiales eorun-
„ dem, ad nutum Superiorum amovibiles,
„ pertineat, mobilium verò uſum ita Supe-
„ riores permittant, ut eorum ſupellex ſta-
„ tui paupertatis, quam profeſſi ſunt, con-
„ veniat; nihilque ſuperflui in ea ſit; nihil
„ etiam, quod ſit neceſſarium, eis denege-
„ tur. Quod ſi quis aliter quidquam tenere
„ deprehenſus, aut convictus fuerit, is
„ biennio activa, & paſſiva voce privatus
„ ſit, atque etiam juxta ſuæ Regulæ, &
„ Ordinis Conſtitutiones puniatur — Con-
cil. Mediolanenſe I. *p.* 3. *de communi vita* ha-
bet — In omnibus Monaſteriis quoad cibum
„ potum, ſomnum, ceteraſque res attinet,
„ omnes communiter vivant, ut a Sacro
„ Conc. Tridentino decretum eſt . . . Utque
„ omnis proprietatis occaſio tollatur de Mo-
„ naſteriis Confeſſores, ac Præfectæ voti pau-
„ pertatis accuratiùs ſervandi gratiâ, Mo-
„ nialibus ſuadere ſtudebunt — Idem habet
Aquilejenſe *tit. de Monialibus*: porro cum
Sacris Conciliis Spiritus Sanctus aſſiſtat, cer-
tum omnino eſt doctrinam iſtam fore ado-
ptandam, cumque potiſſimùm decernant
communem vitam, jam plane ſit decreta
hujuſmodi obligare, ſicut & Innocentiana
Conſtitutio, quæ ad formam præcedentium
Conciliorum lata eſt.

318 DICES I. Decretum Tridentini,
ſicut & aliorum Conciliorum non eſt uſu re-
ceptum; ergo corruit probatio ex Conciliis
adoptata.

Verùm hæc non eſt ſolutio, ſed la-
queus. Legum obligatio a Subditorum acce-
ptatione nequaquam dependet; aliàs vis tota
Eccleſiaſticæ poteſtatis corrueret. Equidem
male proviſum foret Eccleſiæ, ſi ejus præce-
pta non obligarent, quia per non uſum non
recipiuntur. Vis legum a Legiſlatore depen-
det, & potiſſimum legum Eccleſiaſticarum,
quæ ab auctoritate immediate a Deo Eccle-
ſiæ conceſſa dimanat; lex ipſa Concilii ad
hoc obligat, ſcilicet, ut acceptetur, ut apte
advertit Suarez; & ſane ſi lex ipſa non obli-
gat ad acceptationem, haud fieri poſſet, ut
Concilia collapſam repararent diſciplinam,
quia laxi, & deſides nunquam reformatio-
nem amplecterentur; & tamen compertum
habemus Eccleſiam congregaſſe Concilia ad
Eccleſiaſticam reformandam diſciplinam.
Aliquam præſeferret veritatis ſpeciem Adver-
ſariorum inſtantia, ſi Regulares omnes ſimul
congregati decreviſſent reformationem non
admittere, ſed quod in aliquibus Ordinibus *Non uſus legis non abſolvit a lege.*
Monachi per non uſum præſcriptæ legis ener-
vaverint legem Concilii Œcumenici a veritate
prorſus aberrat. Quod ſi per non uſum quo-
rundam lex dicitur non obligare, cur per
uſum plurimorum non cenſetur in ſuo ro-
bore ſubſiſtere? Num inobſervantium non
uſus majoris erit efficaciæ, quam obſervan-
tium uſus? Equidem ad unum omnes fa-
teantur neceſſe eſt legem naturalem, & di-
vinam nequaquam vim obligandi amittere,
etiamſi non uſus interveniat, aliàs impune
fas eſſet legem non adimplere, cum pleri-
que hominum ſint fractores legis; ſed natu-
ralis lex mandat, ut obedientiam cuilibet le-
gitime præcipienti præſtemus, & lex divina
vult

vult obediendum eſſe Præpoſitis: *Obedite Præpoſitis veſtris*; ergo, cum vis naturalis legis, & divinæ ſemper urgeat, per non uſum nequit lex Eccleſiæ ceſſare.

319 DICES II. Tridentinum non jam jus novum condere, ſed antiquum confirmare ad ſenſum Canonum *Monachi*, ſicut etiam *Cum ad Monaſterium*: in his porro prohibetur peculium, annuoſque redditus independenter, & irrevocabiliter.

RESP. Quidquid ſit, an jus novum condat Concilium, an antiquum confirmet, de quo infra. Verba Concilii clara adeo ſunt, ut nullimode eorum vis enervari poſſit: Concilium vult primò, quod bona ſtabilia ocyus Superiori tradantur; ergo non vult, quod apud ſe retineantur cum dependentia, & Superioris licentia. Vult ſecundò, quod Conventui incorporentur, ideſt, fiant propria Conventus, eaque propter communi Religioſorum commodo applicentur; ergo non vult, quod ſint uſibus particularium applicata etiam revocabiliter. Tertiò vult, quod per ſolos Officiales ad nutum Superiorum amovibiles adminiſtrentur tanquam bona Conventus; ergo non vult, quod particularis Monachus peculium habeat, quod adminiſtret ex revocabili Superiorum licentia: & ſane dum dicit Concilium per ſolos Officiales, ceteros excludere in aperto eſt; aliàs adminiſtratio, quæ iiſdem confertur, non innuit rei cuſtodiam, ſed diſpenſationem, atque diſtributionem, prout occurrit neceſſitas; proindeque vetat, ne a particularibus diſpenſetur. Vult quartò, quod a Superioribus communis vita, temporum injuriâ labefactata, reparetur; porro vita hujuſmodi in eo ſita eſt, ut bona omnia ſint commixta, taliter ut Conventus illa poſſideat, & Superior ſingulorum neceſſitatibus provideat; cum hoc autem directe pugnat, quod uni Religioſo permittatur, licet revocabiliter, redditus centum aureorum, alteri ſexaginta, aut triginta, & alter nihil habeat; non rarò enim evenire ſolet, ut obſervantiores vel nullum, vel modicum habeant peculium, & qui male affecta ſunt valetudine, adeoque magis indigentes, ſint pauperiores. Res demum clareſcit, ex quo Concilium *cap.* 1. votorum Caſtitatis, Obedientiæ, & Paupertatis præcipit obſervantiam; uſus autem independens, & irrevocabilis aperte paupertatis votum infringit, atque rationem proprietatis conſtituit, qua in re nullimode poteſt Superior diſpenſare, ut habet *Cap. Cum ad Monaſterium*; ergo *cap.* 2. nequit præciſe prohibere conceſſionem perpetuam, & irrevocabilem.

Nec contra hoc urget, quod *Cap. Inſinuante. De eo qui duxit in Matrim.* Mulier, quæ votum emiſerat ſub conditione, ut cum omni ſua ſubſtantia domi remaneret, proindeque irrevocabiliter, declarata fuit eſſe vere Sanctimonialis, ita ut poſt nuptias cum eo voto celebratas coacta fuerit Monaſticum habitum reaſſumere.

Non urget inquam, ſiquidem a pluribus irrita judicata fuit illius profeſſio ob adjectam impoſſibilem conditionem; Pontifex validam quidem declaravit, ſed unice ſpectato allegato momento, videlicet, quod coacta Monachatum aſſumpſit; quia vel nulla, vel levis interceſſit coactio. Alii conditionem illam tanquam turpem, & contra rei ſubſtantiam, ut non adjectam cenſuerunt, ut ibidem notat Gloſſula, propterea recte explicata eſt, nempe ut ex fructibus bonorum alimenta perciperet, cetera verò Monaſterio cederent, a quo alia, quæ occurrere poterant, ſuppeditarentur; ſic eadem Gloſſula. Addas velim ibidem non excludi dependentiam relate ad Epiſcopos, ſed tantummodo quoad inferiores, atque immediatos Præſides: etenim tunc temporis Monaſteria Epiſcopis ſubdebantur, ab illiſque regebantur, atque fas erat habere redditus cum dependentia ab ipſis revocabili, licet nulla quoad hoc concederetur facultas inferioribus Prælatis; quoniam verò hac rerum diſpoſitione non ſatis conſultum erat Regulari diſciplinæ, voluit hinc Eccleſia, ut dependentia hujuſmodi ab immediatis Superioribus haberetur.

Tridentinum novi jus condidit.

Ceterum plerique Theologorum contendunt Concilium non jam antiquum jus confirmaſſe, ſed jus novum condidiſſe, quod contextus abunde ſuadere videtur. Clauſula namque illa: *Aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel retinere* novum aliquid ſtatuit: ſiquidem in antiquis Canonibus non eſt invenire prohibitum Monachis retinere bona nomine Conventus: hoc igitur quid novum eſt: & ſane taliter retinere bona voto non adverſatur paupertatis; quia jam non habentur tanquam propria; nihilotamenminus impræſentiarum mandat Concilium, quod bona non retineantur nomine Conventus ad privatos, bene quidem ad communes uſus, & ad commune Religionis bonum; cum tunc retineantur tanquam a deſtinatis Miniſtris Conventus.

Injungitur etiam *adminiſtratio ad ſolos Officiales*: Hocce dubio-procul novitatem importat; jus namque antiquum permittebat privatis perſonis adminiſtrationem ad uſus privatos cum dependentia a Superiore; ſed Concilium eam vetat adminiſtrationem, quæ non peragitur per ſolos Officiales, adeoque id prohibet, quod jure antiquo permiſſum erat. Et ſane Concilium intendit conſtituere communem vivendi rationem, ut expreſſe habet *capite* 1., ſed jus antiquum pugnat cum hujuſmodi vivendi ratione, cum permitteret peculiaribus perſonis peculium ad privatos uſus; ergo. Taliter intellexit Concilium Sacra Congregatio, quæ quovis tempore Sanctionem Concilii in favorem vitæ communis interpretata eſt.

Reſpondent Adverſarii interpretationes Sacræ Congregationis, vel eſſe acceſſorias, adeoque ſequi naturam principalis; ea propter cum per diſuetudinem abrogatum ſit Concilii decretum, nullam itidem vim habent Interpretationes Cardinalium, vel de illis non conſtare authentice, aut non eſſe deciſivas, ſed ſolummodo doctrinales.

Quamvis in hac refellenda doctrina non eſſet immorandum, cum alia occurrant momenta, quæ apte pro re nata deſerviunt, placet tamen unum, aliudve addere, dicturus infra quoad conſuetudinem. Circa pri-

mum igitur de acceſſorio, advertant oportet Adverſarii, quod non obſtante illa ſuperinducta conſuetudine, ſive non uſu ab ipſis expoſito, tamen, urgentibus conſcientiæ ſtimulis, adierunt plures ad explorandam mentem Sacræ Congregationis, quæ ſemper ſibi conſtans ſtatuit non licere peculium contra formam a Concilio ſancitam, ſemperque adjudicavit in favorem formæ Conciliaris: intendit igitur Sacra Congregatio talem eſſe Concilii mentem, quæ quovis tempore vim habet obligandi, cum perpetuò juxta illius decretum habeantur deciſiones.

Sacra Congregatio nobis favet.

Quoad id quod additur, nempe de illis non conſtare authentice, dico Moraliſtas, qui doctrinam hanc adoptare ſueverunt, dum Sacræ Congregationis interpretatio eorum favet opinionibus, non eſſe ſollicitos, num authentice probetur, ſed ſæpenumero contenti ſunt, quod unus Auctor illam referat; hic autem, ubi de re graviſſima agitur, cur ſcrupulos movent circa authenticam notitiam?

Circa ultimum nempe, quod non ſit deciſiva interpretatio, adverto plerunque haſce declarationes fore per modum ſententiæ, & juris deciſi in caſibus particularibus, ſeu eſſe reſolutiones in quæſtionibus facti. Deinde quamvis eſſent tantummodo doctrinales, indubie majoris cenſendæ eſſent ponderis, quam doctrinales privatorum Caſuiſtarum reſolutiones, qui non ſunt ex officio deputati, ſicut Cardinales ad intelligentiam Concilii; quare certò certius his potius, quam illis lumine ſuo aſſiſtet Deus.

Ceterum quidquid ſit de interpretatione Sacræ Congregationis, eludi nequit auctoritas Mediolanenſis Concilii, quam ſuperiùs dedimus. Patres in Spiritu Sancto congregati mentem Tridentini in rem noſtram explicant, & præceptive concludunt quoad eos, qui in ſuis Diœceſibus commorantur.

Aſt quomodo declinari poteſt auctoritas Clementis VIII. in Bulla, quæ incipit *Nullus*, & eſt LX. in ordine, ubi habet -- Quo „ Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto fidelius obſerventur, præcipitur, „ ut nullus ex fratribus etiam ſi ſuperior ſit, „ bona immobilia, aut mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas &c. „ quocunque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, „ tanquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis, proventibus „ confundantur, quo communis inde victus, „ & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit .... „ Nulla quorumcunque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantum ad bona mobilia, vel immobilia fratres excuſare poſſit .... Etiamſi Superiores aſſeverent „ hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias „ concedere poſſe, quibus in ea re fidem „ minime adhiberi volumus -- Decretum hocce confirmat Urbanus VIII. verbis plane præceptivis in ſuo Decreto *de Regularibus Apoſt., & Ejectis*.

Innocentius X. in facultatibus, quas pro induendis Novitiis conceſſit, expreſsè exigit conditionem de vita communi. Apud Fagnanum *in Cap. Relatum. Ne Cler., vel Monach.* habetur forma pro Minoribus Conventualibus Sancti Franciſci, qua conceditur Superioribus facultas induendi Novitios -- „ Sub exacta tamen vita communi ad præſcriptum regulæ, non obſtante quavis laxiori conſuetudine, ſeu potius corruptela „ in contrarium introducta, ſervatâque forma Sacrorum Canonum Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac „ præcipuè Decretorum ſanctæ memoriæ „ Clementis Papæ VIII., nec non Statutorum Ordinis -- In eodem Decreto præcipit, ut in Conventibus, in quibus educantur Novitii, & Juvenes Profeſſi, non ſint niſi Religioſi graves, devoti, exemplares, regularis obſervantiæ, ac puritatis Regulæ ſtudioſi. Præcipuè verò cavetur, ne ibi aliquis ſit, qui non conſentiat ſervare communem vitam, quæ in prædictis Conventibus ad regulæ præſcriptum exactè obſervari debet. Indeque amoveantur, qui tam Sanctæ Ordinationi contradicere, aut quoquomodo ſe opponere auſi fuerint. Hanc eandem conditionem appoſuit in conceſſione licentiarum pro aliis Ordinibus; ejuſdem labii eſt Alexander VII. in ſimilibus, ſicut & alii Pontifices. Si hæc decreta ſincere perpendantur, nullum ſupereſt effugium pro declinanda Concilii Tridentini, Sanctione cum hi qui eam explicant, ſint Pontifices, habentes legitimam auctoritatem, verbis præceptivis contra prætenſam conſuetudinem decernentes.

320 DICES. Adhuc poſt Tridentinum fas eſt Superioribus concedere alicui Religioſo temporariam alicujus prædii adminiſtrationem, ut ſæpe ſæpius evenire ſolet vindemiarum tempore: non ergo jus novum condidit.

RESP. ex vero antecedenti nullam eſſe illationem; ſiquidem in prædicto caſu ille munere fungitur Officialis ipſius Monaſterii. Quandoque ob rationabile momentum Miniſtri ordinarii non mittuntur, puta, quia omnibus non poſſunt incumbere, vel quia alter in ruralibus aptior eſt, ea propter hic tanquam extraordinarius Miniſter jure reputatur.

Miniſter alius ordinarius, extraordinarius alter.

INSTABIS. Juxta laudatam Synodum fas eſt Superioribus adminiſtrationem bonorum Officialibus concedere, ipſiſque liberum eſt, quos volunt ad miniſteria conſtituere: dum autem uni Religioſo peculium concedunt, illum pro illo peculiari bono miniſtrum eligunt, & dum pluribus concedunt, pluribus Officialibus bona adminiſtranda diſtribuunt; quare ſicut rebus ſacris præficitur unus, valetudinario alter, & ſic de ceteris diverſa ſuper bona, aut munia multiplicatis, ita huic bonorum portioni, videlicet huic peculio præficitur Petrus, portioni alteri Paulus.

Talia egomet audivi, verùm quanti ſit ponderis hujuſcemodi reſponſio, judicent alii. Illud indubium eſt nomine Officialis Conventus, ſeu Monaſterii intelligi determina-

Quis Officialis Monaſterii.

minatam perſonam pro adminiſtratione bonorum, quæ, ſpectata Religioſorum neceſſitate, omnibus, & ſingulis æquå lance diſtribuenda ſunt; non verò alicui tantummodo particulari applicanda. Miniſter Culinæ dicitur Officialis, quia non ſibi ſoli, ſed omnibus cœnam parat, Procurator, ſeu Cellerarius pro omnium ſuſtentatione bona miniſtrat; qui autem peculium habet, ſibi ſoli adminiſtrat, ſuis uſibus illud reſervat, nihil aliis diſtribuit; non igitur dici valet Officialis, ſed uſuarius, ſeu uſufructuarius.

REPLICABIS. Privatus ille peculi adminiſtrator publicæ utilitati inſervit, eſtque publicus Officialis, puta, Theologiæ Magiſter; ergo omnibus gaudet conditionibus juxta Concilii mentem.

Magiſter in Theologia quomodo publicus miniſter.

RESP. Magiſter v. g. in ſacra Theologia eſt Miniſter, & publicus Officialis in re litteraria, hancque corpori Communitatis diſtribuit, ſed non eſt Officialis temporalium bonorum, nec proprii peculii, quo ſolus utitur, & de quo non participant alii; ſi peculii curam haberet, & de hoc ad victum, & veſtitum fieret aliis diſtributio, jam omnia forent conſona ad mentem Concilii, ſed hoc non verificatur in caſu inſtantiæ.

SUBSUMES. Subſiſtit ratio Miniſtri etiam ſi rem aliquam ſibi adminiſtret; ergo habens pecuniam poterit conſtitui Officialis ſuper illud.

RESP. Qui rem aliquam ſibi miniſtrat tanquam parti Communitatis, cui eadem, & ex eadem maſſa, ut ſic dicamus, impertiuntur, eſt verè Miniſter ad mentem Concilii; ceterum peculium habens ſibi ſoli adminiſtrat, privato bono conſulit, de Communitate nihil ſollicitus eſt, adeoque longe aberrat a ratione publici Officialis.

321 Prædicta abunde ſufficerent ad propugnandum Innocentianæ Conſtitutionis valorem, ne tamen alia, & quidem urgentia deſiderentur momenta, placet nonnulla innuere, quæ fuſiori calamo a Doctoribus perpenduntur.

I. Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. v. 22. habet: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*; ſed privatum habere peculium ſpeciem mali refert, cum vitium ſapiat proprietatis — Dum „ Regulares talia bona tanquam ſua videntur adminiſtrare, & in quoſvis uſus exponere — inquit Leſſius *de juſtit.*, *& jure lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 30.*, ergo ad hanc auferendam mali ſpeciem jure optimo Innocentiana Conſtitutio communem vitam Monachis præſcripſit.

II. Æquiſſima ea lex eſt, quæ præſcribit regulam apprime conducentem ad votum paupertatis obſervandum, & quam maxime recedentem a vitio proprietatis; ſed vita communis conducit ad ſervandum paupertatis votum, & amovet periculum labendi in vitium proprietatis, ut in apertu eſt; ergo.

322 Supereſt ut hac ſuper re demus aliquot ſive Patrum, ſive Doctorum teſtimonia. Lezana *Mare Magnum Carmelitarum n. 101.* ſcribit — Tam noſtri, quam alii „ Religioſi tenentur ad vitam communem „ obſervandam, eo quod illa licet ſimpliciter non ſit neceſſaria pro obſervantia voti „ paupertatis, nihilominus ab Eccleſia indicta eſt ub ſecurum, & facilem modum „ obſervandi dictum paupertatis votum — Doctrinam tradit eandem *in Summa quæſt. Regul. cap. 6. n. 7.* — Nec ſolùm tenentur „ Religioſi quomodolibet non habere proprium, aut ſervare paupertatem, ſed etiam „ ſpecialiter vivendo vitâ communi in victu, „ veſtitu, & lectiſterniis, & aliis diſpenſatis, & diſtributis a Superiore, inſpectis „ ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum. „ Ratio eſt, quia licet ſine tali vita communi poſſit obſervari ſimpliciter votum „ paupertatis, cum ſubſtantialiter in eo conſiſtat, ut non habeatur dominium alicujus „ rei temporalis, aut uſus ipſius ſine licentia Superioris, nihilominus tamen Eccleſia a Spiritu Sancto edocta, videns, quod „ ſine prædicta vita communi difficilè obſervari poſſit paupertas Religioſa, ideo omnibus Religioſis iſtum ſpecialem modum „ paupertatis, qui in vita communi conſiſtit, obſervandum præſcripſit —

Sine vita communi vix ſervatur paupertatis votum.

Sanchea *lib. 7. in Decalog. cap. 22.* — „ Quis Religioſus hujuſmodi peculium ex „ Superioris licentia obtinens, præcipuarum „ paupertatis utilitatum jacturam faciet, „ quippe divitiis fidet, augebiturque aviditas illarum, & a ſpiritualibus exercitiis „ facillimo negotio avocabitur, intentus earum adminiſtrationi, maximamque illas „ ſuperflue expendendi anſam habebit, & „ non ſervabitur æqualitas inter Religioſos, aliis habentibus redditus, aliis paupere oppreſſis —

Mediolanenſe Concilium I. *p. 3. Tit. de comm. vita* — Ut omnis proprietatis occaſio „ tollatur de Monaſteriis, Confeſſores, & „ Præfectæ voti paupertatis accuratiùs ſervandi gratiâ Monialibus ſuadere ſtudebunt, „ ut curent omnes veſtes lineas, laneas, vel „ pelliceas, ac cujuſcunque generis in communi loco aſſervandas — Quare ſicut apprime laudabilis fuit Eccleſiæ lex, atque inſimul obligatoria, qua præſcripſit Monialibus clauſuram pro ſecuriori caſtitatis cuſtodia, quæ aliàs abſque clauſura ſarta tectaque poterat eſſe, ita optima jure merito, atque obligatoria cenſenda eſt illa, quæ pro faciliori paupertatis incolumitate communem vivendi rationem mandat, ac præcipit.

Enimverò nemo unus inficias ibit legem illam obligare, quæ ordinatur ad conſervandum Monaſticum ſtatum in eſſe perfectionis, atque ad ea removenda, quæ eidem maxime poſſunt officere; ad hoc porro mire deſervit lex communem vitam præſcribens; peculium enim etiamſi cum Superioris licentia habeatur, plurimorum malorum origo eſt, itaut dixerit Peyrinus *in Formul. Prælatorum Regul. litt. Z. cap. 3. n. 19.* — Tolle „ Communitatem, & Religionem ſuſtuliſti; tolle Communitatem, & Religio, „ non Religio, ſed confuſio eſt, non ſtatus „ perfectionis, ſed ſtatus damnationis — Quod exceſſive dictum videri poſſet, niſi Patres, & Theologi in eandem confluerent ſententiam S. Baſilius *in Conſtitutionibus Monaſticis cap. 35.* loquens de Monacho, qui a com-

Sine vita communi Religio confuſio.

communi vita receſſit, habet -- Exactam di-
„ ſciplinam privata poſſeſſione corrumpit,
„ tum ipſe etiam magnopere de ſe indicio
„ eſt, ut qui Deum perpetuò iis alimenta
„ ſuppeditaturum diffidat, qui in nomine
„ ipſius congregati ſunt &c. Impuris, &
„ pravis cogitationibus, quæ interius ſpiri-
„ tus domicilium, ſua intemperie, exagi-
„ tant, ac conturbant, idque contingit a
„ dolo, ſimulatione, invidentia, contentio-
„ ne, quæ viſa charitatem radicitus evel-
„ lunt, & Deum ex eorum animis, in qui-
„ bus ſunt, fugant --

S. Auguſtinus relatus *Cap. Nolo* 12. *q.* 1. relaxans legem, quâ decreverat Clericum non inaugurare, qui omnibus non renunciaret, poſt plura in favorem vitæ communis ſubdit -- Qui non vult mecum manere, &
„ in communi vivere, habeat libertatem,
„ ſed videat, utrum habere poſſit felicitatis
„ hereditatem --

S. Gregorius Magnus *lib.* 10. *Epiſt.* 22. *ad Joannem Subdiaconum Ravennæ* ſcribit --
„ Prædicto fratri, & Coepiſcopo noſtro om-
„ nino dicere ſtudo, ut peculiaritatem a qua-
„ tuor, aut quinque Monaſterii Monachis
„ ſtudioſiſſime compeſcat, & hoc ipſum Mo-
„ naſterium a tali peſte mundare feſtinet --

S. Bernardus *ſuper Cantica Ser.* 19. --
„ Non vultis eſſe communi contenti vita...
„ non menſurâ, quam vobis partimur in
„ veſtimentis, & alimentis, privata præ-
„ fertis communibus... propriam volun-
„ tatem veſtram ecce nunc iterum magi-
„ ſtram habetis, non me: illa vos docet
„ non parcere, rationi non acquieſcere,
„ non obtemperare ſeniorum conſilio, non
„ obedire nobis --

S. Laurentius Juſtinianus *Serm. de Ramis Palmarum* -- Diſce nedum tempora-
„ lium facultatem rejicere ſarcinam, verùm
„ etiam a te illarum abdicare affectum, ne
„ irrita cenſeatur eſſe profeſſio tua... Sat
„ tibi ſit Monaſterii communis ſubſtantia, de
„ qua unicuique neceſſaria miniſtrantur --

Laudatis Patribus non abs re addi poteſt Noſter Ven. Thomas a Jeſu Maria *de Voto Paupertatis p.* 4. *cap.* 5. *Concl.* 2. -- Ex
„ quo intelliges verſari in ſtatu periculoſo
„ illos Religioſos, & Moniales, qui haben-
„ tes a Superioribus in ſuos uſus conceſſos
„ redditus vitalitios, vel ea bona admini-
„ ſtrant, habentque in ſua poteſtate, titu-
„ lo, & nomine peculii, cum id Prælati
„ non poſſint concedere, vel ſi illa bona
„ apud Officiales Monaſterii reſident, ita
„ expendi curant, ac ſi eſſet verum pecu-
„ lium ſibi conceſſum, & quod deterius
„ eſt, nunquam ferunt prædicta bona aliis
„ Monaſterii neceſſitatibus applicari, quæ
„ omnia in cauſa ſunt, ut ipſi in periculo-
„ ſiſſimo ſtatu verſentur -- Eadem ſuper re egregie loquitur, tum ibidem, tum *cap.* 7. *in Expoſitione noſtræ Regulæ*; his placet adnectere, quæ leguntur *in Conſtitutionibus Auguſtinianorum cap.* 40. -- Ea particulari vita
„ Fratrum Conventus confunditur, & Fra-
„ tres rapere, & furari coguntur, & ad
„ communem militatem, in qua Ordinis
„ ſtatus, & ſalus animarum, & pax, &
„ tranquillitas corporum conſiſtit, reddun-
„ tur tepidi, & ad murmurationem, &
„ detractionem, a quibus confuſio Ordinis,
„ & perditio animarum dependet, ſunt om-
„ ni hora parati, & prompti --

Rem totam abſolvamus cum Pellizario *de Monialibus cap.* 14. *ſect.* 1. *n.* 7. -- Expediret
„ quidem Monialibus vita communis in victu,
„ veſtitu, lectiſternis, & aliis a Superiore di-
„ ſtributis, primò quia ſingulis Monialibus
„ convenientiùs poſſet provideri de neceſſa-
„ riis etiam iis, quæ nullum habentes pecu-
„ lium ob inopiam conſanguineorum eſurire
„ coguntur, dum aliæ pingui peculio abun-
„ dant: juxta illud: alius quidem eſurit,
„ alius autem ebrius eſt. Secundò, quia hac
„ ratione auſertur occaſio fovendi in mu-
„ nuſculis, ac largitionibus amicitias etiam
„ perſonarum ſecularium, & forte interdum
„ minus bonas, immo etiam valde perni-
„ cioſas bono ipſarum ſpirituali. Tertiò,
„ quia ſic tollerentur innumerabiles diſtra-
„ ctiones in parandis, & conſervandis re-
„ bus ſibi neceſſariis, ſiquidem ubi theſau-
„ rus noſter eſt, ibi & cor noſtrum erit.
„ Quartò, quia hoc pacto vitam minus in-
„ quietam ducerent, Deo, ac ſibi vacantes,
„ totam rerum ſuarum curam, ac ſui com-
„ mittentes. Quintò, quia melius inter
„ Moniales ſervaretur humilitas, & mutua
„ charitas, cum aliàs carentes peculio de-
„ ſpiciantur ab habentibus, quæ proinde
„ etiam intumeſcunt, & tanquam ditiores
„ ambiunt præferri ceteris, & præ aliis bo-
„ norari. Sextò, accuratius vacarent exerci-
„ tiis ſpiritualibus, frequentius aſſiſterent
„ choro, & tanta anxietate non inhiarent
„ lucris captandis, dum minus ſufficienter
„ providentur ex bonis communibus Mona-
„ ſterii -- Momenta hujuſmodi graviſſima ſunt, inſimul & veriſſima, quæ fortius urgent in Religioſis viris ob majorem, qua gaudent, libertatem; ea propter dubio-procul evincunt Innocentianam Conſtitutionem *de vita communi* laudabilem eſſe, atque obligaturiam.

Neceſſitas vitæ communis.

§. IV.

SOLVUNTUR OBJECTA.

123 NOn vacat argumentum expendere, quod nonnulli adoptant ex Chriſti exemplo, qui loculos habebat, quique juſſit Petro ſtaterem ſolvere, præcepitque Apoſtolis ſacculum ſuum ferre, & peram, aliàs quidam ex iiſdem habebant bona, nempe domos, ut Petrus, Matthæus, & Barnabas: cum ergo vita Monaſtica ſit per imitationem Chriſti, & Apoſtolorum, jam plane ſit, quod Religioſis fas eſt habere peculium: non vacat, inquam, argumentum hocce impræſentiarum verſari, cum plura dederimus in ſuperioribus; ea propter tantummodo placet innuere, quod Arguentes volunt, quod Chriſtus eſſet Dominus loculorum, & quod tres Apoſtoli dominium domorum non abdicaſſent; ergo particulares Reli-

Religioſi, ſi argumentum concludit, habere poterunt dominium peculii; quod ſane directe pugnat cum voto paupertatis. Ceterum Chriſtus non habebat loculos apud ſe, neque pro ſuo peculiari uſu, ſed omnia erant apud Miniſtrum totius Collegii Apoſtolici, atque pro uſu omnium ſive Apoſtolorum, ſive pauperum, ut ex Evangelio innoteſcit, & refertur *Can. Habebat* 12. *quæſt.* 1. -- A „ fidelibus oblata conſervans, & ſuorum „ neceſſitatibus, & aliis indigentibus tri„ buebat -- Hoc modo habere peculium communibus bonis incorporatum a publico Miniſtro, non uni, ſed ſingulis de communitate diſtributum fas eſt Religioſis. Addas Religioſos fore imitatores Apoſtolicæ vitæ poſt Chriſti paſſionem, atque Spiritus Sancti adventum conſummatæ, porro tunc temporis perfectam communem vitam profeſſi ſunt Apoſtoli, atque per Orbem diſperſi ea tantummodo recipiebant, quæ ad uſum ſimplicis victus neceſſaria erant, & quidem vel a fidelibus oblata, vel emendicata.

Vita communis quoad Apoſtolos.

324 OBJIC. I. *Can. Et ſi illa* 1. *q.* 7. legitur -- Illa nullatenus ſunt mutilanda, „ quæ nec ulla, nec Eccleſiaſtica prorſus ex„ torquet utilitas -- Sed nulla eſt neceſſitas, aut utilitas in obſervantia vitæ communis: & ſane ſi quoad neceſſitatem loquamur; de utilitate enim dicemus in alio argumento, vita communis eſt quidem magis expediens, ut Deo faciliùs ſerviamus, & ne retrahamur a Dei famulatu; ſed etiam expedit privata vivendi ratio; ſiquidem qui taliter vivunt, non ſerviunt Deo propter aurum, ſed auro propter Deum: porro non eſt abſurdum, ut Sancti pecuniam reſervent, ſed ne ob pecuniam Deo præſtemus obſequium: ſicut ergo melius eſt virginem ſuam ſervare, ſed etiam bonum eſt eam nuptui tradere, & ſicut melius eſt non recedere a conjuge infideli, ſed etiam licitum eſt recedere, ita melior eſt vita communis, ſed privata haud mala cenſenda eſt; ergo Innocentiana Conſtitutio conſilium quidem involvit, non autem præceptum.

RESP. I. Ultro admittimus, quod liceat vita privata, ſed negatur illatio: plura namque, quæ licent, a Supremis Legislatoribus ob honeſtos fines prohiberi poſſunt. Non eſt illicitum Monachos ad Monialium clauſtra accedere, quod tamen graviter prohibetur a Sixto V., & Pio V. Virginem ad habitum recipi inter Corruptas non eſt illicitum, & tamen prohibitum eſt *in una Valentina* 17. Decembris 1602. apud Barboſam *in Collection. Apoſtolic. deciſ.* ne Virgo inter Convertitas ad habitum admittatur. Virum ſecularem quæſtionem inſtituere de fide publice, vel privatè non eſt per ſe malum, verùm Alexander IV. hoc vetuit *Cap. Inhibemus. De Hæreticis in* 6. Centena præſto ſunt exempla; adoptatum quippe eſt a Theologis alia fore mala, quia prohibita, alia prohibita, quia mala: non ergo bene dicitur, nequit prohiberi vita privata, quia non eſt mala.

II. Neceſſitas exigens communem vitam duplex eſt, una eſt ob evidens periculum labendi in vitium proprietatis, ut videre eſt ex ſuperiùs dictis, altera eſt obligatio tendendi ad perfectionem. In aperto autem eſt ſtatum perfectionis nequaquam ſubſiſtere abſque communi vita, unde meritò dicebat Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit *Deo ſacris* -- Quo minus Religioſi diſtra„ huntur in quærendis neceſſariis, eo fer„ ventiùs in Dei ſervitio occupantur -- Et quidem ad communem vitam amplectendam impellit ſolemnis Profeſſio, quæ ſecundùm Inſtitutorum leges emittitur; hi autem rigidiſſime eam præceperunt; impellit electio Religionis ab Eccleſia approbatæ; Eccleſia verò nullam Religionem proprie dictam (ſi militares excipias) approbavit, quæ privatum habere poſſet peculium; proindeque laudata Innocentii Conſtitutio præceptiva indubie eſt. Præcitata exempla pro re nata non urgent; ſtatus ſiquidem conjugalis eſt peculiaris ſtatus, poſitive bonus a Deo, & ab Eccleſia approbatus, nulli periculo per ſe ſubjectus, ſecus eſt de vita privata, ut jam vidimus; Conjugi licitum eſt manere poſt fidei ſuſceptionem cum infideli, quando nullum ſubeſt perverſionis periculum; fides namque naturali juri non adverſatur; ſi verò occurrat perverſionis periculum; cohabitatio illicita eſt; impræſentiarum vita privata ſemper periculoſa eſt.

Neceſſitas vitæ communis.

325 OBJIC. II. Perperam illicitum cenſetur, quod ab immemorabili conſuetudine obſervatum eſt; ſed quod Religioſi peculium habeant, & communem vivendi vitam non proſequantur, eſt ab immemorabili inductum conſuetudine; ergo.

Hoc fundamentum, quod apud Adverſarios potiſſimum eſt, non magni eſt faciendum, ut Auctores, qui ſtant pro noſtra ſententia, palam faciunt, ex quibus pauca ſubjicio. Igitur S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 3. *ad* 2. habet -- Si autem adhuc ma„ neat ratio eadem propter quam prima lex „ utilis erat, non conſuetudo legem, ſed „ lex conſuetudinem vincit -- atqui ſemper ſubſiſtit ratio eadem primæ legis; bonum nempe Religionis, & ipſorummet Religioſorum; ergo. II. Lex, juxta omnium Theologorum placitum, ex natura ſua eſt perpetua, ac proinde tandiù perdurat, quandiù a Legislatore expreſſe non revocatur, vel ejus materia, aut finis injuſti habeantur; ſed lex communem vitam præſcribens nuſquam per Legislatores fuit expreſſe revocata, nec ejus materia, aut finis injuſti evaſerunt; ergo. III. Hujuſmodi conſuetudo a longo tempore præceſſerat, & tamen Tridentinum, Urbanus VIII., Clemens itidem VIII., aliique Romani Pontifices vitam communem indixerunt *non obſtantibus conſuetudinibus etiam immemorabilibus*; quare eàdem non obſtante conſuetudine potuit Innocentius velle communis vitæ obſervantiam. IV. Ex indubia Theologorum doctrina, ut conſuetudo liberet a tranſgreſſione debet eſſe rationalis, conſentiente Superiore, atque accedente legitima præſcriptione: porro in noſtro caſu nil horum occurrit. Siquidem rationalis conſuetudo, ut aſſerunt Doctores, ea cenſetur, quæ nec directe, nec indirecte pugnat cum naturali, aut divina lege, atque

Quid requiritur ad legitimam conſuetudinem.

circa

circa rem honeſtam, utilemque Reipublicæ verſatur; irrationalis verò, quando naturali, Divinæ, aut Canonicæ legi opponitur, ſive etiam, cum fovet crimina, præbet labendi occaſionem, aut inutilis eſt, vel perniciosa Reipublicæ; ſed conſuetudo, quæ communi vitæ contrariatur, directe cum lege Canonica pugnat; indirecte cum lege Divina ob periculum violandi paupertatis votum, occaſionem præbet delinquendi, perniciosa itidem eſt bono Monaſticæ Reipublicæ, cujus perfectionem deformat, vimque infringit, ut ex dictis compertum eſt; ergo nequaquam rationalis dicenda eſt.

Conſenſus Superioris debet eſſe approbativus, ut legitima habeatur conſuetudo; nec ſufficit, ſi permiſſivus ſit: ille autem adeſt, cum Superior lubens, & volens, atque poſitive judicans morem, qui inducitur, fore honeſtum, ex rationabili cauſa conſentit conſuetudini: etenim cum legitima conſuetudo vim legis obtineat, neceſſe eſt, quod ſicut ad poſitivam legem requiritur in Legislatore intentio, advertentia, judicium, ſeu diſcurſus communis utilitatis, vel publicæ honeſtatis, ita eadem requiruntur pro ſtabilienda conſuetudine, & potiſſimum quando hæc pugnat adverſus legem exquiſite diſcuſſam, atque perpenſam. Conſenſus permiſſivus tunc intervenire dicitur, cum advertit Superior malum eſſe morem, qui inducitur, verùm cum pravam hominum voluntatem coercere non valeat, ne majora ſequantur inconvenientia, punitionem diſſimulat. *Can. Cum jam dudum, de Præbendis*: dicit Innocentius III. — Cum multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non debeant tolerari — ſed certò nuſquam generalis interfuit conſenſus approbativus conſuetudinis adverſus obſervantiam vitæ communis. Legitimus namque Superior hac ſuper re non alius plane eſt, niſi Apoſtolica Sedes, a qua unice legitima Regularium Ordinum approbatio dependet, proindeque a qua tantummodo ſpectat derogatio eorum, quæ ad ſubſtantialem conditionem ſtatus perfectionis pertinent; ut indubie eſt vita communis; porro Apoſtolica Sedes nuſquam conſenſit, immo, cum ſit Canonum cuſtos, conſentire nequit, in derogationem, ut videre eſt tum ex Generalibus, tum Provincialibus ab eadem approbatis Conciliis, ex tot Bullis, & Conſtitutionibus diverſis temporibus emanatis pro reparanda communi vita, atque Monaſtica diſciplina.

Prædicta intelligas velim quoad conſenſum approbativum, relate ad omnes Religioſos; ſiquidem non inficias imus quibuſdam Apoſtolicam Sedem indulſiſſe, ut peculium, nonnullis appoſitis conditionibus, retinere poſſent, quæ conceſſiones ex rationabilibus momentis factæ ſunt, vimque habent ſpecialis diſpenſationis, vel perſonalis Privilegii, eaque propter abs re trahuntur in exemplum; quandoque quibuſdam Ordinibus Privilegium, ſeu diſpenſatio conceſſa eſt, ut moralis, non phyſica habeatur bonorum commixtio. Qua de re occurrit exemplum apud Patres Auguſtinianos, quorum Generalis Præpoſitus, Regularis Obſervantiæ, verbo, & exemplo ſtudioſiſſimus, authenticum hiſce diebus protulit exemplar Cardinalibus, & Sacræ Congregationis ſuper reformationem Monaſticæ diſciplinæ Secretario: hæc autem eſt poſitiva diſpenſatio, quæ prælaudatos Patres tutos reddit, niſi abuſus ſuperinducantur; hoc tamen nequaquam aliis ſuppetias fert, ut aſſertam firment conſuetudinem; evidens quippe diſcrimen occurrit, cum pro his non habeatur poſitiva diſpenſatio, nec poſitivus Apoſtolicæ Sedis conſenſus, immo ejuſdem diſſenſus innoteſcit per leges plories promulgatas, quibus perfecta vita communis præſcribitur.

326 Hic obiter argumentum diſſolvo, quod perperam pro ſententia ſua quidam afferre non dubitarunt: dicunt igitur, quod ſicuti Noſtri Patres Carmelitæ Calceati tutò non tenentur ſervare Regulam S. Alberti, licet nos Diſcalceati ab ejuſdem Regulæ rigore recedere non valeamus, ita abſque anxietate ſpiritus poſſunt Regulares paupertatem, lata quadam obligatione, ſeu juxta conſuetudinem ſervare.

Etenim laudati Patres non ſunt tuti ratione ſimplicis conſuetudinis, ſed ob poſitivam mitigationem Regularis Obſervantiæ, ab Apoſtolica Sede expetitam, atque prævio examine per ſpeciale decretum conceſſam; quoniam verò Diſcalceati Regulam Sancti Alberti profitentur, obtentæ mitigationi renunciando, ideo ad exactam ejuſdem obſervantiam adſtringuntur, Deinde mitigatio prælaudatæ Regulæ non eſt relate ad vota, aut ad communem vitam, ſed in quibuſdam peculiaribus, quæ circa ſubſtantialia non verſantur, puta, circa diurnum ſilentium, cellarum receſſum, abſtinentiam a carnibus, & hujuſmodi, quæ vitæ communis ſummam non tangunt. Ceterum quoad rem noſtram circa vitam communem non occurrit Apoſtolicæ Sedis poſitiva diſpenſatio, prævio examine, emanata, & aliàs verſamur circa votum paupertatis, ſicut & circa ſubſtantialia Monaſticæ diſciplinæ.

Ut autem redeamus ad aſſertam conſuetudinem, ad hanc aſtruendam legitima præſcriptio prærequiritur, impræſentiarum hæc afferri non poteſt, ſiquidem Apoſtolica Sedes eidem ſemper reſtitit, ſive per Conciliorum decreta, ſive per Pontificias Conſtitutiones; nuſquam adfuit juſtus titulus eam inducendi, cum vita particularis communi bono adverſetur. Equidem alicubi cœpit particularis vivendi ratio, urgente neceſſitate, eaque perſeverante vere excuſantur Religioſi; ſed ea ceſſante ad communem vitam redire tenentur; ubi verò cœpit ex tædio perfectioris vitæ, videlicet ex relaxatione, nemo unus excuſari poteſt, cum non adſit, nec adeſſe poſſit præſcriptio; nuſquam enim contra Prælati obedientiam præſcribitur; *Can. Cum non liceat a capite membra recedere. De Præſcriptionibus*; unde non obſtante longa temporis intercapedine obtemperandum eſt Superioribus: cum ergo Innocentiana Conſtitutio communem vitam præcipiat, nulla ſubſiſtit præſcriptio, nulla conſuetudo in oppoſitum valet, eaque pro-

pter

pter tenentur Prælati ſive inducere, ſive communem vitam conſervare juxta Apoſtolicas Sanctiones, ſicut & ſubditi hujuſmodi vivendi rationem amplecti. Hoc docent Theologi. Hos inter eſt Lezana *Summa Quæſt. Regul. cap.* 18. *n.* 14. -- Prælati, qui
„ in quantum poſſunt non curant ſuos Sub-
„ ditos vivere vita communi abſque aliquo
„ peculio, aut proprio, & ſuperfluos uſus
„ vitare, non ſunt in bono ſtatu conſcien-
„ tiæ. Ratio eſt, quia votum paupertatis
„ id requirit, Summique Pontifices, &
„ Concilia id præcipiunt &c. -- *& cap.* 6.
n. 59. dicit -- Addendum tamen eſt, &
„ valde notandum Religioſos... paratos eſſe
„ debere ad recipiendam reformationem,
„ & introductionem vitæ communis, ſi a
„ Prælatis de novo inſtituatur, ſeu reſtaure-
„ tur, nec poſſe ullo modo tali reformatio-
„ ni, & inſtitutioni vitæ communis reſiſtere
„ ſub graviſſimo peccato mortali: ratio eſt,
„ quia cum vita communis obliget omnes
„ Religioſos ſub peccato mortali, nec ab
„ illius obſervantia excuſari poſſint, niſi quia
„ Prælati Monaſteriorum non provident illis
„ de neceſſariis ad vitam, abs dubio cum
„ conſtaret prædictis neceſſitatibus ſufficien-
„ ter providendum fore, nulla ſupererit ra-
„ tio excuſationis: & hæc eſt ſententia com-
„ munis Theologorum -- Noſter Thomas
a Jeſu *de voto paupertatis p.* 4. *cap.* 2. -- His
„ prænotatis eam licet concluſionem elicere.
„ Prælatum mortaliter peccare, qui non cu-
„ rat, ut communis vitæ ratio in Monaſte-
„ rio ſervetur. Idem eſto judicium de eo,
„ qui communem vitam jam laxatam, quan-
„ tum in ſe eſt, ad priſtinam obſervantiam
„ non conantur reducere, quin etiam ipſi
„ Subditi, qui Prælatis vitam communem
„ reſtaurare volentibus contradicunt, eadem
„ culpa mulctantur. Ita expreſsè docuerunt
„ D. Antoninus &c., idque ob has rationes.
„ Primò, quia contrariantur ipſo facto de-
„ cretis Conciliorum, & Patrum, a quibus
„ vitæ hujus obſervantia districte præcipitur,
„ maximè verò a Sacro-Sancta Trident. Sy-
„ nodo *cap.* 2., & præſertim *cap.* 1. *Seſſ.* 25.
„ in quo decernitur Monaſteria a Superiori-
„ bus quoad obſervantiæ integritatem in-
„ ſtaurari, & priſtino ſtatui reddi debere,
„ idque potiſſimum quoad ea, quæ ad com-
„ munem in victu, & veſtitu vitam perti-
„ nere videntur, multòque magis diſcipli-
„ nam debere in ſuo vigore conſervari a
„ Prælatis eorum locorum, in quibus vi-
„ get. Hinc liquidò patet tam non inſtau-
„ rantes collapſam, quam ſtantem labi per-
„ mittentes graviter delinquere. Secundò,
„ quia ubi communis vita non obſervatur,
„ Monachi variis animæ ſuæ periculis circa
„ tranſgreſſionem voti paupertatis exponun-
„ tur. Tertiò, quia communis vitæ obſer-
„ vantiam Prælati in re gravi negligentes
„ contraveniunt juſtitiæ legali, qua ex ſuo
„ officio tenentur bono communi conſulere.
„ Inſuper diſpenſatione ſibi commiſſa abu-
„ tuntur, & peccant contra fidelitatem,
„ & ſæpè contra juſtitiam diſtributivam.
„ Ideò etiam illos Subditos peccare graviter
„ dixi, qui nolunt reformationi vitæ com-
„ munis acquieſcere, nempè propter grave
A „ damnum emergens ex eorum contradictio-
„ ne, ut prædicti Auctores fatentur. Dein-
„ de quia Prælatis juſta præcipientibus te-
„ nentur obedire, niſi fortè aperte ipſis con-
„ ſtaret fieri non poſſe talem reformationem
„ ſine gravi, & notabili ſcandalo, ut infra
„ dicam -- Valentia 2. 2. *Diſp.* 10. *quæſt.* 4.
punct. 2. habet -- Quartò, ſequitur eſſe in
„ malo ſtatu Religioſos tam Prælatos, quam
„ Subditos, qui non agunt vitam commu-
„ nem... quando ex redditibus communi-
„ bus poſſunt ſufficienter vivere -- Caramuel
in Reg. D. Benedicti n. 630. -- Qui vota emi-
„ ſit in Monaſterio irregulari, hoc eſt, ubi
B „ contra regulam abuſus irrepſerunt, tene-
„ tur reformationi ſubjicere, & obedire
„ Antiſtiti uſus illegitimos eliminanti -- Leſ-
ſius *de juſtitia, & jure lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5.
n. 32. -- Si tamen a Superiore legitimo alia
„ certa ratio inſtitueretur, per quam juxta
„ formam vitæ communis ipſorum neceſſita-
„ tibus ſatis foret conſultum, non poſſent
„ huic reformationi reſiſtere, etiam ſi illam
„ in ingreſſu non inveniſſet -- Navarrus *Com-
ment.* 3. *de Regul. num.* 32. -- Secundò,
„ quod peccant Superiores negligentes inſti-
„ tuere, & componere, ſive reformare, &
„ magis peccant contravenientes reformare
C „ volentibus, & etiam ſingulares impedien-
„ tes ea, quia contraveniunt menti, & ver-
„ bis Concilii, quod eſt peccatum -- San-
chez *in Decalogo lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 27. -- Ter-
„ tiò, deducitur non eſſe in bono ſtatu Præ-
„ latum, qui in quantum poteſt abſque gra-
„ vi ſcandalo, non nititur Religioſos in
„ communi vivere, ac ſuperfluos uſus vi-
„ tare, nec eſſe in bono ſtatu Subditos reſi-
„ ſtentes, non quia nequeant ſufficienter vi-
„ vere, ſed quia volunt abundare, & libe-
„ riùs diſponere, quia eſt contra pauperta-
„ tis votum -- Alii videri poſſunt apud Do-
ctores.

D Ex his remanet ſolutum argumentum, quod vitæ privatæ Amatores urgent dicentes, votum obligare juxta voventis intentionem; atqui nos ſumus profeſſi Monaſticam hujus Inſtituti vitam ſecundùm uſus; quos novimus vigere, videlicet peculii permiſſionem, & vitæ privatæ exercitium. Mitiorem hanc vivendi rationem præ alia rigidiori elegimus, atque tanquam nobis accomodatiorem probavimus, ea propter ad diverſa adſtringi non poſſumus.

Solutum, inquam, remanet argumentum; ſiquidem licet uſus ille in ingreſſu eſſet in praxi, tenentur tamen eum derelinquere, E ſtatim ac velit Superior vitæ communis formam juxta Innocentianæ Conſtitutionis decretum reſtaurare. Aliàs ille arguendi modus fallax eſt: etenim vota particularia obligant quidem ſecundùm particularis voventis intentionem, vota verò conſtitutiva ſtatus obligant ſecundùm inſtitutionem Fundatorum, atque poſitivam Eccleſiæ approbationem, nec e voventis poteſtate eſt eorundem vim coarctare. Indubium porro eſt neminem ex Fundatoribus paupertatis votum conſtituiſſe obſervandum abſque communis vitæ forma. Quotquot fuere vel Inſtitutores, vel

Vota ſolemnia juxta Fundatorum mentem obligant.

Reparatores Monachatus, vitæ communis rigorem induxerunt, atque ſuis Regulis, atque Conſtitutionibus firmaverunt, nullumque Monaſticum Ordinem approbavit Eccleſia ſine obligatione vitæ communis; quandiù autem approbatio poſitive non retractatur, tandiu ejuſdem vitæ ſubſiſtit obligatio, proindeque paupertatis votum ſemper vim habet obligandi, & obedientiæ votum adſtringit ſimiliter ſub reſpectu, atque exigentia vitæ communis, a qua obligatione nemo liberari valet per implicitam, ſive explicitam voventis intentionem. Doctrinam hanc innuit Caramuel *in Theolog. Regul. n.* 631. -- Quam „ periculoſe illi ſe fallunt, qui exiſtimant ex „ vi voti non teneri ad vitam communem, „ eo quod tempore ſuæ Profeſſionis non ſer- „ vabatur in Monaſterio, cum intentio non „ differat ab expreſſione verborum in voven- „ do prolatorum -- Porro verba votorum ſolemnium ſunt ad ſenſum Regulæ, & Conſtitutionum a Rom. Sede approbatarum.

S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5. *ad* 3. triplicem in Religioſis diſtinguit obedientiam, ſufficientem, ſcilicet, ad ſalutem, perfectam, & indiſcretam; de prima ait -- „ Religioſi obedientiam profitentur, quan- „ tum ad regularem converſationem ſecun- „ dùm quam ſuis Prælatis ſubduntur, & „ ideo quantum ad illa ſolùm obedire te- „ nentur, quæ poſſunt ad regularem con- „ verſationem pertinere, & hæc eſt obe- „ dientia ſufficiens ad ſalutem -- Cum autem ex inſtitutione Monaſticæ converſationis vita communis ſit inducta, atque ad regularem diſciplinam neceſſaria, jam plane ſit cadere ſub obedientia ſufficienti ad ſalutem. Et ſane communis vitæ forma, vel neceſſaria eſt, ut plerique contendunt, ad obſervantiam voti paupertatis, vel ad Monaſticam diſciplinam conſervandam, eaque propter ad obediendum dubio-procul tenentur Religioſi, nullimode ſuffragante oppoſita conſuetudine. Et licet inter Regulares Ordines diſcrimen occurrat ita ut unus alio mitior ſit quoad aliquas leges, puta quoad victum, veſtitum, & hujuſmodi, attamen quoad formam vitæ communis nullimode diverſificantur; undequicunque ſtatum Regularem ſecundùm uſus primævæ inſtitutioni oppoſitos aſſumit, nec explicite, nec implicite profiteri poteſt laxitatem; hoc enim directe pugnat cum eſſentia, & natura Monaſticæ profeſſionis. Nullus ergo ſe fidat conſuetudinis titulo.

In quo diſcriminantur Religiones.

327 OBJIC. II. Quoties ex reſtauratione communis vitæ grave ſequitur ſcandalum, nec Superiores, nec Subditi ad eam promovendam, ſuſcipiendamque adſtringuntur; atqui manifeſta ſcandala ſequuntur, ſi vita communis juxta Innocentianam Conſtitutionem inducatur, puta, contumeliæ, detractiones, irriſiones, odia, temeraria judicia, & ſimilia, quæ indubie ab his timenda ſunt, qui reformationi adverſantur, atque reſiſtunt; ex novitate ſcandalum oritur apud Seculares; putarent enim ad hæc uſque tempora Monachos, qui communem vitam non obſervavere, a proprio ſtatu longe aberraſſe; perturbarentur Monaſteria; omnia ſiquidem ſuſdèque verti deberent: accederet itidem magna inordinatio, quatenus in eadem Religione, pleriſque Adverſantibus, quidam communem vivendi rationem adoptarent; ergo.

Argumentum hocce, quod magni faciunt Adverſarii, nullius eſt ponderis, & ſi quid urgeret, totam Eccleſiaſticam Hierarchiam, humanamque poteſtatem everteret; ita ut nullimode leges condere poſſet; ſiquidem ex legibus, quæ ſemper libertatem coarctant, ſcandala plerunque oriuntur; in Republica enim potior pars refugit leges, modumque quærit illas eludendi. Pro re nata corruit argumentum, ſi hocce inſtituatur dilema; vel Subditi ſincere parati ſunt omnia Superioribus tradere, dum expoſcunt, vel non ſunt ſincere parati; ſi primum, jam nullum occurrit periculum ſcandali, eaque propter nullimode excuſandi ſunt Prælati, niſi communem vitam inſtituant; ſi ſecundum, jam ſunt in ſtatu damnationis; hæc namque ſincera animi præparatio eſt eſſentialis Religioſæ paupertatis conditio, ut apud omnes compertum eſt; adeoque niſi velint in damnabili ſtatu permanere, neceſſe eſt, quod ultro ſeſe reformationi ſubmittant, unde ſcandalis non ſupereſt locus. Aliàs prætenſa ſcandala in objectione enunciata, a Conciliis, Romaniſque Pontificibus evanida jure, meritoque judicata fuerunt, ſiquidem perpetui fuere in præcipienda reformatione, potiſſimum quoad vitam communem. Et ſane ſcandalum, quod timetur, non poteſt dici ſcandalum, ut ajunt, datum; hoc enim ab opere plane optimo oriri nequit; erit ergo ſcandalum acceptum: hocce porro, vel oritur ex malitia, ideoque Phariſæorum nuncupatur; vel ex ignorantia, unde Puſillorum denominatur; ſi ſcandalum primi generis eſt, contemnendum, nec ob hoc ſpiritualia bona, ſive ad ſalutem neceſſaria, ſive perfectioni deſervientia prætermittenda ſunt; ſi ſcandalum alterius eſt generis, quantum ad ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, non eſt curandum, quantum verò ad alia, niſi majus immineat periculum, a ſpiritualibus operibus aliqualiter abſtinendum, nempe quoad uſque agendorum reddatur ratio, qua poſita, ſi adhuc perdurat ſcandalum, recidit in ſcandalum ex malitia, proptereaque nihili faciendum; cumque Religioſis jam compertum ſit, cur ab Apoſtolica Sede communis vita præſcribatur, nequit eorum ſcandalum dici puſillorum. Videatur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 7., & potiſſimùm *ad* 4., ubi rem hanc optime verſat, atque dilucidat.

Religioſus paratus eſſe debet omnia Superiori tradere.

Illud autem inane prorſus eſt, aſſerere nempe, quod reformationem male audirent Seculares, cum hi quotidie inſurgant adverſus laxitatem, libertatem, atque Regularium vanitatem; nil eſt quod magis commendent, quam Religioſorum modeſtiam, vitæ auſteritatem, & uniformitatem. Cetera, quæ in objectione referuntur, ſunt omnia ſomniantium, ſi a Patribus non tam hominum, quam Angelorum cœtus antiqua dicebantur Monaſteria, ubi exacta communis vitæ obſervantia florebat, cur in præſenti ex eadem perfectionis ſcaturigine jurgia, diſſenſiones, & ſimilia pertimeſcenda ſunt? Di-

Diſcamus itaque ex Chryſoſtomo *hom.* 33. *in Gen.*, ubi nam pax, & concordia, ubi jurgia, & contentiones habeantur -- Ubi enim „ meum, & tuum, ibi omne litium genus, „ & contentionis occaſio; ubi autem hæc „ non ſunt, ibi ſecura verſatur pax, & „ concordia — Ceſſat itaque omnis diſſenſionis timor, ubi omnia communia ſunt, ſingulisque, prout eſt neceſſe, diſtributa. Fateor ex poſſeſſione bonorum in communi jurgia ſequi, cum ad omnes, & ſingulos indiſcriminatim dominii jura habeantur juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 2., verùm hæc non eſt communis vita Monaſtica, de qua nunc agimus.

Ubi omnia communia per miniſtros rite diſtributa nulla ſunt diſſidia.

Dicunt Adverſarii ſingularitatem eſſe fugiendam, novitatemque vitandam; hæc porro reformatio ſingularitatem, & novitatem ſapit.

Utique ſingularitas, atque rerum variatio evitanda, ſed quæ legibus adverſatur, non ea, per quam legibus conformamur; unde dicebat Apoſtolus ad Rom. 12. v. 2. *Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri*. En novitas ab Apoſtolo commendata; & S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 162. *art.* 4. *ad* 4. explicans duodecim humilitatis gradus, quinto loco habet — „ Quintus gradus humilitatis eſt tenere, „ quod communis Regula Monaſterii habet, „ cui opponitur ſingularitas -- Illa igitur vitanda ſingularitas, quæ contrariatur vitæ communi, non illa quæ eidem ſeſe accommodat.

Singularitas contraria legi vitanda.

328 OBJIC. III. Fas eſt ſequi ſententiam probabilem; ſed adhuc poſt Tridentinum probabile eſt licere peculium, vitamque privatam; ergo perperam dicitur non eſſe in ſtatu ſalutis, qui communis vitæ formam ab Innocentiana Conſtitutione præſcriptam non amplectitur; & revera durum nimis videtur tot pios, atque doctos damnare Religioſos, qui peculiis utuntur, privatæque vitæ indulgent.

Hic eſt clypeus, quo conantur ſe tueri vitæ privatæ Amatores, verùm num ſit armatura fortium protegens die belli, ideſt, mortis tempore, hoc opus, hic labor eſt? Deum judicem expectamus, qui nec fallit, nec falli poteſt, qui via eſt, vita, & veritas, adeoque in ſpiritu, & veritate ipſi ſervientes coronat. Perpendendum, an Deus hujuſcemodi probabiles opiniones approbet, ubi ipſe nobis per ſuos Vicarios certam proponit ſemitam. Petente Epulone, ut aliquem ex mortuis mitteret Abraham ad fratres ſuos, auditum eſt. *Habent Moyſen, & Prophetas: audiant illos*: habent Religioſi Moyſen, nempe Supremum Chriſti Vicarium, habent Prophetas, Sanctos ſcilicet Ordinum Inſtitutores, habent legem præſcriptam, atque ſolemniter profeſſam, hos audire debent, ſecus alios, & hi pro communi vita clamant, hi cum Chriſto ſedebunt judicaturi ſecundùm ea, quæ ſcripta ſunt in Regula, & Conſtitutionibus. Ceterum hujuſce opinionis probabilitas a laudatis ſuperiùs Doctoribus tutò negatur; & meritò ſane; neque enim intelligi valet eam opinionem fore probabilem, cui lex aperte adverſatur; porro

Secundùm Regulam Religioſi judicandi.

Eccleſia repetitis vicibus communem vitam
A ſevere præcipiens, vitæ privatæ reſiſtit, adeoque non videtur aliquo fulciri fundamento aſſerta probabilitas.

Dein etſi ſpeculative probabilis videatur hæc opinio, non tamen practice, ſi uſus, qui nunc invaluerunt, ſpectentur. Tot ſunt conditiones, quas requirunt Auctores ad illam ſententiam communiendam, ut moraliter impoſſibile videtur, eas vere ſervare. Quaſdam refert ex Navarro Ven. Pater Thomas a Jeſu *p.* 4. *cit. cap.* 3. Prima eſt, & quidem eſſentialis, ut Subditi candide parati ſint omnia Superioribus tradere, cum exquiſierint, atque in commodum Monaſterii uti
B voluerint; altera, ut licentia ad uſus tantummodo neceſſarios, atque pios concedatur; tertia, ut conceſſa facultas retinendi ſit ex juſta cauſa, atque voluntaria; quarta, ut in modo expendendi, retinendique, Superiorum ſtatuta, & mandata ſerventur; quinta, ut Prælati in bonorum diſpenſatione non contradicant; ſexta, ut non adverſentur reformationi, ſi a legitima auctoritate præcipiatur. Hujuſmodi conditiones, num hiſce temporibus practice habeantur, ſi uſus, & conſuetudines ſuperinductæ ſpectentur, judicent alii. Scio non eſſe paratum bona tradere Superiori, qui ea occultat; ſcio li-
C centiam non eſſe voluntariam, quando importunis precibus, dolo, & hujuſmodi extorquetur; ſcio juſtam non adeſſe cauſam, quoties non adeſt vera neceſſitas, quoties Monaſterium verè non laborat paupertate, ſed ſatis omnibus proviſum foret, ſi omnia ſincere permiſcerentur. Ubi pecuniæ expenduntur in ſuperfluis, ſive quoad victum, ſive quoad habitus, ſive in deauratis pyxidibus pro Tabaco, ſive in argenteis, aureiſve horologiis, quomodo dici poteſt, quod pecunia in neceſſarios uſus diſtrahatur? Ubi omnis conatus, & ſtudium omne impenditur, ut decreta reformationem percipientia
D eludantur, quomodo paratus eſt animus ad obtemperandum? Qui igitur hac opinionis probabilitate uti volunt, ſibi conſulant, ne æternum animæ detrimentum patiantur.

329 OBJIC. IV. Reformatio optima eſt, ſed ab interiori voluntate oriri debet, nec debent ad eam cogi Regulares, cum voluntaria, non coacta ſacrificia Deo placeant.

Verum in hac refellenda objectione non eſt immorandum, cum hæreſim Calvinianam, & Lutheranam ſapiat, docentem fideles legibus, & vi coactiva non poſſe a Pontifice cogi. Compertum eſt pœnis poſſe
E cogi etiam Hæreticos ad ſervandam, quam profeſſi ſunt, Fidem in Baptiſmi ſuſceptione, ea propter fortiori jure cogi poſſunt Regulares ad Reformationem juxta inſtitutum, quod libere elegerunt. Verùm abſit omnis coactio, cum vita communis ſit ſumme expetenda, ab ea namque, ut ait S. Baſilius *in Conſtitut. Monaſtic. cap.* 9. -- Omnis abeſt diſ„ ſenſio, omnis perturbatio, & rixæ; ſed „ omnia ſint communia, animi, mentes, „ corpora, eaque, quibus neceſſariò ad cul„ tum, & victum utimur -- & infra — Huic „ vitæ inſtituto quid eſt tandem quod jure

Ad reformationẽ cogi poſſunt Regulares.

„ æquiparari poſſit, quid beatius dici? Quid
„ hac conjunctione, unitate, neceſſitudine
„ aptius? --

CONTROVERSIA XIII.

AN JUNIORES AD MONASTICUM INSTITUTUM SINT ADMITTENDI.

UNdique inſurgunt Acatholici adverſus Monaſticum inſtitutum, ut illud evertant. Non ſatis eis fuit venena evomere contra ejuſdem ſubſtantiam, ſed etiam Perſonarum conditionem impetere nituntur, ne perfectionis ſemitam adoptent. Contendunt igitur Hæretici haud licitum fore Junioribus Regularem diſciplinam profiteri. Lutherus *lib. de votis Monaſticis* vult ad Monaſtica vota non eſſe aſſumendos niſi poſt 70., vel 80. ætatis annum. Confeſſio Auguſtana *art.* 27. acriter invehitur adverſus illos, qui pueros Religionem ingredi permittunt. Lutheri veſtigia ſequitur Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 15. §. 19. aſſerens primis Eccleſiæ Seculis nefas fuiſſe ante annum 60. fœminis facultatem concedere continentiam Deo vovendi, qua de re ſimiliter conqueritur Petrus Martyr *lib. de cœlibatu, & votis*. Nuperrime Marcus Antonius de Dominis *lib.* 2. *de Repub. Eccleſiaſtic. cap.* 11. ſententiæ hujuſmodi fert ſuppetias inquiens -- Ordinarie Juvenculæ non
„ ſunt ad profeſſionem caſtitatis admitten-
„ dæ -- Hæc Novatorum doctrina ſurculos eſt errorum, quibus in Galliis Vigilantii Sectatores Monaſticam perfectionem vexarunt circa tempora SS. Bonaventuræ, & Thomæ, quos inter Guillelmus de Sancto Amore primas partes egit. Hos præceſſit Wicleſus, ut Juniores a Religioſo ſtatu, quem ſumme execrabatur, averteret.

Juniores alii ætate dicuntur, fide alii, alii pœnitentiâ: Juniores ætate hi nuncupantur, qui a paucis annis nati ſunt; Juniores fide, quamvis plures enumerent annos, recenter tamen ſacrum regenerationis lavacrum ſuſcepere; demum Juniores pœnitentiâ veniunt illi, qui ab infantia in fide enutriti, ſeſe peccatis inquinaverunt, a quibus a modico tempore ſeſe expurgarunt. Potiſſimum Controverſia verſatur quoad Juniores ætate, de aliis tantummodo conſequenter. Cum exquirimus, num Junioribus fas ſit Monaſticum onus ſuſcipere, Juniorum nomine pueros intelligimus rationis uſum habentes, & doli capaces, maxime ſi pubertatem nacti ſint, videlicet, ſi fœmina ad annum duodecimum pervenerit, maſculus ad decimumquartum. Id autem notandum occurrit nos impræſentiarum non attendere ad Sacro-Sanctæ Eccleſiæ decreta, quæ ad Regularis Profeſſionis valorem ætatem ſexdecim annorum præſcribunt, quam prudentiſſimam Eccleſiæ Sanctionem inverecunde carpunt Hæretici. His poſitis

Dicendum Junioribus licere tam ſpiritu probationis, quam profeſſionis Monaſticam
A diſciplinam ſuſcipere.

330 PROB. I. Commendat Deus Thren. 3. v. 27. tanquam bonum, atque ad conſequendam perfectionem perutile, ſi quis a teneris portet onera juſtificationum, atque ob amorem virtutis, cujus eſt Paleſtra ſtatus Regularis, dura pati aſſueſcat. *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſuper ſe*: quem locum verſans S. Hilarius in Pſal. 118. ad verſiculum: *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam*, habet --

Laudabile virtutis exercitium in Juventute.

„ Onus iſtud maturi ad obediendum anni
„ ægre ferunt: ceterum ætas tenera gravis
B „ oneris moleſtiam per virtutis incrementa
„ non ſentit: ſed ſuſcepto in juventute one-
„ re, quid faciet? Sedebit, inquit, ſingu-
„ lariter, & tacebit. Rarus ipſe eſt, quo
„ perfectio timoris Dei per annorum argu-
„ menta concreſcat, & idcirco ſingularis ſe-
„ debit, laſcivos adoleſcentiæ cœtus dere-
„ linquens, & ab ipſo Senum nuper creden-
„ tium conſeſſu remotus, quia competit ſe
„ non dicere: delicta juventutis meæ, Do-
„ mine, ne memineris? Silebit etiam, con-
„ gruam fidei, & juventuti exiſtimans taci-
„ turnitatem, non tumultibus negotiorum
„ ſecularium admiſtus, ſed per modeſtiam
C „ tacens, ſolâ divinâ Sacramentorum cogni-
„ tione occupatus, & ſermones Dei tacita-
„ rerum, atque operum obſervatione custo-
„ diens -- Nil plane aptius ad commendationem Religioſi ſtatus a Junioribus adoptandi.

Pro re nata mire deſerviunt, quæ leguntur Proverb. 20. v. 11. *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda, & recta ſint opera ejus*: his ſuaſor eſt Spiritus Sanctus, ut Parentes incumbant puerorum educationi; ſiquidem quales formantur pueri, tales evadunt viri; unde egregie catena Græca vertit -- Adoleſcens cum Sancto familiariter
D „ converſans rectam faciet viam ſuam -- Converſatur autem cum Sancto, ſi inter Religioſos vitam ducat, utpote in ſtatu perfectionis.

Juniores bene educandi.

Proverb. 22. v. 6. *Proverbium eſt: Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*: ne ergo vitiis implicetur, & paſſionibus, optimum eſt, ut in primordiis virtutum exercitio iiſdem imbuatur. Inſtituendi ſunt Juniores ad honeſtatem, & probitatem, aliàs, ut teſtatur Job 20. v. 11. *Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Et meritò ſane: etenim, ut ait Hieronymus
E *Epiſt. 7. ad Latam de Inſtitutione Filiæ* -- Diffi-
„ culter eraditur, quod rudes anni perbibe-
„ runt; Lanarum Conchylia quis in priſtinum
„ candorem revocet? Recens teſta diù & ſa-
„ porem retinet, & odorem, quo primum
„ imbuta eſt -- A Juventute mores inſtituuntur, quibus reliqua vitæ tempora informantur.

Virtutes a Juventute exercendæ.

Proverb. 23. v. 13., & ſeq. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* En qualiter monet Spiritus Sanctus pueros indu-

Corrigendi in Juventute.

inducendos eſſe etiam flagellis ad bonorum
operum exercitium, ut a damnationis peri-
culo eruantur; quomodo ergo removendi
ſunt Juniores ab ingreſſu Religionis, atque
a Monaſtica diſciplina arcendi, tam aperte,
tamque efficaciter auribus noſtris inſonante
Divino Spiritu?

331 PROB. II. Ad Chriſti ſequelam
admittendi ſunt, quos Chriſtus ad ſe venire
voluit; ſed Chriſtus etiam parvulos ad ſe
venire voluit: Matth. 19. v. 13., & ſeqq.
*Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis
imponeret, & oraret. Diſcipuli autem incre-
pabant eos. Jeſus verò ait eis: ſinite parvulos,
& nolite eos prohibere ad me venire. Talium
eſt enim Regnum Cælorum. Et cum impoſuiſ-
ſet eis manus, abjit inde.* SS. Baſilius, &
Ambroſius textum apte explicant ad inten-
tum. primus igitur *in Regulis fuſius diſputa-
tis Interrogatione* 19. habet — Cum Domi-
„ nus dicat: ſinite parvulos venire ad me,
„ & Apoſtolus eum laudet, qui ab infantia
„ ſacras litteras didiciſſet: proſus ad eos,
„ qui ad nos accedunt, admittendos, nul-
„ lum ætatis tempus non eſſe idoneum judi-
„ camus, vel ipſius adeo teneræ, atque
„ ineuntis: ut videlicet qui orbati parenti-
„ bus ſint, eos noſtra ſponte ipſi aſſumamus,
„ & exemplo Job parentes pupillorum ſimus.
„ Qui autem ſub parentibus ſint, eos ab ipſis
„ ad nos adductos, multis adhibitis teſtibus
„ recipiamus . . . Non ii tamen continuò
„ propterea ad reliquum Fratrum corpus ag-
„ gregandi, aut cum his ſimul cenſendi
„ ſunt: ne videlicet, ſi illi propoſitum
„ ſuum minus fuerint aſſecuti, eorum poſtea
„ probra in omnes promiſcue pietatis Secta-
„ tores redundent, ſed educandi illi quidem
„ ſunt cum omni charitate, non ſecus ac ſi
„ communes totius Fratrum Collegii filii
„ eſſent: ſeorſumque ipſis & locus, in quo
„ habitent, & victus ratio quam teneant,
„ aſſignari debet . . . Quamobrem animus,
„ dum tener eſt adhuc, & rito ceræ molliſ-
„ ſimæ cedit, confeſtim ab ipſo initio, om-
„ nium rerum bonarum imbui exercitatione
„ debet, quo videlicet, ubi poſtea rationis
„ uſus acceſſerit, & habitum illum rerum
„ dijudicandarum ætas major attulerit, pie-
„ tati jam ab ineunte ætate aſſuetus, nullo
„ impedimento, curſo utatur faciliore; cum
„ & ratio, quid expediat, admoneat, & ad
„ id aſſequendum facilitatem præbeat con-
„ ſuetudo. Quo ſane tempore admittenda
„ eſt Virginitatis profeſſio, tanquam firma
„ jam, & ejuſmodi quæ a proprio conſilio,
„ judicioque proficiſcatur, ratione jam pro-
„ be adultâ. Poſt quod tempus, & præmiis,
„ & ſuppliciis a juſto Judice afficiuntur ii,
„ qui vel bene vixerint, vel male; pro me-
„ ritis videlicet eorum, quæ geſſerint — Hæc
& quidem egregie S. Baſilius. Audiamus
S. Ambroſium *lib. 3. de Virginibus* circa me-
dium — Non mirere in adoleſcentulis pro-
„ feſſionem, cum legeris in parvulis paſſio-
„ nem, ſcriptum eſt enim: ex ore infan-
„ tium, & lactentium perfeciſti laudem.
„ An dubitamus, ſi eam uſque ad continen-
„ tiam ſequatur adoleſcentia, quem uſque
„ ad mortem confitetur infantia, & quaſi
„ incredibile putamus, ſi puellæ nubiles
A „ Chriſtum ſequantur ad Regnum, quem
„ etiam pueri ſequebantur in deſertum,
„ ſicut legimus, quod ſunt ſaturata de quin-
„ que panibus quatuor millia hominum, ex-
„ ceptis, inquit, pueris, & mulieribus.
„ Nolite ergo a Chriſto arcere infantes,
„ quia & ipſi pro Chriſti nomine ſubiere
„ martyrium: talium eſt enim Regnum Cæ-
„ lorum. Vocat enim eos Dominus, & tu
„ prohibes? De ipſis enim Dominus ait:
„ ſinite parvulos venire ad me — Diſcurſus
S. Doctoris obſtruit ora blaſphemantium.
Nec ſolos parvulos ætate, ſed etiam fide ad
obſervantiam conſiliorum vocat Chriſtus.
B Patet hoc exemplo Apoſtolorum, qui ſtatim
ac vocati fuere, Chriſtum ſunt ſecuti. In
Collegio autem Chriſti primum extitit exem-
plar ſtatus perfectionis. De ſeipſo Paulus ex
perſecutore factus Apoſtolus ad Galat. 1.
v. 15. ait: *Cum autem placuit ei, qui me
ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit
per gratiam ſuam, ut revelaret filium ſuum
in me, ut evangelizarem illum in gentibus,
continuò non acquievi carni, & ſanguini.* Par-
vulos item pœnitentiâ ad ſemitam perfectio-
nis provocat, ſicut conſtat Lucæ 5., ubi de-
ſcribitur Sanctus Matthæus a telonio voca-
tus, omnibus relictis, ſequens Chriſtum.

C 332 PROB. III. In Scripturis com-
mendata habemus exempla Juniorum, qui
ſanctiorem vivendi rationem pene a primor-
dio vitæ elegerunt; ergo laudabile eſt Junio-
res ſtatum Religioſum adoptare. Num. 3.
v. 15. præcipitur, ut hi deſcribantur, qui
ab ipſa infantia ad Dei cultum, atque tem-
pli obſequium deſtinati ſunt, ut inde com-
pertum habeamus Deo placere, quos a te-
neris perfectius inſtitutum ſuſcepere. *Nu-
mera filios Levi per domos Patrum ſuorum,
& familias, omnem maſculum ab uno menſe,
& ſupra.* Num. 30. v. 4. Laudantur vota
emiſſa a muliere in juvenili ætate. *Mulier ſi
D quippiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramen-
to, quæ eſt in domo Patris ſui, & in ætate
adhuc pupillari. Si cognoverit Pater votum
quod pollicita eſt, & juramentum, quo obli-
gavit animam ſuam, & tacuerit, voti rea
erit: quidquid pollicita eſt, & juravit, opere
complebit. Sin autem ſtatim ut audierit, con-
tradixerit Pater, & vota, & juramenta ejus
irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni,
eo quod contradixerit Pater.* Vota hujuſmodi
Deo placebant, ideo, accedente Patris con-
ſenſu, adimplenda erunt. Ea qua condi-
tione inſerunt Doctores, vota puerorum in-
fra annos pubertatis a Parentibus diſſolvi
E poſſe, ſicut etiam Servorum in his, quæ ſui
juris non ſunt, puta quoad ingreſſum in
Religionem, vel quoad Sacrorum Ordinum
inaugurationem.

1. Reg. 1. v. 28. habemus Samuelem
puerulum Deo ſpecialiter devotum. *Idcirco
& ego commodavi eum Domino cunctis diebus,
quibus fuerit commodatus Domino*, & cap. 3.
v. 1. *Puer autem Samuel miniſtrabat Domino
coram Heli.* Luc. 1. v. 80. de Præcurſore
legitur: *Puer creſcebat, & confortabatur ſpi-
ritu, & erat in deſertis uſque ad diem oſten-
ſionis ſuæ ad Iſrael*; ne, ſcilicet, fallaciis,

quæ

quæ per ſenſus ingeruntur, aſſuetus confuſionem, & errorem incurreret, ut diſcurrit Nyſſenus.

Neque hoc veteri tantummodo legi conveniebat, meliora habet lex gratiæ. De S. Joanne Chryſoſtomo refert Palladius *in ejus vita cap.* 5. — In juvenrutis flore vicinos
„ occupat montes, ibique congreſſus ſeni
„ cuidam Syro, ſeſe illi ſocium dedit, imi-
„ tatus vitæ continentiam, duritiamque pro-
„ poſiti — S. Ambroſius *Epiſt. lib.* 3. *Epiſt.* 22. *de S. Acbolio* ſcribit — Ille ſe Monaſteriis
„ puer dedidit, & intra Achajam anguſto
„ clauſus tugurio, gratia tamen multarum
„ terrarum peragravit divortia — S. Hieronymus *Epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis* pueros deſcribit in Monaſterio degentes — Quibus, *ideſt Senibus*, & parvulis ſæpe
„ fit prandium, ut aliorum feſſa ſuſtentetur
„ ætas, & aliorum non frangatur incipiens —
& Epiſt. 15. *ad Marcellam de Vita Aſellæ* ait — Prætermitto, quod in Matris utero
„ benedicitur ei, antequam naſcatur, quia
„ in Phiala nitentis vitri, & omni ſpe-
„ culo purioris Patri virgo traditur per quie-
„ tem, quod adhuc infantiæ involuta pan-
„ nis, & via annum decimum ætatis exce-
„ dens, honore futuræ beatitudinis conſe-
„ cratur. Sit gratiæ omne, quod ante la-
„ borem fuit, licet Deus præſcius futuro-
„ rum, & Jeremiam ſanctificet in utero,
„ & Joannem in alvo Matris faciat exultare,
„ & Paulum ante conſtitutionem mundi ſe-
„ paret in Evangelium filii ſui. Ad ea ve-
„ nio, quæ poſt duodecimum annum ſudore
„ proprio elegit, arripuit, & tenuit, cœ-
„ pit, implevit — Ad hæc uſque tempora laudabilis viget memoria Pauli I. Eremitæ, Antonii, Hilarionis, aliorumque, qui in juvenili ætate ad Eremum convolarunt, & aſperrima quæque ſive ſolitudinis, ſive Cœnobiticæ vitæ onera ſubierunt. Unde meritò cuilibet ex Hæreticis dicere poſſumus cum Auguſtino *de Sancta Virginitate cap.* 36. —
„ Reſpice agmina virginum, puerorum,
„ puellarumque Sanctarum in Eccleſia — & diſcat, quomodo ab infantia ſanctimoniam elegerunt, atque ſeſe divinis mancipaverunt obſequiis.

Primis temporibus Juvenes Deo ſacrati.

Non ſolùm primis rei Chriſtianæ Seculis, ſed & ſequentibus talis perfectionis habemus exempla. Seculo VI., & VII. plura occurrunt momenta circa ætatem, qua Pueri, & Puellæ Monaſticum Inſtitutum amplectebantur. Trullana Synodus *Can.* 40. habet — Qui Monachicum jugum eſt ſubi-
„ turus, ne ſit minor quam decem annorum
„ natus; ejus quoque rei examinatione in
„ Præſulis arbitrio ſitâ, an augeri tempus
„ conducibilius exiſtimet ad introductio-
„ nem, & conſtitutionem in vita Monaſti-
„ ca — & diſciplina hujuſmodi apud Orientales vigebat. S. Gregorius Magnus in Monaſteriis S. Benedicti pueros ad Monaſticam Profeſſionem ſuſceptos teſtatur *lib.* 2. *Dialogorum cap.* 3., *& alibi*, ſed *Epiſt.* 48. *lib.* 1. diſtinguit eos inter, qui in Monaſteriis Inſularum recipi debent, & qui admitti Romæ — Quia autem dura eſt in Inſulis Congrega-
„ tio Monachorum, etiam pueros in eiſdem
„ Monaſteriis ante decem, & octo annorum
„ tempora ſuſcipi prohibemus. Vel ſi qui
„ nunc ſunt, tua eos experientia auferat,
„ & in Romanam Urbem tranſmittat. Hoc
„ & in Palmaria, aliiſque Inſulis, te per
„ omnia volumus cuſtodire — S. Aurelianus ſive decimo, ſive duodecimo ætatis anno pueros admittebat ad Religioſum ſtatum, ut legitur *cap.* 17. *ſua Regula*.

Puerì, & Puellæ ad Monaſteria confugiebant.

Poterant pueri ultro Monaſteria ingredi, ſed inſimul parentibus fas erat illos Monaſticæ vitæ devovere. De hujuſmodi oblatione legere eſt *in Regula S. Benedicti cap.* 59. — Si quis forte de Nobilibus offert filium
„ ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer
„ minori ætate eſt, parentes ejus faciant pe-
„ titionem, quam ſupra diximus: & cum
„ oblatione ipſam petitionem, & manum
„ pueri involvant in palla Altaris, & ſic
„ eum offerant — Synodus Aurelianenſis V. *Can.* 29. deſcribit puellas, quæ ſive propria voluntate, ſive a parentibus Deo offerebantur — Quæcunque etiam puellæ, ſeu propria
„ voluntate Monaſterium expetunt, ſeu a
„ parentibus offeruntur, annum in ipſa,
„ qua intraverint, veſte permaneant — Idem diſcrimen aſſignat Matiſconenſe Concilium I. *Can.* 12. — Si qua puella voluntarie, aut pa-
„ rentibus ſuis rogantibus Religionem pro-
„ feſſa, vel benedictionem fuerit conſecuta,
„ & poſtea ad conjugium, aut illecebras ſe-
„ culi tranſgredi præſumpſerit, uſque ad
„ exitum cum ipſa, qui ſe hujuſmodi con-
„ ſortio miſcuerit, communione privetur —
Concilium Toletanum X. eâdem de re ſermonem habet *Can.* 6. — Si in qualibet mi-
„ nori ætate, vel Religionis tonſuram, vel
„ Religioni debitam veſtem, in utroque
„ ſexu filiis unus, aut ambo parentes de-
„ derint, certe aut nolentibus, aut neſcien-
„ tibus ſeſe ſuſceptam, non mox viſam in
„ filiis abdicaverint, ſed vel coram ſe, vel
„ coram Eccleſia, palamque in Conventu
„ eoſdem filios talia habere permiſerint, ad
„ ſecularem reverti habitum ipſis quoque
„ filiis non licebit, ſed convicti quod Ton-
„ ſuram, vel Religioſam veſtem aliquando
„ habuerint, mox ad Religionis cultum,
„ habitumque revocentur, & ſub ſtrenua
„ diſtrictione hujuſmodi obſervantiæ inſer-
„ vire cogantur — Wormatienſe Concilium anno 868. celebratum *Can.* 22. idem declarat — Si pater, vel mater filium, filiamque
„ intra ſepta Monaſterii in infantiæ annis
„ ſub regulari tradiderint diſciplina, non
„ liceat eis poſtquam ad pubertatis pervena-
„ rint annos, egredi, & matrimonio co-
„ pulari. Hoc ergo omnino devitandum
„ eſt, quia nefas eſt, ut oblatis a parenti-
„ bus Deo filiis voluptatis frena laxentur.
„ Igitur ut prædiximus, non liceat eis ſu-
„ ſceptum habitum unquam deſerere; ſed
„ convicti quod aliquando Tonſuram, aut
„ Religioſam veſtem habuerint, in Religio-
„ nis cultu, habituque velint, nolint per-
„ manere cogantur —

Parentes Deo dicabant pueros.

His quidem abunde probatur licitum eſſe Junioribus ſeſe Deo ſacrare, ſed momentoſam ingerit difficultatem conſtans traditio, qua comprobatur filios a parentibus in in-

fantili

fantili ætate Deo devotos, a Religioſo ſtatu recedere non poſſe, cum nacti fuerint pubertatem. Hac ſuper re placet referre, quæ habet Cabaſutius *in Notitia Eccleſiaſt. Secul. IX.* ad Concilium Wormatienſe. Relata igitur hujuſmodi Eccleſiæ diſciplina ſubdit — Itaque ſeptingentos fere annos uſque adeo effusâ Patrum in liberos, nondum ſui per ætatem compotes, poteſtate uſa eſt Eccleſia, quam poſtmodum majori jure, & æquitate coercuit. Urgebant fortaſſis exempla Samuelis, quem mater infantem tabernaculi obſequiis conſecrarat, & Jephte votum, quo filiam unigenitam immolavit. Quinimmo favore Religionis Monaſticæ ulterius etiam progreſſi ſunt olim in Eccleſiæ Canones. Ex quo enim aliquis & adultus, & ſui juris, nec tamen mentis compos, aliena voluntate fuerat in ægritudine Monaſtico Cucullo amictus, ſi deinde convaleſcebat, obſtrictus indiſpenſabiliter permanebat ad reliquum vitæ in Monachali veſte, atque inſtituto traducendum; adeout in Hiſpania Rex Vamba, & inſigni pietate, & bellica laude, & relatis de Sarracenorum gente victoriis inclytus, cum in morbum incidiſſet, alienatus a ſenſibus, ab Epiſcopis, & Proceribus Regni, pro conſuetudine tunc temporis vigente, Monaſtica veſte indutus, & deinde convaleſcens ſe aſtrictum Monaſticis Inſtitutis agnoſcens, regnum ſuum in Ervigium tranſtulerit, & in Monaſterium, quamvis nihil tale animo propoſuiſſet, ſe alieno ligatus facto abdiderit, ut liquidò conſtat ex Concilii Toletani XII. *cap.* 1. Cujus etiam ſecundus Canon generali Sanctione decernit, neminem qui in ægritudine quantumvis in delirium, ac phreneſin lapſus, habitu fuerit Monaſtico per alium indutus, poſſe niſi per crimen, & damnabilem apoſtaſiam habitum jam ſuſceptum dimittere, & eſſe ad Monaſtica inſtituta compellendum. Pœnam nihilominus excommunicationis in Sacerdotem decernit, qui non petenti ægroto Monachicum amictum indiderit. Id Concilium anno Chr. 681. initum fuit, vivente in Monaſterio Vamba, & Ervigio regnante.

Parentum vota quoad filios.

„ Poſterioribus ſane Canonibus majore tum prudentia, tum æquitate, prorſus oppoſitum cautum fuit, quibus omnis irrita Monaſtica profeſſio decernitur, ſi non fuerit libera, & ſpontanea, & ſi non præceſſerit integer nimirum probationis annus. His quoque proviſum eſt, ut omnis profeſſio, quæ pubertatem præceſſerit, hoc eſt, completos duodecim annos in fœminis, & in maſculo quatuordecim itidem completos, ſit irrita, & inanis &c. -- Proſequitur hinc declarare quid Tridentinum hac ſuper re ſanxerit. Ceterum Seculo XIII. Innocentius III. *lib. XV. Epiſt.* 116. *ad Lugdunenſes Epiſcopos datâ* quoad pueros a parentibus oblatos habet — Cautum reperitur in Canone (*ſupple Concilii Lateranenſis*) ut minoris ætatis filiis, qui oblati Monaſterio fuerint, ſuſcipientes habitum, vel tonſuram, ſi a Prælatis ſuis anno quintodecimo requiſiti, ſe in aſſumptæ Religionis propoſito conſenſerint permanſuros, pœnitendi licentia præcludatur, alioquin eis non adimatur ad ſeculum redeundi facultas, ne coacta præſtare Deo ſervitia videantur —

ARGUMENTIS ACATHOLICORUM FIT SATIS.

ADverſus veritatem, quam hucuſque propugnavimus, pluribus inſurgunt Novatores, quæ tamen ſuperiùs evertimus, ubi de voto caſtitatis. Perperam namque volunt neminem vovere poſſe, niſi ſit certus de dono a Deo collato in ordine ad voti obſervantiam. Reperit Petrus Martyr textum Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. *Adoleſcentiores Viduas devita. Volo Juniores nubere*, ſed legitimum Apoſtoli ſenſum loco citato dedimus. Sunt Amoræi, qui plurima congerunt; verùm cum ſingula referre non vacet, præcipua ad quaſdam velut claſſes reducere curabimus. Amoræorum ſyſtema eo tendit, ut evincat, neminem eſſe ad Evangelica conſilia admittendum, niſi prius in præceptorum obſervantia ſeſe exercuerit.

333 OBJIC. I. Exodi 21. v. 33. legitur: *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque Bos, aut Aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum*; ſed admittere ad Monaſticum ſtatum Juniores, Neophytos, ſive peccatores minime exercitatos nil aliud eſt, quam eis ciſternam aperire; cum plerique deficiant, eos pœniteat ſuſcepti oneris, regrediunturque; ergo ad Regularem ſtatum non ſunt admittendi: nulli enim danda eſt occaſio mali; ea propter Ezechias æneum Serpentem abſtulit; quia Judæis Idololatriæ occaſio erat; quamvis eum erexiſſet Moyſes ex Dei mandato; unde etſi dicatur Monaſticum Inſtitutum eſſe a Domino, non eſt pro iis, quibus eſt in laqueum.

RESP. Status Monachorum dici poteſt ciſterna, ſed ciſterna ſalutis, in qua filii Iſrael ſalvantur, Religioſi videlicet, dum exuentes veterem hominem induunt novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate. Nec alia eſt ciſterna Monachatus, unde qui in eam cadit, feliciter cadit. Nec eſt reprehenſibilis Religio, aut ingreſſus in eam, ſi qui ſegniter operantur, aut a ſalutis ſemita deficiunt: fugienda quidem eſt occaſio mali data, ſi verò eſt accepta, non eſt curanda, nec propter eam prætermittendum eſt bonum; ſibi imputet, qui ex bono occaſionem mali deſumit; ideo Chriſtus non dereliquit prædicationem, licet Phariſæi ſcandalum paſſi blaſphemarent.

Occaſio mali quando fugienda.

Serpens æneus ab initio ex divino præcepto elevatum fuit, ut vulnerati ipſum inſpicientes, ſanarentur, referens etiam Chriſtum in Cruce exaltatum; quoniam verò ex hominum malitia tanquam Idolum cœpit venerari, jure meritoque fuit everſus; aliàs prædictus Serpens poſitive non inducebat ad bonum, nec poſitivam beneficentiæ virtutem habebat, ratione cujus permitti poſſet Ido-

Idololatræ ; Religio autem eſt in ſe poſitive bona, & poſitive eſt perfectionis paleſtra, habet media apta ad ſanctificandum ; atque propter nec auferenda eſt, nec ingreſſus eorum, qui exercitati non ſunt, impediendus, ex quo aliqui deficiant : etenim, paucis deficientibus, longe plures ſunt, qui proficiunt.

DICES. Proverb. 13. v. 11. *Subſtantia feſtinata minuetur* ; ſed qui Junior, vel peccator non exercitatus Religionem ingreditur, ſpiritualem ſubſtantiam feſtinanter congregat ; ergo indubie minuetur ; adeoque quamvis Monachatus dicatur poſitive bonus, atque ſanctitati deſerviens, Junioribus tamen, & inexpertis non eſt proportionatus, ſed potius periculoſus.

RESP. Veritas doctrinæ ; quæ in hac inſtantia refertur, male præſenti Controverſiæ aptatur. Materialis litteralis laudatæ Scripturæ ſenſus innuit divitias tumultuarie, feſtinanterque congregatas, proindeque cum mixtura pravarum artium, facile deperdi, & qui hoc modo ditescunt, brevi ad paupertatem devenire ; cum verò paulatim, atque ſervata æquitatis lege congregantur, tunc augentur, atque conſervantur, ideo ſubditur ibidem : *Quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur*. Si verò ſpiritualis litteralis ſenſus ſpectetur, ſignat, quod immoderatus fervor nequaquam ad perfectionem acquirendam conducit. Qui enim citò, & quidam tumultuaria ſpiritus ebullitione ſanctificari volunt, nihil, aut parum proficiunt, atque horum fervor fulguris inſtar evaneſcit.

Intempeſtivus fervor facile evaneſcit.

Dupliciter autem fervoris inordinatio conſummitur, vel quia pluribus coacervatim incumbunt, vel quia abſque debito ordine pietatis exercitia aſſumuntur, quo pacto quidam inepte Rethoricæ, ſimul, & Philoſophiæ, Mathematicæ, Hiſtoriæ, aliiſque ſcientiis dant operam, alii verò ad præclariora ſtudia nituntur, prætermiſſis illarum facultatum rudimentis. Perperam igitur agunt, qui Monaſticen profitentes perfectionis negligunt rudimenta ; unde quam maxime evigilandum eſt, ut Juniores in Aſceterio per gradus ad perfectionem perveniant, nec perfectorum ſtatum ambiant, neglectis Incipientium, & Proficientium gradibus ; Infantes ſunt, qui lacte primò, dein ſolido nutriendi ſunt cibo.

Ad perfectionem per gradus aſcendendum.

INSTABIS. Marc. 5. v. 18., & ſeq. *Cumque aſcenderet navim, cæpit illum deprecari, qui a Dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo, & non admiſit eum ; ſed ait illi ; vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui*. In Dæmoniaco a Chriſto liberato intelligitur homo a peccatis converſus, in Navi, ubi eſt Chriſtus, Religio ; porro ex quo noluit Chriſtus Dæmoniacum illum in navim ſuſcipere, ſatis erudimur peccatores non eſſe ad Monaſticum ſtatum admittendos, cum in mandatis non ſint exercitati. Præcitatum textum verſans S. Gregorius *lib. 6. Moral. cap. 17.* habet pro re nata -- Cum „ enim quamlibet parum de divina cogni„ tione percipimus, redire ad humana jam „ nolumus, & proximorum neceſſitatibus „ onerari recuſamus, quietem contempla„ tionis quærimus, nihilque aliud niſi hoc, „ quod ſine labore reficit animum, ama„ mus ; ſed ſanatos nos veritas ad domum „ mittit, narrare, quæ nobiſcum acta ſunt, „ præcipit, ut videlicet mens prius deſudet „ in opere, & poſtmodum refici debeat per „ contemplationem -- Quibus aperte declarat exercitationem in præceptis præmittendam neceſſariò fore ad Religionis ingreſſum.

Ultro admittimus allegoricam textus explicationem ; ceterum inepte deducitur illatio ; ſiquidem Monaſticus ſtatus apprime deſervit pro confirmandis, perficiendiſque in ſuſcepta bona valetudine hujuſmodi Dæmoniacos, nempe peccatores : ad revocandos enim peccatores illud præſtetur oportet, quod in tortuoſis lignis rectificandis peragitur, etenim ut ad medium reducantur, violenter ad partem alteram debent deflecti, ita vitioſi homines, ut ad virtutis medium perveniant, ad extremum aliud inclinari debent, ut videlicet, non præcepta tantummodo, ſed & conſilia obſervent ; quod innuit Propheta Baruch. cap. 4. v. 28. *Sicut enim fuit ſenſus veſter, ut erraretis a Deo ; decies tantùm iterum convertentes requiretis eum* ; ſignificans eum, qui peccando legem violavit, excellentiora virtutis exercere debere ; cui concinit Apoſtolus ad Rom. 6. v. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ ; ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiis, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem* ; ſervire debent peccatores juſtitiæ, ſed fervide, ut dignos fructus faciant pœnitentiæ, ut declaratur Luc. 3., & egregie explicatur a Magno Gregorio *in Comment. ejuſdem capitis* -- Per „ hoc ergo quod dicitur : facite dignos fru„ ctus pœnitentiæ : uniuſcujuſque conſcien„ tia convenitur, ut tantò majora acquirat „ bonorum operum lucra per pœnitentiam, „ quantò graviora ſibi intulit damna per „ culpam --

Fervor in peccatore converſo.

Nec huic veritati adverſatur Scriptura, cum ibidem aliud intendat Chriſtus, ſiquidem non rarò, quod melius eſt, prætermittere juvat, ut alienæ ſubveniamur indigentiæ. In Dæmoniaco illo, ut advertit S. Hieronymus, Populus Gentilis exprimitur ; ideo dixit Dæmon : *Legio mihi nomen eſt* : etenim, ut perpendit Beda, Gentes quam maxime Idololatriæ cultibus erant mancipatæ. Sanando Dæmoniacum declaravit Chriſtus ſe ad ſalutem Gentium adveniſſe ; hinc eum ad parentes ſuos remittendo, ut collatum eidem beneficium referret, voluit nomen ſuum evulgare, populoſque ad ſe trahere. Quare privati hominis perfectioni aliorum utilitatem prætulit Salvator. Neque urget S. Gregorii expoſitio, tum quia juxta prædicta loquitur, nempe non eſſe inſiſtendum contemplationi, ubi aliud proximorum neceſſitas exquirit ; tum quia eos redarguere intendit, qui inordinate contemplationi incumbere volunt, prætermiſsâ nempe debitâ paſſionum purgatione, ut contextus palam facit ; quod ſane indubium eſt ſive quis in

Quod melius eſt, quando prætermittendum.

ſeculo

Digitized by Google

ſeculo commoretur, ſive transfolet ad clauſtra; prius enim mens ab omni carnalis concupiſcentiæ delectatione expurganda eſt, quam ad altiora conſcendat.

REPLICABIS. Chriſtus tradens doctrinam Conſiliorum præſupponit mandatorum obſervantiam, ideo poſtquam Adoleſcens Matth. 19. v. 20. affirmavit præcepta omnia a juventute ſervaſſe, reſpondit Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes*: non ergo inexercitati in divinorum mandatorum obſervantia admittendi ſunt ad clauſtra.

RESP. Nuſquam Chriſtus prævie ad conſilia præceptorum obſervantiam exquiſivit, ut compertum eſt in Matthæo, qui a Telonio ad Apoſtolatum vocatus fuit. Matth. 4. habemus Chriſtum ſtatim a ſuſcepto Baptiſmate aſcendiſſe ad Deſertum, ubi Eremiticæ perfectionis formam tradidit, quo exemplo declarare voluit a peccatis ablutos per lavacrum pœnitentiæ non eſſe a ſemitis perfectionis arcendos, ut ſunt hi, qui ad clauſtra confugiunt. Compertum namque ad unum omnes habere poſſunt eos, qui conſiliorum obſervantiæ inſiſtunt, faciliùs ſervare præcepta; quo enim peccandi occaſiones elongantur, eo feliciùs mandata adimplentur; qui paupertatem profeſſus eſt, magis a furto recedit, ſicut qui continentiam Deo ſpopondit, remotior efficitur ab adulterio; aliàs incongruum eſt, ut quis ſe probet, an aptus ſit ad paupertatis conſilium amplectendum, quod prius in divitiarum poſſeſſione ſeſe exerceat, & ut continentiæ votum emittat, quod caſte vivendo ſuas experiatur vires in conjugio.

Quomodo faciliùs obſerventur præcepta.

334 OBJIC. II. SS. Patres aperte docent in præceptis exercitatos poſſe amplecti conſilia: S. Gregorius *in Ezech. hom.* 15. ad illud: *Et aſcendit per gradus ſuos*, habet -- „ Nemo repente fit ſummus, ſed in bona „ converſatione a minimis quis inchoat, ut „ ad magna perveniat -- & ex eodem, ut refertur *Diſt.* 48. *Can. Sicut* -- Caſum appe„ tit, qui ad ſummi loci faſtigia, poſtpo„ ſitis gradibus, per abrupta quærit aſcen„ ſum -- *& in eadem Diſt. ex lib.* 4. *Epiſt.* 50. -- Scimus, quod ædificati parietes non prius „ tignorum pondus accipiunt, niſi a novi„ tatis ſuæ humore ſiccentur, ne ſi ante „ pondera quam ſolidentur, accipiant, cun„ ctam ſimul ad terram fabricam deponat -- quibus concinit Auguſtinus *lib.* 1. *de Ser. Domini in Monte cap.* 1. -- Omnis præſumptio „ eſt coercenda . . . Majora majoribus, mi„ nora minoribus ſunt exhibenda -- Cum ergo conſilia magnum quid ſint, & quid minus præcepta, nondum exercitati non ſunt admittendi ad Religionem; hoc enim eſt præſumptuoſum, & parietibus non exſiccatis pondus tignorum imponitur ad ruinam.

Hujuſmodi objectio vera continet, ſed perperam pro re nata adaptata. Indubium plane eſt in re qualibet gradus eſſe ſervandos, ſed qui proprii ſint illius lineæ. Gradualitas igitur alia eſt ſtatus ad ſtatum, ut fabrilis ad militiam, alia eſt imperfecti ad perfectum in eodem ſtatu, ut in Grammatica verborum, & nominum conſtructio ad locutionis compoſitionem. Prima gradualitas non eſt attendenda; haud enim neceſſe eſt, ut qui militiæ vult adſcribi, prius in fabrili exerceatur. Gradualitas altera eſt omnino neceſſaria, unde nemo recte in arte aliqua proficiet, niſi prius a rudimentis omen auſpicetur. Nuſquam Grammaticus, aut Rethor eloquentes efformabit peryodos, niſi prius nominum, verborumque noverit concordantias. Ad hunc poſteriorem ſenſum inductæ loquuntur auctoritates; unde in aperto eſt, quod non eſt neceſſe, ut quis longa annorum ſerie in ſeculo vivat, ſed ſaluberrimum eſt a Juventute ad clauſtra properare, ut ibi per determinatos perfectionis gradus aſcendat ad montem Domini. Hæc plana ſunt. Advertendum tamen eſt Gregorii auctoritates in jure relatas ſpectare non jam ſtatum perfectionis, ſed ad dignitates, & Prælationes, quas ſane portare nequeunt parietes non exſiccati, ideſt, imperfecti. Qui enim culmen Prælationis vult aſcendere, neceſſe eſt, quod laudabiliter portaverit ſubjectionis pondus, & ita ſit in perfectione conſummatus, ut alios perficere valeat. Ceterum ad vitæ ſanctitatem poteſt junior pervenire, eodem Gregorio teſte *Hom.* 19. *in Evang.* -- Ad vitam bonam alius „ in pueritia, alius in adoleſcentia, alius in „ juventute, alius in ſenectute, alius in de„ crepita ætate perducitur --

Utile eſt ad clauſtra properare.

DICES. Ex laudato Gregorio *lib.* 6. *Moral. cap.* 18. in Lia intelligitur obſervantia mandatorum, in Rachele conſiliorum executio; ſed ut ait S. Doctor *ibid.* -- Poſt „ Liæ amplexus ad Rachelem Jacob perve„ nit; quia perfectus quiſque ante activæ „ vitæ ad fœcunditatem jungitur, & poſt „ contemplativæ ad requiem copulatur -- Ejuſdem labii eſt Damaſcenus *lib.* 2. *de fide Orthodoxa cap.* 30. -- Non eſt utile inexper„ tum exiſtentem, & improbatum incorru„ ptione frui, ut non in ſuperbiam incidat, „ & in laqueum Diaboli --

Patrum ſenſa male pro re noſtra uſurpantur. In Rachele enim quies contemplationis intelligitur, in Lia exercitium laborioſum in acquirendis virtutibus. In quocunque ſtatu ad quietem contemplationis nemo unus pervenire poteſt, niſi prius in bonorum operum adeptione inſudaverit; ceterum ſi res bene perpendatur faciliùs in ſtatu Religionis ad contemplationis fruitionem pervenitur, quam in ſeculo, quia opportuniora occurrunt media, & leges præſto ſunt ad perfectionem deſervientes, ſicut ab oppoſito in ſeculo mundana alliciunt, & paulatim animum inclinant, ne ad ſuperiora conſcendat, quod advertit laudatus Gregorius *in principio Moralium*, ideſt, *in Epiſt. proœmiali ad Leandrum cap.* 1. -- Cum adhuc „ me cogeret animus, præſenti mundo quaſi „ ſpecie tenus deſervire, cœperunt multa „ contra me ex ejuſdem mundi cura ſuccre„ ſcere, ut in eo jam non ſpecie, ſed, quod „ eſt gravius, mente retineret -- S. Joannes Damaſcenus loquitur ad ſenſum in ſecunda objectione explicatum.

Ad quietem contemplationis per laborem pervenitur.

335 OBJIC. III. Sicut ordinata eſt linea veri, ita linea boni; ſed imprudenter

in prima linea admittitur ad cognitionem rerum difficiliorum, qui prius in facilioribus non eſt exercitatus; ergo imprudenter ad perfectionis ſtatum admittitur, qui prius in mandatis exercitatus non fuit. Secundò. Clericalis, & Monachalis ſtatus analogantur, ſed majori gradu non inauguratur, qui minoribus non fuit inſignitus; ergo a Monachatu repellendus eſt in præceptis non exercitatus. Tertiò. Militiæ æquiparatur Monaſticus Ordo; ſed militiæ non adſcribitur, qui inexpers eſt; ergo. Quartò. Fortius eſt ſpirituale connubium, quam carnale; ſed ad hoc nemo poteſt ſe obligare ante 14. annum; ergo neque ad ſpirituale Profeſſionis connubium. Quintò. Iſraelitarum exitus ab Ægypto myſtice refert eorum exitum a ſeculo, qui ad clauſtra confugiunt; ſed Iſraelitæ exiere ſecum aurea, & argentea Ægypti vaſa deportantes; ergo expoliato ſeculo illi exire debent ſecum aurea, & argentea vaſa deferentes, hoc eſt, fructum bonorum operum, videlicet exercitam mandatorum obſervantiam.

Paritates in eadem linea urgendæ ſunt.

RESP. Jam adnotavimus argumentum non urgere, quoties a gradualitate ejuſdem lineæ aſſumitur paritas ad gradualitatem lineæ diſparatæ: ex quo namque in uno codemque rerum proceſſu a minoribus ad majora neceſſariò tranſeundum eſt, non inde fas eſt colligere idem verificandum in diverſis lineis. Nunc deveniendo ad ſingula. In linea veri utique qui unam ſcientiam vult addiſcere, a facilioribus auſpicari debet; non eſt tamen neceſſe, quod exordium ſumat ab exercitiis alterius artis; unde, ut quis Grammaticam diſcat, non debet prævie muſicam didiciſſe; ita in linea boni Monachalem ſtatum aſſumens debet quidem a primordialibus rudimentis incipere, ſed opus non eſt, ut prius ſit perfectus in ſeculo; quia ſtatus laicalis non conducit ad obſervantiam conſiliorum, ſed & mandatorum impedit adimpletionem. Nec ſecunda ſimilitudo urget: etenim gradus Clericalis ſtatus ſunt perfectivi in eadem linea, ea propter juſte exigitur, ut qui Diaconatum vult aſſequi, Subdiaconatum antea aſſumat. Non eſt tamen neceſſe, ut antequam quis ad Clericatum accedat, ſeſe in militia, vel agricultura exerceat; ita pari ratione non prius debet neceſſariò fieri bonus ſecularis. Ad tertium. Falſum eſt, quod terrenæ militiæ non adſcribantur in militaribus inexpertes; verùm quidem eſt milites ad pugnam non deputari, niſi prius fuerint exercitati. Monachatus eſt militia fortiter pugnantium, ſed inſimul eſt ſchola, ubi ſpirituales milites exercentur: ad ſcholam addiſcendæ, exercendæque perfectionis Tyrones admittuntur, valide hinc dimicaturi in caſtris Monaſticis. Ad quartum. Ante annos 14. Juvenes, etſi nequeant ad connubium ſeſe obligare, poſſunt tamen ſponſalia celebrare; ita pariter ex Eccleſiæ ſtatuto non acceptatur Junior ad Profeſſionem ante annum decimumſextum, illis tamen liberum eſt ſeſe obligare ad futuram Profeſſionem. Ad ultimum. Laudabile utique eſt, ut qui ab Ægypto tranſmigrat, ſecum aurea, argenteaque vaſa, ideſt, bona opera ſecum deferat; verùm tutius eſt non expectare hujuſcemodi Ægypti expoliationem; ſiquidem periculoſum eſt inter ſeculi illecebras commorari: hinc S. Hilarius ſuper Matth. *Can.* 19. ſcribit -- Grave onus „ innocentia ſubit, incrementis opum oc- „ cupata. Rem enim ſeculi, famulatus Dei „ non ſine ſeculi iſtius vitiis aſſequetur -- Ambroſ. *lib.* 1. *de interpellat. Job cap.* 7. -- „ Adoleſcentia ſola eſt invalida viribus, in- „ firma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa „ monitoribus, illecebroſa deliciis -- adeoque manens in ſeculo facile illaqueatur; ad portum Religionis advolans in tutiori loco ponitur, & faciliùs laqueos effugit per magiſteria Religionis. Unde idem Ambroſ. *lib.* 1. *de Officiis cap.* 43. habet -- Si ii, qui „ ſunt ignari locorum, cum ſolertibus via- „ rum iter adoriri geſtiunt, quantò magis „ adoleſcentes cum ſenibus debent novum „ ſibi iter vitæ aggredi, quo minus errare „ poſſint, aut a vero tramite virtutis defle- „ ctere? Nihil enim pulchriùs, quam eoſ- „ dem & magiſtros vitæ, & teſtes habere -- *Vide etiam lib.* 2. *cap.* 20.

336 OBJIC. IV. Nativitas, & ſpiritualis educatio commenſuratur educationi, & nativitati corporali juxta illud Pſal. 130. v. 2. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea* -- In educatione verò naturali quinque conſiderantur. I. Homo concipitur in utero. II. In eodem conceptus alitur. III. Emittitur in lucem. IV. Lacte nutritur a matre, V. Ad Patris menſam admittitur. Quinque pariter ex uſu Eccleſiæ accidunt in ſpirituali nativitate. I. Per catechiſmum ſtatutis diebus homo in Matris utero, nempe in Eccleſia concipitur. II. Uſque ad Baptiſmi tempus velut in utero matris alitur. III. Sabbatho Sancto ſacro regenerationis lavacro abluitur, & naſcitur. IV. Nutritur lacte ad Pentecoſten uſque, quo tempore difficilia non injunguntur. V. Divino roborati ſpiritu in Pentecoſte admittitur ad Patris menſam, ideſt, difficilia imponuntur, velut jejunia, nocturnæ vigiliæ, & hujuſmodi, quibus compertum fit eum inordinate procedere, qui difficiliora prius imponit; cum autem Conſiliorum obſervantia arduior ſit, perperam agit, qui Juniores ad Monaſticum ſtatum in præceptorum obſervantia inexpertes aſſumit, quod ad hæreſim ſpectat, ut quædam Gloſſa advertit.

Advertas ſimiliter vellem figuratum commenſurari figuræ; porro apud Matth. cap. 14. habemus Chriſtum quinque hominum millia, quinque panibus, & duobus piſcibus paviſſe, deinde *cap. ſeq.* ſeptem panibus, paucifque piſciculis ſaturaſſe quatuor millia hominum, in primis ſeculares, referuntur in ſecundis Religioſi; unde fit, ut, priuſquam accedat quis ad Conſiliorum obſervantiam, bene vivat inter ſeculares.

Quatuor inſuper in ſacris Evangeliis adinveniuntur, nempe præcepta, mandata, teſtimonia, exempla: in præceptis juſtitia, in mandatis charitas, fides in teſtimoniis, in exemplis conſilia deſcribuntur; ex quibus apparet procedendum eſſe ab exercitatione juſtitiæ ad conſiliorum obſervantiam.

Argu-

Argumentum hocce ab Amoræis magni fit, verùm nihil evincit. Eruditionem quidem præeminet, ſed abs re. Ex primo namque argumentum retorquere poſſumus; ab Eccleſia ſiquidem ſtatim a ſpiritnali nativitate ad Patris menſam baptizati admittuntur, ut in his videre eſt, qui in pervigilio Pentecoſtes regenerantur, atque illicò ad difficilia jejuniorum adſtringuntur. Dein aliter ſane ſentiendum eſt de his, quæ ex neceſſitate fiunt, ac de illis, quæ ultro aſſumuntur. Eccleſia Neophytis ea proponit, quæ ineluctabiliter ſervanda ſunt, nempe præcepta; liberum tamen unicuique eſt eligere conſilia, quæ neceſſaria non habentur; ea propter nequaquam inverſo ordine agere cenſet, ſi quis ſtatim aggrediatur conſilia, ſed tanquam laudabile approbat.

Difficultas in duplici genere.

Utque res clariùs eluceſcat, notandum, quod difficultas alia eſt ex ſola operis magnitudine, alia ex quo quis animi motus refrænare debet; prima non injungitur imperfectis, altera verò maxime imperfectis convenit; quare pueri ſub arcta cuſtodia Pædagogi coercentur; ſtatus Monaſticus eſt ſtatus cohibens a peccatis, & ad perfectionem inclinans; propterea mire deſervire poteſt imperfectis, ut faciliùs a peccatis refrænentur: adde quod Eccleſiæ diſciplina alia eſt erga peccatores, iſtis graviora ab initio imponit, dein leviora pœnitentiæ opera; ex quo evincitur non eſſe a Religione arcendos Juniores, etſi nondum ſint exercitati, prætextu pœnitentiæ. Nec aliqua hæretica perverſio intervenit, ſi Neophytus ſtatim ad clauſtra confugiat, niſi forte aliquod perverſum dogma ex malitia immiſceatur, ad quod alludit Gloſſa.

Ex ſecundo nihil infertur. Ut enim quidquam probaret, conſtaret oportet illa quatuor millia hominum, quos poſterius pavit Dominus, eoſdem fore, quos prius quinque panibus aluit, ut hinc colligeretur neceſſitas præmittendi exercitationem præceptorum in ſeculo, antequam ad conſilia fiat aſcenſus.

Ex tertio ſimiliter nihil probatur. Illa namque quatuor non ita ſunt ordinata, ut unum poſt aliud eſſe debeat in executione; aliàs charitas prior eſſet ad fidem, quod abſurdum eſt. Nec in exemplis conſilia tantummodo deſcribuntur, ſed & præcepta; ſunt enim Chriſti exempla, quæ ad omnia ſeſe extendunt.

337 OBJIC. V. Juxta naturæ leges, quod minimum in aliquo genere eſt, ad id quod in eodem genere eſt maximum, ordinatur; ſed apud Chriſtifideles mandatorum obſervantia minimum, conſiliorum verò maximum eſt; ergo illa ad iſtam ordinatur. II. Ea quæ pertinent ad eſſe, priora ſunt iis, quæ ſpectant ad bene eſſe; ſed præcepta pertinent ad eſſe Chriſtianæ vitæ, conſilia ad bene eſſe; ergo &c. III. Illud eſt prius, a quo non convertitur conſequentia eſſendi; ſed a præceptis non convertitur conſequentia: non enim ſequitur: obſervat præcepta; ergo & conſilia: illa igitur ſunt iſtis priora. His concionat Sermo Divinus Matth. 5., ubi præponit præcepta conſiliis; ſiquidem prius enunciatur, quod dictum eſt antiquis, deinde quod Chriſtus ſuperaddidit. Accedit auctoritas Hieronymi *in cap. 5. Matth.* -- Qui „ præcepta legis implere negligit, perfe„ ctiora implere non poteſt -- & S. Gregorius *Hom. 10. in Ezechielem* habet -- Et præ„ cepto bonum facere inchoatiuum eſt -- Ex quibus palam fit, neceſſe eſſe, quod homo, priuſquam ad clauſtra properet, exerceatur in ſeculo.

Objectio æquivocatione laborat. Notandum itaque, quod præceptum dilectionis Dei, & proximi eſt finis omnium, quæ in vita Chriſtiana occurrunt, ideoque dicitur: *Finis præcepti charitas*; unde quæcunque ad Chriſtianam vitam pertinent, ad charitatem ordinantur velut ad finem. Porro ea inter, quæ ordinantur ad finem, quædam adinveniuntur, ſine quibus finis conſequi nullatenus poteſt, alia verò licet ad eundem conſequendum non ſint neceſſaria, ut faciliùs obtineatur, apte deſerviunt; præcepta itaque primi generis ſunt, conſilia ſecundi. Hac præſuppoſitâ doctrinâ non urgent objecta: non primum, ſiquidem imperfecta mandatorum obſervantia minimum eſt in vita Chriſtiana, perfecta eorundem adimpletio eſt maximum, & ad hanc aſſequendam, conſervandamque ordinantur conſilia. Non ſecundum. Inchoata namque charitas dat eſſe ſpiritualis vitæ, charitas autem perfecta finis eſt vitæ ſpiritualis. Conſilia verò, quæ dant bene eſſe, ordinantur ad conſervationem eorum, quæ dant eſſe. Nec tertium, quia etſi poſſit dari præceptorum obſervantia ſine conſiliis, & in hoc ſenſu non ſit convertentia conſequentiæ, ad pleniùs tamen cuſtodienda præcepta conducunt conſilia; unde volens ea perfecte ſervare, ſtatim adire poteſt conſilia, & ſecundùm hanc intelligentiam datur convertentia conſequentiæ. Nec Scriptura prædictis adverſatur; etenim ſecundùm Auguſtinum ibi Dominus non ſuperaddidit conſilia, ſed præcepta: verum etſi de conſiliis ibidem ſermo recurrat, Chriſtus per conſiliorum additionem explicare intendit perfectionem legis gratiæ ſupra veterem legem, non jam ordinem neceſſariò ſervandum præcepta inter, & conſilia. S. Hieronymus loquitur de minoribus, majoribuſque præceptis, quæ perfectiora nuncupat, proindeque abs re adverſum nos urgetur. Nec demum Gregorii axioma Adverſantibus fert ſuppetias; quia incipientes ſive in ſeculo, ſive in Religione ſunt in ordine inſtruendorum per alterius magiſterium, adeoque ad agendum moventur ex juſſione, ſeu alterius præcepto. Ex his compertum fit non eſſe neceſſarium, quod præmittatur exercitatio in mandatis in ſeculo, ut quis Religioſum ſtatum aſſumat.

Finis præceptorum charitas.

338 OBJIC. VI. Si conſilia non ordinantur ad præcepta, horum obſervantia ad illa præmittenda eſt; ſed conſilia nequaquam ordinantur ad præcepta; nam præcepta pertinent ad communem juſtitiam, conſilia verò ad ſtatum perfectionis; finis autem eſt perfectior his, quæ ſunt ad finem; ergo conſilia ad præcepta non ordinantur. Finis ſimiliter in practicis ſe habet ut prima principia

in ſpeculabilibus; poſitis autem primis principiis ponuntur concluſiones, non jam ex oppoſito; ergo poſito fine in practicis exponi debent, quæ ſunt ad finem, ſed poſitâ præceptorum obſervantiâ non ponitur obſervantia conſiliorum, ut videre eſt in ſecularibus, qui Chriſtianam vitam peragunt; ergo conſilia non ordinantur ad præcepta.

RESP. Hocce argumentum eodem æquivocationis vitio laborat, ac præcedens. Itaque eſſentialis perfectio vitæ ſpiritualis ſita eſt in mandatis, perfectio verò, ut ajunt, inſtrumentalis in conſiliis; conſilia quippe ſunt adjutorium quoddam ad præcepta cuſtodienda, unde ordinantur ad ea ſervanda velut aptiora quædam, atque meliora inſtrumenta, eaque propter quovis tempore eligi valent ab eo, qui tutius vult ſervare præcepta. Hinc patet ſolutio ad aliam probationem, quæ agit de mediis, ſine quibus finis conſequi non valet, ſecus de mediis facilioribus, atque expeditioribus.

Per conſilia tutius ſervantur præcepta.

339 OBJIC. VII. Diù, multumque deliberandum eſt, ut quis Monaſticum Inſtitutum amplectatur; ſed hoc ideo prærequiritur, quia exercitatio præceptorum præmittenda eſt in ſeculo; ergo. Major propoſitio pluribus comprobatur, & quidem I. In arduis ad totam vitam ſpectantibus multa requiruntur conſilia; hujuſmodi autem eſt electio Religioſi ſtatus. II. 1. Joann. 4. legitur: *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*; porro ad hanc diſcuſſionem plurima conſilia requiruntur. III. Scriptum quoque eſt 2. ad Corinth. 11. *Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*; ne ergo incauti decipiantur, ad ingreſſum Religionis diligens conſilium præmittere æquum eſt. IV. Quidam ex Monachis a propoſito recedunt, atque miſerrime in Apoſtaſiam corruunt; ſed ſi longa, pluriumque conſultatio præceſſiſſet, hoc non contingeret, ſiquidem dignoſceretur hocce opus ex Deo eſſe, quod ſane diſſolvi non poteſt, ut dicitur Act. 5. v. 38., & ſeq. Magno demum examine diſcutienda ſunt, quæ in malum verti poſſunt; hujuſmodi conditionis eſt Monachatus, ut videre eſt in his, qui in præceps ruunt; ergo.

Laudem canemus Domino, quotquot Religioſam diſciplinam profitemur; quoniam optimam partem elegimus, cui quam maxime invidet perfectionis inimicus, unde haſtâ, & gladio armatus in ſacra Monachorum caſtra irruit. Summa hujus ſpecioſæ prudentiæ, quam Hæretici neceſſariam decantant, eo tendit, ut Juvenes retrahat a Religionis ingreſſu. Multa conſilia prærequirunt, ut domeſticorum, ſeculique illecebris implicentur, atque a propoſito recedant. Ceterum alia eſt Chriſti doctrina. Vocat ipſe ad ſui ſequelam Apoſtolos, & hi ſine mora, relictis retibus, ſecuti ſunt eum; Luc. 9. ad perfectionis ſtatum duos juvenes invitat, quos domum redire prohibuit, ſive ad ſuprema Patri perſolvenda, ſive ad ea, quæ domi erant, renuntianda, indicens abſque mora ſui ſequelam, non eâ quidem ratione, ut vel parentum amorem, vel æquitatis jura condemnet, ſed ut

Chriſti doctrina Hæreticorum reſellit deliramenta.

A compertum habeamus, in his quæ ad ſalutem ſpectant, non eſſe immorandum, ut Chryſoſtomus *in cap.* 8. *Matth.* apte declarat. Si ergo Apoſtoli ad vocem Domini invitantis, illi ſtatim adhæſerunt, ſi hoc idem Dominus docuit, cur non idem præſtare debet, qui ad percurrendam perfectionis viam, divino afflante Numine, vocatur? Siquidem ut ait Apoſtolus ad Rom. 15. v. 4. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*; quod declarat idem Apoſtolus ad Heb. 12. v. 5. *Obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini*: ſi igitur ipſemet Chriſtus ſuaſor eſt, ut ſtatim ejus vocem

B audiamus, cur immorandum eſt? cur, loquente interiùs divino ſpiritu, fallacia hominum exquirenda ſunt conſilia? Vocanti igitur Deo ad Religionem ſtatim obtemperandum eſt. Et meritò ſane; quatuor ſiquidem ſunt, ob quæ Adverſariis videtur multa prærequiri conſilia ad ſuſceptionem Religioſi ſtatus; primum eſt ipſe Religionis ingreſſus ſecundùm ſe ſpectatus: verùm quoad hoc nulla conſultatio neceſſaria: in aperto namque eſt Religioſum ſtatum bonum eſſe, aliàs tantùm in dubiis alicujus momenti admittenda ſunt conſilia; ſecundùm ipſa vocatio, videlicet, an ex Deo ſit; hoc porro facile

C dignoſci valet, ſi vocatus feriò perpendat, quo momento ducatur ad habitum ſuſcipiendum; ejus quidem voluntatem ſedulò inveſtigare debent, qui ipſum ad habitum admittere debent; non eſt tamen neceſſe, ut multiplicentur conſilia: aſſignatur namque probationis annus ad experimentum; tertium eſt virium corporalium proportio cum oneribus Monaſticis; ſed in hoc nulla occurrit difficultas; quia Chriſti jugum viribus gratiæ portatur, hiſque inniti debent, qui ad Religionem convolant: quod ſi in aliquo peculiari caſu infirma valetudo habeatur, vel aliquod extrinſecum adſit impedimentum,

D puta, obligatio ſervitutis, vel alieni æris gravamen, tunc conſultatio inſtituenda eſt, & quidem cum viris prudentiâ præditis; ſed facilis eſt diſcuſſio, dummodo a domeſticis, aut ab hujus ſeculi prudentibus hac ſuper re non præſtoletur judicium; quartum eſt qualitas Inſtituti ſuſcipiendi. In hoc aliqualis conſultatio adhibenda eſt, ſed facilis eſt reſolutio, ſi unuſquiſque vocationem ſuam perpendat.

Hinc ad objecta reſpondendo, ad primum dicimus in dubiis maxime arduis multa prærequiri conſilia, ſecus ubi veritas in aperto eſt, ut in caſu: ad ſecundum, pro-

E bationem ſpiritus inveſtigandam, ubi agitur circa incerta, non verò ubi omnia certa ſunt; quod ſi vel ex parte vocationis, vel ex parte qualitatis Ordinis ſuſcipiendi aliqua admiſceatur incertitudo, apud prudentes viros non eſt opus magnæ, & diutinæ conſultationis; ad tertium concedimus quandoque Satanam in Angelum lucis transfiguratum quoſdam fallere incautos, ſed dum corporeos ſenſus decipit, mentem a recta intentione Deo famulandi non immutat. Nullum itidem adeſt periculum ſi allucinatus homo in electionem Monaſticæ profeſſionis conſentiat;

tiæ; quia ſemitam juſtitiæ eligit, in qua per media proportionata, atque Seniorum magiſterio poteſt fraudem detegere, & ſeriò, ac veraciter ſeſe divino mancipare obſequio. Utitur non rarò Deus Dæmonis fraudibus ad homines perficiendos; ad quartum. Perperam dicitur aliquid non fore opus Dei, quia humanæ infirmitatis causâ diſſolvitur. Fuit dubio-procul a Deo electio Judæ ad Apoſtolatum, & tamen ab eo defecit impius. Fuit a Deo Baptiſma Simoni Mago collatum, ſed malitiâ ſuâ prævaricatus eſt. A Deo fuit fides Himenæi, & Phileti, ab ea tamen ſeſe elongaverunt. Centena afferri poſſent exempla, quæ facile occurrunt ſive in ſacris, ſive in Eccleſiaſticis Hiſtoriis. Ceterum axioma hujuſmodi, ut ab adverſariis intellectum, hæreſim ſapit Beguardorum, qui contendebant charitatem ſemel habitam nequaquam amitti poſſe; continet itidem Manichæorum errorem, qui dogmatizabant in eo mali radicem eſſe non poſſe, in quo aliquod Dei donum adinvenitur. Immutabile quidem eſt Dei conſilium, ſed eo vult Deus omnia mutari poſſe, ne libertatis jura violare videatur; ad quintum perpendendum eſt, num infelix rerum exitus ex ipſa re habeatur, & tunc prorſus deſerenda, aut ſaltem magnâ opus eſt conſultatione, ut præcaveantur pericula; vel habetur ex pravitate Perſonæ, & tunc ab eo qui rem aliquam aggreditur, ſtudium omne adhibendum eſt, ut cauſæ amoveantur, ob quas a bono propoſito poteſt recedere. Et ſane ex quo quidam a fide erraverunt, non inde fidem ſuſcipere non debent infideles, neque ex quo charitatem aliqui amiſerunt, non inde peccatores computreſcere debent in peccatis; ex quo ergo aliqui ex Monachis deſperaverunt, & in Apoſtaſiam prolapſi ſunt, non inde alii ab ingreſſu Religionis abſtinere debent. Qui a propoſito deficiunt, Dei vindictam pertimeſcant; ſcriptum namque eſt Eccli. 26. v. 27. *Qui tranſgreditur a juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphaam*; & ad Hebr. 10. v. 29. docemur: *Deteriora mereri ſupplicia, qui .... ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit*. Manifeſtum ergo remanet junioribus licitum eſſe habitum Monaſticum ſuſcipere. Hinc B. Chriſoſt. *Hom. de Anna, & Samuele* habet — An non abſurdum eſt nos domum ve-
„ terem ruinam minantem fulcire, pecunias
„ impendentes, fabros accerſentes, denique
„ nihil non facientes: domum autem Dei
„ (nam Dei domus eſſe debet adoleſcentis
„ anima) ne vulgari quidem dignari cura? —
Dixerat namque prius — Si mater fueris, ad
„ hujus, *ideſt Annæ*, exemplum conſecra
„ filium tuum Deo, & in templum addu-
„ cito; quin ipſum potius templum Deo
„ regale para — Ex qua auctoritate de errore
redarguitur Wiclefus *cap. 5. Dialogi, & 15. de Fratribus* — Quorum eſt nulla major bla-
„ ſphemia, quàm juvenem indiſcretum a
„ ſuis parentibus ſpoliare, & ipſi regulam
„ ad ſui interitum limitare, qui neſciunt ſi
„ complexioni, & chariſmati ejus Deus tri-
„ buit, vel ſi tali juveni convenit ſpiritualis
„ obſervantia, ad quam adſtringunt eum cum
„ viris fidelibus deſervire — Si enim matri
laudabile eſt puerum ſacrare Deo, cur non
A erit laudabile, ſi alii ad Monaſticam diſci-
plinam adoleſcentes invitent. Scriptum eſt
Exodi 26. v. 3., ut cortina cortinæ jungatur,
ideſt, unus homo alterum perducat ad cul-
tum Dei. Danielis item 12. dicitur v. 3. *Qui ad juſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellæ in perpetuas (fulgebunt) æternitates* — Jacobi
ultimo v. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſalvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum*.
Cavendum tamen eſt, ne violenter, men-
daciis, aut Simoniacis pactionibus quis ado-
leſcentes trahat ad Monaſticam diſciplinam,
hoc enim injuſtum eſt, & damnabile, lici-
B tum tamen eſt munuſculis allicere, quia &
Deus beneficiis homines ad ſui obſequium
trahit, & Eccleſia quaſdam diſtributiones
elargitur, quibus plerique trahuntur ad Dei
cultum: licitum eſt etiam amovere impe-
dimenta ab ingreſſu Religionis, v. g. ſol-
vendo debita, liberando a ſervitute; licitum
eſt pauperes nutrire, indoctos inſtruere, ut
apti, & idonei fiant ad Religionem. Ca-
vendum itidem eſt, ne hi, qui alios ad Re-
ligionem invitant, eos hinc pravo exemplo
corrumpant: his dictum eſt Matth. 23. v. 15.
Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum
C *Proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos*. Ceterum
qui ab ingreſſu Religionis homines remo-
vent, ſimiles ſunt Pharaoni, qui dicebat
Exod. 5. v. 4. *Quare Moyſes, & Aaron ſollicitatis populum ab operibus ſuis*? ubi Ori-
genes *Hom. 3. in cap. 4. Exodi* — Si verò di-
„ cam, volo ire viam trium dierum, & ſer-
„ vire Domino, perverti populum dicit per
„ Moyſen, & Aaron. Hoc quidem dice-
„ batur antiquis, ſed & hodie ſi Moyſes,
„ & Aaron, ideſt propheticus, & Sacerdo-
„ talis ſermo animam ſollicitet ad ſervitium
„ Dei, invitetque eam exire de ſeculo, re-
D „ nunciare omnibus, quæ poſſidet, operam
„ dare divinæ legi, & ſequi verbum Dei,
„ continuò audies dici ab his, qui Pharaoni
„ unanimes, & amici ſunt: videte, quo-
„ modo ſeducuntur homines, & pervertun-
„ tur, quales adoleſcentes ne laborent, ne
„ militent, ne agant aliquid, quod eis pro-
„ ſit, relictis rebus neceſſariis, & utilibus,
„ ineptias ſectantur, & otium. Quid eſt
„ ſervire Deo? Laborare nolunt, & inertis
„ otii occaſiones requirunt. Hæc erant
„ tunc verba Pharaonis, & hæc & nunc
„ amici ejus, & familiares loquuntur —
Plura hæc de re habet Angelicus 2. 2. *quæſt.*
E *ultima, & Opuſc. 17.*

CON-

CONTROVERSIA XIV.

AN TONSURÆ, HABITUSQUE MONASTICI USUS SIT SUPERSTITIOSUS.

HÆretici, Monaſtici ſtatus oſores,
adverſus Tonſuram, atque Mona-
chorum veſtes oblatrant, hine
utrumque ut ſuperſtitioſum ſan-
nis, & dicteriis traducunt. Wiclefus *lib. de
Eccleſia, & membris cap.* 15. Religioſas ve-
ſtes tanquam hypocritarum indumenta per-
ſequitur -- Quid, rogo, facit habitus cor-
„ poralis, clauſtrum ſenſibile, vel quæcun-
„ que alia traditio a fratribus adinventa?
„ Revera nihil facit ad ſanctitatem eorum,
„ ſed hypocriſis eorum manifeſtum indicium.
„ Cum enim tam virtuoſe, & tam ædifica-
„ torie poſſunt vivere ſine tali ſigno ſenſi-
„ bili, ipſum facit nihil -- Wolfangus
Muſculus *in locis communibus cap. de Votis*
ſenſa Wiclefi adoptat -- Reſpondeant Mo-
„ nachi, quo loco cucullos ſuos habeant,
„ & quomodo ab Hypocriſi, & ſuperſtitione
„ tueantur, quod ſingulari & colore, &
„ forma a conſueto ſeſe, ac populari amictu
„ disjunxerunt. Sunt, qui prætextant neſcio
„ humilitatis, & innocentiæ indicia -- Mag-
deburgenſes *Cent.* 4. *cap.* 6. ad dictum Dio-
nyſii Areopagitæ de habitu, & tonſura Mo-
nachi habent -- Hæc ſuperſtitioſa ſunt, non
„ conſentanea ſacris litteris, nec obſervatio-
„ ni purioris Eccleſiæ -- Lutherus ſæpenu-
mero tonſuram Clericorum, & Monacho-
rum irridet. Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 19.
§. 19. eadem ſuper re ſcribit -- Radunt eos
„ in vertice, ut corona regale decus ſigni-
„ ficet: aſſignant & alias rationes. Summi-
„ tas capitis denudatur, ut mens ad Do-
„ minum libera demonſtretur. Omnia in
„ figuris ſcilicet, quia velum templi non-
„ dum ſciſſum eſt. Quouſque nos talibus
„ fucis, & præſtigiis ludent? Cur non ma-
„ gis ſanctitatem vere exhibent, quam fal-
„ ſis, mendacibuſque ſignis ipſius ſpeciem
„ ſimulant? Wiclefiſtæ in libello, quem
ſcripſerant ad Parlamentum Regis Angliæ,
Richardi Secundi, a magiſtro ſuo non diſere-
pant -- Doloroſum interludium eſt homini-
„ bus ſapientibus videre Epiſcopos ludere
„ cum Spiritu Sancto in collatione ſuorum
„ Ordinum, qui ipſi dant coronas in chara-
„ cteribus loco alborum Corvorum; & hæc
„ eſt littera Antichriſti introducta in San-
„ ctam Eccleſiam ad coronandam otioſita-
„ tem --

Ceterum dicendum eſt habitum, &
tonſuram Monachorum nullam continere ſu-
perſtitionem.

Tonſura, & habitus Monachorũ commendatus a Scripturis.

340 PROB. I. Quod congruit uſui
laudabiliter a Scripturis commendato, omni
caret ſuperſtitionis vitio; ſed habitus, Mo-
nachorumque tonſura hujuſmodi ſunt: ete-
nim Matth. 3. v. 4. deſcribitur Joannes Ba-
ptiſta ſpeciali pœnitentiæ veſte indutus: *Ipſe
autem Joannes habebat veſtimentum de pilis
Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos
ſuos*. Ad Heb. 11. v. 37. *Circumierunt in
melotis, in pellibus Caprinis, egentes &c.*
A Act. 18. v. 18. *Paulus verò cum adhuc ſuſti-
nuiſſet dies multos, fratribus valefaciens, na-
vigavit in Syriam (& cum eo Priſcilla, &
Aquila) qui ſibi totonderat in Cenchris caput:
habebat enim votum*. Porro indubium eſt nec
Præcurſorem, nec Paulum, nec eos, de
quibus idem Apoſtolus ad Hebræos, ſuper-
ſtitioſos ritus adoptaſſe; ergo.

Compertum quidem habeo Calvinum
factum Pauli detorquere ad Judaicum ritum,
qui tunc temporis permittebatur, nunc ve-
rò execrabilis eſt. Verùm enim verò nullius
eſt momenti arbitraria Calvini intelligentia;
fundatur namque in falſa ſuppoſitione, ni-
B mirum eum ritum eſſe plane judaicum, quia
in veteri lege erat in uſu. Hocce prorſus
falſitatis redarguitur; aliàs judaicus cenſen-
dus fuiſſet Paulus Templum ingrediens, je-
junans, orans, legens ſcripturas: hæc quip-
pe a lege præſcribebantur, atque a Judæis
obſervabantur, & impræſentiarum judaiza-
ret Eccleſia talia peragens. Non igitur ad
judaicos ritus deflectere dici valet, qui ea
aſſumit, quæ aliàs in veteri lege erant præ-
ſcripta, ſed qui illa exequitur ut a lege præ-
ſcripta. Quis uſquam inficias ibit illo mor-
tificationis genere potuiſſe Paulum ſe con-
temptibilem reddere gentibus, ut Chriſto
C placeret, aut ſignum illud uſurpare voluiſſe,
ut oſtenderet ſe divino cultui fore mancipa-
tum? Si ipſe docuit non decere virum co-
mam nutrire, quia eſt Imago, & gloria Dei,
cur ut hanc vanitatem ſuo evelleret exem-
plo, ſelpſum tondere non potuit? Verùm
quid plura? Comarum tonſio haud erat Na-
zaræorum inſigne; etenim ſolummodo ſeſe
tondebant, cum Nazareatum abſolvebant.
Propugnat Monachorum tonſuram S. Epi-
phanius *Hæreſi* 80., quia Nazaræorum
ſignum erat longa cæſaries, ait -- Decebat
„ enim Nazaræos hoc ſolùm propter figu-
„ ram. Figurâ enim ducebantur veteres
D „ ejus, quod futurum eſſet, habentes co-
„ mam in capite propter orationem, donec
„ venit oratio mundi, & perfecta eſt. Ca-
„ put enim apparuit Chriſtus Unigenitus
„ filius Dei, & cognitus eſt mundo, qui
„ ſemper eſt, & non cognoſcitur ab omni
„ humana Natura, ſed ſolùm a quibuſdam,
„ qui in ipſum crediderunt: quo cum co-
„ gnoverimus caput, non dedecore afficia-
„ mus caput -- S. Auguſt. *lib. de Opere Mo-
nachorum cap.* 31. reprehendens quoſdam,
qui dedignabantur tonſum caput deferre de-
fendentes ſe exemplo Samuelis, & aliorum
Nazaræorum, qui cæſariem longam defere-
E bant, ait -- Nec cogitant, quid interſit in-
„ ter illud propheticum velamentum, &
„ hanc Evangelii revelationem, de qua di-
„ cit Apoſtolus, cum tranſieris ad Chriſtum,
„ auferetur velamen. Quod enim ſignifica-
„ bat velamentum interpoſitum inter faciem
„ Moyſi, & aſpectum populi Iſrael, hoc
„ ſignificabat illis temporibus etiam coma
„ Sanctorum; nam idem Apoſtolus etiam
„ comam pro velamento eſſe dicit, cujus
„ auctoritate iſti urgentur. Apertè quippe
„ ait: vir quidam ſi comatus ſit, ignomi-
„ nia eſt illi -- Hinc habes aberrare Calvi-
num

Capitis tonſura ad humilitatem.

num ſubdentem -- Paulus ut infirmos Chri-
„ ſto adduceret , ſaltem ne eos offenderet ,
A „ voto ſe ejuſmodi obligavit , quod ſciebat
„ coram Deo nullius eſſe momenti -- Quo-
modo ſciebat nullius eſſe momenti , ſi tam
præclarum myſterium noverat continere ?

341 PROB. II. Ille uſus non eſt ſu-
perſtitioſus , qui propter optimos fines inſti-
tutus eſt , atqui uſus habitus , & tonſuræ
Monachalis eſt hujuſmodi ; ergo caret omni
ſuperſtitione ; oſtenditur aſſumptum de uſu
tonſuræ, quam reprehendunt tum in Clericis,
tum in Monachis Heterodoxi . Primum my-
ſterium , & finis innuitur in præcitatis au-
ctoritatibus , Epiphanii , & Auguſtini vide-
B licet ad exprimendum revelata eſſe myſteria
Redemptionis, quæ ſub velamine tegebantur
in veteri Teſtamento ; cumque D. Auguſt. ,
& D. Epiphanius ſint Patres, qui primis Ec-
cleſiæ Seculis floruere , falsò aſſerit Calvinus
rationes fuiſſe adinventas a poſterioribus cor-
ruptis temporibus . Finis ſecundus eſt ad
imitandam Chriſti humilitatem, & ignomi-
niam , quod motivum etiam innuit Augu-
ſtinus ibidem , ob quod etiam Sanctus Petrus
tonſuram deferebat , ut infra videbimus .
Tertius finis eſt expreſſio coronæ ſpineæ ,
quam Chriſtus portavit in ludibrium , cui al-
luſit . S. Hieron. ſtatim citandus dicens --
C „ Nudam crucem , ut nudus diſcat ſequi --
Et revera ſi univerſi fideles , qui communem
Chriſti ſequelam profitentur , ſigno commu-
ni crucis ornantur , Clerici , & Monachi ,
qui ſpecialem Chriſti ſequelam , ejuſque
imitationem paſſionis amplectuntur , ſingu-
lari aliquo titulo inſigniri debuerunt . Quar-
tus eſt ad exprimendum eo ſigno exteriori ,
quo obtruncantur capilli , qui ſuperfluæ ſunt
corporis partes , debere Monachos , & Cle-
ricos obtruncare Seculi vitia in corde , va-
nas , & innoxes cogitationes mentis , ut
aperta , & libera maneat ad contemplatio-
nem Divinorum . Sicut vertex capitis abſciſ-
D ſis capillis remanet planus , & apertus .
S. Iſidorus *lib. 2. cap. 4. de Officiis divinis* ſic
habet-- Eſt autem in Clericis tonſura ſignum
„ quoddam , quod in corpore figuratur , ſed
„ in animo agitur . Scilicet ut hoc ſigno in
„ Religione vitia reſecentur , & criminibus
„ carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur , at-
„ que inde innovatis ſenſibus , ut comis
„ rudibus coruſcamus, expoliantes nos juxta
„ Apoſtolum veterem hominem cum actibus
„ ſuis , & induentes novum . . . quam re-
„ novationem in mente oportet fieri , ſed in
„ capite demonſtrari , ubi mens noſcitur in-
„ habitare -- Rabanus *lib. 1. de Inſtitut. Cle-
ricorum cap.* 3. idem refert ; audiatur eadem
E de re S. Dionyſius Areopagita *lib. 6. Eccleſia-
ſtica Hierarchia* -- Ubi iſte illa omnia intente
„ promiſerit , conſignans eum crucis ſigno
„ Sacerdos tondet , trinas divinæ beatitudi-
„ nis perſonas inclamans &c. Porro tonſura
„ crinium vitam mundiſſimam indicat , &
„ nullà figurà fucatam , & quæ nullis fictis
„ coloribus inductis animæ deformitatem
„ exornet -- Finis alter eſt deſignatio pecu-
liaris ſervitutis in Dei obſequium . Hoc my-
ſterium declarat laudatus Hieronymus *Epiſt. 2.
ad Nepotianum* -- Igitur Clericus , qui Chriſti
„ ſervit Eccleſiæ , interpretetur primò voca-
A „ bulum ſuum , & nominis definitione pro-
„ lata nitatur eſſe , quod dicitur . Si enim
„ κλῆρος græce , ſors latine appellatur , pro-
„ pterea vocantur Clerici , vel quia de
„ ſorte ſunt Domini , vel quia ipſe Domi-
„ nus ſors , ideſt , pars Clericorum eſt .
„ Qui autem vel ipſe pars Domini eſt , vel
„ Dominum partem habet , talem ſe exhi-
„ bere debet , ut ipſe poſſideat Dominum ,
„ & poſſideatur a Domino . Qui Dominum
„ poſſidet , & cum Propheta dicit : pars mea
„ Dominus , nihil extra Dominum habere
„ poteſt ; quod ſi quippiam aliud habuerit
„ præter Dominum , pars ejus non erit Do-
B „ minus -- Evincitur itidem ex *Can. Duo
ſunt genera* 12. *quæſt.* 1. ex eodem S. Do-
ctore tonſuram ſignificare Clericos , & Mo-
nachos eſſe Chriſti Reges -- Hi namque
„ ſunt Reges , ideſt , ſe & alios in virtuti-
„ bus regentes , & ita in Deo Regnum ha-
„ bent . Et hoc deſignat corona in capite .
„ Hanc coronam habent ab inſtitutione Ro-
„ manæ Eccleſiæ in ſignum Regni , quod in
„ Chriſto expectatur . Raſio verò capitis eſt
„ temporalium omnium depoſitio -- Idem
Hieronymus *in Epiſt.* 48. *ad Sabinianum* aſſe-
rit Sanctimonialium tonſuram ad oſtenden-
dum Mundi contemptum ordinari -- Moris
C „ eſt in Ægypti , & Syriæ Monaſteriis , ut
„ tam virgo , quam vidua , quæ ſe Deo vo-
„ verint , & ſeculo renunciantes , omnes de-
„ licias ſeculi conculcarint , crinem Mona-
„ ſteriorum matribus offerant deſecandam ,
„ non intecto poſtea contra Apoſtoli volun-
„ tatem inceſſuræ capite , ſed ligato pariter
„ ac velato -- Rupertus *de divinis Officiis
lib. 2. cap.* 25. alias refert ſignificationes --
„ Sic ſubornati caput intactum præferimus ,
„ & raſuram , quam coronam nominamus ,
„ nullo ornamento contegimus . Non eſt
„ enim plenum gaudium noſtrum , quoniam
„ non in re præſentium , ſed in ſpe gaude-
D „ mus futurorum . Idcirco autem raſi ſu-
„ mus , quia ſumus filii Core , ideſt , calvi ,
„ ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti , qui in
„ Calvariæ loco crucifixus eſt , dictumque
„ eſt , videlicet , Eliſeo a pueris cum illu-
„ ſione , Aſcende Calve : raſis ergo capiti-
„ bus antiquam Nazaræorum legem mutavi-
„ mus . Olim namque Nazaræi capillos nu-
„ triebant , nos e contra capillos decidimus .
„ Hoc humilitas inſigne vocamus coronam ,
„ ideſt , victoriam : quia fidelis illa Domini
„ declaratio , cujus hæc raſura ſignum eſt ,
„ procul dubio victoria eſt , triumphus eſt ,
„ honor eſt , & gloria noſtra --

Significatio tonſuræ in modum coronæ.

E Non ſolùm autem myſticas habet ſigni-
ficationes Monachalis tonſura , ſed qualitas
etiam veſtimentorum . Etenim ſi loquamur
de uſu veſtium , quæ humilitatem præfefe-
runt , jam plane fit , id ordinatum ad agen-
dam pœnitentiam , mundique contemptum .
Compertum namque habemus ex Scripturis
aſperas veſtes , ſaccoſque pœnitentiæ cauſà
aſſumi . 3. Reg. 21. v. 27. *Itaque cum au-
diſſet Achab ſermones iſtos , ſcidit veſtimenta
ſua , & operuit cilicio carnem ſuam , jejuna-
vitque , & dormivit in ſacco , & ambulavit
demiſſo capite* . Jonæ 3. v. 5. *Crediderunt viri*

Nini-

Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis a majore uſque ad minorem. Ceterum veſtis mutatio novam vitæ inſtitutionem apte ſignificat, ut declarat Areopagita capite ſuperiùs laudato -- Veſtis „ poſitio, alteriuſque aſſumptio, migratio„ nem illam a media vita, ſacra licet, ad „ perfectiorem ſignificat -- ea propter ſicut Monachi exnunt interiùs veterem hominem cum actibus ſuis, atque novum induunt, ita exteriori ſigno morum novitatem indicant. Idem explicat Caſſianus *lib. 1. de Inſtitutis Cænobiorum cap.* 4. -- Sunt præterea „ quædam in ipſo Ægyptiorum Monachorum „ habitu, non tantum ad curam corporis, „ quantum ad morum formulam congruen„ tia, quo ſimplicitatis, & innocentiæ ob„ ſervantia etiam in ipſa veſtitus qualitate „ teneatur: Cucullis namque perparvis, uſ„ que ad cervicem, humerorumque demiſſis „ confinia, quibus tantum capita conte„ gant, indeſinenter diebus utuntur, ac no„ ctibus, ſcilicet, ut innocentiam, & ſim„ plicitatem parvulorum jugiter cuſtodire „ etiam imitatione ipſius velaminis commo„ neantur &c. -- *& cap.* 5.-- Collobiis quo„ que lineis induti, quæ via ad cubitorum „ ima pertingunt, nudas de reliquo circum„ ferunt manus, ut amputatos habere eos „ actus, & opera mundi hujus ſuggerat „ abſciſſio manicarum, & ab omni conver„ ſatione terrena mortificatos eos velami„ nis linei doceat indumentum -- Accedit S. Hieronymus *Epiſt. 4. ad Ruſticum* -- Sor„ didæ veſtes, candidæ mentis indicia ſint; „ vilis tunica contemptum ſeculi probet: ita „ dumtaxat, ne animus tumeat, ne habi„ tus, ſermoque diſſentiant -- Et jure quidem merito veſtibus diſcriminantur Monachi a Laicis, ut ſicut diſcreta eſt eorum vita, ita & ratio veſtimenti diſtincta habeatur; immo cum inter Monachos ſit diverſitas Profeſſionis, apte diverſum diſtinctionis ſignum fuit inſtitutum, ut inde Chriſtiana Religio referat Reginam illam, quæ aſtitit a dextris Dei circumdata varietate.

Monachorum veſtes myſticas habent ſignificationes.

342 PROB. III. Juxta Novatorum effatum ritus puriori Eccleſiæ conformes omni carent ſuperſtitionis labe; ſed uſus tonſuræ, habituſque Monaſtici, ſicut & Clericalis puriori Eccleſiæ conformatur; ergo caret ſuperſtitione. Oſtenditur minor propoſitio quoad habitus. Indubium plane eſt Chriſtum, qui mundi contemptum nos docere voluit, verbo, & exemplo veſtimentorum luxum execraſſe, eorumque modeſtiam; ſimplicitatemque commendaſſe, ſive cum de veſtimentis nos ſollicitos noluit, ſive cum tanquam præclaræ virtutis exemplum Joannem Baptiſtam propoſuit non jam mollibus veſtitum, ſed pelliceâ tunicâ indutum: quid mirum igitur, ſi ejus Apoſtoli, qui Clericalis, & Monaſtici Ordinis primitiæ fuerunt, genus aliquod vilis, humiliſque veſtimenti, & quidem ab aliis diſcreti aſſumpſerint? Hoc novit Calvinus, qui in eos animadvertit, qui aureis indutos veſtibus pingunt Apoſtolos, cum eos miſerit Dominum evangelizare lanoſo, atque inculto habitu amictos: perperam tamen traducit Pictores Hæreticus; deaurato namque exornant paludamento Apoſtolos, cum eos triumphantes in cœlis, non jam cum viatores in terris repræſentant. Magiſtri doctrinam converſis ad fidem tradiderunt Apoſtoli, ut exterius etiam ab Ethnicorum diſcernerentur ſuperbiâ. Alia inter momenta habemus illud Pauli 1. ad Timoth. 2. v. 9. *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe*; & ad Titum 2. v. 3. *Anus ſimiliter in habitu ſancto &c.*, & 1. Petri 3. v. 3. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*. Eandem veſtium humilitatem paſſim Chriſtianis commendabant Apoſtolorum Diſcipuli, ut videre eſt in Epiſtolis Sanctorum Ignatii, Polycarpi, & Juſtini, ita quod veſtimentorum modeſtiâ diſcriminabantur Chriſtiani ab Ethnicis. Si ergo laudabiliter miniſtri Chriſti, nempe Apoſtoli, eorumque Diſcipuli vilibus induebantur, cur criminandi ſunt Monachi, ſi ad ipſorum exemplum pretioſa contemnunt, atque humilibus utuntur? Cur ritus puriori Eccleſiæ conformis reprehenditur? Cur commendatam a Patribus veſtium humilitatem nobis non licet impræſentiarum adoptare?

Humilitas veſtium purioris Eccleſiæ veſtibus conformis.

Videamus igitur quæ fuerint pro re nata primorum Patrum ſenſa. Pontius Diaconus *in Vita S. Cypriani* habet -- Finge enim „ nunc illum martyrii dignatione transla„ tum. Quis emolumentum gratiæ per fidem „ proficientis oſtenderet? Quis Virgines ad „ congruentem pudicitiæ diſciplinam, & ha„ bitum ſanctimoniâ dignum, velut fræ„ nis quibuſdam lectionis Dominicæ coerce„ ret? -- S. Ambroſius *lib. 3. de Virginibus* -- „ Tempus eſt, ſoror ſancta, ea quæ mecum „ conferre ſoles, beatæ memoriæ Liberii „ præcepta revolvere, ut quo vir ſanctior, „ eo ſermo accedat gratior. Namque is cum „ in Salvatoris Natali, ad Apoſtolum Pe„ trum, virginitatis profeſſionem, veſtis „ quoque mutatione, ſignares &c. -- S. Hieronymus ſæpenumero *de Monachorum veſtibus* ſermonem habet. *Epiſt. 15. ad Marcellam de laudibus Aſellæ* ſcribit -- Cum pri„ mum Aſella hoc propoſitum arripuit, au„ rum colli ſui, quod quidem Murænulam „ vulgus vocat, abſque parentibus vendidit, „ & tunicam fuſciorem, quam a matre im„ petrare non poterat, induta, pio nego„ tiationis auſpicio, ſe repente Domino con„ ſecravit; ut intelligeret univerſa cogna„ tio, non poſſe aliud ei extorqueri, quæ „ jam ſeculum damnaſſet in veſtibus. *Epiſt. 27. ad Euſtochium de obitu Paulæ* -- Unius „ omnium habitus, *loquitur de Virginibus*, „ *quæ in Monaſterio a Paula ædificato mora„ bantur*; linteamine ad tergendas ſolùm „ manus utebantur -- *& Epiſt. 4. ad Ruſticum* -- „ Vidi ego quoſdam, qui poſtquam renun„ tiavere ſeculo, veſtimentis dumtaxat, & „ vocis profeſſione, non rebus, nihil de „ priſtina converſatione mutarunt -- Concilium Carthaginenſe IV. noſtram comprobat poſitionem, & primò *Can.* 11. Sanctimonia„ lis virgo, cum ad conſecrationem ſui Epi„ ſcopo offertur, in talibus veſtibus appli„ cetur, qualibus ſemper uſura eſt, profeſ„ ſioni,

Patres multa habent de Monachorum veſtibus.

Digitized by Google

„ ſioni, & ſanctimoniæ aptis -- *& Can.* 114.
-- Si quæ viduæ quantumlibet adhuc io mi-
„ noribus annis poſitæ, & matura ætate a
„ viro relictæ, ſe devoverunt Domioo, &
„ veſte laicali abjecta, ſub teſtimonio Epi-
„ ſcopi, & Eccleſiæ religioſo habitu appa-
„ ruerint, ſecundùm Apoſtolum damnatio-
„ nem habebunt -- Accedit S.Gregorius *lib.* 2.
Dialogi cap. 1. -- Sanctus Benedictus conver-
„ ſionis habitum a Romann Monacho acce-
„ pit -- *& lib.* 1. *Epiſt. ad Venantium*, qui
Monaſticum habitum dimiſerat, ſcribit -- In
„ quo habitu fueris, recolis, & ſupernæ di-
„ ſtrictionis animadverſione poſtpoſita, ad
„ quid ſis delapſus, agnoſcis -- Hæc abunde
ſufficiunt ad evincendum Monaſtici indu-
menti uſum purioris Eccleſiæ ritibus apte
congruere.

Supereſt inquirere, num Monachorum
tonſura primis rei Chriſtianæ temporibus
conformis habeatur. In prima probatione
plurima dedimus ea Patribus, quibus alia
placet addere. Ea Clericorum tonſura in
modum coronæ, temporibus SS. Hieronymi,
& Auguſtini, orta eſt conſuetudo rogandi,
obteſtandique Epiſcopum per ipſius coronam.
Hieronymus namque ad Auguſtinum Epiſto-
la, quæ apud eundem Auguſtinum eſt 26.
dicit -- Fratres tuos Dominum meum Aly-
„ pium, & Dominum meum Evodium,
„ ut nomine meo ſalutes, precor coronam
„ tuam -- & Auguſtinus *ad Proculianum Epi-
ſcoporum Epiſt.* 147. -- Per coronam noſtram
„ nos adjurant veſtri, & per coronam ve-
„ ſtram vos adjorant noſtri --

Natalis Alexander *Sec. IV. cap.* 5. *art.* 8.
coronæ nomine vult regiam Sacerdotii di-
gnitatem intelligi, non jam raſuram capillo-
rum in modum coronæ.

De tonſura in modum coronæ.

Ceterum ex his, quæ ſcribit Gregorius
Turonenſis apud Lipomanum *in Vita S. Nice-
tii Epiſcopi Trevirenſis*, qui eodem Auguſtini
ævo floruit, anno nempe 474. clare evincitur
Auguſtinum, & Hieronymum de raſura ca-
pillorum in modum coronæ eo loci ſermo-
nem habere -- S. Nicetius Epiſcopus ab ipſo
„ ortus ſui tempore Clericus deſignatus eſt.
„ Nam cum partu fuiſſet effuſus, omne ca-
„ put ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium
„ infantium, a capillis quidem nudum cer-
„ nebatur, in circuitu verò modicorum
„ capillorum ordo apparuit, ut putares ab
„ iiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam --
Ea igitur tempeſtate, cum ſermo recurrebat
de Miniſtris ſacris deputatis, coronæ nomen
Clericalem innuere tonſuram non abs re
cenſendum eſt; quæ, cum detonſo ſuperiùs
capite, inferiùs circuli coronam relinquat,
Sacerdotium, regnumque Eccleſiæ meritò
præfigurare poteſt, ut notat Baronius *anno
Chriſti* 58. *n.* 123. Quod clarius eluceſcit, ſi
revolvamus, quæ habet Beda *de Geſtis Angl.*

Unde modus tonſuræ derivatus.

lib. 5. *cap.* 22. -- Inter omnes, quas in Ec-
„ cleſia, vel in univerſo hominum genere
„ reperimus tonſuras, nullam magis ſequen-
„ dam, amplectendamque jure dixerim eâ,
„ quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe
„ confitenti ait: Tu es Petrus -- & infra --
„ Neque ob id tantùm in coronam attonde-
„ mur, quia attonſus ita eſt Petrus: ſed quia
„ Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis
„ ſignum cum illo in vertice, ſumma vide-
„ licet corporis noſtri parte, geſtamus. Si-
„ cut enim omnis Eccleſia, quæ per mortem
„ ſui vivificatoris Eccleſia facta eſt, ſignum
„ Sanctæ Crucis in fronte geſtare conſuevit,
„ ut crebro vexilli hujus munimine a mali-
„ gnorum ſpirituum defendatur incurſibus,
„ & crebra hujus admonitione doceatur, ſe
„ quoque carnem cum vitiis, & concupi-
„ ſcentiis crucifigere debere, ita etiam opor-
„ tet eos, qui vel Monachi votum, vel gra-
„ dum Clericatus habentes, arctioribus ne-
„ ceſſe habent pro Domino ſe continen-
„ tiæ funibus adſtringere, formam quoque
„ coronæ, quam ipſe in paſſione ſua ſpi-
„ neam portavit in capite, ut ſpinas, ac
„ tribulos peccatorum noſtrorum portaret,
„ ideſt, exportaret, ac auferret a nobis,
„ ſuo quemque in capite per tonſuram per-
„ ferre, ut ſe irriſiones, & opprobria pro
„ illo libenter, ac promptu animo ſufferre,
„ ipſo etiam frontiſpicio doceant &c. -- cui
concinunt Alcuinus *lib. de divinis Officiis tit.
de Tonſura*, Rabanus Maurus *de Inſtit. Cleric.
lib.* 1. *cap.* 3., Iſidorus *lib.* 2. *de Eccleſiaſticis
Officiis cap.* 14. His palam fit ante Hierony-
mum, & Auguſtinum invaluiſſe diſciplinam
Clericalis, ſeu Monachalis coronæ; eoque
propter laudatos Patres ad hanc, non ad re-
galem dignitatem alluſiſſe in præcitatis texti-
bus, ut contendit Natalis.

Et ſane non niſi ab Apoſtolico fonte
antiquum adeo, atque univerſalem tonſuræ
uſum derivatum meritò dicendum eſt. Au-
diamus Baronium *laudato loco nu.* 127. --
„ Doceat quis velim, Provinciam Orbis ali-
„ quam, quæ Chriſti nomen acceperit, ejuſ-
„ dem fuiſſe tonſuræ Clericalis expertem.
„ Quonam alio, quæſo, quam Apoſtolorum
„ præconio rem tam novam, atque adeo
„ inuſitatam, ac penitus ab aliis intenta-
„ tam, radendi in modum ſphæræ, vel co-
„ ronæ capitis, Chriſtianus Orbis potuit ſu-
„ ſcepiſſe, ac firmiter tenuiſſe, nullo præ-
„ cedente majorum exemplo? Nam ſi Ju-
„ dæos ſpectes, unde fluxit Chriſtiana Reli-
„ gio, divina lege radere caput Sacerdoti-
„ bus interdictum fuiſſe reperies, dicente,
„ atque monente: Sacerdotes nec radent ca-
„ put, nec barbam; & communiter omni-
„ bus vetitum in rotundum attondere co-
„ mam, & radere barbam, licet verborum
„ illorum diverſa lectio habeatur. De Gen-
„ tilibus dixímus, plane diverſum a noſtro
„ fuiſſe illorum ritum, quippe qui non tan-
„ tum capitis capillos omnes uſque ad ſu-
„ percilia, ſed totius corporis pilos, Iſidis
„ præſertim Sacerdotes, radere conſueviſ-
„ ſent. Et quis exiſtimet, Chriſtianos vo-
„ luiſſe eos imitari, quorum non tantum
„ ſacra, ſed & Sacerdotes eam præſertim ob
„ cauſam tantopere deriderent? Conſulat,
„ qui de his dubitat, antiquorum Patrum
„ adverſus Gentes ſcriptas Apologias, in
„ quibus utique hæc omnia fuſius invenies
„ explicata. Nemo igitur ſane mentis levi-
„ ter dixerit eſſe introductum, atque ſerva-
„ tum abſque exemplo, quod Catholica ubi-
„ que Eccleſia cuſtodivit -- Hinc præter-

miſſo exemplo Theodori cujuſdam, ſeu Diodori, ut alii volunt, quippe fuiſſe Epiſcopus non ſatis evincitur, refert citatus annalium Eccleſiaſticorum Parens exemplum aliud Orei Epiſcopi Melitenſis, ſanctitate, & doctrina celeberrimi, qui claruit temporibus Theodoſii ſenioris; de eo igitur ſcribit Cyrillus Monachus *in Vita Euthimii apud Lipomanum* -- Cum eum baptizaſſet, & pilos, „ qui ex lege tondentur pueris, totondiſſet, „ in gradu Lectorum eum cooptat -- Quæ quidem tonſura alia eſt ab illa, quam viris innuit Apoſtolus, dum 1. ad Corinth. 11. v. 14. præcipit, ne viri comam nutriant; ſiquidem, ut bene advertit Baronius -- Si „ non de tonſura in modum ſphæræ fieri „ ſolita Patres intellexerunt, quid tam in„ ſtanter Clericis faciendum eſſe manda„ runt, quod Apoſtolica lege quivis laicus „ facere teneretur, nempe comam non nu„ trire, ſed capillos deponere? Quod igitur „ Clericis id faciendum præcipitur, quia „ alia ratione videretur eſſe mandatum, „ alio etiam ritu implendum: nimirum, ut „ in ſummo vertice depreſſius caput tonde„ rent, aut raderent --

Hac ſuper re aliud habemus momentum ex Epiſtola Aniceti Papæ *ad Galliæ Epiſcopos cap.* 4. -- Prohibete, fratres, per uni„ verſas regionum veſtrarum Eccleſias, ut „ Clerici, qui laicis, & ſimplicibus virtutis, „ honeſtatis, pudicitiæ, & gravitatis exem„ plar eſſe debent, ac ſeipſos tanquam „ ſignum purioris vitæ rudioribus ad imita„ tionem prudenter exhibere, juxta Apoſto„ lum, comam non nutriant, ſed deſuper „ caput in modum ſphæræ radant, quia ſicut „ diſcreti debent eſſe in converſatione, ita „ & in tonſura, & omni habitu diſcreti de„ bent apparere --

Mirum quot adverſus auctoritatem hanc inſurgant Critici, eamque impetant. Suppoſitam eam diſtitant, ſive ex ſtyli inelegantia, ſive ex falſa temporum conſignatione, ſive ex vocabulis ea tempeſtate inuſitatis, & hujuſmodi. Quoniam verò hiſce omnibus abunde factum fuit ſatis, cum *Tomo II. in Appendice Critica* tanquam germanas propugnavimus Romanorum Pontificum Epiſtolas a Clemente ad Siricium uſque conſcriptas, ad ibi dicta candidum Lectorem remittimus.

DICES. Facile ab Ethnicis cogniti fuiſſent Clerici, ſi tonſuram in modum coronæ efformatam habuiſſent; unde manus perſequentium haud potuiſſent evadere.

Verùm hoc nullius momenti eſt, ſiquidem juxta Apoſtoli mandatum non debebant Chriſtiani comam nutrire; unde etiam ex laicali tonſura dignoſci poterant, & tamen nemo inficias ibit Apoſtolum hanc comarum tonſuram præcepiſſe; ita præcipi poterat Clericis tonſura in modum coronæ, etſi occurreret periculum, ut tanquam ſacris deputati dignoſcerentur. Manifeſtum eſt Apoſtolos, ut eorundem Epiſtolæ innuunt, univerſos Chriſtifideles docuiſſe modeſtiam in verbis, veſtimentis, converſatione, quamvis ſufficienter ex his eorum fides deprehendi poſſet; habemus Tertulliani, & Cypriani opuſcula, ubi toti ſunt in commendatione Chriſtianæ converſationis, etſi occaſionem Ethnicis præberent irridendi, atque accuſandi Chriſtianos. Ipſemet Tertullianus in ſignum Chriſtianæ ſimplicitatis abjectâ togâ Pallium induit, unde eo lemmate irridebatur *A Toga ad Pallium*, ut refert in Oratione, quam de Pallio inſcripſit. Si ergo Chriſtiani ſpecialia ſigna habebant, licet per ea facile dignoſci potuiſſent, cur aliter de Clericis ſentiendum eſt? Non erubeſcebant Chriſtum exterioribus ſignis confiteri, qui parati erant ſanguinem pro Catholica fide effundere.

Notat Baronius diſtinctam fuiſſe Monachorum tonſuram ab ea, quæ eſt Clericorum. Verum hac de re non inſtituimus quæſtionem, nobis ſat eſt probaſſe adverſus Novatores tonſuræ, habituſque Monaſtici ritum non eſſe ſuperſtitioſum, idque potiſſimum, ex quo ritus hujuſmodi conformes habeantur ritibus purioris Eccleſiæ.

HÆRETICORUM MOMENTIS FIT SATIS.

343 OBJIC. I. Non minus Chriſtianis illicitum eſt Ethnicos ritus æmulari, quam Judæis; ſed his tonſura vetita erat, ne Ethnicos ritus æmularentur. Levit. 19. v. 27. *Neque in rotundum attondetis comam, nec radetis barbam*, & ideo hoc illis vetatur, quia comæ attonſio ritus erat Gentilium; ergo.

Quidam reſpondent hocce præceptum fuiſſe legale, quod in lege gratiæ non urget. Hujuſcemodi ſolutio non eſt aliena a ſcripturali textu; ibidem namque plurium Legalium mentio recurrit. Communis tamen ſolutio ea eſt, ibidem abſolute tonſuram non prohiberi, quoniam *num. 6.* tempore conſecrationis expleto, Nazaræi ex divino mandato tondebantur. Prohibebatur igitur tonſura illa, quæ Ethnicos imitabatur ritus; dum enim ſe Diis devovebant, capillitium in orbem tondebant, illudque Soli, aut Saturno, aut Bacco ſolemniter conſecrabant. Volunt alii Deum hac lege prohibuiſſe extraordinariam tonſuram, quæ fieri ſuevit in mortuorum exequiis, dum capillos ſuper Defunctorum cadavera, vel ſepulchra projiciebant Ethnici, ut Deos manes propitiarent; ſolutio congruit contextui, dum ſequenti verſiculo ſubditur: *Et ſuper mortuo non incidetis carnem veſtram, nec figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis*. Superſtitioſum hunc ritum declarat S. Hieronymus *ad cap. 16. v. 6. Jeremiæ* -- Mos fuit apud „ veteres, & in quibuſdam permanet Ju„ dæorum uſque hodie, ut in luctibus inci„ dant lacertos, & calvitium faciant -- Quod iterum prohibetur Levit. 21., ubi de Sacerdotibus dicitur: *Nec radent caput, nec barbam*: Scriptura ibidem loquitur in caſu funeris, quo tempore præ aliis conſtantiores volebat Sacerdotes, eaque propter illis vetat quaſdam ceremonias, quæ erant in uſu, quarum una erat raſura capitis. Porro finis hujuſce prohibitionis non alius erat, niſi, ut elongarentur Judæi ab Idololatricis ritibus,

Ethnici radebant capita.

cum

cum Gentes inter funera hanc ceremoniam uſurparent. Rem dilucidat contextus. *Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium ſuorum, niſi tantum in conſanguineis, & propinquis, id eſt, ſuper Patre & Matre, & filio & filia, fratre quoque & ſorore virgine; ſed nec in Principe populi ſui contaminabitur, non radent caput, nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.*

DICES. Uterque Levitici textus congruit textui apud Ezechielem 44. v. 20. *Caput ſuum non radent*; atqui in aperto eſt ibidem Scripturam loqui de filiis Sadoc, quibus tantummodo datum erat ingredi atria Sanctuarii, hiſque præſcribuntur præcepta, inter quæ legitur præcitatum; neque impræſentiarum adinveniri poteſt reſpectus ad Idololatriam, ſiquidem Levitæ Idololatriam ſapientes arcebantur ab atrio Sanctuarii, ut videre eſt ex præcedentibus verſiculis.

Non eſt, cur in ſolutione hujus inſtantiæ immoremur; quia ſi totus textus inſpiciatur, nobis opitulatur; ſubditur namque: *Neque comam nutrient, ſed tondentes attondent capita ſua*; quibus palam fit non prohiberi, ſed præcipi tonſionem; unde meritò dicendum venit in præcedentibus raſuram vetari, quæ Ethnicam referebat ſuperſtitionem. Hinc Deus Ezechieli cap. 5. præcepit, ut gladio caput ſuum, barbamque raderet.

Tonſura Judæis præcepta.

INSTABIS. Baruch 6. v. 30. irridentur Sacerdotes habentes *tunicas ſciſſas, & capita, & barbam raſam*; atqui Pontificii Sacerdotes, quamvis non ſint Deorum cultores, juſtis tamen ſannis traducuntur, utpote qui ſacrilegos Deorum Sacerdotes imitantur; ergo.

RESP. Scriptura ibi aperte loquitur de Idololatris Sacerdotibus ea ſigna aſſumentibus ritu plane ſuperſtitioſo in Deorum cultum. En Scripturæ verba v. 29. *Unde enim vocantur Dii? Quia mulieres apponunt Diis argenteis, & aureis, & ligneis, & in domibus eorum Sacerdotes ſedent, habentes tunicas ſciſſas, & capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos ſuos, ſicut in cœna mortui.* Sacerdotes porro Pontificii nec Deos colunt, nec ſuperſtitioſo ritu tonſurâ utuntur, ſed ob myſticas ſignificationes, quas ſuperiùs dedimus.

Clericalis tonſura ob myſticas ſignificationes aſſumitur.

SUBSUMES. Prophetico ſpiritu actus Pontificios Sacerdotes alloquitur Jeremias cap. 9., ubi dicit Dominum viſitaturum *ſuper omnes, qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto*; ergo Pontificiorum tonſura Deo odibilis eſt.

Jeremias nullimode urget adverſus Clericalem tonſuram, cum abunde conſtet in Judæos animadvertere, qui gentiles ritus adoptaverant. Ex promiſcua cohabitatione Gentilium, unâ cum Judæis, mutua facta eſt rituum participatio. Quidam ex Gentibus circumciſionem ſuſceperant, alii ex Judæis comam in circulum attondebant, Ethnica vanitate criſpando capillos; etenim apud plures nationes, puta, Ægyptiorum, Saracenorum, Moabitarum, Idumæorum &c., hujuſmodi vanitas invaluerat. Hanc vanitatem amplexatos fuiſſe Judæos teſtatur Joſephus *lib. 1. contra Apionem*, referens in caſtris Xerſis militantes, hoc modo attonſos, quod & contextus declarat, v. 25. legitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & viſitabo ſuper omnem, qui circumciſum habet præputium, ſuper Ægyptum, & ſuper Juda, & ſuper Edom, & ſuper filios Ammon, & ſuper Moab, & ſuper omnes, qui attonſi in comam, habitantes in deſerto; quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Iſrael incircumciſi ſunt corde.* Perperam igitur dicitur Prophetam Pontificios religioſe tonſuratos alloqui, ſed in Judæis Clericos noſtros criſpatos, atque calamiſtratos redarguit, quos Petrus inſimul, & Paulus execrantur.

Judæi Ethnicos ritus adoptarunt.

344 OBJIC. II. Juxta Epiphanii effatum *lib. ad Serapionem de Spiritu Sancto* non eſt ex Apoſtolica traditione, quod a primitiva Eccleſia non dimanat; ſed tonſuræ uſus hujuſmodi eſt; ſiquidem primus hujuſce ritus Inſtitutor fuit Anicetus, ut habetur *in Chronica compendioſa Romanorum Pontificum Tomo I. Germanorum illuſtrium Scriptorum inſerta*, ubi ad annum 149. habetur -- Anicetus Papa a Petro decimus, ordinatus ſedit annis 11. menſibus ſex. Hic conſtituit, ut Clerici habeant coronas in modum ſpherulæ, & quod comam non nutriant --

Ex auctoribus magni nominis oſtendimus Clericalem coronam ſub primordiis naſcentis Eccleſiæ exordium habuiſſe, unde Anicetus ſuo decreto tonſuræ executionem commendavit, non jam primus inſtituit; ſiquidem Pontifex, ut ex citata ejuſdem Epiſtola diximus, Apoſtolum laudat, & evincitur tum ex *Can. Prohibete Diſt.* 23., ubi de Clericis dicitur conſtituiſſe Anicetum -- Ut Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant -- tum ex *lib. Pontificali*, ubi -- Hic conſtituit, ut Clerus comam non nutriret, ſecundùm præceptum Apoſtoli -- Non ergo Clericalis tonſuræ inſtitutor fuit Pontifex, ſed confirmator.

Anicetus confirmat decreto uſum coronæ.

DICES: Ex quo Pontifex Apoſtolum laudet in ſuo decreto, non inde probatur, quod ipſe non fuerit Clericalis tonſuræ inſtitutor: ſiquidem Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. v. 14. cum ait. *Vir quidem, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi*, ſermonem habet ad univerſos Chriſtifideles, Anicetus autem ſolos Clericos alloquitur; unde jure potuit eſſe prædictæ tonſuræ inſtitutor.

Verùm momentum hocce nullius eſt roboris: etenim Apoſtolus univerſis Fidelibus modeſtiam commendans, eam peculiari titulo Clericis innuit; & meritò ſane, nam Paulus Sacerdotibus ſuaſor eſt, ut ſint in exemplum virtutum, & ipſum tonſum legimus, ut doctrinam ſuam facto comprobaret.

Tonſura Clericorum peculiaris.

INSTABIS. Platina aperte dicit Anicetum primum fuiſſe tonſuræ Clericalis inſtitutorem.

Utvis Platina hoc dicat, Auctores ipſo antiquiores, majoriſque notæ oppoſitum referunt, cujuſmodi ſunt Gregorius Turonenſis, Iſidorus, Amalarius, aliique plures. Niſi dicere velis Anicetum inſtitutorem, ratione juridici decreti, cum antecedenter con-

tonſura per ſimplicem traditionem tantummodo eſſet in uſu .

REPLICABIS . 12. *q.* 1. *Can.* 7. Clericalis corona dicitur fuiſſe ex inſtitutione Romanæ Eccleſiæ ; ſed niſi dicatur Anicetus primus inſtitutor, hoc verificari non valet ; ſiquidem ſupponeretur a Petro , & Paulo inſtituta ; ergo .

RESP. Forſan Romanæ Eccleſiæ accenſendum non eſt , quod Petrus , ut ejuſdem caput , conſtituit ? Si Petrus poſt Chriſtum Petra eſt , & fundamentum , ſi Petrus eſt primus Eccleſiæ Paſtor ; cur ex inſtitutione Eccleſiæ Romanæ dici non debet , quod a Petro emanavit ? Tribuitur itaque inſtitutio Rom. Eccleſiæ , quia ipſa uſum coronæ a Petro derivatum adoptavit , atque ad alias Eccleſias demandari curavit .

Tonſura ex Romanæ Eccleſiæ inſtitutione.

URGEBIS . Vera traditio conformitatis notâ inſignitur ; ſed in Tonſura hæc nota deſideratur : etenim alia eſt apud Græcos , apud Latinos alia , illi verticem attondunt , remanentibus capillis ſuper humeros defluentibus , iſti non ſolum verticem , ſed & capillos infra aures , illi barbam nutriunt , ſecus iſti : rurſus alia eſt tonſura apud Occidentales Clericos , apud Monachos alia , illi parvam , iſti magnam deferunt coronam , tonduntur primi , raduntur alii ; ergo .

RESP. Accidentale diſcrimen veritatem traditionis non enervat . Quovis tempore conſtans fuit Quadrageſimalis Jejunii traditio, non una tamen in omnibus fuit obſervantia ; ſemper Paſchatis celebratio fuit ab Eccleſia adoptata , attamen Orientales inter, & Occidentales magnum extitit diſſidium . Innumera pene ſunt hac ſuper re exempla . Quid refert Græcos paulò longiores permittere capillos, ſecus latinos , ſi utrique Clericalem gerunt coronam ? Quid officit aſſertæ veritati , ex quo Clerici exiguam , Monachi grandiuſculam deferant , cum utrique tonſuram venerentur ? Quid demum adverſus nos urget , ſi forfice , vel novaculâ tonſura habeatur ?

Accidentale diſcrimen veritati non officit.

345 OBJIC. III. Apoſtoli de rebus minus neceſſariis documenta præſcribere noluerunt . Hinc Apoſtolus ad Heb. 6. v. 1. , ubi de fide agebat , catechiſmum omiſit : *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem , ad perfectiora feramur , non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis , & fidei ad Deum , baptiſmatum doctrinæ , impoſitionis quoque manuum &c.* Sed tonſura parvi momenti eſt ; abs re igitur aſſeritur Apoſtolos de eàdem verbo , vel ſcripto documenta tradidiſſe .

Plura continet erronea hujuſcemodi objectio . Falſum igitur primò eſt Apoſtolos non niſi de rebus fidei documenta tradidiſſe, cum ſatis compertum ſit eorundem Epiſtolas plura ad mores ſpectantia præcontinere : falſum ſecundò Apoſtolos de ſolis neceſſariis ad ſalutem locutos , cum de conſiliis multus ſermo in eorum ſcriptis habeatur . De minimis itidem ſolliciti fuere; unde Paulus Timotheum adhortatus eſt , ut modico vino uteretur . Falſum tertiò Apoſtolos ſolo verbo , aut ſcripto monuiſſe fideles . Plura peregerunt , quæ nec ſcripta leguntur , nec ab eis prædicata , ſicut plurima fecit Chriſtus , quæ nec ſunt ſcripta , nec per ipſum enunciata . Falsò ſimiliter aſſeritur Paulum catechiſmum omiſiſſe, ut videre eſt ibid. v.4. *Et hoc faciemus , ſi quidem Deus permiſerit :* promittit itaque facturum , quod tunc temporis non præſtabat . Perperam dein dicitur tonſura res parvi momenti , cum adeo a Patribus commendetur , utpotequæ ſtatus diſcretionem innuat , & myſticas habeat ſignificationes . Falſum demum eſt tonſuræ mentionem , tanquam de re levi , non curaſſe Apoſtolos , cum clare conſtet Paulum Laicis commendaſſe comam non nutrire , fœminis in Eccleſia caput velare , atque in habitu ſervare modeſtiam ; quomodo ergo indignam Apoſtolatus dicent Adverſarii ſollicitudinem de externa Sacrorum Miniſtrorum modeſtia , cum hi præeſſe aliis debeant tanquam exempla virtutum ? Pendebant primi Eccleſiæ Patres a doctrina , atque Apoſtolorum exemplis, ea propter doctrina, & exemplum tonſuræ a Patribus nobis demandata ab Apoſtolis deſcendere meritò cenſenda ſunt .

Ab Apoſtolis tradita documenta , quæ

DICES . Traditio certo inniti debet fundamento ; ſed traditio tonſuræ fluxo , atque incerto fundamento innititur ; deducitur namque ex actis Sanctorum fine delectu deſcriptis , aut ex apochriphis hiſtoriis ; ergo .

Hæreticis ſolemne eſt ad calumnias ſeſe convertere , ubi de victoria deſperant . Eccleſiæ auctoritas non fluxum , ſed ſolidiſſimum principium eſt ; unanimis Patrum conſenſus non incertum , ſed firmiſſimum eſt fundamentum : his traditio tonſuræ innititur , adeoque inconcuſſe , quidquid adverſus Acta Sanctorum blaterent Novatores , dum apochripha proclamant , quæcunque eorum falſa dogmata evertunt .

Traditio tonſuræ ſolido innixa fundamento.

346 OBJIC. IV. Optatus Milevitanus *lib.* 2. *adverſus Donatiſtas* hos carpit , quia violenter Catholicis Sacerdotibus raſerant capita -- Dicite , ubi vobis mandatum ſit radere capita Sacerdotibus , cum e contrario tot ſint exempla propoſita , fieri non debere -- ergo tonſura tunc temporis , nempe Seculo IV. , non erat in uſu , ſed ad irridendum erat adinventa ab hoſtibus catholici nominis . Idem colligitur ex S. Hieronymo in Ezechielem cap. 44. ad verba legis : *Caput ſuum non radent , neque comam nutrient , ſed attondebunt capita ſua* , ubi S. Doctor -- Perſpicue demonſtratur , nec raſis capitibus , ſicut Sacerdotes , cultoreſque Iſidis , atque Serapidis , nos eſſe debere : nec rurſus comam demittere ; ſed ut honeſtus habitus Sacerdotum facie demonſtretur , diſcimus nec calvitium novaculâ eſſe faciendum , nec ita preſſum tondendum caput , ut raſorum ſimiles eſſe videamur , ſed in tantum capillos eſſe dimittendos , ut opertum ſit caput --

RESP. Optatus meritò inſurgit adverſus Donatiſtas reprehendens , non quidem abſolute tonſuram , ſed modum ; nondum enim univerſaliter adoptata erat conſuetudo, ut tonſura per abraſionem fieret , ſed per ſimplicem tonſionem , ita ut cutis tecta remaneret . Hinc Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pædagog. cap* 11. habet -- Pili quidem capitis

Alicubi capilli tondendi erant , non radendi.

„ tis . . . tondendi ſunt, non novaculâ . . . „ ſed tonſorum forficibus -- Et Tertullianus *de Pallio cap.* 4. -- Juſta autem tonſor, & „ cultri vertex immunis -- Auctoritati Hieronymi apte reſpondet Baronius *n.* 35. anno ſuperiùs relato -- Sed ex his omnibus, quæ „ idem Hieronymus ſcribit in Eſechielem, „ vel in Iſaiam, tres eliguntur poſitiones, „ ac ea in primis: ipſum non probare capil- „ lorum, ſive barbæ tonſuram ſolitam fieri „ more Gentilium; ſed in hoc nulla eſt di- „ ſcrepantia cum his, quæ ſuperius dicta „ ſunt; cum idem ipſe Gentium ritus ab „ omnibus æque damnetur. Secunda poſitio „ ea eſt, quod & ipſe pariter cum ceteris „ conſentit, capillos eſſe tondendos, ſed ſic „ tamen; ut operta, quod ait, ſit cutis. „ Sicque videas, nec in his ipſum a dictis „ auctoribus differre: niſi quod non nova- „ cula ad cutem uſque radi velit capillos, „ ſed forficibus, atque depreſſe, dummodo „ tamen non appareat nuda cutis. Sed quam „ levis hæc ſit differentia, nemo non videt. „ Tertia demum ejus concluſio eſt, qua „ barbæ non probat tonſuram. At ipſe in „ Oriente agens, quid mirum ſi Orientalium „ Clericorum, & Monachorum conſuetudi- „ nem comprobarit? -- Hinc habes frequentiùs apud Patres mentionem recurrere tonſuræ potius, quam raſuræ; in quibuſdam namque regionibus primum invaluerat, ſecus aliud.

346 OBJIC. V. S. Hieronymus ad Nepotianum docet nigras veſtes æque, ac candidas eſſe vitandas, quia alterum delirias, alterum gloriam redolet; & Auguſtinus *de Sermone Domini in monte lib.* 2. *cap.* 19. aſſerit ſub luctuoſis indumentis latere jactantiam: Monaſticus itaque habitus vel malus eſt, vel mali ſpeciem refert.

Malorum hominum abuſus non officit rerum ſanctitati.

RESP. Non eſt ſolius Monaſtici habitus infortunium, quod eo abutantur homines; ſacræ ceremoniæ, Sacramentaque in malum quandoque aſſumuntur. Ergone rejicienda? Religioſus habitus ſi ſecundum ſe ſpectetur bonus eſt; mire deſervit ad humilitatem, pœnitentiam, mundique contemptum, ſicut etiam ad conſtituendum ſtatus diſcrimen. Non debet ovis pellem ſuam deſerere, quia Lupus aliquando ovina pelle ſe tegit. Habitus non facit Monachum, ut eſt commune effatum; ea propter alia inſpicienda ſunt, ut de perſona certum habeatur judicium. Ex fructibus arbor dignoſcitur. Ceterum Monaſticus habitus bene audire ex eo evincitur, quod mali homines ad occultanda facinora, Sanctitatis prætextu, Monaſticum induunt habitum; ſiquidem, ut notat Caſſianus *de Inſtitutis Monach.* -- Interiorum cul- „ tum conſequenter tunc poterimus expo- „ nere, cum exteriorem ornatum ſub ocu- „ lorum depinxerimus obtutibus --

* * *
* *
*

CONTROVERSIA XV.

AN MONACHATUS AD HIERARCHIAM ALIQUA RATIONE PERTINEAT.

347 IN hoc Tractatu ſæpenumero dictum eſt Monachatum fore præclarum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradum; verùm hocce ſalivam pleriſque movet, qui plus juſto Eccleſiaſticæ dignitatis ſplendore hebetari, quæ ſint utriuſque jura, & ornamenta non ſatis diſtinguere volunt. Autumant Clericalis Ordinis decus obtenebrari, ſi intra Hierarchiam Monachi deſcribantur, non ſatis advertentes ex multiplicatis ſideribus cœlum condecorari. Clericalis, & Monachalis Ordo Eccleſiam præclare exornat, & velut duo luminaria magna præeſt diei, & nocti, ut omnibus luceat, omneſque dirigat in viam ſalutis. Momenta itaque nonnulla innuam, ob quæ comprobatur, quod meritò Monachatus Hierarchiæ accenſetur; etenim ex profeſſo Provinciam hanc ſuſcipere non vacat, cum plura, quæ afferri poſſent, inter Catholicos ſatis nota habeantur.

Quid ſit Hierarchia.

348 Ut ſolido innixi fundamento procedamus, operæ pretium erit definitionem Hierarchiæ adducere ex S. Dionyſio *cap.* 3. *Cæleſtis Hierarchiæ* relatam a S. Thoma 2. *Sent. Diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 1. -- Hierarchia „ eſt divinus ordo, & ſcientia, & actio, „ Deiformi, quantum poſſibile eſt, ſimilans, „ & ad inditas ei divinitus illuminationes „ proportionaliter in Dei ſimilitudinem con- „ ſcendens -- Quam definitionem egregie rem dilucidare apte ibidem demonſtrat Angelicus. Hinc *in corpore* dicit: Hierarchiam in idem redire, ac ſacrum principatum; in omni porro principatu gradus requiritur poteſtatis, & finis; unde in principatu ſacro utrumque ſacrum eſſe debet, & divinum: aſſimilatio ad Deum eſt hujuſce principatus finis, qui nullimode conſequi valet, niſi per ordinatam actionem, ad quam exiguntur ordinata poteſtas, & ſcientia dirigens -- Et „ ideo, *ait Angelicus*, in definitione Hie- „ rarchiæ ponitur ordo, in quo exprimitur „ gradus poteſtatis, & ſcientiæ; actio ſicut „ ad finem inducens, & Dei ſimilitudo, „ ſicut finis intentus -- Cumque Monachatus totus in eo ſit, ut ad perfectionem tendat, per quam Dei aſſimilatio obtinetur, jam in aperto eſt ratione finis ad Hierarchiam ſpectare.

Hierarchia in tres partes diſtrecta.

II. In humana Hierarchia, quæ ex cœleſti exemplatur; tres diſtinguuntur Hierarchicæ actiones, quæ ſunt purgare, illuminare, & perficere. Audiatur Areopagita *cap.* 5. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* -- Triplicem „ quoque Hierarchia noſtra Sacri Ordinis di- „ ſtributionem habet, quatenus dividitur in „ ſanctiſſimas Myſteriorum ceremonias, at- „ que in Deiformes ſacrorum adminiſtros, „ & in illos, qui ab eis ad ſacra unicuique „ congruentia promoventur &c. Sanctiſſima „ itaque Myſteriorum conſecratio primam „ quidem virtutem Deiformem habet, per „ quam

„ quam expiat, ſive purgat. Mediam verò „ per quam eos, qui initiatos propriarum „ conſecrationum ſcientia conſummit, ac „ perficit -- Cumque Monachatus ea habeat conſtituta media, per quæ purgatio populorum, ſicut & illuminatio, & perfectio obtineantur, plane fit ratione actionum ad Hierarchiam pertinere.

III. Quoad aliqua Religioſi ſucceſſores ſunt Apoſtolorum, quibus velut primis Monaſtici Inſtituti fundamentis, Religioſæ profeſſionis formam præſcripſit Chriſtus, ſic teſtatur Socrates *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 18., ubi de Monachis -- Inter eos viri pii, qui cum propter diſciplinam Monaſticam, tum propter „ Apoſtolicam vivendi rationem, quam colebant, valde fuere eximii &c. -- Idem affirmat Epiphanius *Hær.* 58. -- Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum. Quinam igitur hi fuerint, quam „ generoſi Apoſtoli, ac Monaſticam vitam „ degentes, & deinceps Virgines? Joannes „ quidem, & Jacobus filii Zebedæi... Poſt „ ipſos verò quot milliia in mundo ſolitariam „ vitam degentes, & a Monaſteriis, & a „ Virgineis Conventibus hujus certaminis „ gloriam abſtulerunt -- Monachi itaque Apoſtolis ſuccedunt quoad perfectionis ſtatum; hic porro conſideratur, & ſecundùm eſſentialia, & ſecundùm media ad perfectionem conducentia; juxta priorem conſiderationem accipitur, prout importat obligationem per tria vota; & hoc modo Religio quælibet repræſentat ſtatum perfectionis Apoſtolorum, juxta ſecundam accipitur, prout dicit ipſa media perfectionis acquirendæ, & hoc modo Religiones diverſimode referunt ſtatum Apoſtolicæ perfectionis.

Monachi quo pacto Apoſtolorum ſucceſſores.

Status itidem perfectionis quædam requirit formaliter, efficienter alia, alia demum materialiter; formaliter requiſita eſt charitas perfecta; & hæc Epiſcopalem conſtituit gradum, qui perfectionis eſt; tria vota, quæ eſſentialiter Monaſticum ſtatum conſtituunt, efficienter ſunt requiſita; quæ verò materialiter requiruntur, ſunt peculiares exercitationes, per quas una Religio ab alia diſcriminatur. Porro Apoſtoli prius fuere in ſtatu Monaſticæ perfectionis, quam Epiſcopalis, cum ſaltem ante Euchariſticam cœnam nec Sacerdotali, nec Epiſcopali dignitate eſſent inaugurati. His poſitis ſic efformatur argumentum. Quia Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum quoad ſtatum formalis perfectionis, pertinent ad Hierarchiam in primo gradu; ergo quia Religioſi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores quoad ſtatum perfectionis eſſentialis, pertinere debent etiam ipſi ad Hierarchiam ſaltem in ſecundo gradu.

Ex ordine ſucceſſionis aliud placet efformare ratiocinium. Succeſſores ſeptuaginta duorum Diſcipulorum, ut ipſimet Adverſantes profitentur, Hierachiæ meritò accenſentur; atqui Religioſi vere, & proprie prælaudatorum Diſcipulorum ſucceſſores habentur, nedum quia ad Sacerdotium evocantur, ſed ratione muneris ipſorum Diſcipulorum, qui a Chriſto adoptati fuere in ſubſidium Apoſtolorum, quibus Epiſcopi ſuccedunt; Religioſi autem tanquam auxiliares Epiſcoporum ſunt conſtituti. Rem hanc præclare docet S. Thomas 2. 2. *q.* 188. *art.* 4. *ad* 5. -- Dicendum quod formam ſeptuaginta duorum Diſcipulorum non ſolum te- „ nent Presbyteri Curati, ſed quicunque alii „ minoris ordinis, qui Epiſcopis in eorum „ officio ſubſerviunt. Non autem legitur, „ quod ſeptuaginta duobus Diſcipulis Do- „ minus aliquas determinatas Parochias aſſignaret, ſed quod mittebat eos ante faciem ſuam in omnem Civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus -- Ubi videre eſt, quod ſicut Curati formam ſeptuaginta duorum Diſcipulorum tenent, illiſque ſuccedunt, ita & Religioſi.

Religioſi Diſcipulis ſuccedunt.

IV. Aliud momentum ad hanc præclaram comprobandam ſucceſſionem perpendit ibidem Angelicus, & quidem conſone ad Evangelica verba Luc. 10. v. 2. *Et dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum Meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* His gentium converſionem innuit Chriſtus, qua obtenta, multiplicatiſque fidelibus, cum tantæ multitudini non ſufficerent Miniſtri, Dominus Meſſis ipſos in Diſcipulorum ſucceſſione debuit multiplicare; eaque propter & Parochos dedit, & Regulares, tanquam unam Miniſtrorum ſucceſſionem conſtituentes --, „ Opportunum autem fuit, ut præter ordinarios Prælatos alii aſſumerentur ad hujuſmodi officia propter multitudinem fidelis populi, & difficultatem inveniendi ſufficienter perſonas diſtribuendas ſingulis „ plebibus -- ſic S. Thomas, remque comprobat exemplo ordinum militarium ad reſiſtendum infidelibus inſtitutorum, quatenus hoſtes adeo multiplicati ſunt, ut ad eos profligandos Principes non valeant.

Notes velim Curatos, ſicut & Religioſos dici ſucceſſores Diſcipulorum, adeoque eſſe de inſtitutione Chriſti non quidem immediate, ſed, ut ajunt, in genere, ut explicatur *Tom. V. Tract. VII. P. I. Diſp. II. Controv. VII. num.* 146.

V. Juriſdictionem, & quidem in foro externo, quam neceſſariam volunt Adverſarii ad Eccleſiaſticam Hierarchiam, ſortiuntur indubie Religioſi. Dari juriſdictionem ab Ordine diſcretam ad unum omnes fateri debent: unde ſimplex tonſuratus electus in Epiſcopum, aut Abbatem caret ordine, & tamen legitima, veràque gaudet juriſdictione: ſi loquimur ergo de Superioribus Religionum, compertum quiſque habere poteſt, plenam in ſuos ſubditos obtinere juriſdictionem, atque ita ſe habent, ſicut Epiſcopi in ſuis Diœceſibus; Subditos exteriori diſciplina dirigunt, ſecundum viam purgationis, illuminationis, & conſummationis; cum ſtatus Monaſticus ſtatum complectatur incipientium, proficientium, & perfectorum, eoſdem regunt vi directiva, & legiſlativa; habent namque legitimam auctoritatem imponendi præcepta, regunt & vi coercitiva, pœnas delinquentibus contra leges infligendo. Quæ ſane, cum certa plane ſint, probatione non indigent.

Regulares Prælati externam habent juriſdictionem.

Nec in Prælatis Religioſis deſideratur juriſdictio in ordine ad Eccleſiæ bonum, Ab-

Juriſdictio Prælatorum ad Eccleſiæ bonum.

Abbates namque Regulares a Pontifice ad Concilia vocantur, atque jus ſuffragii, licet non jure ordinario, ex privilegio tamen obtinent, eademque facultas ad Generales Ordinum extenditur, quod ex antiqua Eccleſiæ diſciplina comprobat Card. Pallavicinus *in Hiſt. Tridentini lib. 6. cap. 2. n.* 4. referens praxim plurium Conciliorum, ut ibidem videre eſt. In aperto igitur eſt Monachorum Præſules fore Hierarchas, exteriorem habentes juriſdictionem.

Nec Superiores tantummodo, ſed & Religioſi, nullâ inſigniti præeminentiâ, ſufficienti pro re nata gaudent juriſdictione: plerique namque Ordines ad vitam activam primò inſtituti fuere, ſicut etiam ad populorum ſalutem promovendam; reliqui activam inſimul, & contemplativam profitentur, vel primò contemplativam, atque activam de ſecundario: porro omnes, cum ab Eccleſia approbati ſint, atque ab Apoſtolica Sede confirmati, per ſe juriſdictionem habent ad ea exercenda munia, quæ ad activam vitam ſub debito ordine, & regulis ab Eccleſia præſcriptis peragendam ſunt inſtituta. Hinc ob evidentem utilitatem, quam communi Eccleſiæ bono attulere, pluribus cumulati fuerunt privilegiis, pluribuſque exemptionibus ab Epiſcopali, & Parochiali juriſdictione condecorati. Quod ſi quandoque aliqua ſuboriuntur inconvenientia, id humanæ dandum eſt infirmitati. Nec ſane ſtatus aliquis ſive Epiſcopalis, ſive Parochialis, aut hujuſmodi adinveniri poteſt, qui ab omni prorſus contagione ſit immunis; nec inde inferri valet hoſce gradus fore criminandos, atque ab Hierarchia eliminandos. Hinc compertum eſt Regularibus convenire juriſdictionem, quam in definitione Hierarchiæ ſuperiùs deſcripſit Areopagita.

VI. Adverſarii non inficias eunt Clericos ad unum omnes admittendos ad Hierarchiam Eccleſiaſticam, a qua eliminare non dubitant Monachos, utpote inter Laicos adnumeratos, quod ſi Clericis adunarentur, dubio-procul Hierarchiæ adſcriberent. Noſtrum igitur eſt oſtendere Monachos inter Clericos recenſeri. Neque impræſentiarum ſermonem inſtituimus de Regularibus, prout ſunt charactere ſacræ Ordinationis inſigniti; ſiquidem ſecundùm hanc intelligentiam indubia eſt concluſio, ſed ſermo recurrit de Religioſis ſecundùm proprium ſtatum, nullo habito reſpectu ad Ordines, puta ad Diaconatum, Sacerdotium, & hujuſmodi: porro in Eccleſiaſtica Hierarchia haud deſcribendus eſt ille tantummodo, qui per ſacram Ordinationem inaugurandus eſt; ſiquidem Epiſcopus, ut Epiſcopus, eſt primus Hierarcha, & tamen, ut pluribus placet, Epiſcopatus non eſt Sacramentum; itidem minores Ordines a nonnullis tanquam Sacramenta non approbantur, nihilominus ad Hierarchiam ſpectant Clerici in minoribus, ſicut & tonſurati, licet indubie tonſura non ſit Sacramentum.

Monachi nullo ſacro inſigniti charactere ad Hierarchiam ſpectant.

Nunc ſic diſcurrendum eſt. Ille inter Clericos adnumerandus eſt, cui vere, & proprie competit ratio Clericatus; ſed hæc indubie Regularibus convenit; ergo

Clerici alii Seculares, Regulares alii.

A hi Clericis meritò accenſendi ſunt; proindeque laudabiliter, immo jure adoptanda eſt diviſio Clericorum in Seculares, & Regulares. Clerici itaque ſorte electi dicuntur, ut ait S. Iſidorus *lib. 7. Etymolog. cap. 12. relatus Diſt. 21. Can. Cleros* -- Propterea ergo dicti ſunt Clerici, quia de ſorte „ Domini ſunt, vel quia Domini partem „ habent -- cui concinit S. Hieronymus *Epiſt. 2. ad Nepotianum*, id comprobans, ex quo Dominus ſit ſors, ideſt pars Clericorum -- Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, „ vel Dominum partem habet, talem ſe „ exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Do„ minum, & poſſideatur a Domino -- Nul-

B lus autem ſupereſt ambigendi locus, quod Monachi ſint in ſortem Domini vocati, cujus obſequio ſolemni, inſolubili, atque irrevocabili dicantur conſecratione, in cujus cultu perpetuò vivunt, de quibus S. Petrus Damiani *Opuſc. 12. de contemptu Seculi cap.* 4. ſcribit -- Enim verò cum mundo renuncia„ vimus, proprietatem noſtram Deum eſſe „ conſtituimus, & nos illius proprietas con„ ſequenter effecti ſumus, ut & ille eſſet „ portio noſtra, & nos peculiariter heredi„ tas ſua: dicimus enim: portio mea Do„ mine: & ille nobis: opus manuum mea„ rum tu es, hereditas mea Iſrael -- Igitur

C ratio propria Clericorum Regularibus apte convenit; ea propter & jure, & meritò iiſdem adſcribuntur, ut ex S. Hieronymo declaratur *Can. Duo ſunt 12. q. 1.* -- Duo ſunt „ genera Chriſtianorum. Eſt autem unum „ genus, quod mancipatum divino officio, „ & deditum contemplationi, & orationi „ ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare con„ venit, ut ſunt Clerici, & Deo devoti, „ videlicet converſi. Cleros enim græce, „ latine ſors. Inde hujuſmodi homines vo„ cantur Clerici, ideſt ſorte electi. Omnes „ enim Deus in ſuos elegit . . . Aliud verò „ genus Chriſtianorum, ut ſunt laici, *Λάος*

D „ enim græce eſt populus latine . . . His con„ ceſſum eſt Uxorem ducere, terram colle„ re, inter virum, & virum judicare, cau„ ſas agere &c. -- His in aperto eſt Regulares inter Clericos, non jam inter laicos deſcribi; quod Eccleſia ipſa teſtatur, dum privilegium Canonis, aliaque Clericorum propria Monachis elargitur.

VII. S. Paulus 1. ad Corinth. 12. v. 28. habet: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſer-*

E *monum*. His Eccleſiæ Hierarchiam Paulum referre palam facit Tridentinum *Seſſ. 23. cap.* 4. -- Quod ſi quis omnes Chriſtianos „ promiſcue novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, „ aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali „ præditos affirmet, nihil aliud facere vi„ detur, quam Eccleſiaſticam Hierarchiam, „ quæ eſt, ut caſtrorum acies ordinata, „ confundere: perinde ac ſi contra B. Pauli „ doctrinam omnes Apoſtoli, omnes Pro„ phetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes Paſto„ res, omnes ſint Doctores. Proinde Sacro„ ſancta Synodus declarat &c. -- Obiter tamen

men notandum occurrit gradum Doctoris a gradu Paſtoris diſcriminari, licet idem Apoſtolus ad Epheſ. 4., ut mox dicetur, utrumque conjugat, & meritò quidem, cum revera Paſtores debeant eſſe Doctores, non autem neceſſe eſt Doctores eſſe Paſtores; hinc habemus S. Hieronymum inter Doctores deſcriptum, quamvis non fuerit Paſtor.

Eandem Hierarchiam ſtatuit laudatus Apoſtolus ad Epheſ. 4., & finem, actioneſque v. 11., & ſeqq. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filiorum Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*. Finis ergo in quem tendit gradualitas Hierarchiæ eſt perficere fideles in Dei aſſimilatione; ad quod peragendum neceſſaria eſt charitas, & ſcientia in Hierarchis, unde habetur ratio purgationis, illuminationis, & perfectionis. Hinc S. Bonaventura *lib. de Hierarch. Eccleſiaſt.* 1. *p. cap.* 1. habet -- Primi Ordines Hierarchici debent eſſe tres „ ordines, ſcilicet Angeli de ordine Seraphim, qui amoris incendio præ ceteris „ fervent; Cherubin quoque, qui cognitionis privilegio gaudent, & Throni juſtitiæ „ perpendiculo aliis præeminent --

Hierarchia ordinatur ad perficiendū.

Ex prædictis alius pro re nata inſtituitur diſcurſus. Hierarchicos inter gradus ab Apoſtolo opitulationes deſcribuntur, ſicut & gubernationes: in illis porro intelligendos eſſe Regulares, ſicut in his Parochos ſatis declarat Angelicus *in præcitatum textum ad Corinth. lect.* 3. -- Cum dicit opitulationes &c. „ ponit minores, ſive ſecundarias adminiſtrationes, quarum quædam ordinantur „ ad regimen Eccleſiæ, quod ad Apoſtolatus dignitatem pertinere diximus. Quædam verò ad doctrinam. Ad regimen Eccleſiæ pertinent in generali quædam opitulationes, ideſt, illi qui opem ferunt „ majoribus Prælatis in univerſali regimine, „ ſicut Archidiaconi Epiſcopis ſecundùm illud Philipp. 2. Adjuva illas, quæ mecum „ laboraverunt in Evangelio cum Clemente, „ & ceteris adjutoribus meis. In ſpeciali „ autem ponit Gubernationes, ſicut ſunt Parochiales Sacerdotes, quibus committitur „ gubernatio aliquarum particularium plebium. Proverb. 11. Ubi non eſt Gubernator, corruet populus -- Compertum autem eſt Regulares juxta Canonum Sanctiones eſſe Coadjutores Epiſcoporum; Doctores inter ipſos quoad omnem ſcientiæ plenitudinem nequaquam deſiderantur; Hierarchicas actiones media charitate, & ſcientia ſedulò exercent; hinc hæreſes eliminantur, diriguntur populi, Eccleſiæ decor augetur. Quare Regulares Ordines hierarchici ſunt, atque hierarchicis chariſmatibus inſigniti. Hæc dixiſſe ſufficiant; cum ſummis labiis præſentem difficultatem attingere opportunum viſum fuerit. Non enim directè Novatores impetit.

Regulares coadjutores Epiſcoporū.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

348 OBJIC. I. Proprietas gradus Hierarchici eſt agere; ſed agere non eſt Religioſorum; ergo hi Hierarchiæ accenſeri nequaquam debent: minor evincitur ex Patribus Religioſorum munia referentibus. Monachorum eſt ſolitudo, ut declarat Sanctus Hieronymus *Epiſt.* 13. *ad Paulinum* -- Si „ cupis eſſe, quod diceris Monachus, ideſt „ ſolus: quid facis in urbibus, quæ utique „ non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? -- & *adverſus Vigilantium* -- Monachus non Doctoris, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugear, & Domini pavidus præſtoletur adventum -- Sozomenus *lib.* 8. *Hiſt. cap.* 9. refert de S Joanne Chryſoſtomo, quod maxime Monachos commendaret ſolitudinem ſervantes -- At ſi foras aliquando egrederentur, & per urbem conſpicerentur, tum „ eos quaſi Philoſophiam ſuam dedecore „ afficerent, conviciis proſcindebat, & ad „ ſua repellebat -- S. Bernardus, aliique Patres ejuſdem labii ſunt: quare non agunt Monachi, ſed patiuntur, ut expreſſe affirmat laudatus Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Heliodorum* -- Alia... Monachorum eſt cauſa, „ alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, „ ego paſcor --

Argumentum primò claudicat, ex quo Monachos pure ſolitarios ab aliis non diſcriminatur. Illi, de quibus objectio, ſolitudinem ſimpliciter profitebantur, proindeque in ſolitudinibus procul a populi frequentia, Deo tantummodo vacantes, commorabantur. Hos Eccleſia ad exteriora munia erga proximum non deputabat; ea propter paſſim inter populos non verſabantur. Si quando tamen neceſſitas urgebat, ſolitudinem deſerebant: hinc S. Antonius, poſtpoſita Eremi dulcedine, ad Urbes accedebat, adverſus Arianos pugnaturus. Adverſus Neſtorium inſurrexerunt Monachi, ut Acta Epheſinæ Synodi comprobant, quos inter Dalmatius, qui per annos octo ſupra quadraginta nuſquam e Monaſterio exierat, una cum ſociis Theodoſium Imp. adiit, atque pro Catholica fide invicte ſtetit, & Sozomenus auctor eſt *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 27. Apollinarii hæreſim Monachorum ope non prævaluiſſe -- Quod autem iſta dogmata non prævaluerint, neque ad valde multos manarint, non modo „ cauſis, quas ſupra præcenſuimus, ſed etiam „ Monachis ejus ætatis in primis adſcribi „ debet -- & infra loquendo de Hæreſi Arianorum -- Non aliter ſane atque Ægyptii, „ qui Monachorum ſuorum doctrinam ſecuti, Arianis ſtrenue reſtiterunt -- Frequentior autem in Occidente fuit exitus Monachorum ab antris ſolitudinis, ut populorum ſaluti incumberent.

Monachi quidam a populi frequentia alieni.

Monachorum ope hæreſes profligatæ.

Alii etiam erant Monachi, qui ab Eccleſia

cleſia intra Urbes admittebantur, ut Chriſtifidelibus in ſpiritualibus deſervirent; cum enim longa lateque Catholica fides diffunderetur, Clerus omnibus præſto eſſe non poterat; unde factum eſt, ut Monachi aſſumerentur in partem ſollicitudinis Eccleſiarum hinc Chriſtiana pietas roborata, aucta Sacramentorum frequentia, condecorata templa, vitia imminuta, aliaque id generis efloruere, quæ abunde perutilem Monachorum actionem compertam faciunt. His arduviora injunxit Eccleſia, Infidelium nempe converſionem, mittens Bonifacium ad inſtruendam Germaniam, ad Britanniam Auguſtinum, Patricium ad Hiberniam, ad Pictos Columbanum, ad Ungaros Gerardum, & Maurum; quid plura? ad Tartaros, ad Americanos, ad Sinas, ad Perſas, aliaſque barbaras Gentes miſſi ſunt Auguſtini, Dominici, Franciſci, Ignatii, Thereſiæque filii; unde factum eſt, ut Apoſtolica Sedes, quæ Sanctuarii lance merita perpendit, & præmia, pluribus Regulares donatos voluit privilegiis.

Arduviora Monachis injuncta.

Claudicat ſecundò argumentum non ſatis diſcernens juſtam ab inutili cauſa egrediendi e clauſtris. Reprobant Patres, quibus ultro manum damus, inanas Monachorum egreſſiones a Monaſterio, ſicut & curioſas, vanas, profanaſque; verùm eas commendant, quæ ad populorum utilitatem ordinantur. Nec adverſatur S. Hieronymus: atenim jure, meritoque Paulinum a populorum frequentia retrahebat; timebat namque, ne Vir olim Conſularis a ſeculi pompis iterum allicerctur; eaque propter ab Urbe alienum exoptat; ſecundo loco de Solitariis ſermonem habet; tertio verò ad ſolitudinem vocat Heliodorum, referendo onera Clericalis vitæ, pro quibus ferendis impar erat. Uno verbo. Clericatus ex vi muneris Eccleſiaſticis incumbere debet, ſecus Monachatus ſecundùm ſe ſpectatus; ſi enim Monachatus inſpiciatur prout impræſentiarum ab Eccleſia approbatus eſt, patitur, & agit; tum de propria, tum de aliena ſalute ſollicitus eſt; luget, & docet &c.

349 OBJIC. II. E Patrum doctrina eſt Diſcipulis ſeptuaginta duobus Presbyteros Curatos ſuccedere, ſecus Monachos; ſiquidem in his non eſt invenire perennis ſucceſſio ad laudatos Diſcipulos; iſti namque ſub primordiis ſacris fungebantur muneribus, non autem Monachi; Diſcipuli miſſi fuerunt a Chriſto; Monachi mittuntur a Papa; Diſcipuli bini mittebantur; Monachi quandoque terni, aut quaterni; illi ſine ſacculo peregrinabantur, iſti peram circumferunt; Diſcalceati incedebant primi, bene calceati alii; quæ ergo proportio Monachorum cum Diſcipulis? unde illorum ad iſtos ſucceſſio?

Candidi veritatis ſcrutatores inanem plane dignoſcent hujuſcemodi diſcurſum. Quis namque ex Patribus affirmat ſolummodo Presbyteros Curatos Diſcipulis ſuccedere? Nemo unus ſane. Presbyteri, itidemque Diaconi nullo Paſtorali munere inſigniti Diſcipulorum ſucceſſores a Patribus nuncupantur, atque ab ipſis Adverſantibus dignoſcuntur; cur non & Monachi? Diſcipuli ſubaux-iliarii Apoſtolorum fuerunt, ordinarii ſimul Paſtores ſecundi ordinis: priori muneri ſuccedunt Monachi, ſecundo Presbyteri, quibus animarum cura demandatur.

Nec in Monachis prærogativa ſucceſſionis deſideranda eſt; prætermiſſis namque, quæ in ſuperioribus dedimus, audiatur Auguſtinus in Pſal. 132. ad illa verba: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum* — Iſta verba Pſalterii, iſte „ dulcis ſonus, iſta ſuavis melodia tam in „ Cantico, quam in intellectu etiam Mo- „ naſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati „ ſunt fratres, qui habitare in unum con- „ cupierunt; iſte verſus fuit tuba ipſorum... „ Et unde Apoſtoli, filii Prophetarum? „ Unde illi quingenti, qui Dominum poſt „ reſurrectionem viderunt, & aſcenſionem „ in Cœlum, quibus in uno loco conſiſtentis „ ſupervenit Spiritus Sanctus die Pentecoſte „ miſſus de Cœlo, ſic miſſus, ſicut pro- „ miſſus? Omnes inde erant. Ipſi primò ha- „ bitaverunt in unum, qui omnia, quæ „ habebant, vendiderunt, rerumque ſua- „ rum pretia ad pedes Apoſtolorum poſue- „ runt... Primi audierunt, ſed non ſoli „ audierunt... Venit enim & ad Poſteros „ iſta charitatis exultatio, & votum Deo. „ Vovetur enim aliquid Deo, & dicitur: „ vovete, & reddite Domino Deo veſtro... „ Ex voce hujus Pſalmi appellati ſunt & Mo- „ nachi, ne quis vobis de iſto nomine in- „ ſultet Catholicis — Digna Auguſtini oratio.

Monachorum continuata ſucceſſio.

Quoniam verò nonnulli, perperam licet; contendunt Apoſtolorum, Diſcipulorumque temporibus Monachatum non extitiſſe, non inde Monachos a Diſcipulorum ſucceſſione arcendos dicimus: ſiquidem ad ſucceſſionem non eſt neceſſaria temporum continuatio, ſed ſatis eſt pro re nata ſucceſſio in identitate muneris, atque collata ab his, qui Apoſtolorum locum tenent, legitima poteſtas. Nonne Apoſtolorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi poſteriori ævo illis in locis inducti, ubi nemo Apoſtolorum, aut Epiſcoporum primis rei Chriſtianæ ſeculis ſedit? Nonne Diſcipulorum ſucceſſores cenſendi ſunt Parochi in Pagis illis commorantibus, ubi nullus Diſcipulorum advenit, aut Parochorum nomen inſonuit? Hinc ultro dantes ſub exordio naſcentis Eccleſiæ Monachos nullum Eccleſiaſticum munus exercuiſſe, ſat eſt, quod poſterioribus Seculis poteſtas collata fuerit a legitimis Apoſtolorum ſucceſſoribus; in radice enim, ut ſic dicamus, Diſcipulorum munia poterant exercere. Nec momenti eſt, quod Monachi nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis, nec a Diſcipulis mittantur; nam & Epiſcopi, & Parochi, non a Chriſto, non ab Apoſtolis, aut a Diſcipulis miſſionem ſortiuntur, ſed ab habente legitimam poteſtatem, quod dubio procul ſufficere ad intentum ad unum omnes fatentur.

Quod ſi dicas Epiſcopos ſolummodo ab Apoſtolica Sede deputari, & conſecrari, Parochos ab Epiſcopis deſignari, Deum verò, & Chriſtum illis immediate poteſtatem conferre, jure optimo idem aſſerere non dubitamus de Monachis, itaut ad munia

vitæ activæ ab Apoſtolica Sede deputentur, & a Chriſto immediate conferatur poteſtas agendi; cum ipſe æque poſuerit in Eccleſia Opitulationes, & Gubernationes, de quibus ſuperiùs ex Apoſtolo, & D. Thoma.

Quod ultimò additur, gladius eſt ex utraque parte acutus, qui quoſdam ex Clericis ferit, qui & ſacculos habent, & peram, qui Oloſericis exornati incedunt, famulisque comitati, ſpectabiles ſeſe exhibent. Chriſtus itaque, dum ſine ſacculo, ſine pera peregrinari mandat, paupertatem docuit, quæ a ſe rerum dominium abdicat; hoc autem indubie Regularibus congruit, qui nullum rerum dominium, proprietatemque habent. Omnibus enim utuntur dependenter a Superioris arbitrio; unde de ſacculis, qui in peregrinatione deferunt, de calceamentis, quæ induunt, dominium non habent, ſed ſimplicem uſum.

350 OBJIC. III. Hierarcha regere debet, non regi; ſed Monachorum genus natum eſt regi, non regere; unde ex Eccleſiaſticis monumentis compertum eſt, primævos Monachos non Epiſcopis tantùm, ſed & Parochis fuiſſe ſubjectos; eaque propter exemptiones illis conceſſæ incongruæ ſunt. Hinc S. Bernardus *lib. 3. de Conſideratione cap. 4.* ſcribens ad Eugenium Papam alte conqueritur, quod ſubtrahantur Abbates Epiſcopis, *& Epiſt. 42. ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem* quoſdam redarguit Abbates eo quod propriis obedire contemnant Epiſcopis. Ivo Carnotenſis, Fulbertus, Petrus Bleſenſis Monachos increpant, qui ad Papam accedebant pro exemptione Monaſteriorum ab Epiſcopali juriſdictione; & meritò quidem, nam ab hujuſcemodi exemptionibus jura violantur. Alienum quippe a juſtitia eſt, ut Magiſtro Diſcipulus non conſentiat, ut filii parentibus non obtemperent, ut milites Principem non ſequantur, ut non ſubdantur Domino Servi, ſic habet Bleſenſis, qui *Epiſt. 68.* proſequitur -- Si audeamus dicere, quod ſentimus, cum officio juſtitiæ „ reddatur unicuique, quod ſuum eſt, non „ multum Romani Pontificis juſtitiam promovet, ſi alicui in alienam injuriam beneficium confert, ſi quod meum eſt, auſert, ſi ea committit in rebus Eccleſiaſticis, quæ mundana poteſtas in ſecularibus „ abhorret -- Non ſolùm autem ut injuſtæ criminandæ ſunt hujuſmodi exemptiones, ſed ex Ivone *Epiſt. 195.* cenſendæ ſunt invalidæ -- „ Noveris vacuas eſſe excuſationes, quas obtendis, te propter obedientiam Romanæ „ Eccleſiæ, Carnotenſis Eccleſiæ profeſſionem „ mutaſſe, cum Eccleſia Romana a Deo nullam injuſtam acceperit poteſtatem, fidem „ violandi videlicet, debita ſua unicuique non „ reddendi; ſed tantum, quæ ſunt liganda, „ ligandi, & quæ ſunt ſolvenda, ſolvendi -- Damnoſæ itidem ſunt, prædictæ exemptiones Parochorum proventibus, ſicut eorundem juriſdictioni, quatenus Parochiani impediuntur, ne in Parochiali Eccleſia, feſtis diebus, ſacris aſſiſtant, conciones audiant, ſuſcipiantque abſolutionis Sacramentum; quæ ſane Canones, Concilia, & Patres reprobant, atque execrantur. Acri ſtylo

A argumentum hocce Adverſantes proſequuntur.

Verùm quo zelus hujuſmodi tendat, novit Scrutator cordium. Primò itaque deſideratur probatio propoſitionis, videlicet, Hierarcham debere regere, non regi; cum indubie falſa ſit, ut palam fit in minoribus Clericis, qui a Majoribus reguntur, in Diaconia, Presbyteriſque, qui Epiſcopo ſubjiciuntur, & tamen ab ipſiſmet Adverſantibus Hierarchiæ accenſentur. Subjici igitur, atque ab alio regi non impedit eſſe de Hierarchia, ſi aliàs debitæ habeantur conditiones.

Nec urget Monachos primis Eccleſiæ temporibus ſubditos fuiſſe Epiſcopis; plura B namque ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia impræſentiarum aliter fuere diſpoſita; hæc quippe humanarum legum conditio eſt, ut quæ nonnullis occurrentibus circumſtantiis erant laudabilia, aliis accedentibus laudabiliter mutationem ſubeant; licet itaque antiquitus Epiſcopis Monachi ſubderentur, optimis momentis nunc ſunt exempti; nec nova prorſus hujuſmodi exemptio cenſenda eſt; ſiquidem S. Hieronymi ævo Bethlehemiticum Monaſterium Jeroſolymitani Antiſtitis juriſdictioni, quod aliàs in ejuſdem ditione erat conſtitutum, non ſubdebatur, ob quod S. Epiphanius quoſdam C abſque prælaudati Præſulis licentia ſacris inauguravit, ut videre eſt *ex Epiſtola ejuſdem Epiphanii ad Joannem Jeroſolymitanum*, qui de uſurpata juriſdictione conquerebatur -- „ Quanquam in Monaſterio ordinaverim, „ non in Parochia, quæ tibi ſubjecta ſit -- Jus quoque habebat prædictum Monaſterium, ſacro regenerare lavacro ſeculares temporibus Pentecoſtes, & quidem ſolemni ritu; nam baptizare, urgente neceſſitate, cuique datum erat, nec Pentecoſtes erat expectanda. Hac de re videatur S. Hieronymus *Epiſt. 60. 61., & 62.*

Eccleſiaſtica diſciplina quandoque variatur.

Itaque nunc illi Regulares Ordines ab D Epiſcopali juriſdictione exempti habentur, qui ab Inſtitutoribus ſub immediata Romani Pontificis juriſdictione poſiti fuere, quod nunc temporis frequentiùs contigit, cum uſus poſitivæ approbationis ab Apoſtolica Sede invaluit; prius namque, Epiſcopis non reclamantibus, inſtituebantur Monachi.

Ceterum jure, meritoque Romano Pontifici, qui totius Orbis caput eſt, hi immediate ſubordinati ſunt, qui ob commune Eccleſiæ bonum ubique terrarum mittendi erant ad evangelizandum, & ad Chriſtifideles dirigendos per ſemitas juſtitiæ, immo e Romanæ Sedis dignitate fuit, ut gens aliqua E peculiaris ex ſpeciali inſtitutione eidem immediate ſubderetur; per hanc ſiquidem immediatam ſubjectionem Monarchiæ ratio apte comprobatur. Quod ſi Religioſorum cœtus minutæ cenſeantur portiones, quæ, ut D. Bernardo videtur *lib. 3. de Conſiderat. cap. 4.* parvi, aut nihili faciendæ ſunt, revera tamen in pretio ſunt habendæ, cum ſeculares Principes, ut Monarchicum Imperium comprobent, minima quæque plurimi faciant; & aliàs S. Bernardus pro re nata non loquitur, ſed tantummodo de quibuſdam peculiaribus Monaſteriis ſermonem habet.

Conveniens Regularium exemptio ab Epiſcopis.

Illud

Illud itidem notandum occurrit, quod
exemptiones dant vires, ut validiùs Apoſto-
licæ Sedis jura propugnentur, atque in ejus
defenſionem alacrius inſurgatur. Hoc clare
evincitur ex exemptionibus Pariſienſi Eccle-
ſiæ a Clemente VII. collatis, ut legere eſt
in Bulla, quæ incipit *Nos ad Eccleſiam* --
„ Illam volentes Apoſtolicis præſidiis com-
„ munire, & gratiis honorare condignis, ut
„ perſonæ degentes in ea liberiùs divinis mi-
„ niſteriis intendant, dictamque Sedem Apo-
„ ſtolicam eo majoris devotionis promptitu-
„ dine ſtudeant revereri, quo ipſæ, & ea-
„ dem Eccleſia majori fuerint libertate do-
„ natæ, dictam Eccleſiam eximimus -- Idem
repetit laudatus Pontifex in Bulla *Volentes
Eccleſiam* in exemptione Cœnomanenſis Ec-
cleſiæ -- Nec non conſideratione chariſſimi
„ in Chriſto filii, Regis Caroli, ipſius Ec-
„ cleſiæ Canonici Præbendati dignis extol-
„ lere titulorum inſigniis, & amplis dictæ
„ Sedis præſidiis communire, ut perſonæ in
„ eadem Eccleſia degentes eo divinis obſe-
„ quiis, votis ferventioribus intendant, di-
„ ctam Sedem eo majoris devotionis affectu
„ ſtudeant revereri, quo ipſæ, ipſaque Ec-
„ cleſia dotatæ fuerint majori libertate, Ec-
„ cleſiam ipſam &c. -- Non igitur officiunt
Eccleſiæ exemptiones, ſed quam maxime
eidem deſervire Romanus Pontifex aperte
teſtatur.

Hinc ultro Petro Bleſenſi ſubſcribimus.
Primis namque Eccleſiæ temporibus apte ſub
Epiſcopis conſtituti fuerunt Monachi; illi
ſiquidem in communi Religioſam vitam ſub
Clericali diſciplina peragebant, propterea
& Religioſos ad perfectionem inſtituere uti-
liter poterant, nunc verò, cum res aliter ſe
habeat, & aliud ſit Epiſcoporum, aliud Re-
gularium diſciplinæ ſtudium, incongrue illis
dirigendi traderentur. Et ſane quonam
pacto poſſent Antiſtites diverſorum Inſtitu-
torum Profeſſores dirigere, cum eorundem
leges quandoque ignorent? Sub Eccleſiæ pri-
mordiis nec tanta Monachorum frequentia,
nec tanta diverſitas erat: ſatius igitur pro-
viſum eſt, ut unaquæque Religio ſuos ha-
beat Miniſtros, & quælibet immediate Ro-
mano Pontifici ſubdatur. Præſtat audire lau-
datum Petrum Bleſenſem *lib.* 3. *Epiſt.* 28. --
„ Olim Cathedralibus, & Collegiatis Ec-
„ cleſiis fuere Monachi, ſive Canonici Re-
„ gulares in communi viventes, atque uno
„ refectorio, unoque clauſtro contenti, e
„ quibus aſſumpti Epiſcopi Monaſtica Inſti-
„ tuta calebant, & ideo viſitandis ſuæ Diœ-
„ ceſis Monaſteriis, Monachorumque exceſ-
„ ſibus ponderandis, ac corrigendis, nec
„ non quæ ad ſanctæ obſervationis augmen-
„ tum conducunt, ſanciendis, idonei eſſe
„ poterant: hodie verò, cum ſint fere om-
„ nes Seculares a regulari vita alieni pror-
„ ſus, qua fronte Monaſteria viſitare, ac
„ de rebus, quas neſciunt, definire de-
„ beant, non video. Scilicet docebunt, qui
„ non didicerint, milites erunt priuſquam
„ tyrones, Magiſtri antequam Diſcipuli? --
Poſſe Romanum Pontificem ab Epiſco-
porum juriſdictione, juſta occurrente cauſa,
Regulares eximere auctor eſt idem Bleſenſis.

Alia Epiſcoporum, alia Regularium vivendi ratio.

Porro ad unum omnes fateantur oportet,
A quod juſta cauſa eſt pax, quies, atque Mo-
nachorum tranquillitas. Indubie autem
Monachi vel quoad bonorum adminiſtratio-
nem, vel quoad ſpirituale regimen, vel
quoad alia momenta ſæpenumero ab Epi-
ſcopis vexati fuerunt. Id probatum habemus
ex Concilio Toletano IV. *Can.* 51. -- Nun-
„ ciatum eſt præſenti Concilio, quod Mo-
„ nachi, Epiſcopali imperio, ſervili opere
„ mancipentur, & jura Monaſteriorum con-
„ tra conſtituta Canonum, illicita præſum-
„ ptione uſurpentur, itaut pene ex Cœno-
„ bio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio
„ Chriſti ad ignominiam, ſervitutemque
B „ perveniat -- Ex Concilio Herudfordienſe
indictum a Theodoto Archiepiſcopo apud
Bedam *lib.* 4. *Hiſt. Anglic. cap.* 5. *Decreto* 3.
-- Ut quæque Monaſteria Deo conſecrata
„ nulli Epiſcoporum liceat ea in aliquo in-
„ quietare, nec quidquam de eorum rebus
„ violenter abſtrahere -- Ex Magno Gregorio
lib. 5. *Epiſt. Epiſt.* 28., qui Marinianum Raven-
natenſem Epiſcopum ex Monachis aſſumptum
Monachos non æquo jure tractantem monet
-- Cum ergo Monaſteria te oporteat defen-
„ ſare, & Religioſos illic ſummopere con-
„ gregare, ut lucrum de animarum congre-
„ gatione poſſis efficere, in eorum te e di-
C „ verſo gravamine, ſicut litteræ tuæ teſtan-
„ tur, deſideras exercere -- *eodem lib. Epiſt.*
43. *ad Caſtorium Ariminenſem* ſcribit, ut in
rebus Monaſterii Luminoſi Abbatis nullimo-
de ſeſe permiſceat -- Ut remotis vexationi-
„ bus, ac cunctis gravaminibus, divinum
„ opus cum ſumma animi devotione perfi-
„ ciat -- *& lib.* 6. *Epiſt.* 40. Mariniano ite-
rum ſcribens, dum ex parte ab Epiſcopali
juriſdictione Monachos ſubtrahit, præcipit,
ut quantocyus injuncta exequatur, ne -- Ali-
„ ter Monaſteriorum quieti proſpicere com-
„ pellamur -- Idem teſtatum habemus ex
Petro Cluniacenſi *lib.* 1. *Epiſt.* 28., qui cum
D eſſet redargutus, quod nollet Epiſcopo ſubji-
ci, ait -- Romanos Pontifices Monachorum
„ quieti providentes in multis a jugo Epiſco-
„ porum libera eſſe Monaſteria decreviſſe,
„ ut Monachos ab Epiſcoporum oppreſſioni-
„ bus liberarent -- Petrus Bleſenſis *Epiſt.* 68.,
quæ nobis objicitur, ſequentem habet clau-
ſulam, quam Adverſarii prætermittunt --
„ Scimus equidem, quod ob quietem Mo-
„ naſteriorum, & Epiſcoporum tyrannidem
„ has exemptiones plerunque Romani Pon-
„ tifices indulſerunt -- Adeodatus Pontifex
*Epiſtola ad univerſos Galliæ Epiſcopos de pri-
vilegio conceſſo Monaſterio S. Martini* idem
E innuit momentum -- Ut Apoſtolica fulti au-
„ ctoritate per privilegii ſeriem gravedines a
„ quolibet Epiſcoporum ſub prætextu diſcuſ-
„ ſionis, Religioſus Abbas, vel Monachi
„ ibi degentes ne ſuſtineant . . . Reveren-
„ diſſimus verò Epiſcopus, in cujus Paro-
„ chia memoratum Venerabile Monaſterium,
„ vel res, ac poſſeſſiones conſtiterint, fa-
„ ciendæ tantùm ordinationis, ac promo-
„ tionis Sacerdotum, atque Levitarum, vel
„ conficiendi Chriſmatis ſit tantum conceſſa
„ licentia. Diſpoſitionem autem Venerabilis
„ loci gerere, & converſationem Monachi-

Monachi non rarò vexati.

„ cam exquirere Religioſo Abbati , ejuſque „ Præpoſito , vel qui probatiſſimi fuerint in „ eodem Monaſterio , decernimus -- Quod privilegium confirmatum , non primò conceſſum ab Urbano II. in Concilio Claremontano ab adverſa parte diminutum refertur . Alia Concilia particularia conceſſas ſimiles exemptiones confirmaverunt, ut videre eſt in Conciliorum Gallicanorum Collectionibus . Hinc ad auctoritatem S. Bernardi facilis eſt reſponſio ex contextu . Loquitur de diſpenſatione exemptiva abſque legitima cauſa facta a Romano Pontifice , en verba S. Doctoris primo in loco citati -- Quid inquis ? „ Prohibes diſpenſare ? Non , ſed diſſipare . „ Non ſum tam rudis , ut ignorem poſitos „ vos diſpenſatores . . . Ubi neceſſitas urget „ excuſabilis diſpenſatio eſt . Ubi utilitas „ provocat , diſpenſatio laudabilis eſt : uti„ litas dico communis , non propria ; nam „ cum nihil horum eſt , non plane fidelis „ diſpenſatio , ſed crudelis diſſipatio eſt -- Alludit , ni fallor, ad doctrinam Apoſtoli præſcribentis , ut omnia ordinatè fiant , & ad Chriſti effatum , quod fidelis Servus conſtitutus ſuper familiam opportuno tempore diſtribuit triticum . Conceſſiones ergo ex abuſu ortas damnat Bernardus , ex abuſu , vel ex parte dantis , quia non movetur ex rationabili motivo , ſed ad oſtenſionem poteſtatis , vel ex parte poſtulantis , & recipientis , quia ducitur affectu inobedientiæ , vel ambitionis -- Nonnulla tamen Monaſte„ ria ſita in diverſis Epiſcopatibus , quod „ ſpecialiùs pertinuerint ab ipſa ſui funda„ tione ad Sedem Apoſtolicam pro voluntate „ Fundatorum quis neſciat ? ſed aliud eſt „ quod largitur devotio , aliud quod moli„ tur ambitio impatiens ſubjectionis -- Duo hic vides approbari a S. Doctore ; primum quod ab initio fuerint Monaſteria immediate ſub poteſtate Papæ inſtituta, quod cum nunc omnes Religiones ab ultimis Seculis hoc modo ſint inductæ , non eſt quod conquerantur Adverſarii ; alterum quod ſi cauſa rationalis adſit , hujuſmodi exemptiones ſint honeſtæ , licitæ , & expedientes : hoc autem manifeſtè accidit in exemptionibus noſtrorum temporum . Locus alter D. Bernardi planus eſt ; agit enim de quibuſdam privilegiis improbe obtentis . Diſſidebant Cluniacenſes Monachi , & Ciſtercienſes ab his derivatis , illi ut minus obſervantes Benedectinæ Regulæ habebantur , iſti ut priſtinæ diſciplinæ ſectatores ; illi plurima privilegia ut exemptionem ab Epiſcopis , uſum mitræ Chirotecharum , & ſimilium obtinuerunt oppignorationibus , & pecuniarum elargitione ; iſti hæc reprehendebant , quia externam ſuperbiæ ſpeciem præſeferebant , incongruam ſane inſtitutæ a S. Benedicto humilitati . Humilis itaque Bernardus zelans zelum legis illam exaravit Epiſtolam . Qui illam leget , germanum S. Doctoris ſenſum facile deprehendet .

In eandem conveniunt ſententiam reliqui in objectione laudati, eoſque redarguunt Monachos , qui effrænes obedientiæ Epiſcoporum jugum excutiunt, atque Pontifici ſeſe ſubjicere prætendunt , ut nec illis , nec iſti debitam præſtent obſervantiam . Monachos carpunt , qui exemptiones venantur, ut Regularis Inſtituti leges eludant , atque ſub habitu Regulari ſeculariter vivant . In eos inſurgunt , qui privilegia emendicant , ut faſtum foveant , & quam , dum ſeculo abrenunciarunt , deſpexerant ambitionem , ardentiùs reaſſumant . Nec inficias imus Petri Bleſenſis juſtas fore querimonias adverſus Malmisburienſem Abbatem ; hic ſiquidem accuſabatur Bullas falſaſſe , atque ſurreptitia protuliſſe privilegia ; ceterum in calce Epiſtolæ legitimas , juſtaſque exemptiones acceptare non renuit , ut ſuperiùs dictum eſt . Irregularis autem illatio eſt , juſtas velle redarguere exemptiones , ex quo illegitimæ reprobantur .

Somniata demum ea ſunt mala , quæ ab exemptionibus Regularium emanare dictitant Adverſarii . Ultro quidem damus quandoque aliqua exoriri inconvenientia ex abuſu exemptionum ; verùm percunctari libet , num inter Epiſcopos nullus ſit invenire , qui ſui juribus abutatur ? Num inter Parochos omnia ſarta tecta quovis tempore habeantur ? Num inter Clericos nullus Simoniacus ? In civili Magiſtratu nuſquam occurrit damnabilis Perſonarum acceptio ? Candide fatendum eſt ex ſagena miſſa in mare bonos inter piſces , & malos non rarò concongregari . Dicebat quondam Zacharias Pontifex *Epiſt.* 10. *ad Bonifacium Mogontinenſem* -- Eos autem , quos reperiſſe affata eſt „ fraternitas tua Pſeudoſacerdotes multò ma„ joris numeri quam catholicos erroneos „ ſimulatores ſub nomine Epiſcoporum , vel „ Presbyterorum , qui numquam ab Epiſco„ pis Catholicis fuerunt ordinati , illuden„ tes populo , & miniſteria Eccleſiæ confun„ dentes , & conturbantes , aut falſos , gi„ rovagos , adulteros , homicidas , molles , „ maſculorum concubitores , ſacrilegos , hy„ pocritas , & multos Servos tonſuratos , „ qui fugerunt Dominos ſuos , Servos Dia„ boli , transfigurantes ſe in Miniſtros Chri„ ſti -- Gildas cognomento ſapiens *de Eccleſiaſtico Ordine apud Britannos* habet -- Bri„ tannia habet Sacerdotes , ſed nonnullos „ inſipientes : quamplurimos Miniſtros , ſed „ multos impudentes ; Clericos , ſed quoſ„ dam raptores , ſubdolos ; paſtores , ut di„ cuntur , ſed occiſioni animarum lupos pa„ ratos : quippe non commoda plebi provi„ dentes , ſed proprii plenitudinem ventris „ quærentes . . . inanes , quaſi angues torvis „ vultibus conſpicantes ; & ſceleratos divi„ tes abſque ullo verecundiæ reſpectu , ſicut „ cæleſtes Angelos venerantes -- Verùm quid inde ? Valetne ex his argumentum ad omnes ? Non debent omnes vituperari , ex quo aliqui mali ſunt . Non perit charitas , ſi in aliquibus mortua eſt . Optimè Aug. *in Pſal.* 132. -- Verumtamen chariſſimi , ſunt „ & qui Monachi falſi ſunt; & nos novimus „ tales : ſed non periit fraternitas pia , pro„ pter eos , qui profitentur quod non ſunt ; „ tam enim ſunt Monachi falſi , quam & „ Clerici falſi , & fideles falſi . Omnia iſta „ tria genera , fratres mei . . . habent bonos „ ſuos , habent malos ſuos -- Flebilem hanc

rerum

rerum conditionem, ut ſcilicet, unius noxa omnibus impingatur, deflet Auguſtinus *Epiſt.* 137. -- Ad quid enim aliud ſedent iſti, & „ quid aliud captant, niſi ut quiſquis Epiſ„ copus, vel Clericus Monachus, vel San„ ctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe „ credant, jactent, contendant: ſed non „ omnes poſſe manifeſtari? --

Vult Pontifex, quos vult, ab Epiſcopis eximere.

Nec dubium, niſi imperitis, ſuboriri poteſt Romanum Pontificem poteſtatem habere ab Epiſcoporum juriſdictione eximendi Regulares. Super Cathedram Petri Eccleſia fundata eſt, ejuſdemque Succeſſor eſt Romanus Pontifex, qui jus habet ea decernendi, quæ ad Chriſtifidelium bonum opportuna cenſentur. Petro Regni Cœlorum claves datæ ſunt, juriſdictio videlicet neceſſaria ad Eccleſiæ regimen; eidem dictum eſt: *Quodcumque ſolveris ſuper terram*; non enim certis pro re nata eſt conſtricta limitibus Apoſtolicæ Sedis auctoritas; dictum itidem eidem fuit: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*, Matres nempe, & filios, ſeu Epiſcopos, & Subditos; cum ad utroſque poteſtas quoad ſpiritualem animarum profectum extendatur; ea propter ſi aptiùs paſcendos agnos noverit ſub hoc, aliove Paſtore, poteſt indubie de illis diſponere, eoſque, quibus libet, commendare. Et ſane Epiſcopalis juriſdictio immediate a Romano Antiſtite eſt, eſto tamen, ut aliquibus arridet, ſit immediate a Deo, ita confertur, ut a Pontifice coarctari poſſit, proindeque jure optimo eorum ſubditos ab ipſorum juriſdictione eximere valet. Mirum utique foret ſeculares Principes abſque injuſtitiæ labe plurima exemptionis privilegia largiri poſſe, hocque Supremo Eccleſiæ Principi vetitum eſſe. Poteſt Rex quoſdam a Dominis, quibus immediate ſubſunt, eximere; poteſt demum cohortem ſibi ſoli ſubjectam inſtituere, & non poterit Pontifex Regulares ab Epiſcoporum poteſtate liberare? Quis uſquam talia juſto rationum pondere poterit propugnare?

Illud tamen meritò perpendendum occurrit, innumera pene haberi privilegia a Romanis Pontificibus Clericali Ordini conceſſa, quæ ab ipſiſmet Adverſariis tanquam legitima dignoſcuntur; cum verò agitur de privilegiis Regularibus, undique dubitationes, & lites inſurgunt, & tanquam ſubdole excerpta, atque Epiſcopali dignitati injuria deprædicantur. Capitulum Pariſienſis Eccleſiæ privilegio Alexandri III., & Clementis VII. a proprii Epiſcopi juriſdictione exemptum eſt; Capitulum Eccleſiæ Pictavienſis communem cum Epiſcopo habet audientiam, ejuſque appellationes non jam ad Epiſcopum, ſed ad Apoſtolicam, ſeu Metropolitanam Sedem habentur ex conceſſione Clementis V. Verùm cum in re ſatis nota verſemur, diutiùs immorandum non eſt. Illud tantummodo ſubdere placet, quod legitur in Concilio Francofordiendi quoad exemptionem duorum Epiſcoporum ab obligatione Reſidentiæ. Audiamus verba Regis Galliæ *in laudata Synodo cap.* 55. loquentis -- Dixit „ etiam Dominus Rex in eadem Synodo ſe „ a Sede Apoſtolica licentiam habuiſſe, ut „ Angilramnum Archiepiſcopum in ſuo Pa„ latio aſſidue haberet propter utilitates Ec„ cleſiaſticas; deprecatus eſt eandem Syno„ dum, ut eo modo ſicut Angilramnum ha„ buerat, ita etiam Hideoboldum Epiſco„ pum habere debuiſſet, quia & de eodem, „ ſicut & de Angilramno Apoſtolicam licen„ tiam habeat, omnis Synodus conſentit, & „ placuit eis eum in Palatio eſſe debere pro„ pter utilitates Eccleſiaſticas -- Si ergo hujuſmodi exemptiones juſtæ cenſentur, & ut validæ adoptantur, cur illæ, quæ Regularibus competunt, injuſtæ, atque invalidæ dictitantur?

Concilium Francofordienſe ſub Carolo Magno.

Utvis plerique Monachorum ab Eccleſiæ primordiis Epiſcopis ſubderentur, a Parochorum tamen juriſdictione exemptos fuiſſe affirmare non dubitamus. Monachos fuiſſe, qui Jeroſolymis in communi vivebant, ſuperiùs innuimus. Illi, de quibus Philo *de vita contemplativa* agit, Monachi erant; hi porro in quendam communem locum conveniebant ſoli, utique ad ſacra peragenda, ad Sacramenta ſimul ſumenda, atque alia pietatis officia exercenda. Apud Ruffinum *lib.* 2. *de Vitis Patrum cap.* 5. Oxhyrinchi Urbis extabant duodecim Eccleſiæ -- In quibus publicus „ agitur populi Conventus, exceptis Mo„ naſteriis, in quibus per ſingula Orationum „ domus ſunt -- His dubio-procul innuitur ea in Urbe ſacra loca fuiſſe, ad quæ populi confluebant, ut Deum deprecarentur, ſicut & loca alia pro Monachis deputata; unde compertum eſt Monachos ſuas habuiſſe Eccleſias; ea propter Parochiam non adhibant.

Hinc abſque ſolido momento dicunt Adverſarii prædicta loca fuiſſe privata Oratoria, non jam ad ſacra myſteria peragenda, ſed ad orandum tantummodo; nam contextus evincit oppoſitum: illa particula *Exceptis Monaſteriis* eſt contrapoſita ad Eccleſias publici cultus pro Secularibus, ideoque ſtudioſe exprimitur *publicus populi Conventus*. Extitiſſe Eccleſias pro Monachis in Eremi ſolitudinibus commorantes; indubium plane eſt. Quomodo enim Monachi procul ab Urbibus, a Pagis, procul a Parochiis in tanta locorum intercapedine haſce adire poterant? Itaque meritò aſſerendum eſt ſuos habuiſſe Presbyteros.

Monachi ſuas habebant Eccleſias.

Citato *libro* 2. *cap.* 22. auctor eſt idem Ruffinus ad Celliæ Eccleſiam Monachos convenire ſueviſſe die Sabbati, & Dominica -- „ Die tantum Sabbati, & Dominica in „ unum ad Eccleſiam coeunt, & ibi ſe„ metipſos invicem tanquam cœlo redditos „ vident -- qua de re mentio occurrit apud Sozomenum *lib.* 6. *cap.* 31. *apud Palladium in Hiſt. Lauſ. cap.* 7. Erat porro Cellia locus in Deſerto interiori Nitriæ; in illa vaſta Eremo cellulæ omnes longo ſpatio erant diſcretæ; in monte pendebant ex palma flagella ad Monachorum defectus corripiendos per manus Abbatis. Ad illam igitur Eccleſiam ſtatutis diebus accurrebant Monachi ad ſacram ſynaxim ſumendam. Et certe, voluntarie plane dicitur Eccleſias illas, quæ, dum agitur de Monachis, ab Auctoribus laudantur, Parochiales fuiſſe, cum nulla prorſus ibi de Parochia occurrat mentio, nullus de Secularibus ſermo; aliàs conditio loci a populi fre-

frequentia ſejuncti nullimode Parochialibus Eccleſiis conveniat.

Narrat Severus Sulpitius *Dialog.* 1. *cap.* 3. Bethlehemiticam Hieronymi Eccleſiam fuiſſe a Parochia diſcretam -- Nam Parochia „ eſt Epiſcopi, qui Hieroſolymam tenet -- Exemptionem, & diſtinctionem Eccleſiæ Bethlehemici Conventus a Parochiali clare colligitur ex S. Epiphanio, qui Paulinianum ordinavit, ut ſacra Monachis peragerct. Ex Monachis inauguratos fuiſſe Presbyteros ſuos teſtatur S. Hieronymus *Epiſt.* 62.

Nobis opitulatur Concilium Chalcedonenſe *Act.* 15. *cap.* 6., ubi mandatur, ut quilibet ad Ordines aſſumptus Eccleſiæ ſive Civitatis, ſive Pagi, ſive Martyrii, vel Monaſterii deputaretur, *&* *cap.* 8. legitur -- Qui Clerici „ præficiuntur Ptochodochiis, & qui or- „ dinantur in Monaſteriis, aut Baſilicis Mar- „ tyrum, ſint ſubjecti Epiſcopis -- Ex quibus colligere fas eſt quatuor tunc temporis fuiſſe Eccleſiarum genera ad invicem independentia, Urbanam videlicet Parochiam, vel ruſticanam, Ptochodochia, Martyria, & Monaſteria, quæ ſuos habebant Presbyteros, & in quibus Sacra celebrabantur.

Habemus itidem apud Magnum Gregorium *lib.* 10. *Epiſt.* 53. *Indict.* 5. qualiter juſſerit Pontifex Epiſcopo Leontino, ut quendam Monachum a Joanne Abbate oblatum ſacris inauguraret in Monaſterio, ea appoſita conditione -- Niſi ut congregatione ſua, „ quoties opportunum fuerit, ſacra Miſſa- „ rum debeat tantummodo celebrare Myſte- „ ria -- *&* *lib.* 5. *Epiſt.* 41. *Indict.* 14. poſtulante Urbico Abbate Panormitano præſcribit Victori Epiſcopo, ut in ejuſdem Monaſterio Presbyterum ordinet -- Qui ſacra Miſſarum „ ſolemnia celebrare debeat... eum qui ad „ hoc miniſterium de eadem Congregatione „ electus fuerit... nec de Monaſterio ſuo „ hac pro cauſa egredi, nec extraneum ſibi „ ad peragendum ſacrum opus cogatur ad- „ ducere -- Quibus habes Monachos ſacrum audiſſe in Monaſterio, ſecus in Parochia, & quidem a Sacerdote Monacho, non jam a Presbytero per Parochum delegato. Hujuſce exemptionis optimam reddit rationem laudatus Gregorius *lib.* 6. *Epiſt.* 40. *Indict.* 15. conditionem, ſcilicet, Monaſtici ſtatus; quæ eſt ſpecialis ſolitudinis, & ſtudii ad divina, proptereaque nec gravari, nec turbari Clericorum dominio debent Monachi -- Nullam „ deinceps in eis Clerici, vel hi, qui in „ ſacro ſunt Ordine conſtituti ob aliud ha- „ beant, niſi orandi tantummodo cauſa, ac- „ cedendi licentiam, aut ſi forte ad pera- „ genda Sacra Miſſarum fuerint invitati My- „ ſteria --

Hæc abunde ſufficere deberent ad evincendum Monachos Parochis haud fuiſſe ſubjectos. Sunt tamen, qui ulteriora promunt, nempe prioribus Eccleſiæ Seculis ſueviſſe pluribus in locis Parochos ex Monachis aſſumi, & Auguſtini ætate ex Canonicis Regularibus eligebantur, qui Eccleſias debebant regere. Relaxavit quidem Regulam S. Doctor, qua decreverat neminem Clericatui acceñſeri poſſe, niſi in communi ſub votis vivere ſtatuiſſet; plurimùm tamen Clericorum Regularium ſemper adamavit vivendi rationem. Indubium itidem eſt prætcritis Seculis Benedictinos Monachos innumeras gubernaſſe Eccleſias, multiſque præfectos fuiſſe Parochiis. Apud Græcos nunc quoque ex ſolis Monachis conſecrantur Epiſcopi. Verùm, ut ut res ſe habeat, illud certò compertum habemus, quod ſæpenumero ad rerum humanarum perfectionem earundem variationem deſervire; nec ullus hominum ſtatus invenire eſt, qui conſtitutis ab initio regulis immobiliter adhæſerit; utque ab Eccleſiaſticis non recedamus; olim una, vel altera die incruentum offerebatur ſacrificium, nunc autem multiplex ſingulis diebus; olim mixta erant Eccleſiaſticorum bona, nunc diſcreta; olim conciliariter eligebantur Epiſcopi, ſecus impræſentiarum. Quid plura? quæ ad diſciplinam ſpectant juſtis de cauſis laudabiliter mutationem ſubire poſſunt; adeoque nullum eſt inconveniens, quod Regulares, eſto aliàs Epiſcopis ſubderentur, nunc ab eorundem juriſdictione liberi ſint, atque exempti.

Monachi olim ad Eccleſiarum regimen aſſumebantur.

Quæ ad diſciplinã ſpectant, mutationẽ ſubeunt.

Nec inde, ut poſtremum enervetur momentum, aliquid quoad redditus detrimentum patiuntur Parochi; determinatas ſiquidem habent ſuas portiones, ſive in Decimis, ſive in extraordinariis proventibus; aliunde quot populis bona ex Regularibus? Hi gregem, aliàs Parochis commiſſum, frequenti prædicationis miniſterio, aſſiduiſque pietatis exercitiis paſcunt, atque ſollicite ad ſalutem promovent.

Adverſarius contendit ex D. Chryſoſtomo *Hom.* 7. *in Epiſt. ad Heb.* Monachos non eſſe de Eccleſiaſtica Hierarchia, ſiquidem ibidem videtur innuere parvum intercedere diſcrimen Laicos inter, & Monachos, quatenus Apoſtolum pleraque bona opera Secularibus viris commendar.

Verùm perperam de mente Chryſoſtomi dubitatur, cum pluries Monaſtici ſtatus profeſſores laudet, atque elogiis proſequatur Monaſticum Inſtitutum; unde ex citato loco inane deſumitur argumentum. Eſto tamen Paulus ad primævos illos Chriſtifideles, qui Monachi potius, quam Seculares cenſendi erant, ſermonem dirigat, quid inde? Ex his quæ ibi commendat Apoſtolus, æquo jure dignoſcitur parvum intereſſe diſcrimen Clericos inter, & Laicos, ſiquidem præclara illa pietatis opera nunc in Clericis communiter deſiderantur. Paulus utique omnibus excellentiſſima pietatis opera proponit, conſulitque; cum non tantum neceſſaria ad ſalutem, ſed & ſupererogationis opera doceat; verùm aliud eſt omnibus perfectionis ſemitam conſulere, aliud eſt omnes ſtatum conſiliorum profiteri; aliud itidem eſt omnes ad meliora hortari, aliud verò omnes ſe ad meliora obſtringere. Monachorum ſtatus conſiliorum profeſſio eſt, hique ad perfectionis opera obligantur; maximum autem diſcrimen occurrit eos inter, qui ſolummodo neceſſaria ad ſalutem cum libertate ad meliora profitentur, illoſque, qui ulterius conſilia, atque meliora ex aſſumpta obligatione profequi debent.

Monachi ad conſilia adſtringuntur.

351 OBJIC. IV. Quod ſtatus Religionis

gionis tribuit, omnibus debet tribuere; ſed
ſtatus Religioſis non omnibus tribuit eſſe de A
Hierarchia in ordine ad ſpiritualia agenda;
indubium quippe eſt plures ex Regularibus
nec ſacra peragere, nec concionari, & hu-
juſmodi; ergo.

RESP. Argumentum nullius plane roboris. Non enim neceſſe eſt, ut omnes, & ſinguli Religioſi doceant, prædicent, ſacramentaliter abſolvant, ad hoc ut ſint de Hierarchia; ſicut non requiritur, quod actu ſemper prædicent; ſat eſt, quod jus habeant in communi; ſat eſt, quod totus Ordo ad ea ſit munia aſſumptus. Ultrò concedimus non omnes Monachos docere, prædicare, confeſſiones excipere, ut Laicos, & Sanctimoniales; verùm ab Adverſario ſciſcitamur, an omnes de Hierarchia eadem exercere debeant munia, aut ſufficiat aliqua ſecundùm gradus analogicos diſtributio? Si primum; non erunt de Hierarchia Subdiaconi, Acholyti, Oſtiarii, Exorciſtæ; hi namque non iiſdem funguntur muneribus, quibus Epiſcopi, & Diaconi: ſi ſecundùm; perperam a Hierarchia obliterantur Religioſi, ex quo non omnes evangelizent. Itaque ſicut Oſtiarii, Acholyti, Exorciſtæ, aliique inferioris Ordinis miniſtri pro ſuo munere ad Euchariſtiæ miniſterium deſerviunt, ita & Monachi. Diaconos elegerunt Apoſtoli, qui præeſſent menſis; ipſi verò evangelizabant. Ad vincendum neceſſarii ſunt & Duces, qui dirigant, & milites, qui pugnent, & foſſores, qui agant, & Machinarii, qui artificia componant, aliique, qui victualia parent: erunt ergo non utiles tantùm, ſed & neceſſarii in Hierarchia Religioſi, qui & doceant, & prædicent, & qui Mechanicis incumbant. Hiſce temporibus plerique Epiſcoporum nec baptizant, nec conciones habent, nec Sacramentaliter peccata relaxant, ſed per deputatos Miniſtros ſacra peragunt munia, & tamen ſunt de Hierarchia, & quidem tanquam Duces exercitus; cur igitur non erunt de Hierarchia etiam Religioſi, licet omnes ſacris non ſint deputati miniſteriis?

Monachi ad Euchariſtiæ miniſterium deſerviunt.

352 OBJIC. V. Nemo Religioſorum ut Religioſus eſt, ſibi Sacerdotium vendicavit, ea propter jure, meritoque Laicis accenſendus eſt, & a Hierarchia eliminandus. Aſſumptum probat Adverſarius infra referendus. I. — Liberum ſemper fuit Epiſcopis
„ quos judicarent indignos ob mores, ob
„ fidem pravam, ob imperitiam, ob Cleri-
„ corum exuberantem multitudinem a Sa-
„ cerdotio repellere. II. Religioſi Superio-
„ res ex ſuis ſemper quos voluerunt, obtu- E
„ lerunt Sacerdotio. III. Longo tempore
„ Monachi a Sacerdotio repulſi fuerunt.
„ IV. Qui ex Monachis olim ad Sacerdo-
„ tium eligebantur, Monaſticam exercita-
„ tionem maxima ex parte deſerebant.
„ V. Monachi, niſi Paſtoratu fruerentur,
„ ab omnibus Hierarchicis functionibus ab-
„ ſtinebant. VI. Monachis Sacerdotium
„ diſuaſum, ut Religoſo ſtatui periculoſum,
„ ac pernicioſum, VII. In Monaſteriis Ple-
„ bium Conventus olim vetitus, & Sa-
„ cramentorum adminiſtratio interdicta.
„ VIII. Non niſi a quibuſdam Seculis Reli-
„ gioſi in ſubſidium Paſtorum miſſi ſunt;
„ quare nullo antiquo jure; ut debitum ſibi
„ Sacerdotium Regulares vendicare poſſunt.
„ IX. Nullum jus illi Patritio acceſſit, cujus
„ voluntatem offerendi ſe ad officium Ducis
„ gratam habet Rex —

Hocce argumentum, quod Adverſarius maximi facit, facili negotio enervatur. Status quilibet ad finem aliquem ordinatus, jus habet ad media neceſſaria, & eſſentialia ad illum finem conſequendum. Porro ſtatus Monachalis, accedente Eccleſiæ approbatione, inſtitutus, ut Chriſto animas lucrifaciat, media divini Verbi prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque pietatis exercitiis, carere utique non debet mediis ad hunc finem congruentibus; unum autem ex his dubio-procul eſt Sacerdotium. Clerici, ſicut & Canonici, qui Regulares nuncupantur, Religioſi perinde ſunt, ac reliqui Monachi; illis autem, ut Adverſarius ultro concedit, jus Sacerdotii vere competit, cur autem his denegatur? Hinc ſingulis reſpondendo monentis ad primum dicimus nimis probare. Quovis enim tempore e munere Epiſcopali fuit indignos ſive ex Monachis, ſive ex Clericis quibuſcunque a Sacris repellere; ergone licebit inferre nemini ex Clericis deberi Sacerdotium? Nec exuberans Clericorum frequentia indignos facit Monachos, adeoque eorundem jus non tollit. Refert Joſephus *lib. 3. Antiquit. cap. 15.* uni Tabernaculo, uni Sacrificio, unique populo deſerviendo additos fuiſſe Levitas viginti duo millia octingentos octoginta; quomodo ergo præſens Clericorum multitudo exuberans cenſenda erit, cum innumera pene ſint templa, & populi? Placet tamen ſubdere, quæ ait Magnus Gregorius *Hom. 17. in Evangelium* —
„ Ecce mundus Sacerdotibus plenus eſt, ſed
„ tamen in meſſe Dei rarus valde invenitur
„ Operator; quia officium quidem Sacerdo-
„ tale ſuſcipimus, ſed opus officii non im-
„ plemus —

Indigni ſemper a ſacris repulſi.

Ejuſdem ponderis aliud momentum eſt. Non inficias imus Superiores Regularium delectos offerre ad Sacerdotium; ſed ex quo Epiſcopi indignos admittere nequeunt, male colligitur omnes repellere poſſe; ſiquidem non niſi malignando quis affirmare valet, omnes fore indignos.

Tertium, in idem redit. Juvat enim ſciſcitari; Monachi a Sacerdotio ea tempeſtate erantne digni, an indigni? Si indigni: quid inde? Et Clerici Seculares indigni reprobati fuerunt. Si digni: deſideratur hac de re probatio. Ceterum quovis tempore dignos obtulit ad Sacerdotium alumnos Religio; quod ſi quandoque neminem ſacris inauguratum voluit; id ſtudio humilitatis, ac ſolitudinis factum fuiſſe ad unum omnes, qui invidiæ livore non tabeſcant, fateantur oportet.

Quartum, æquivocatione laborat. Inquirimus enim, de quonam Sacerdotio ſermo inſtituatur, an de ſupremo, nempe Epiſcopatu, an de medio, nempe Presbyteratu; ſi hoc inſtantia innuit, falſa eſt propoſitio; ſiquidem gradus hujuſmodi Monaſticæ non
adver-

adverſatur diſciplinæ, ſi primum intendit, verum aſtruit quoad aliqua, quæ unà cum Paſtoralibus muneribus non componuntur, ſecus quoad eſſentialia, videlicet quoad vota, ut omnibus compertum eſt.

Nec quintum urget; etenim juvat inquirere, de quibuſnam Hierarchicis functionibus loquendum ſit; num de illis, quæ Epiſcopalis muneris propriæ ſunt? & vera affirmat Adverſarius, an de his, quæ ad altaris obſequium, aut ad juriſdictionem delegatam ſpectant? & falſa objicit. Utrumque enim præſtare poterant Monachi.

Sextum, Monachos apud Orientales degentes, & quidem in ſolitudinibus, & Eremis, atque ex Inſtituto ab omni populi frequentia, atque Hierarchico munere alienos confundit cum Occidentalibus Monachis Cœnobitis, in Urbe commorantibus, atque ab Eccleſia in vineam Domini vocatis; illis ſane periculoſum eſſe poterat Sacerdotium; omnia quippe, quæ Inſtituto contrariantur, plurimis ſunt referta periculis; non his; nil enim timendum, dum ea peraguntur, quæ proprio ſtatui conſona cenſentur.

Septimum momentum claudicat. Eſto Plebium conventum fuiſſe in Monaſteriis vetitum, undenam inferri valet Sacerdotium Monachis non convenire? Negata Monachis jure ordinatio, ſeu prælationis adminiſtrandi Sacramenta, aliud jus ſupereſt, inſerviendi videlicet Altari.

Octavum defectibus undique ſcatet. Primus eſt; ex quo caruerint Monachi prædicandi munere in ſubſidium Paſtorum, male infertur Monachis non deberi Sacerdotium; falſum itidem eſt veteres Monachos omnibus Hierarchicis muneribus caruiſſe. Innuimus namque in reſponſione ad primum argumentum Monachos in Conciliis Eccleſiaſtica pertractaſſe negotia. Falſum tertiò dicitur, Monachos primis Eccleſiæ Seculis miſſos nequaquam fuiſſe in ſubſidium Paſtorum; temporibus namque Apoſtolorum, ficut & ſequentibus Paſtores erant Monachi. Verùm licet antiquitus id foret vetitum, quis prohibet jure novo hoc ipſis poſſe competere? Potiſſimum cum Apoſtolica Sedes novos Religioſorum Ordines, a veteri Monachorum diſciplina diſcretos, valeat inſtituere, inſtitutoſque approbare, quibus jus Sacerdotii, Evangelizandi, atque Sacramenta adminiſtrandi apte conveniat; quibus ſequentia in argumento relata aperte corruunt.

Alia ſive ex Conciliis, ſive ex jure Canonico promit Adverſarius momenta, ut evincat nullum competere Monachis jus ad Sacerdotium. Sic igitur proſequitur — Con„ firmatur, quia contraria, *nempe ſenten-*„ *tia*, ſapit Hæreſim Wiclefi, & Joannis „ Hus docentium pietatis ſtatui Sacerdo„ tium, & Hierarchicam poteſtatem deberi: „ II. Damnatur etiam hæc opinio in Conci„ lio Lateranenſi, in quo il reprobantur, „ qui ſub ſpecie pietatis virtutem ſibi ven„ dicant, prædicando. III. In Concilio Gan„ grenſi reprobantur quidam Hæretici, qui „ ſolitario habitu degentes, ſimpliciores de„ cipiebant, & ſanctitatis, quam mentia„ bantur, titulo, quæ Clericalis Ordinis fo„ rent, Inconſultis Epiſcopis, uſurpare te„ mere præſumebant. IV. In Cæſaraugſta„ no Monachis Priſcillianiſtis docendi mu„ nus ſine legitima miſſione, quod ſibi te„ mere uſurpabant, interdicitur. V. Ex „ Apoſtolo, nemo aſſumat ſibi honorem, „ ſed qui vocatur a Deo. VI. S. Leo ſcri„ bens ad Theodoretum ait, ſe propter im„ probitatem quorundam Monachorum (qui „ nempè non promoti, ſibi indebitum prædi„ candi officium aſſumebant) ſpecialiter ſta„ tuere, ut præter Domini Sacerdotes, nul„ lus audeat prædicare, ſive Monachus, ſive „ Laicus ſit. VII. Si debitum eſſet Sacer„ dotium iſtis Religioſis jure ſuo, ea, quæ „ Ordinem non neceſſariò ſupponunt, non„ dum ordinati poſſent exercere. V. g. præ„ dicationis officium &c. Nec verò Religio„ ſorum in Infidelibus convertendis, & ani„ mabus juvandis opera, jus illis acquiſi„ vit &c. Hinc ergo inobedientiæ, & ſchiſ„ matis occaſio in Religioſis oriri poteſt, ſi „ quando a Sacerdotio, vel functionibus „ Hierarchicis removeantur, quæ adimi „ non poſſe cauſabuntur, & repulſi Hie„ rarchica tamen munia ſine legitima „ miſſione uſurpabunt; ſicut proh dolor! „ multos jam ſcimus a caſuum omnium re„ ſervatione abſolvere; quod ſi hoc fortè „ non uſurpent, habitum, ſtatumque Reli„ gioſum dimittere ex eo ſibi licitum eſſe „ contendunt &c. VIII. Natura privilegii „ eſt, ut non jure naturali, ac neceſſario „ debeatur. Viderit autem Summus Ponti„ fex, ne quid ex immenſa Privilegiorum „ conceſſione, Reſpublica Chriſtiana detri„ menti capiat. IX. Nulli Religionum ul„ larum Converſi, & Moniales jus poſſunt „ prætendere ad Sacerdotium; nam fœminis „ occluſum eſt, & contrarium abuſum in „ Quintillianis, Pepuzianis, Priſcillianiſtis, „ Artotyritis tanquam hæreticum damnavit „ Eccleſia —

Hæc Adverſarius, qui ſe modeſtum Regularium monitorem dicit, iiſque conjunctiſſimum. Verùm dum ipſe Regulares a Sacerdotio arcere contendit, Eccleſia dignos indubie declarat, atque, ut citiùs ſacris inaugurentur, ſuper interſtitia diſpenſat. Nec quidquam ex objectis evincitur. Non primum: nam Wiclefi Hæreſis fuit, Sacerdotes, ſi impii ſunt, Sacerdotes non eſſe; quo ſenſu neque Clericos, neque Epiſcopos impios Sacerdotali, aut Epiſcopali gaudere dignitate propugnabat: cur igitur hujuſcemodi Hæretici delirium ſolis Monachis a benevolo Monitore accommodatur? Cur ipſi ſolummodo a Sacerdotio repelluntur? Cur a paucis Monachis, qui a ſanctitatis ſemitis declinarunt, ad omnes illationem extendit? Non ſecundum; ſiquidem Hypocritas damnat Concilium; ex quo perperam infertur omnibus Monachis non deberi Sacerdotium; niſi velit omnes, & ſingulos Monachos ſore hypocritas. Non tertium. Concilium Gangrenſe ferit Euſtachianos, qui inuſitatum quendam habitum deferebant, eumque, licet virilem, etiam fœminis dabant. Hi porro contemptis Eccleſiæ ritibus, privata celebrabant conventicula, oblationes, & primitias

Religioſi a Sacerdotio nequaquam arcendi.

miſſas ſibi tanquam Sancta tantummodo deferre volebant. Hæc Adverſarius plurimo verborum artificio Regularibus aptat, quaſi quod ab Eccleſiæ ritibus recedant, atque, inconſultis Epiſcopis, Sacerdotium, Sacramentorumque adminiſtrationem uſurpent. Quartum nihil probat. Quod enim illationis robur: Priſcillianiſtæ temere uſurpant prædicandi munus; ergo Monachis non debetur Sacerdotium; niſi forte Argumentator ſupponat, vel omnes Monachos eſſe Priſcillianiſtas, vel in Eccleſiam omnino intruſos. Quintum, ut quidquam promat ad rem, ſua eſt ſupponat neminem ex Regularibus a Deo fore vocatum, quod non niſi blaſphemando quis affirmabit. Deus Religiones inſtituit, & e re divina eſt, ut plures eam vivendi rationem adoptent. Sextum incongrue procedit. Quæ enim vis illationis? Aliqui ex Monachis improbe ſibi munus prædicandi aſſumunt; ergo nemo unus ex Monachis ad Sacerdotium promovendus. Monachi, de quibus S. Leo, Eutycheti favebant, utque illi morem gererent Chalcedonenſi Concilio obſtiterunt; quid igitur mirum ſi munus aliquod contra Eccleſiæ Sanctiones uſurparunt? Itaque, ut inſtantia legitime procedat, inferre debet Monachos Hæreſi labe infectos a Sacerdotio fore repellendos, ſed inſimul inferat neceſſe eſt, Hæreticos Clericos arcendos eſſe a Sanctuario. Ceterum placet advertere, quæ ſit Adverſarii pietas erga Religioſos Ordines. Etenim, ex quo quidam a fide defecerunt, definitive concludit omnes a Sacris fore repellendos, verùm cur omnes Sacerdotio dignos non prædicat, ex quo fere innumeri, ut mox dicetur, Catholicam fidem verbis, ſcriptis, ſanguine comprobarunt? Septimò dicit: ſi Monachi jus haberent ad Sacerdotium, nondum ordinati poſſent prædicare? Verùm cur de Monachis hoc dicit, non de Clericis, atque de Epiſcopis? Cur ſolùm Monachos initiatos prædicare poſſe affirmat? Religioſorum inſtitutio ordinata eſt, ſicut caſtrorum acies, proindeque ſuis fungendo muneribus ordinem ab Eccleſia præſcriptum ſervat. Noverunt Monachi non niſi initiatos mitti, noverunt juriſdictionem requiri, qua habita, Infideles, ipſis evangelizantibus, ſacro abluti ſunt regenerationis lavacro; prædictam tamen juriſdictionem Regularibus competit; ab Eccleſia namque approbati ſunt ad communem utilitatem. Hinc timor ſchiſmatis non inania tantum, ſed & contumelioſus eſt; quomodo enim ſchiſma timendum ab his, qui ſpecialiter obedientiam voverunt? Nec momenti eſt aſſerere plures a caſibus reſervatis abſolvere; fingitur enim, quod reprehenditur. Si plures ex Monachis omnem relaxant reſervationem, cur ex omni regione Romam mittuntur ſupplices libelli? cur Peregrini accedunt, votorum diſpenſationes, matrimoniorum convalidationes, abſolutiones cenſurarum expoſcentes? Poſſunt quidem Regulares a quibuſdam Pontifici reſervatis abſolvere, ſed legitima Apoſtolicæ Sedis conceſſione. Ad octavum dicimus ea ratione Regularibus deberi Privilegia, qua Pariſienſes dicent deberi Gallicanæ Eccleſiæ. Lubenter damus Romanorum Pontificum fidelitati, & prudentiæ concreditas eſſe Eccleſiaſticas leges. Percunctari tamen libet, cur Canonicarum Sanctionum Zelator cautum velit Romanum Pontificem in elargiendis privilegiis Regularibus, ſecus Clericis, Galliæque Regno? Cur damna pertimeſcenda, in primo caſu, non in ſecundo? Nonum itidem evaneſcit, ſicut cetera. Rite ne inferri valet Monachis non deberi Sacerdotium, quia Hæretici fœminas ſacris initiabant? Ad jura antiqua deducere vellet Monachos Adverſarius; cur non & Clericos? Ceterum vel ipſe vult Regulares permanere in ea vivendi ratione, quam approbavit Eccleſia, vel non; ſi primum, jam ea ſerventur oportet, quæ impræſentiarum Regulares potiuntur, ſi ſecundum, aliæ erunt Religiones inſtituendæ juxta placitum Adverſarii.

353 OBJIC. VI. -- Ab eo tempore, „ *inquit Adverſarius*, quo Monachi in Clerum adſciti ſunt, nullam fere hæreſim Eccleſiam devaſtaſſe, quæ non Monachos, „ vel auctores, vel fautores habuerit -- Hinc pluribus enunciatis ſubdit -- Neſtorianorum, „ Eutychianorum, Origeniſtarum, Pelagianorum, Semipelagianorum, Monothely„tarum, aliorumque Hæreticorum Princi„pes, & Anteſignanos, qui omnes Mona„chi fuerunt, & ſub habitu Monachi la„tuerunt &c. Novatorum noſtrorum Prin„ceps, qui ſuas hæreſes diù diſſeminavit, „ antequam cucullum abjiceret &c. -- Miſcet etiam Mahometis ſectam a Pſeudomonacho inſpiratam.

-- Monachos parum idoneos, *ſcribit* „ *alter*, ad Eccleſiæ munera videri, & pau„cos admodum illorum memoriâ extitiſſe, „ qui ea feliciter adminiſtraſſent . . . Quarto „ illo celeberrimo Seculo vel nullos, vel „ pauciſſimos viſiſſe Epiſcopos, qui Regu„lares fuiſſe dicantur . . . Primis ætatibus, „ quibus Eccleſiam perſecutiones infeſta„runt, non ſine difficultate reperiuntur „ Regulares, qui vel in ſolitudine latue„rint, nedum qui ſuper candelabrum Ec„cleſiæ Thronis conſpicui fulſerint . . . Vir„ginum cœtus in Eccleſia antiquiores eſſe, „ quam Monachorum -- Sic confœderati illi adverſus Regulares Franciſcus Hallier, & Petrus Aurelius, ille *in Vindic. admonitione ad Lectorem pag.* 52., alter *pag.* 503., *&* 504., quorum ſunt etiam ſuperiùs objecta.

Verùm quis non videt, hocce non jam diſputandi, ſed calumniandi genus eſſe? Tres ſunt in Eccleſia Perſonarum Ordines, Clericorum videlicet, Monachorum, & Laicorum. Non niſi impie quis adverſus Epiſcopos inſurgeret, omneſque malos dictitaret, atque a Hierarchico gradu repelleret, ex quo aliqui a proprio munere deſecerunt; quis nam eos commendaret, qui omnes execrarentur Sacerdotes, ex quo nonnulli Hæretici, & contumaces fuere? Quare igitur reprobandi ſunt Monachi, atque a Hierarchia amandandi, quia aliqui in Hæreſim prolapſi ſunt? Alia ſane fuerunt Patrum ſenſa, dum cum Nazianzeno *Orat.* 1. *in Julianum* Monachos Angelis coæquarunt, atque Dominici gregis primitias, fidei columnas, nun- *Monachi a Patribus, atque Conciliis commendati.*

 cupa-

cuparunt, nec non illius Templi lapides, cujus fundamentum Chriſtus eſt, dixerunt; dum cum Cypriano *lib. de Habitu Virginum* tanquam flores Eccleſiaſtici germinis, decus, & ornamentum ſpiritualis gratiæ, illuſtriorem portionem gregis Chriſti prædicaverunt. Alia fuit Conciliorum ſententia, dum Monachos in defenſionem fidei adverſus Hæreticos aſſumpſerunt. Sub temporibus Nicœnæ Synodi, rogantibus Epiſcopis, nonne S. Antonius Alexandriam deſcendit adverſus Arianam peſtem pugnaturus, ut ex Athanaſio legitur *in ejuſdem vita*? Nonne Athanaſius ipſe ſemper habuit comites Monachos expugnaturus Arium, a quibus fuit e manibus inimicorum ereptus, ut *ex lib. de ejus fuga*? Nonne Acacius Monachus Juliano ſuaſor fuit, ut dimiſſa ad tempus ſolitudinis quiete occurreret tot millibus Ariana labe pereuntibus, ex Theodoreto *Hiſt. lib. 3, cap. 25.*? Cur Lucius Arianorum choriſæus antra ſolitudinum penetravit, univerſis Monachis necem moliturus, ut ex Sozomeno *lib. 6. Hiſt. cap. 20.*? Cur Valens Imperator Arianus immani præmiſſa perſecutione juſſit Monachos vel arma induere, vel trucidari, ut ex Hieronymo *in Chronico*, niſi quia Monachorum zelus impetum Arianiſmi repellebat?

Ingemuit Orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt, ubi Seleucenſes, & Ariminenſes Patres adverſæ formulæ Nicœnæ fidei ſubſcripſerunt. Steterunt tamen Monachi, & fortes in prælio pugnaverunt. Audiatur Nazianzenus *Orat. in Laudibus Athanaſii* -- Ego „ vero terræ motum hunc noſtra tempeſtate „ cohortum, nullo eorum, qui jam extite„ runt, inferiorem eſſe exiſtimo, per quem „ omnes Monaſticæ Philoſophiæ Sectatores, „ Deique amore præditi, atque ante tempus „ in Cœlis Civium munere fungentes, a „ nobis dimoventur; qui tamen licet alioqui „ pacis ſtudioſi, ac moderati ſint, hac ta„ men in re leves, & faciles eſſe non ſuſti„ nent, cum per ſilentium, & quietem „ Dei cauſa proditur: verùm hic admodum „ bellaces ſunt, atque in confligendo acres, „ & feroces (hujuſmodi enim zeli æſtus eſt) „ cujuſque aliquid quod non oporteat, evo„ muerint, quam quod ex officio ſit, præ„ termiſerint -- Proſequitur deſcribere qualiter auctoritate, & zelo Monachorum pars magna populi abrupta eſt a covili Arianorum, & advolavit ad caſtra Domini. Quod & Sozomenus *lib. 6. Hiſt. cap. ſuperius laudato* refert ſtante Lucii proditoris ſævitie -- „ Quorum teſtimoniis etiam populus obſe„ cutus, eamdem quam illi, doctrinam „ amplexatus eſt, qui de dogmatis Religio„ nis diſſerere, aut inaniter garrire neque „ voluit, neque novit; ſed veritatem cre„ didit penès illos eſſe, qui virtutem factis „ declarabant --

Monachi Catholicæ fidei propugnatores.

Quinam Spiritus Sancti Divinitatem, Deiparæ Maternitatem propugnarunt? Nonne Monachi? Adverſus Ennomium, & Macedonium ſtetit pro Sancti Spiritus Divinitate Baſilius Monachus, cujus etiam auctoritate uſi ſunt Florentini Patres ad tuendam ejuſdem S. Spiritus ab utroque proceſſionem; Nyſſenus item Monachus in Concilio CP. Symbolum ſcripſit; Nazianzenus in eadem Synodo adverſus Apollinarem, alioſque Hæreticos invicte decertavit; Eutyches Archimandrita, tempore quo catholice ſentiebat, pugnavit adverſus Neſtorium; Dalmatii Archimandritæ pietas, aliorumque Monachorum fervor Epheſinam Synodum ab Hæreticorum fraudibus ſartam tectamque ſervarunt. Si Neſtorius Monachus cecidit, Cyrillum Monachum hoſtem habuit; ſi Acephalorum cohors Monachum ducem ſubſecuta eſt, obſiſtere non potuit Syris, Jeroſolymitaniſque Monachis eos in Concilio ſub Menna damnantibus; ſi Monothelytam Pyrrum e Monaſterio evocatum novimus, ſcimus etiam Monachos Romanos, Siculos, Conſtantinopolitanos, Antiochenos ad Synodum ſub Agathone vocatos, qui & ejuſdem condemnationi ſubſcripſerunt. Conculcantibus Leone, & Iconomachis Sanctorum imagines, impetum cohibuerunt Theodorus Studita, Joannes Damaſcenus, aliique plures Athletæ ex Monachis.

Immo illis Monachis, quos Eccleſiæ vaſtatores vocat Adverſarius, ſeſe Monachi oppoſuere. Neſtorio præter ſupralaudatos reſtitit Dalmatius, Eutychetem tres ſupra viginti Archimandritæ in Provinciali Concilio oppugnarunt, atque hæreſim unà cum Auctore damnarunt. Adverſus Origeniſtas, & Jovinianum pugnavit Hieronymus, adverſus Pelagium, atque Cœleſtium Auguſtinus, Caſſianus prætenſus Semipelagianus hoſtem habuit Proſperum Aquitanum, ſicut Fauſtus Regienſis Cæſarium Arelatenſem. Pyrro Monotelytæ reſtitit S. Maximus. Cur ergo pauci errantes ad totius Monachatus contumeliam traducuntur, ſi Apoſtatas Monachos Monachi fideles debellarunt? Cumque ad totius Clericatus contumeliam non ſint traducendi Presbyteri, & Epiſcopi, qui a fide defecerunt, cum alii quam plures adverſus eos ſteterint, ita male criminantur Monachi omnes, ex quo pauci erraverint.

Alia demum fuit, eſtque Eccleſiæ mens, atque ſtudium erga Monachos, quæ recentioribus Seculis vel novas, vel renovatas approbavit Religiones, quæ Regulares aſſumpſit ad evellendas hæreſes ſucceſſivis temporibus exortas. Adverſus Albigenſes pugnavit Dominicus, eorundem damnationi in Lateranenſi III. ſub Alexandro III. ſubſcripſerunt Abbates, & in Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. iidem execrantur a pluribus Abbatibus, atque Prioribus, qui & Almerium Carnotenſem proſcripſerunt. In Lugdunenſi II. adverſus Græcos ex ſola Minorum familia componitur Legatio ad Michaelem Paleologum Imperatorem. In Conſtantienſi contra Wiclefum ſteterunt plures ex Abbatibus, Religioſiſque, eumque, mandante Martino V., eloquentia plane admirabili impugnavit Thomas Waldenſis. In Florentino iterum adverſus Græcos decertavit Andreas Coloſſenſis, ſicut & Ambroſius Camaldulenſis, & Joannes ex Prædicatorum Ordine Theologus. In Tridentino quot contra Novatores Theologi enumerantur ex Religioſorum Inſtitutis? Prætermittimus referre volu-

Monachi ſuppetias ferunt Eccleſiæ.

volumina a Regularibus ad evertendas hæreſes conſcripta ; illud tantummodo placet perpendere , quod impudenter dictitat Adverſarius , videlicet : *nullam fere hæreſim Eccleſiam Dei devaſtaſſe , quæ non Monachos auctores , vel fautores habuerit* .

Tria potiſſimum recenſentur Secula , quibus plurimæ exortæ fuerunt hæreſes , hæreſumque fautores plurimi . Operæ pretium erit curſim ſciſcitari ab Adverſario , ubinam Arianiſmi vel auctor , vel fautor Monachus , ubi Macedonianiſmi , aut Donatiſmi ? Ubi Monachus cum Vigilantio, Priſcilliano, Lucifero , Berengario , Wiclefo ? Aſſignetur auctor , vel fautor Monachus inter Iconoclaſtas , Waldenſes , Albigenſes , Boemos , Lolardos , Lampetianos . Verùm quid ultra in re adeo aperta immorandum ? Eccleſiaſtica monumenta contumelioſam propoſitionem abunde falſam proclamant .

Supereſt , ut pauca addamus , ut refellantur , quæ poſteriùs aſtruuntur , videlicet Monachos ad Eccleſiæ munia parum idoneos . Abunde pro re nata ſufficeret auctoritas Bonifacii Papæ relata 16. *q.* 4. *Can. Sunt nonnulli* , ubi Pontifex ſimilia adverſus Monachos objecta reprobat , ſicut & auctoritas Gelaſii Papæ *Epiſt.* 9., ubi diſpenſat ſuper interſtitiis cum Monachis ad Clericale munus aſſumptis , & hoc præ Laicis , quos diligenti examini vult ſubjectos , idque ob diverſum vivendi genus ; quibus palam facit Monachos idoneos eſſe ad Sacerdotium .

Monachi apti ad Eccleſiaſtica munia.

Hæc , inquam, ſufficerent . Verùm ſequens placet inſtituere argumentum . Qui conditiones habet a Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reformatione* requiſitas pro Epiſcopali munere apte exercendo , ad Eccleſiæ gubernium meritò aſſumi poteſt ; atqui Regulares prout impræſentiarum ſunt ab Eccleſia approbati, hujuſmodi habent conditiones ; ergo perperam tanquam non idonei a ſacris miniſteriis rejiciuntur . Etenim actus Hierarchici, qui Epiſcopis conveniunt , ſunt ſacrificium offerre pro populo , verbum Dei prædicare , adminiſtrare Sacramenta , exemplo paſcere , pauperum curam habere ; ſed ad hæc omnia ſufficientiſſimas habent qualitates Religioſi ; orant namque , ſacra peragunt ; cum ſint Sacerdotes , incumbunt ſtudiis , unde diſcant prædicare , bonum exhibere poſſunt exemplum , cum in virtutibus exerceantur , Sacramentum abſolutionis , ſicut & Euchariſtiæ impendunt : aliàs Regulares magis accedunt perfectioni debitæ Epiſcopis , quam Clerici ; illi ſiquidem ſunt in ſtatu perfectionis , ſicut Eccleſiæ Præſules , modo licet excellentiori , iſti verò in eo perfectionis ſtatu non verſantur . Cur igitur parum , aut nullimode ad Eccleſiæ munia congrue exercenda ſunt idonei ?

Attamen momenta perpendamus, quibus ſententiam ſuam fidit Adverſarius : primum eſt ex Patribus, quorum quatuor in notis marginalibus citat , Severum nempe Sulpitium , Chryſoſtomum , Hieronymum , & Auguſtinum . Verum enim verò laudati Patres nobis ferunt ſuppetias . Hieronymus perpetuus eſt commendator, atque Monachorum defenſor , quorum chorum vocat florem , atque pretio-

A ſiſſimum lapidem Eccleſiaſtica inter ornamenta *Epiſt.* 8. *ad Marcell.*, & *Epiſt. ad Ruſticum* ipſum admonet , ne cupiat Clericum fieri , niſi prius bonus fiat in Monachatu , ideſt , ne prius Magiſter ſit , quam Diſcipulus , ut ita vivat in Monaſterio , ut mereatur Clericus fieri , ut demum unus ex melioribus evadat , ex quibus eligi poſſit in Clericum . Ex his compertum fit , & Monaſticam vitam idoneos reddere ad Eccleſiaſtica munia , & ſueviſſe ex Monachis Clericos aſſumi . Nec diſcrepat Auguſtinus , de quo Poſſidius *in ejus vita cap.* 5. , & 11. refert , quod Presbyter factus intra Eccleſiam Monaſterium inſtituit , in quo juxta Monaſticam diſciplinam vive-
B bat , & ex quo Eccleſia aſſumebat Epiſcopos, & Clericos : ad cujus exemplum propagata ſunt Monaſteria , ex quibus ad Sacerdotium in Eccleſia promovebantur fratres , ita quod hinc homo peccator iraſcebatur , & dentibus frendebat , ſervi autem Chriſti cum his , qui oderant pacem , erant pacifici .

Id autem , quod ait S. Doctor *Epiſt.* 76., nempe Monachos , qui ſponte e Monaſterio receſſerunt , in numerum Clericorum non eſſe recipiendos , quia & ipſis facilis lapſus , & Ordini Clericorum fit indigniſſima injuria , ſi deſertores Monaſteriorum ad militiam Clericatus eligantur , abs re adducitur . Sæ-
C penumero dictum eſt , nec indignos Monachos , nec indignos Clericos ad Eccleſiaſtica munia eſſe aſſumendos .

Quoad Chryſoſtomum , legat Adverſarius *librum adverſus Vituperatores Vitæ Monaſticæ*, & compertum habebit ex mente laudati Doctoris Monachos egregie aptos ad alios regendos tum virtutis exemplo , tum contemptu Mundanorum , tum conſtantiâ in propugnanda veritate etiam coram Principibus , tum laborum tolerantiâ , tum mirâ dexteritate ad miſerorum ſolatium ; quod ſi *lib. de Sacerdotio cap.* 7. , & 8. aliqua miſcet , quibus innuit Monachos ſolitudini addictos minus eſſe idoneos ad tumultus gubernii , id
D ex induſtria deprædicat , ut Monachorum humilitati morem gerat ; gaudent enim latitare , niſi ad populorum ſalutem excitentur .

Severus Sulpitius *in Vita S. Martini cap.* 7. pro re noſtra ſcribit , Monachorum virtutes commendans Monaſterii ab eodem Martino inſtituti ; ex quo plures aſſumpti ſunt Epiſcopi , & ex quo omnis Eccleſia Antiſtites exoptabat ; quod ſi *Dialogo* 1. *cap.* 14. quorundam Monachorum faſtum ſugillat , non eſt ad rem ; ſæpe enim diximus , ubique malos bonis fore admixtos .

E Momentum aliud deſumit Adverſarius ex Hiſtoriæ monumentis ; hinc primò de antiquitate Monaſtici ſtatus dubitare videtur ; aſſerit deinde paucos admodum Monachos ad Eccleſiaſtica munia aſſumptos adinveniri , qui feliciter Eccleſiam adminiſtraverint . Ceterum hæc evidenter falſa ſunt ; & ſane quod primo loco refert , abunde de mendacio revincitur ex his , quæ adverſus Acatholicos de antiquitate Monachatus diximus : nec quidquam urget , quod alicubi non fuerint Monachi ; ſat enim eſt , quod Monachorum mentio recurrat apud Dionyſium , apud Philonem,

lonem, apud Hieronymum, quos in ſuperioribus, ubi de antiquitate Monachatus, dedimus. Ægyptum, atque Thebaidem Eremitis frequentem longe ante Auguſtini tempora fuiſſe indubium eſt.

Monachi primis Eccleſiæ Seculis feliciter rem Eccleſiaſticam moderati ſunt.

Falsò itidem aſſeritur primis rei Chriſtianæ temporibus haud feliciter Eccleſiam gubernaſſe, ſi qui ex Monachis ad Eccleſiaſtica munia aſſumpti fuiſſent. Etenim Apoſtolorum ævo Eccleſiam moderati ſunt Clerici quidem, ſed Regulares, de quibus etiam Seculo IV., de quo potiſſimum loquitur Adverſarius, occurrit memoria, qui non erit tam procax, ut velit paucos ex illis Eccleſiam feliciter adminiſtraſſe, Summi Pontificatus gubernacula ex Monachis tenuiſſe Dionyſium, & Theleſphorum teſtatur Damaſi Pontificale; Epiſcopale munus exercuiſſe Serapionem, Apollonium, Agathonem, Ammonium, Cuem, Paulum refert Athanaſius ad Dracontium Monachum, quem reluctantem illorum exemplo hortatur, ut Paſtorale officium aſſumat, adjiciens, quamplurimos alios hanc curam ſuſcepiſſe, neque propterea ſeipſis factos eſſe deteriores -- Quot enim ab „ Idolis converterunt? Quot a furioſa, & „ Dæmoniaca conſuetudine ſuis admonitio„ nibus compeſcuerunt? Quot adduxerunt „ Chriſto ſervos? adeout qui iſta ſigna con„ ſpiciant, admirentur -- Quibus palam fit plurimos ex Monachis ad Eccleſiæ munia evectos, atque eadem laudabiliter exercuiſſe. Textum Athanaſii verſans Baronius *ad annum* 328. *n.* 25. habet -- Negari quidem „ non poteſt fuiſſe Monachiſmum Semina„ rium in Eccleſia Dei Sanctiſſimorum Epi„ ſcoporum --

Univerſalis Eccleſia tanquam Sanctiſſimos Paſtores, celeberrimoſque commendat A Baſilium, Epiphanium, Nazianzenum Nyſſenum, Cyrillum Alexandrinum, Paulinum, Eucherium, Martinum, alioſque pene innumeros.

Equidem ſcio Adverſarium inficias ire quoſdam ex prælaudatis fuiſſe Monachos; verùm contra ipſum ſtat probatorum Hiſtoriographorum auctoritas; compertum itidem eſt anterioribus Seculis, immo & Impræſentiarum Monachos irreprehenſibiliter rexiſſe concreditas Eccleſias, ut apud Eruditos legere eſt; & Platus *lib.* 2. *de bono ſtatus Religioſi cap.* 28., *&* 29. Romanos Pontifices, B Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos refert ex Religioſis Ordinibus aſſumptos, atque eorundem prudentiam, ſcientiam, atque dexteritatem in Eccleſiarum regimine brevibus commemorat, ut nonniſi inſipienter dicere poſſit Adverſarius Monachos, ſive Religioſos ad Eccleſiaſtica munia haud eſſe idoneos.

Hic referri poſſent argumenta, quibus Adverſarii impugnant Monachos ad Hierarchicum Ordinem pertinere ratione chariſmatum, ſed ea expendere non vacat; ſub di- C verſis verborum ambagibus eadem quippe ſunt, quæ ex Hæreticis in Superioribus retulimus propugnantes Religioſi ſtatus perfectionem, quam illi infringere conantur. Ea propter hic vela colligimus, atque ſiſtimus; dum omnia Sanctæ Rom. Eccleſiæ judicio ſubjiciendo cum Capreolo Carthaginenſi Epiſcopo *Epiſt. ad Vitalem, & Conſtantium* -- „ Unam, veramque doctrinam hanc eſſe „ confitemur, quam Evangelica tenet, ac „ tradit antiquitas --

Digitized by Google

DEFENSIO STATUS RELIGIOSI QUOAD SUBSTANTIAM IN LEGE VETERI,

SEU SCRIPTA

ADVERSUS P. FRANCISCUM GALIANI SPUCHÆ,

Una cum Appendice Anonimi,

Qua Ludovici Muratorii dicteria in Carmelitarum Ordinem, Sanctiſſimoſque ejuſdem Familiæ Inſtauratores perperam lata ſatis manifeſte injuriæ, ac falſitatis evincuntur.

EOdem tempore, quo adverſus Lutheranos, atque Calvinianos commendabamus pia opera, quæ Catholici ſupererogationis nuncupant, inter quæ non infimum locum ſortiuntur ſacra vota, ex Hiſpania Romam delatus fuit liber lato calamo propugnans improportionem, & incompoſſibilitatem votorum, quæ Religioſi ſtatus ſubſtantiam conſtituunt, cum imperfectione ſtatus ſervituris ſub lege veteri. Liber ſequentem titulum præſeferebat--*CONTROVERSIA DOGMATICA IN TRES PARTES DIVISA PRO VERITATE, SPIRITU, PERFECTIONE LEGIS GRATIÆ, ET ALIIS EXCELLENTIIS ILLIUS PRIVATIVE DATIS, ET CONCESSIS IN STATU PRÆSENTIS ECCLESIÆ, EX PLENITUDINE GRATIÆ, ET MERITIS CHRISTI PRÆSENTIS, ET PASSI, ET IN ADVENTU SPIRITUS SANCTI CONFIRMATIS, CONTRA ASSERTORES, QUOD IN VETERI TESTAMENTO FUIT VERUS STATUS RELIGIOSUS CUM VOTIS, ET CONSILIIS, CUM SPIRITU LEGIS GRATIÆ SUBSTANTIALITER EVANGELICUS, ET EJUSDEM RATIONIS CUM STATU RELIGIOSO CHRISTIANO, AUCTORE R. P. M. F. FRANCISCO GALIANO SPUCHÆ, INCLITÆ HIERONIMIANÆ FAMILIÆ GENERALI. Matriti Anno* 1696.

In parte 3. *bujuſce Controverſiæ* Auctor totus eſt in refellenda doctrina noſtrorum PP. Salmanticenſium, qui ad calcem *Tomo VIII. Curſus Theologici* egregie propugnant nonnullos fuiſſe Synagogæ ævo, qui Deo Monaſtica vota nuncuparunt, idque, utpote qui fidiſſimos Angelici Doctoris ſectatores, S. Thomæ doctrinâ ;[1] Galianus PP. Magiſtros ex Prædicatorum familia exorat, ut Angelicum defendant, quem hac ſuper re aperte adverſarium proclamat: noſtrum proinde erit, dum Salmanticenſium ſententiam ſartam tectam volumus, palam facere laudatos Patres nequaquam ab Angelico Præceptore declinaſſe. Unica Diſputatione rem totam verſant Patres noſtri, unica itidem Diſputatione eorum doctrinam propugnandam ſuſcipimus ſub auſpiciis Patronæ Carmeli Deiparæ Virginis.

DISPU-

DISPUTATIO UNICA.

DE SUPEREROGATORIIS VOTIS IN VETERI LEGE.

Omnia in figura contingebant illis, teſtatur Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 11. Chriſti Eccleſiam, ut umbra corpus, præceſſit Synagoga. Patres veteris Teſtamenti, quæ nos in meridie intuemur, tanquam in nube perſpexerunt. Sub velamento corporalium, ſcripta lege, tradidit Deus, quæ noviſſimis diebus nobis in Filio ſuo ſpiritualia manifeſtavit myſteria. Et ſane nullum ferme myſterium recolit lex nova, cujus exemplar aliquod apud antiquos Patres non præceſſerit: hinc mandata mandatis, Altaria Altaribus, Sacerdotibus Sacerdotia, Sacrificia Sacrificiis, Sacramenta Sacramentis, Judiciis reſpondent Judicia, atque analogantur. Hæc in cauſa fuere, ut Theologi Diſſertationes inſtituerint, quibus exquirerent, num in lege veteri extiterint Caſtitatis, Obedientiæ, & Paupertatis vota, quæ eſſentiam conſtituerent ſtatus Religioſi, non quidem in eo excellentiæ gradu, quo in lege gratiæ refulgent; quo pacto evincitur fuiſſe tunc temporis Sacramenta, imperfecta tamen, ſi ad ea, quæ Chriſtus inſtituit, referantur. Porro hiſce Theologis jure, meritoque accenſentur PP. Salmanticenſes, quos impræſentiarum vindicamus.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN IN VETERI LEGE FUERIT PROMISSIO REGNI CŒLORUM.

1 Hanc primò inſtituimus quæſtionem utpote fundamentum, cui innititur Galianus; etenim ex imperfectione veteris Legis ſuum exorditur ædificium, contendens hominibus ſub ea lege degentibus nequaquam datam fuiſſe promiſſionem Regni Cœlorum; hanc doctrinam in Præfatione, ſeu Oratione ad Excellentiſſimum Principem Joannem Thomam de Rocaberti Archiepiſcopum Valentinum Sanctis Patribus affingit -- Contra „ Hæreticos uno ore docent, quod Regnum „ Cœlorum non fuit revelatum in lege ve„ teri, nec promiſſa hereditas Patriæ cœle„ ſtis -- Cumque votorum perfectio, quæ conſtituunt ſubſtantiam Religioſi ſtatus, ad hanc hereditatem reſpiciat, naturali ſequela inferendum videtur eam cum prædicta lege fore incompoſſibilem. Brevi calamo rem abſolvemus, quæ tamen pro re nata deſervient, promemus.

2 Dicendum itaque eſt fore abſolute falſum Regnum Cœlorum non fuiſſe promiſſum Synagogæ. Probatur ex Scripturis, & Patribus. De ſpiritualibus cœleſtis Patriæ
A bonis juxta Apoſtoli interpretationem 1. ad Corinth. 1. v. 9. loquitur Iſaias cap. 64. v. 4. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te*; ideſt, ut ait Apoſtolus. *Sicut ſcriptum eſt*, ideſt Iſaiæ laudato capite: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*; porro Propheta Judæos alloquitur, quibus dubioprocul datum fuerat præceptum diligendi Deum: Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum*; ergo diligentibus parata erat cœleſtis retributio: nam ut habet Auguſtinus in *Pſal.* 118. v. 112. -- Si autem diligendo æterna „ eſt ipſa dilectio, eique æterna eſt parata „ retributio -- **Dilectio, quæ ad æternam dirigit felicitatem, Judæis præcepta.**

Tobiæ 2. v. 18. *Filii Sanctorum ſumus, & vitam illorum expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.*

Pſal. 143. Poſtquam Pſalmiſta enarravit temporalium affluentiam, v. 15. ſubridet eos, qui talia magni faciunt: *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*; dein ſubdit: *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*, & Pſal. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*. Quid luculentiùs ad explicandam æternam felicitatem. Audiatur Auguſtinus *ibidem* -- Propter quam retribu„ tionem dicit ſe inclinaſſe cor ſuum ad fa„ ciendas juſtificationes Dei, ut in æternum „ diligens, in æternum mereatur habere, „ quod diligit --

Ad Heb. 11. aperte aſſeritur antiquos Patres repromiſſam expectaſſe beatitudinem, quam a longe ſalutaverunt, ſed actu non ſunt conſecuti, quia erant nobiſcum conſummandi. Rem apte declarat S. Thomas *ibidem lect.* 4. -- Sancti Patres videntes per „ fidem Chriſtum venturum, & gloriam, „ quam per ipſum conſecuturi erant; ſalu„ tabant, ideſt, venerabantur ipſum. Pſal. „ 117. Benedictus, qui venit in nomine „ Domini, Deus Dominus &c. Joann. 6. „ Abraham Pater veſter exultavit, ut vide„ ret diem meum, vidit, & gaviſus eſt. „ Item commendat fidem ipſorum ex ſincera „ confeſſione; quia ut dicitur Rom. 10. „ Corde creditur ad juſtitiam, ore autem „ confeſſio fit ad ſalutem; & ideo dicit: Et „ confitentes, quia peregrini hoſpites ſunt „ ſuper terram ... Dicitur autem peregri„ nus, qui eſt in via tendendi ad alium lo„ cum ... Sed advena eſt ille, qui habitat „ in terra aliena, nec intendit ulterius ire. „ Iſti autem non ſolum confitebantur eſſe „ advenas, ſed etiam peregrinos. Sic etiam „ ſanctus vir non facit manſionem ſuam in „ mundo, ſed ſemper ſatagit tendere ad cœ„ lum ... Deinde cum dicit: Qui enim

„ hoc

„ hoc dicunt ; oſtendit , quod iſta confeſſio
„ pertineat ad fidem . Nullus enim eſt hoſ-
„ pes , & peregrinus , niſi qui eſt extra
„ Patriam , & tendit ad illam . Cum ergo
„ iſti confitentes ſe eſſe advenas , & pere-
„ grinos ſuper terram , ſignificant ſe tendere
„ ad Patriam ſuam , ſcilicet , cœleſtem Je-
„ ruſalem . . . Et hoc eſt quod dicit :
„ Qui enim hoc dicunt , ſignificant ſe Pa-
„ triam inquirere . Sed quia forte poſſet ali-
„ quis dicere , quod verum eſt , quod ipſi
„ erant peregrini in terra Philiſtæorum , &
„ Chananæorum inter quos habitabant , ta-
„ men intendebant redire in terram , unde
„ exierant ; hoc removet dicens : Et ſiqui-
„ dem ipſius , ſcilicet , Patriæ ſuæ memi-
„ niſſent , de qua exierant , habebant uti-
„ que tempus revertendi , quia prope erat ;
„ nunc autem meliorem appetunt , ideſt ,
„ cœleſtem . . . Patet autem , quod iſta eo-
„ rum verbo , & facto confeſſio pertinet ad
„ fidem ; quia ipſi illud , quod ſolum eis
„ promiſſum fuerat , nec exhibitum , firmiſ-
„ ſime crediderunt , etiam uſque ad mor-
„ tem -- & proſequitur pro præſenti mate-
ria textum Apoſtoli dilucidare .

2. ad Timoth. 3. v. 16. docet Apoſtolus , quod *Omnis ſcriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum* ; utique in ordine ad ſalutem , ut notat eo loci S. Thomas *lect.* 3. -- Oſtendit , quod ſacræ litteræ ſunt viæ ad „ ſalutem -- & Apoſtolus non tantùm loquitur de Scriptura novi , ſed etiam veteris Teſtamenti , ut compertum fit ex cap. 5. Joann. v. 39. , ubi Chriſtus ſuaſor eſt Judæis , ut ſcrutentur Scripturas , in quibus ſermo recurrit de æterna felicitate , *Scrutamini Scripturas , quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere , & illæ ſunt , quæ teſtimonium perhibent de me* .

Sacræ litteræ ſunt via ad ſalutem.

Eadem veritas innuitur ad Rom. 3. v. 30. *Quoniam quidem unus eſt Deus , qui juſtificat circumciſionem ex fide , & præputium per fidem* : igitur tam in nova , quam in veteri lege juſtificabantur credentes in Chriſtum ſive venturum , ſive præſentem ; immo ut tradit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 107. *art.* 2. -- Finis legis veteris erat juſtificatio -- Lex vetus ordinabat homines ad juſtificationem , & ad gloriam , quamvis ex propriis non haberet , ut ad illam perduceret , ſed ex virtute meritorum Chriſti , quibus in futurum ſolvendis applicabatur gratia auxilians , gratia mundans , gratia dans jus ad cœleſtem hereditatem ſuo tempore retribuendam ; ideo dicitur ad Rom. 8. v. 3. *Quod impoſſibile erat legi , in quo infirmabatur per carnem , Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati , & de peccato damnavit peccatum in carne , ut juſtificatio legis impleretur in nobis* .

Credentes in Chriſtum juſtificati.

Hinc ortum eſt illud Patrum effatum , videlicet , quod hi , qui in veteri lege juſtificati fuere , ad legem gratiæ ſpectabant ; ſiquidem per Chriſti merita juſtificationem ſunt conſecuti . Audiatur S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 106. *art.* 1. *ad* 3. -- Dicendum quod
„ nullus unquam habuit gratiam Spiritus
„ Sancti , niſi per fidem Chriſti explicitam ,
„ vel implicitam : per fidem autem Chriſti
„ pertinet homo ad novum teſtamentum ,
„ unde quibuſcunque fuit lex gratiæ indita ,
„ ſecundum hoc ad novum teſtamentum
„ pertinebant -- *& quæſt.* 107. *art.* 1. -- Fue-
„ runt tamen aliqui in ſtatu veteris teſta-
„ menti habentes charitatem , & gratiam
„ Spiritus Sancti , qui principaliter expecta-
„ bant promiſſiones ſpirituales , & æter-
„ nas , & ſecundùm hoc pertinebant ad le-
„ gem novam --

Fides in Chriſtum neceſſaria ad juſtificationem.

D. Auguſtinus *lib.* 3. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* 4. ſolvens objectionem , quam illi urgebant , videlicet , nondari in veteri lege Spiritum Sanctum adjutorem virtutis , habet -- Quis enim Catholi-
„ cus dicat , quod nos dicere jactitant ,
„ *Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in ve-*
„ *teri teſtamento non fuiſſe* , niſi cum vetus
„ teſtamentum ſic intelligimus , quemadmo-
„ dum Apoſtolus dixit : A monte Sina in
„ ſervitutem generans ; ſed quia in eo præ-
„ figurabatur novum , qui hoc intelligebant
„ nunc homines Dei ſecundùm diſtributio-
„ nem temporum , veteris quidem teſta-
„ menti diſpenſatores , & geſtatores , ſed
„ novi demonſtrantur heredes . An verò il-
„ lum ad teſtamentum novum negabimus
„ pertinere , qui dixit : Cor mundum crea
„ in me Deus , & ſpiritum novum innova
„ in viſceribus meis ? -- Docet dein a Noe uſque ad Abraham , & fortiùs ab Abraham ad Chriſtum uſque juſtos fuiſſe adinventos , pertinentes ad cœleſtem Jeruſalem , quæ mater noſtra eſt .

S. Gregorius *Hom.* 19. *in Evangelia* parabolam dilucidans de Patrefamilias , qui primo mane operarios miſit in vineam ſuam , aperte fatetur antiquos Patres ad eandem Chriſti Eccleſiam ſpectaſſe . Pro Patrefamilias noſtrum intelligit Conditorem -- Qui
„ habet vineam univerſalem , ſcilicet Eccle-
„ ſiam , quæ ab Abel juſto uſque ad ultimum
„ electum , qui in fine mundi naſciturus eſt ,
„ quot Sanctos protulit , quaſi tot palmites
„ miſit . Operator ergo mane , horâ tertiâ ,
„ ſextâ , & nonâ antiquus ille , & hebraicus
„ populus deſignatur , qui in electis ſuis ab
„ ipſo mundi exordio , dum recta fide Deum
„ ſtuduit colere , quaſi non deſtitit in vineæ
„ cultura laborare --

S. Bernardus *Ser.* 1. *de Purificatione* ſatis clare docet antiquos Patres ad Chriſtum pertinere -- Suſcepimus , inquit , Deus miſeri-
„ cordiam Domini David , ſuſcepit Simeon ,
„ ſuſcepimus & nos , & quicunque ſunt præ-
„ ordinati ad vitam : ſiquidem Chriſtus heri ,
„ & hodie , & in æternum -- Alios referre Patres non vacat , cum unius ſint labii . Si igitur in veteri lege Patres expectabant ſpirituales promiſſiones , & æternas , ſi juſtificabantur in ordine ad ſalutem , ſi ad novum teſtamentum ſpectabant , fatendum eſt iiſdem factam fuiſſe promiſſionem cœleſtis beatitudinis .

SOL-

SOLVUNTUR NONNULLÆ INSTANTIÆ IN OPPOSITUM.

3 OBJIC. I. Solnmmodo in lege gratiæ datur poteſtas adoptivæ filistionis, juxta illud Joan. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; ergo hujuſmodi filialis adoptio non erat invenire in veteri lege.

RESP. Filiationem adoptivam etiam in veteri teſtamento datam legimus Matth. 8. v. 11. *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Filii Regni ſunt Hebræi, & pro Regno intelligitur præordinatio ad ſpiritualia bona juſtificationis, & glorificationis -- „ Hic oſtendit reprobationem Judæorum, & „ deſcribit pœoam damni, quia amittent „ bona, & incurrent mala -- Sic Angelicus *ibi*. Vocantur etiam filiorum nomine Hebræi, ſive cap. 15. Matth. v. 26. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*; ſive Iſaiæ 1. v. 2. *Filios enutrivi &c.*, & quidem cœleſti doctrinâ. Dicitur tamen collata in lege novâ poteſtas adoptivæ filiationis; in hac quippe Chriſtus Redemptionis pretium effective ſolvit, in cujus virtute antiqui Patres juſtificabantur per chirographum futuræ, ut ſic dicamus, ſolutionis; quod egregie declarat Apoſtolus ad Heb. 11. v. 9., & ſeq., ubi de Abramo ait: *Fide demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Jacob coheredibus repromiſſionis ejuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus.*

Hebræi ad ſpiritualia præordinati erant.

4 OBJIC. II. Si fuiſſet in veteri Teſtamento adoptio, non opus fuiſſet Redemptore, qui adoptionem daret; ſed fuit opus, dicente Paulo ad Galat. 4. v. 3., & ſeqq. *Ita & nos cum eſſemus parvuli ſub elementis mundi eramus ſervientes, at ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Ecce quomodo filius Dei miſſus eſt, ut eos, qui erant ſub lege, adoptionem reciperent; ergo.

RESP. Textus noſtram, & Catholicam doctrinam mire confirmat. Sub initio capitis legitur: *Dico autem, quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus.* His innuitur clarè, populum Judaicum eſſe verè Dominum, hoc eſt, pertinere ad cœleſtem Patriam, ſed propter ſtatus imperfectionem, comparari puero ſub tutoribus, qui tamen eſt heres. Videatur ibi D. Thomas, qui rem declarat paritate a D. Paulo adoptata 1. *ad Corinth.* 13. -- Cum eſſem parvulus, loque„ bar ut parvulus . . . Cujus ratio eſt, quia „ ſtatus veteris legis eſt ſicut parvulus pro„ pter imperfectionem cognitionis in ipſa „ comparatione ad ſtatum gratiæ, & veri„ tatis, quæ per Chriſtum facta eſt, ſic & „ ſtatus præſentis vitæ, in qua videmus per „ ſpeculum in ænigmate, eſt ſicut parvulus „ comparatus ſtatui futuræ vitæ, in qua eſt „ perfecta cognitio -- Idem habetur ad Romanos 8. v. 23. *Nosipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Quare venit redimere adoptionem Judæorum, actu ſolvendo, quod ex futuris meritis donabatur, & auferendo impedimenta, quæ retardabant hereditatis conſecutionem, & ideo dicitur ad Galat. 3. v. 18. *Nam ſi ex lege hereditas, jam non ex promiſſione: Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.* Non enim lex, ſed Chriſtus promiſſus hereditatem conferebat.

5 OBJIC. III. Si in lege veteri data fuiſſet filiorum adoptio, qui legem obſervaſſent, non fuiſſent ſub maledicto; hoc porro refragatur Apoſtolo ad Galat. 3. v. 10. *Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*, & hæc maledictio inde eſt, quia ut v. 11. dicitur: *In lege nemo juſtificatur apud Deum; manifeſtum eſt, quià juſtus ex fide vivit.*

Textui apte reſpondet ibidem S. Thomas *lect.* 4. -- Quicunque ex operibus legis „ ſunt, ſub maledicto ſunt. Sed contra. „ Antiqui Patres fuerunt in operibus legis; „ ergo ſunt maledicti, & per conſequens „ damnati, quod eſt error Manichæi; ideo„ que hoc eſt ſane intelligendum. Et atten„ dendum eſt, quod Apoſtolus non dicit, „ quicunque ſervant opera legis, ſub male„ dicto ſunt; quia hoc eſt falſum pro tem„ pore legis, ſed dicit, quicunque ex ope„ ribus legis &c., ideſt, quicunque in ope„ ribus legis confidunt, & putant ſe juſtifi„ cari per ea, ſub maledicto ſunt. Aliud „ enim eſt eſſe in operibus legis, & aliud „ eſt ſervare legem; nam hoc eſt legem im„ plere, & qui eam implet, non eſt ſub „ maledicto: eſſe verò in operibus legis eſt „ in eis confidere, & ſpem ponere. Et qui „ in eis hoc modo ſunt, ſub maledicto ſunt, „ ſcilicet, tranſgreſſionis, quod quidem „ non facit lex, quia concupiſcentia non ve„ nit ea lege, ſed cognitio peccati, ad quod „ proni ſumus per concupiſcentiam per le„ gem prohibitam. In quantum ergo lex „ cognitionem peccati facit, & non præbet „ auxilium contra peccatum, dicuntur eſſe „ ſub maledicto, cum nequeant illud per „ ipſa opera evadere &c. -- Dicit quidem Apoſtolus neminem juſtificari in lege, ſed id intelligendum venit juxta ea, quæ ibidem v. 16. tradit. *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.* Dabatur igitur & in veteri lege juſtificatio, ſed ex meritis futuri Redemptoris, cujus fides prærequirebatur.

Opera legis ex ſe non poterant juſtificare.

6 OBJIC. IV. Ratio ſervitutis, & filiationis ratio inſimul adverſantur; ſed in veteri lege dabatur ratio ſervitutis; ergo non illa filiationis. Minor evincitur ex Apoſtolo ad Rom. 8. v. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*; ergo.

RESP.

Digitized by Google

RESP. Non omnis ſervitus adverſatur filiationi, ſed illa tantummodo quæ ſimpliciter talis cenſenda eſt. Sic egregie notat Angelicus *in cap.* 4. *ad Galatas lect.* 1. -- „ Notandum eſt, quod in populo Judaico „ aliqui erant ſimpliciter Servi, illi ſcilicet, „ qui propter timorem pœnæ, & cupiditatem temporalium, quæ lex promittebat, „ legem ſervabant. Aliqui verò erant, qui „ non erant Servi ſimpliciter, ſed quaſi Servi „ exiſtentes, erant vere filii, & heredes: „ qui, licet attenderent exterius ad temporalia, & vitarent pœnas, nihilominus tamen in eis non ponebant finem, ſed accipiebant ea ut figuram ſpiritualium bonorum; unde licet viderentur exterius nihil differre a Servis, in quantum ceremonias, & alia legis mandata ſervabant, „ tamen erant Domini, quia non eâ intentione eis utebantur ut Servi, quia illis „ utebantur amore ſpiritualium bonorum, „ quæ præfigurabant; Servi verò principaliter timore pœnæ, & cupiditate terrenæ „ cupiditatis -- Nil aptius. Ut enim ex Scripturis evincitur, lex tota præfigurabat ſpiritualia Chriſti bona, charitatis videlicet, beatitudinis &c., ea propter ipſæmet temporalium promiſſiones erant potiſſimum præfigurativæ æternorum. Rem perbelle explicat Lyranus *ad cap.* 15. *Exodi ex Rabbi Salomone* -- Conſiderandum eſt ubicumque in Sacra „ Scriptura pro operibus virtutum promittuntur bona temporalia, non eſſe illa a „ Promittente principaliter intellecta, quia „ finis ſemper debet eſſe melior eis, quæ ad „ finem ſunt; præmium autem eſt finis operis, quod ordinatur in illud, & ideo ſub „ illis bonis temporalibus promiſſis, quæ „ ſunt minora bona, quam opera virtutum, „ intelliguntur illa bona ſpiritualia principaliter intenta, ſicut ſub promiſſione terræ „ promiſſionis intelligitur terra viventium, „ ideſt Civitas Cœleſtis promiſſa, & ita hic „ ſub promiſſione templi materialis intelligitur, promiſſa principaliter domus, vel „ templum cœleſte, ubi Deus colitur, non „ per ſpeculum in ænigmate, ſed per jugem laudem, & in aperta viſione Dei, „ ſecundum quod dicitur Pſal. 73. Beati qui „ ambulant in lege tua Domine, in ſecula „ ſeculorum laudabunt te; atque hoc etiam „ dicit in hoc Rabbi Salomon, & ejus dictum conſonat fidei noſtræ -- Utque clarius eluceſcat veritas, operæ pretium erit explicare, quomodo lex vetus dicatur ſervitutis, nova verò filiationis. In utroque teſtamento conſideranda occurrunt, myſteria fidei, promiſſiones, comminationes, leges, Sacrificia, & Sacramenta, ſed iis, qui ſub lege erant, prædicta tradita fuere tanquam Servis, nobis autem tanquam filiis. Fidei myſteria tunc temporis non erant dilucide manifeſtata, potiſſimum ſi de principalioribus ſermo habeatur, puta de Trinitate, Redemptione, & hujuſmodi; & ſane non eſt Servorum, ſed filiorum perfecte Patrisfamilias ſecreta dignoſcere, dicente Domino Joan. 15. v. 14. *Jam non dicam vos Servos; quia Servus neſcit, quid faciat Dominus ejus*. Ea propter Auguſtinus *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 26. docet veterem legem fore occultationem novæ, & novam fore revelationem veteris. Promiſſiones apud antiquos immediate, & proxime ad temporalia ſpectabant, apud nos ad ſpiritualia, quæ permanent in æternum; conditio quippe Servorum eſt, ut pactam recipiant mercedem, filii verò domi remanent, perpetui bonorum omnium poſſeſſores; quod innuit Apoſtolus ad Galat. 4. v. 30. *Ejice ancillam, & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio libera*. Dixi proxime, quia principales; licet remote, ſpiritualium erant bonorum, ſicut in lege gratiæ promiſſiones quoad temporalia tanquam ſecundariæ, ut ſic dicamus, conſiderantur; id opportune explicat Angelicus 1. 2. *quæſt.* 107. *art.* 1. *in corp.* exemplo perfectorum, & puerorum in eadem Republica relate ad commune bonum, quod inſpicitur ultimò a Civibus; differunt tamen leges, etenim aliæ dantur perfectis, & iſtæ proximiùs ad finis conſecutionem accedunt, aliæ pueris ſub Magiſtro, & remotiùs ad eundem ordinantur.

Lex vetus cur ſervitutis.

Promiſſiones in lege gratiæ ſpiritualia, in lege veteri temporalia reſpiciebant.

Comminationes in veteri lege temporales pœnas involvebant juxta illud Iſaiæ 1. v. 20. *Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos*, impræſentiarum verò æterna ſupplicia præſeferunt. Luc. 12. v. 5. *Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gebennam*, & hoc ordinate quidem: Servi namque inobedientes virgis plectuntur, filii autem degeneres exheredantur.

In veteri, ac nova lege diverſæ comminationes.

In utroque teſtamento leges habentur morales, legales, ceremoniales, ſed in veteri ob multiplicitatem gravabant: porro proprium eſt Servorum mandatis onerari, nec vim habebant juſtificandi, niſi ex fide in Chriſtum promiſſum; natura namque Servorum eſt, ut ad hereditatem ex propriis pervenire non poſſint, bene quidem ex Domini promiſſione, ſecus de filiis dicendum eſt.

Sacrificia, & Sacramenta in prima lege in rerum temporalium oblatione, puta in mactatione animalium, ſita erant, in nova hoſtiæ ſunt ſpirituales; ibi Sacramenta activam non habebant efficaciam, nunc habent; ea propter per illa non conſequebatur beatitudo, ſecus per iſta. Breviùs rem abſolvamus. Patres in veteri lege erant in ſtatu ſervitutis, quatenus pro eo tempore conſequi non poterant cœleſtem hereditatem; clauſum enim erat Cœlum; erant tamen filii adoptivi, ut ſic dicamus, conditionales, ſeu impediti; quia jus habebant juſti ad beatitudinem, adimpleta conditione mortis Chriſti; ideo illi erant ut filii ſub Curatore, in lege gratiæ ſunt filii juris proprii.

Patres in veteri lege quomodo filii adoptivi.

7 OBJIC. V. Antiqui Patres non erant Chriſto incorporati; atqui non datur adoptio in Dei filios abſque incorporatione cum Chriſto; ergo non erant adoptati. Major propoſitio manifeſta eſt; ſiquidem nil poteſt alteri non exiſtenti incorporari: Chriſtus porro nondum venerat.

RESP. Perperam dicitur priſcos Patres non fuiſſe ex membris Chriſti; licet enim unum nequeat alteri uniri in ordine phyſi-

eo, ſi utrumque non exiſtat, hoc non eſt
dicendum de myſticis membris relate ad
myſticum caput; audiatur Auguſtinus *lib.* 19.
de Catechizandis rudibus, ubi de Judaica
gente ſcribit -- Erat ibi multitudo carnalis,
„ quæ propter viſibilia beneficia colebat Do-
„ minum. Erant autem ibi pauci futuram
„ requiem cogitantes, & cœleſtem patriam
„ requirentes, quibus prophetando revela-
„ tur futura humilitas Dei Regis, & Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti, ut per eam fidem
„ ab omni ſuperbia, & tumore ſanarentur.
„ Horum Sanctorum, qui præceſſerunt tem-
„ pore nativitatem Domini, non ſolùm ſer-
„ mo, ſed etiam vita, & conjugia, & filii,
„ & facta, Prophetia fuit hujus temporis,
„ quo per fidem paſſionis Chriſti, ex Gen-
„ tibus congregatur Eccleſia . . . cujus Ec-
„ cleſiæ membra erant etiam illi Sancti,
„ quamvis in hac vita fuerint, antequam
„ ſecundum carnem Chriſtus Dominus na-
„ ſceretur. Ipſe enim Unigenitus Dei Fi-
„ lius, verbum Patris, æquale, & coæter-
„ num Patri, per quod facta ſunt omnia,
„ homo propter nos factus eſt, ut totius Ec-
„ cleſiæ tanquam totius corporis caput eſſet:
„ ſed velut totus homo, dum naſcitur,
„ etiamſi manum in naſcendo præmittat,
„ tamen univerſo corpori, ſub capite con-
„ juncta, atque compacta eſt; quemadmo-
„ dum etiam nonnulli in ipſis Patriarchis,
„ ad hujus ipſius rei ſignum, manu præmiſſa
„ nati ſunt: ita omnes Sancti, qui ante Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti nativitatem in
„ terris fuerunt, quamvis nati ſint, tamen
„ univerſo corpori, cujus ille caput eſt, ſub
„ capite cohæſerunt -- *& Epiſt.* 49. *ad* 2.
quæſtionem docet, a mundi exordio quotquot
ſalvati ſunt, id factum fuiſſe per fidem Chri-
ſti, quia ſemper fuit una fides, una Reli-
gio, una ſalus, licet diverſis ſignis decla-
rata -- Sicut nos in eum credimus, & apud
„ Patrem manentem, & qui in carne jam
„ venerit, ſic credebant in eum Antiqui &
„ apud Patrem manentem, & in carne ven-
„ turum. Nec quia pro temporum varietate
„ nunc factum annunciatur, quod tunc fu-
„ turum pronunciabatur, ideo fides ipſa va-
„ riata, vel ſalus ipſa diverſa eſt -- Perpen-
dat hoc Galianus, qui ſæpenumero adverſus
Salmanticenſes inſurgit, ex quo affirmant in
veteri, ac nova lege eandem fuiſſe ſubſtan-
tialem adoptionem, fidem, & charitatem.

Priſci Patres Eccleſiæ membra.

Ad clariorem rei manifeſtationem præ-
ſtat audire S. Thomam, qui pluribus in lo-
cis præſentem materiam verſans ſcribit 3. *p.*
quæſt. 6. *art.* 3. *ad* 3. -- Dicendum, quod de
„ plenitudine Chriſti omnes homines acci-
„ piunt ſecundum fidem, quam habent in
„ ipſum. Dicitur enim Rom. 3., quod ju-
„ ſtitia Dei eſt per fidem Jeſu Chriſti in
„ omnes, & ſuper omnes, qui credunt in
„ ipſum, ſicut autem nos in ipſum credi-
„ mus, ut in jam natum, ita Antiqui cre-
„ diderunt in ipſum ut in naſciturum; ha-
„ bentes enim eundem ſpiritum fidei, credi-
„ mus, ut dicitur 2. ad Corinth. 4. Habet
„ autem fides, quæ eſt in Chriſtum, virtutem
„ juſtificandi ex propoſito gratiæ Dei ſecun-
„ dùm illud Rom. 4. Ei, qui non opera-
„ tur, credenti autem in eum, qui juſtifi-
A „ cat impium, fides reputatur ad juſtitiam
„ ſecundùm propoſitum gratiæ Dei, unde
„ quia hoc propoſitum eſt æternum, nihil
„ prohibet per fidem Jeſu Chriſti aliquos ju-
„ ſtificari etiam antequàm ejus anima eſſet
„ plena gratiâ, & veritate -- Hinc 4. *Sent.*
diſt. 27. *quæſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. improbat
ſententiam dicentium Synagogam fuiſſe Con-
cubinam Chriſti -- Sed hoc eſt valde abſur-
„ dum, quia ſicut eſt una fides antiquorum,
„ & modernorum, ita una Eccleſia; unde
„ illi, qui in tempore Synagogæ Deo ſervie-
„ bant, ad unitatem Eccleſiæ, in qua Deo
„ ſervimus, pertinebant; & præterea hoc eſt
B „ expreſsè contra id quod habetur Jerem. 3.,
„ Ezech. 16., & Oſee 2. Ubi expreſsè fit
„ mentio de deſponſatione Synagogæ; unde
„ non fuit ſicut Concubina, ſed ſicut Uxor --
Quare in lege dabatur juſtificatio non ex vi
legis directè acceptæ, ſed ut relatè ad Chri-
ſtum, ſeu ad aliam legem, & hoc eſt quod
dicitur communiter a Patribus ex ſuo legem
veterem non juſtificare, quia juſtificabat ſub
relatione ad aliam legem.

Dictum eſt *ex vi legis directè acceptæ*,
ſecundùm quod verba immediate exprimunt;
nam ut Chriſtum, atque futura bona præfi-
gurabat, quod ſane ipſi legi eſſentiale erat,
C dici poteſt ex propriis juſtificaſſe, ut bene
explicat Angelicus 3. *p. quæſt.* 8. *art.* 3. *ad* 3.
-- Dicendum quod Sancti Patres non inſiſte-
„ bant Sacramentis legalibus, tanquam qui-
„ buſdam rebus, ſed ſicut imaginibus, &
„ umbris futurorum; idem autem eſt motus
„ in imaginem in quantum eſt imago, & in
„ rem, ut patet per Philoſophum *in lib. de*
„ *memoria*, *& reminiſcentia*; & ideo anti-
„ qui Patres ſervando legalia Sacramenta,
„ ferebantur in Chriſtum per fidem, & di-
„ lectionem eandem, qua & nos ferimur,
„ & ita Patres antiqui pertinebant ad idem
„ corpus Eccleſiæ, ad quod nos pertine-
D „ mus -- Idem habes ex Auguſtino *lib.* 3.
contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 4.

Quoniam verò Apoſtolus quandoque le-
gem commendat, quandoque execratur, ex
prædictis facilem habes intelligentiam; illam
damnat ut ad Galatas, & ad Epheſios,
quia ſecundùm litteralem ſenſum non ha-
bebat vim juſtificandi, laudat ut ad Rom.
cap. 2., & 7., quia ſecundùm quod fereba-
tur in Chriſtum venturum, juſtificabat.

Prætermittimus Bezæ objectiones *in cap.*
22. *Matth. n.* 28., & *ad Rom.* 11. *v.* 27.,
quibus intendit evincere Deum non fore
auctorem veteris legis in eſſe teſtamenti;
E quia teſtamentum firmatur teſtatoris morte;
Chriſtus autem ſolummodo mortuus eſt pro
novo teſtamento; unde lex vetus teſtamen-
tum non erat. Sicut etiam teſtamentum eſt
æternum, nec ad certum tantummodo tem-
pus vim obtinet, ſicut erat vetus. Has, in-
quam, prætermittimus objectiones, ſiqui-
dem aperta eſt ſolutio: teſtamentum nam-
que vetus figurale erat & typicum, & mor-
te, & ſanguine in typo fuit firmatum, ut
habetur ad Heb. 9. v. 18. *Unde nec primum*
quidem ſine ſanguine dedicatum eſt . . . Acci-
piens ſanguinem vitulorum, & Hircorum . . .

ipſum

ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit dicens: hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus. Propter idem momentum in figurato æternum fuit, ut infra videbimus, inquirentes, an lex vetus tota fuerit abrogata.

CONTROVERSIA II.

AN IN VETERI LEGE ALIQUI CASTITATEM VOVERINT.

8 GAlianus plurimo labore inſurgit adverſus caſtitatis votum in lege veteri. Non eſt impræſentiarum inquirere virginitatis hoſtes, de hoc enim abunde dictum eſt ſuperiùs, ubi de Caſtitatis voto, ſed id unum juvat perquirere, quod veteris legis ſtatum reſpicit, ut hinc Monachatus antiquitas clariùs innoteſcat. Ad examen igitur nunc revocamus, an aliqui in veteri lege caſtitatem Deo nuncupaverint, in ſequentibus acturi de voto Obedientiæ, & Paupertatis. Lutherus, qui libidinis fræna laxavit, ita a caſtitate abhorrebat, ut in ſuo Epithalamio aperte docuerit, Mulieres ad conjugium tantummodo fuiſſe procreatas; hinc affirmat Moyſen ſingulis Judæis legem nubendi tradidiſſe, quam abſque crimine nemo poterat refugere.

Dicendum tamen eſt in veteri lege aliquos caſtitatem voviſſe.

9 PROB. I. Eunuchi ſpirituales illi meritò cenſentur, qui voto ſeſe obligant ad ſervandam caſtitatem, ſed in veteri lege hujuſcemodi Eunuchi dati ſunt; ergo in prædicta lege dati ſunt, qui caſtitatem Deo voverunt. Major in aperto eſt; ſiquidem juxta Bellarminum *lib. 2. de Monachatu cap. 23.* Eunuchus ſpiritualis dicitur per analogiam ad Eunuchum realem; is porro ita continet, ut non poſſit non continere; ergo Eunuchus ſpiritualis erit ille, qui ita ſervat caſtitatem, ut non poſſit non ſervare; quod aliunde fieri nequit, niſi per votum. Minor habetur Iſaiæ 56. v. 3., & ſeqq. *Et non dicat Eunuchus; Ecce ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus Eunuchis; qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Eunuchus ſpiritualis in veteri lege.

Eo loci loqui Iſaiam de ſpiritualibus Eunuchis in aperto eſt ſive ex contextu, ſive ex Patribus: & ſane promittit Dominus daturum iſtis præ aliis Iſraelitis nobiliorem locum, celebriuſque nomen; atqui Eunuchi reales nedum honeſtiorem locum, ſed ignobiliorem ſortiebantur; unde a Templo, a publicis officiis, miniſteriiſque arcebantur, ut habemus Deut. 23. v. 1. *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Domini*; neque illis nomen erat illuſtrius, immo cenſebantur infames; ergo dubio-procul de his non loquitur Dominus. Inter Patres Auguſtinus *lib. 14. contra Fauſtum cap. 13.* laudatum Iſaiæ textum adoptat pro ſpiritualibus Eunuchis, cumque objicit Fauſto Moyſem criminanti, quia ei maledixit, qui non ſuſcitaverit ſemen in Iſrael, & *lib. de Virginit. cap. 24.* ait — De quibus Spadonibus loquitur Deus „ per Iſaiam Prophetam, quibus ſe dicit daturum &c., niſi de iis, qui ſeipſos ca„ ſtrant propter Regnum Cœlorum — S. Hieronymus in hunc locum habet — Ergo in Eu„ nuchis nequaquam illi intelligendi ſunt, „ quos ardens Poeta deſcribens ait:

„ *Nec non infelix ferro truncata Juventus,*
„ *atque exſecta virum.*

„ Sed illi, de quibus in Evangelio Dominus „ loquitur, qui ſe caſtraverunt propter Re„ gna Cœlorum — S. Gregorius *lib. 3. Paſtoralis admonit. 29.* — Eunuchi quippe ſunt, „ qui compreſſis motibus carnis, affectum „ in ſe pravi operis abſcindunt. Quo autem „ apud Patrem loco habeantur, oſtenditur, „ quia in domo Patris, videlicet, æterna „ manſione etiam filiis præferuntur — Ejuſdem labii ſunt ceteri Patres in hunc locum.

10 Dicit Galianus 1. *p. diſc.* 3., & *alibi* Prophetam ſermonem inſtituere de Eunuchis novi teſtamenti: Iſaias namque magis erat Evangeliſta, quam Propheta, & in hoc ſenſu textum intellexerunt Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, aliique.

Verùm ne in æquivocatione laboremus, illius propoſitionis ſenſus ſpectandus eſt: etenim cum dicitur pertinere textum ad Eunuchos novi teſtamenti, vel eſt ſenſus, quod illi non ſervabant caſtitatem, niſi per Chriſti gratiam, quomodo dicunt Patres juſtos, qui in veteri lege fuere, ad novam legem ſpectare, & hoc ultro concedimus, ſed nil inde infertur, ſicut non colligitur, quod tunc temporis non fuerint juſti; vel ſenſus eſt Prophetam vaticinari de Virginibus novæ legis, negando in veteri quoſdam fuiſſe Virgines, & hoc perperam dicitur. Siquidem, ut habet S. Hieronymus in Iſaiam, hujoſce Prophetæ textus in idem redit, ac textus Sapientiæ 3. v. 13., & ſeq. *Felix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum, & Spado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima: dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ.* Porro textus hujuſmodi non eſt ſimpliciter prophetalis, nec ſimpliciter figurativus. Libri enim Sapientiales doctrinam continent abſolutam, ſingulis accomodatam, qui ad virtutis conſecutionem contendunt.

Addas velim Auguſtinum objurgare Fauſtum agentem contra Moyſen velut contrarium virginitati, aſſumendo laudatum Iſaiæ textum. Si autem loqueretur Propheta de lege gratiæ, argumentum Auguſtini nullimode urgeret Hæreticum, ut patet. Aliàs Patres clare innuunt quoſdam in veteri lege caſtitatem ſervaſſe: Tertullianus *lib. de Monog. cap.* 8. aſſerit Chriſtum teſtes ſuæ Transfigurationis aſſumpſiſſe Moyſem, & Eliam ob caſtitatis excellentiam — Moyſem, & Eliam

„ ſecum mavult alterum monogamum, alterum ſpadonem -- nempe Eliam, cui „ ſubſcribunt Epiphanius *hær.* 63. Anaſtaſius Sinaita in quæſtione Sacræ Scripturæ *quæſt.* 66. *aliique*.

Spiritualis Eunuchus impotens ex voto.

Nec valet dicere quoſdam in veteri lege ſervaſſe caſtitatem, ſed non ex voto; unde nequit inde colligi quoſdam tunc temporis caſtitatem voviſſe; etenim, ut apte animadvertit P. Suarez *Tom.* 3. *de Religione lib.* 9. *cap.* 1. *n.* 16. -- Non dicitur juxta propriam, „ & intentam analogiam illius metaphoræ ſe „ caſtrare ille, qui tantùm abſtinet a vene- „ reis, vel matrimonio, ſi ſemper ad id re- „ tinet poteſtatem, & liberam voluntatem, „ ſed ille, qui quantum moraliter poteſt, „ fit impotens ad humanam generationem -- ſed moralis hujuſmodi impotentia ex voto conſurgit; ergo ſi in veteri lege dati ſunt ſpirituales Eunuchi, ut probabiliter aſtruit idem Suarez *cit. Tom. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 3. meritò dici poteſt aliquos caſtitatem voviſſe. Immo laudatus Suarez *Tom.* 2. *in* 3. *p. Diſp.* 24. *ſect.* 6. docet Joannem Baptiſtam voto ſuam conſecraſſe virginitatem, hocque fore probabile affirmat, cum a Patribus innuatur; ſed Præcurſor eam vovit adhuc florente lege veteri; nondum enim reſonuerat Evangelium; ergo lex vetus Eunuchos admiſit ſpirituales, qui voto ſeſe adſtrinxerunt.

His placet addere, quod Sancti Patres eodem modo Eunuchos vocant Eliam, Eliſeum &c., quo nonnullos ex Apoſtolis; S. Anaſtaſius Sinaita *loco ſuperius cit.* habet -- „ Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter re- „ gnum cœlorum, hi ſunt præclari Apo- „ ſtoli, atque deinceps fuerunt Virgines, & „ Monachi, Joannes quidem, & Jacobus „ filii Zebedæi, & poſt illos quot millia „ Monaſticam vitam agentes, ſicut Elias, „ & Daniel in veteri teſtamento -- Salianus *ad annum* 3123. de S. Ephrem ſcribit -- „ S. Ephrem Syrus Eliam, & Eliſeum, & „ Apoſtolum Paulum in eorum numero re- „ cenſet, qui ſe caſtraverunt propter regnum „ Dei -- ſed Apoſtoli ita caſtitatem ſervarunt, ut fuerint voto ligati, ut in ſuperiori Tractatu abunde probatum eſt; ergo idem aſſerendum eſt de aliis.

Quod fortius comprobatur, ex quo aliqui in veteri Teſtamento perpetuam cuſtodierunt caſtitatem, ut præter innumeros fere Patres probat Suarez *in* 3. *p.* D. Thomæ *Diſp.* 6. *Sect.* 1. -- Multi Viri Sanctiſſimi in „ illa lege virginitatem ut meliorem colue- „ runt, ut de Jeremia, Elia, & aliis te- „ ſtatur Ignatius ad Philadelphos, & de „ Elia Ambroſius *Lib.* 1. *de Virginitate in prin-* „ *cipio*, quibus adjungit tres pueros Dama- „ ſcenus *lib.* 4. *cap.* 25., ubi eleganter de „ Danielis corpore dixit; ita fuiſſe virgini- „ tate ſolidatum, ut beſtiarum dentes illi „ infigi nequiverint, quod etiam notavit Hie- „ ronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum*, qui in „ Prologo ſuper Jeremiam illum Virginibus „ annumerat, & de Joanne Baptiſta conſtat „ virginitatem ſervaſſe, & tamen vir eximiæ „ ſanctitatis, & perfectionis a Judæis eſt „ habitus: quod etiam de Jacob fratre Do- „ mini notat Epiphanius *hær.* 30. dicens illo „ tempore etiam Judæos virginitatem magni- „ ficaſſe. Adde ex Joſepho *lib.* 13. *Antiq.* „ *cap.* 8., *& lib.* 2. *de Bello Judaico*. Eſſenos „ in magna ſanctitatis æſtimatione inter Ju- „ dæos fuiſſe, inter alia, eo quod perpe- „ tuam caſtitatem ſervarent, nec Auguſti- „ nus unquam hoc negavit -- ſed prædicti caſtitatem ſervarunt ex voto, & quidem primò loquendo ſpecialiter de Elia: communior Patrum, & Doctorum ſententia eſt Joannem Baptiſtam non ſolùm perpetuam ſervaſſe virginitatem, ſed eam voto ſacraſſe; ſed Joannes in ſpiritu, & virtute dicitur a Chriſto Eliæ ſimilis; ergo non abs re dicendum eſt ſervaſſe ex voto caſtitatem; audiamus Chryſoſtomum *Ser.* 88. -- Joannes ergo „ venit in ſpiritu, & in ejus virtute gradi- „ tur, qui totum victu, veſtitu, honore, „ caſtitate, abſtinentia, & omnibus Eliam „ virtutibus repræſentat --

Antiqui Patres caſtitatē ſervarunt ex voto.

Secundò. Suarez *Tom.* 2. *in* 3. *p. Diſp.* 24. *ſect.* 6. propugnat Præcurſorem voto caſtitatem Deo nuncupaſſe, quia perpetuò cœlibem degere vitam decreverat, ſeque totum eidem ſacraverat; ſed momentum hocce æque urget in Elia, Eliſeo, Jeremia, filiiſque Prophetarum, qui ad unum omnes ſeſe Deo dicaverunt, itaveruntque cœlibes eidem ſervire; ergo.

Perpetua caſtitas connaturalius ex voto ſervatur.

Tertiò. Quoad Sanctorum geſta id prudenter judicare debemus, quod convenientiùs, connaturaliuſque juxta rerum exigentiam deſideratur; atqui electio ſervandi perpetuò caſtitatem convenientiùs, connaturaliuſque petit fieri medio voto, licet ſine eo abſolute adimpleri poſſit: etenim ad perpetuam obſervantiam caſtitatis apprime neceſſaria eſt voluntas firma, ac velut immobilis; hæc autem non habetur per præceptum, adeoque habenda eſt ex voto. Hoc advertit Abulenſis *cap.* 30. *in Num. quæſt.* 21. loquendo de his, qui in veteri Teſtamento libere, & ſponte poterant ſeſe Deo devovere -- Pa- „ tet illud; quia cum aliqua fœmina vult „ ſe nunc applicare Deo, non eſt alius mo- „ dus convenientior, quam ſi voveat caſti- „ tatem perpetuam --

11 Reſpondet I. Galianus 3. *p. diſc.* 1. §. 3. *n.* 36. quod hanc connaturalitatem adoptando nil aliud plane eſt quam confundere Synagogam cum Eccleſia; quod enim perfecto ſtatui cenſetur connaturale, imperfecto nequaquam congruere videtur; porro Synagoga erat velut in ſtatu puerorum, quibus ſolidus cibus non tribuitur, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. v. 2. *Tanquam parvuli in Chriſto lac potum dedi, non eſcam.*

II. Hujuſmodi arguendi modus, nempe ex Eccleſia ad Synagogam, pluribus ſubeſt erroribus. Sicut, ſi quis diceret, connaturalius ſervatur caſtitas ſumpto Euchariſtiæ Sacramento; ſed in veteri lege quidam caſtitatem ſervarunt; ergo Euchariſtiam ſumpſerunt; quod falſum eſſe ad unum omnes fateantur oportet.

III. Judaiſmum redolet concedere Synagogæ media ad faciliùs, & connaturaliùs virtutes conſequendas, finemque ſalutis, quæ reſervavit Deus Eccleſiæ, cui meliora tradidit per Chriſti mortem.

Ve-

Verùm ex prædictis non enervatur vis argumenti ; ſiquidem , ut notat S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 110. *art.* 2. Deus non minus convenienter providit in ordine naturali , quam ſupernaturali , ut moveat Creaturas ad actus ſuos per formas , & virtutes proportionatas, quæ ſunt principia virtutum -- Multò magis „ illis , quos movet ad conſequendum bo„ num ſupernaturale æternum , infundit ali„ quas formas , ſeu qualitates ſupernaturales „ ſecundùm quas ſuaviter , & prompte ab „ ipſo moveantur ad bonum æternum con„ ſequendum -- Lex vetus utique non dabat hanc agendi connaturalitatem , ſed attendendo ad gratiam juſti tunc temporis connaturalia habebant principia conſequendi bonum virtutis, quia Sancti excellentioris notæ excellens elegerunt virtutis exercitium , propriumque modum , quo virtus ipſa petit exerceri , proindeque cum caſtitas perpetua petat connaturaliter firmari per votum , jam plane fit veteres caſtitatem ex voto ſervaſſe . Dicebantur quidem pueri , ſed ſolummodo per ſubjectionem ad legem ; hæc namque vires non præbebat ad egregia perpetranda ; aliàs per ordinem ad gratiam eſcâ paſcebantur , ſolidoque cibo plures etiam ex Patribus antiqui Teſtamenti . Certe excellens fuit obedientia in Abraham , caſtitas in Joſeph , in Tobia eleemoſyna , & patientia , manſuetudo in David , conſtantia , & fortitudo in Machabæis , aliaque virtutis opera , quæ nobis commendant Patres, imitandaque proponunt .

Bonum virtutis quomodo homini connaturale.

Secundum non urget ; ſiquidem argumentum noſtrum rem conſiderat ſecundùm ſuam naturam , & ſecundùm ea , quæ per ſe petit electio perpetuæ caſtitatis per ordinem ad eſſe intrinſecum eligentium , non verò conſiderando ad eſſe extrinſecum per habitudinem ad legem : ſumptio Euchariſtiæ per ſe ſpectat ad eſſe extrinſecum , nempe ad conſtitutiva legis gratiæ . Ulterius Euchariſtia his accenſetur , quæ per ſe pertinent ad inſtitutionem Chriſti ; electio verò perpetuæ caſtitatis inter ea computatur , quæ ſunt voluntarii juris ; cum ergo in veteri lege non daretur Euchariſtiæ inſtitutio , & haberetur libertas eligendi virtutis exercitium , ſicut etiam vovendi , ideo bene valet pro re nata argumentum.

Deficit tertium ; nam nobiliora media novæ legi reſervata non ſunt vota ; etenim indubie apud antiquos Patres erat invenire , qui Deo voverent ; unde David ſuaſor eſt, ut vota non tantum eliciantur , ſed etiam adimpleantur , Pſal. 67. v. 12. *Vovete , & reddite Domino Deo veſtro* . Non igitur ſapit Judaiſmum concedere Synagogæ votum caſtitatis; nam votum erat medium conveniens adhuc ea tempeſtate , bonum , Deoque acceptum . Media novæ legis meliora ſunt , quia conſummata per Chriſtum præſentem , & habent velut ab intrinſeco efficacitatem , non verò quia exercitium virtutis cum voto eidem legi gratiæ ſolummodo conveniat .

Media in lege gratiæ unde meliora præ antiquis.

12 PROB. II. In veteri lege dabantur viri , qui Nazaræi nucupabantur , voto ligati ; ſed eos inter nonnulli voverunt caſtitatem : nam Num. 6. v. 2. *Vir , ſive mulier , cum fecerint votum , ut ſanctificentur , & ſe voluerint Deo conſecrare &c.* Porro in hac conſecratione dedicatio caſtitatis apte intelligitur ex Tranſlatione LXX. , quæ litteram vulgatæ non jam deſtruit , ſed dilucidat. Igitur juxta Sixtinam emendationem habetur . *Vir , aut mulier , quicunque magnum voverit votum purificandi puritatem Domino* , quod in idem redit , ac ſi diceretur , quicunque voverit caſtitatem , ut aſtruit Auguſtinus Eugubinus *in recognit. veteris Teſtamenti ad Hebraic. veritat. n. 6.* -- Vovere votum „ purificandi puritatem Domino idem eſſe , „ ac vovere caſtitatem Domino -- ad quod alludit Damaſcenus *lib. 4. de fide cap. 25.* -- „ Annon denique lex ingens votum caſtita„ tis nuncupavit ? -- Hugo *in hunc locum* -- „ Amplexibus mulierum non vacabant -- & quidem quia Deo erant ſacrati per votum ; hinc Nazianzenus *Orat. de laudibus S. Baſilii* in Nazaræis Religioſorum ſtatum agnoſcit ; & S. Gregorius *lib. 32. Moral. cap. 7.* -- Quid „ enim Nazaræorum nomine , niſi abſtinen„ tium , & continentium vita ſignatur -- & clariùs S. Thomas 2. 2. *quæſt. 186. art. 6.* -- „ Sed contra eſt , quod in veteri lege Na„ zaræi cum voto ſanctificabantur ſecundùm „ illud Num. 6. Vir , ſive Mulier cum fece„ rint votum , ut ſanctificentur , & ſe vo„ luerint Domino conſecrare &c. Per eos au„ tem ſignificantur illi , qui ad perfectionis „ ſummam pertingunt , ut dicit Gloſſa Greg. „ *ibid.* ; ergo votum requiritur ad ſtatum „ perfectionis --

Nazaræi voto caſtitatis adſtricti.

13 Reſpondet Gallanus *p. 2. diſc. 1. §. 1.* nihil inde colligi ; quia etiam in conjugatis votum Nazaræorum inveniebatur , ut videre eſt in Sampſone . Addit I. Ex vi legis votum Nazaræorum erat non jam perpetuum , ſed temporarium , ut legitur Num. 6. v. 13. *Iſta eſt lex conſecrationis . Cum dies , quos ex voto decreverat , complebuntur : adducet eum ad oſtium tabernaculi fœderis &c.* , & v. 21. *Iſta eſt lex Nazaræi , cum voverit oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ &c.* , quod docuit Damaſcenus ſupra laudatus *de dormitione Virginis* aſſerens Virgines , quæ in Templo Deo dicabantur , uſque ad ætatis florem cuſtoditas fuiſſe ; hinc omnes auctoritates , quæ nobis opitulantur , de voto temporario explicat , additque II. S. Auguſtinum ad Quodvult Deum *hær. 9.* in lege gratiæ Nazaræos hæreticis accenſere , eaque propter concludenter affirmat nec in veteri , nec in nova lege affirmari poſſe Nazaræos perpetuum caſtitatis votum elicuiſſe .

Attamen quis uſquam ad eam devenit inſipientiam , ut contendat Nazaræos omnes perpetuo caſtitatis voto fuiſſe Deo nuncupatos ? Nemo ſane : novimus ſacros Interpretes palam tradidiſſe inter Nazaræos fuiſſe quoſdam temporario, quoſdam perpetuo voto ligatos . Novimus alios caſtitatem voviſſe ad juventutem uſque , in vidulitate alios , alios perpetuò Deo caſtitatem ſacraſſe . Doctrinæ noſtræ adſtipulatur Abulenſis in hunc locum -- Erant autem iſti , *ideſt Nazaræi* , duplices ; „ quia quidam habebant votum perpetuum , „ in aliis autem iſta ſegregatio erat tempo„ ralis -- In eandem confluunt ſententiam Hugo ,

Nazaræorum votum modo perpetuum , modo temporarium.

Hugo , & Cornelius a Lapide . Nec præci-
tata lex adverſatur ; liberum quippe unicui-
que relinquit vovere , atque ſolummodo pre-
tium redemptionis pro his præſcripſit , qui
poſt aliquod temporis recedere a Nazaræatu
voluiſſent , in quo veſtigium quoddam com-
mutationis votorum apparet ſecundùm Eccle-
ſiæ diſciplinam . Ceterum votum , idque
perpetuum in lege veteri agnovit Concilium
Senonenſe *Decreto 9. de votis Monaſticis* , ad
quorum hortatur obſervantiam -- Si quis vo-
„ tum aliquod hujuſmodi voverit , etiamſi
„ perpetuum fuerit , non facit irritum ver-
„ bum ſuum , ſed Deiparæ Virginis , Annæ
„ Matris Samuelis , & Rechabitarum exem-
„ plo , quod promiſit, implebit -- Ceterum
Patres duo hac ſuper re aſtruunt , videlicet
in aliquibus votum temporarium , in aliis
perpetuum ; unde perperam Adverſarius ar-
gumentatur : Patres aſſerunt votum fuiſſe
temporarium ; ergo negant perpetuum .
Quoad Auguſtinum dicimus meritò in lege
nova Nazaræos tanquam hæreticos traduce-
re , non quidem omnes , ſed eos qui con-
tendebant legalia pro ſtatu gratiæ fore ne-
ceſſaria . Etenim Paulus erat Nazaræus , &
tamen non niſi impie diceretur Hæreticus .

14 PROB. III. In veteri lege Eſſeni
caſtitatem ſervarunt ; ſed hanc ex voto ; ergo
in prædicta lege caſtitatis votum non fuit
ignotum . Major propoſitio ab Eruditis ne-
gari haud poteſt ; ſiquidem in rebus facti ſa-
tius antiquis , & fere Synchronis auctoribus
credendum eſt , quam recentioribus nullo
antiquitatis monumento roboratis. Porro Jo-
ſephus , qui meditatò Judaicam hiſtoriam
tradidit , cuique fidendum juxta Eruditorum
criterium , niſi cum Sacræ Scripturæ adver-
ſatur , *lib. 2. de Bello Judaico cap. 7. de Eſ-
ſenis* tradit -- Continentiam verò ſervare ,
„ neque cupiditati ſuccumbere virtutem ma-
„ ximam ducerent . Itaque nuptias quidem
„ faſtidiunt -- Plinius *lib. 5. Hiſtoriæ Natu-
ralis cap.* 17. -- Ab Occidenti littore Eſſeni
„ fugitant , gens ſola , & in toto Orbe præ-
„ ter ceteras mira , ſine ulla fœmina , omni
„ venere abdicata , ſine pecunia , ſocia pal-
„ marum . . . Ita per ſeculorum millia (in-
„ credibile dictu) gens æterna eſt , in qua
„ nemo naſcitur -- Genebrardus *lib. 1. Chro-
nographiæ ad annum* 4272. -- Eliſeus miris ,
„ & inuſitatis operibus inſignis conſtruxit
„ cellas Prophetis in Jerichuntis ſolitudine ,
„ manavit inſtitutum , & loci Religio ad
„ poſteros , fuitque deſertum hoc uſque ad
„ Engaddi ab Eſſenis habitatum hominibus
„ continentiæ incredibilis -- His concinit
Natalis ab Alexandro *Tom. 2. Hiſt. Veteris
Teſtamenti* , ubi *de VI. Mundi ætate cap.* 1.
art. 5. §. 4. ſcribit enim -- Cœlibatum ſer-
„ vant , paucis tamen exceptis -- Renique
comprobat auctoritate Joſephi , Plinii &c.

Eſſeni Deo dicati per votũ continentiæ.

Nunc ad minorem propoſitionem acce-
dimus , quæ ſequentibus evincitur . In idem
redit caſtitatem Deo vovere , ac eſſe ad illam
obligatum ; atqui Eſſeni erant obligati ad
caſtitatem : etenim præcitatus Joſephus refe-
rens eo loci Eſſenorum diſciplinam , atque
inſtitutum deſcribens habet -- Cum verò
„ proceſſu temporis experimentum conti-

A „ nentiæ dederit , accedit etiam ad commu-
„ nem cibum , & purioribus , ob caſtifica-
„ tionem ſcilicet , aquis participat , neque
„ tamen in convictu aſſumitur . Poſt oſten-
„ ſionem quippe continentiæ duobus annis
„ alii mores ejus probantur -- Hinc plura
deſcribens , quæ ſervare debebant ſubdit --
„ Illis quidem Sacramentis , ac ritibus obli-
„ gatus &c. --

Solinus *cap. 36. Hiſt. de Eſſenis* habet --
„ Nullus admittitur , niſi quem caſtitatis
„ fides , & meritum proſequatur -- Porro
caſtitatis fides nil aliud certe eſt , quam ca-
ſtitatis promiſſio , quæ cum voto coincidit ,
ut ex ſacris , profaniſque Scriptoribus com-
B pertum eſt . Siquidem Apoſtolus ad Rom. 3.
ſcribit . *Nunquid incredulitas fidem Dei eva-
cuavit ?* Fides hic non niſi promiſſionem
Abrahæ factam ſonat , & in communi ho-
minum intelligentia fidem dare idem valet ,
ac promittere : hinc Baronius *in Apparatu
Annalium n.* 58. admittit in lege veteri cœli-
batum -- Laudantur in hac parte apud eos
„ Eſſeni , qui ducentes vitam ſine uxore ,
„ perpetuæ ſe continentiæ mancipabant -- *&
n.* 60. loquens de voto S. Joſeph ſubdit -- Qui
„ ni præitaret hoc (*votum ſcilicet caſtitatis*)
„ juſtus , quod Phariſæi ad præſcriptum
„ tempus , & Eſſeni in perpetuum ea ætate
C „ obſervabant ? -- Accedit , pluribus omiſſis,
Robertus Arboricenſis Præſul *Tom. 1. de tuen-
do ſacro cœlibatu fol.* 18. , ubi habet -- Ante
„ Chriſti adventum emerſit certa aliqua
„ profeſſio virorum , qui ſibi quiſque , ſuiſ-
„ que ſucceſſoribus perpetui cœlibatus legem
„ indicerent , atque imponerent . Qui Joſe-
„ pho oculato teſti , Plinio verò aurito ,
„ Eſſeni dicti ſunt -- Alia habes apud Sal-
manticenſes noſtros , ex quibus dicta colle-
gimus , ut inde eadem propugnemus adver-
ſus Galianum .

15 Hic porro, ut vim argumenti effu-
giat , *p. 2. diſc.* 1. §. 3. inſurgit inquiens --
D „ Si ex Gentilium dictis , & Sacræ Scriptu-
„ ræ verbis licet argumenta componere ,
„ monſtra inferentur in concluſione --

Verùm Galianus ſic argumentando ce-
leberrimos Doctores criminatur , qui ſæpe-
numero pro firmandis Eccleſiæ dogmatibus ,
& potiſſimùm cum agitur de quæſtionibus
facti , ſimilia inſtituunt argumenta . Quoties
Baronius , ut alios taceam , Hæreticorum ,
& Gentilium utitur teſtimoniis ad compro-
bandum pium aliquem uſum præceſſiſſe an-
tiquitus in Eccleſia Dei ? Quoties Bellarmi-
nus ad inveſtigandam legitimam alicujus vo-
cis ſignificationem aſſumit Scripturæ textus ,
E modos dicendi Philoſophorum , Ethnicorum
phraſes ? Pro re nata occurrit exemplum *lib.
2. de Monachis cap.* 24. , ubi ex Geneſi , &
ex textu Apoſtoli explicat fidem pro promiſ-
ſione . Cur igitur nobis fas non erit tanto-
rum virorum veſtigiis inſiſtere , atque Scri-
pturas , Grammaticoſque conſulere , ut ſa-
nam vocum intelligentiam percipiamus ? *Vide
Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap.* 1. *n.* 24.

Ex profanis Scriptoribus ſæpe veritas colligitur.

16 DICIT II. Plinium , ſicut & So-
linum , utpote Gentiles , perpetuam caſtita-
tem haud commendare potuiſſe ; ſiquidem
juxta Ethnicorum leges -- Qui cœlibem vi-
„ tam

„ tam ducebant , apud Antiquos punieban-
„ tur , ut refert Valerius Maximus -- Et Pla-
to gentiliter vivens ſacrificavit, ut perpetuam
ejus continentiam, tanquam peccatum, abo-
leret .

Reſponſio hujuſmodi abs re eſt : ſiqui-
dem non eſt e re noſtra inquirere , an Gen-
tiles perpetuam laudaverint caſtitatem ; ſed
eorundem adoptamus teſtimonium , quo tra-
dunt Eſſenos illam Deo ſervaſſe : ſcimus
Magdeburgenſes cultum imaginum reproba-
re , jure tamen eorum auctoritatem adduci-
mus , quatenus referunt caſus, in quibus pa-
lam fit primis rei Chriſtianæ Seculis Catho-
licos imagines fuiſſe veneratos . Ceteroquin
perperam dicitur Sapientiores , potiſſime in-
ter Philoſophos , non agnoviſſe caſtitatis ex-
cellentiam ; Gentiles namque plurimas non
exercebant virtutes , harum tamen pretium
plerique Philoſophorum compertum habe-
Virtus apud Ethnicos in honore. bant : ea propter Angelicus Doctor nullam
fere moralem virtutem dilucidat , abſque
Philoſophi teſtimonio ; immo 2. 2. *quæſt.* 152.
art. 2. oſtendit continentiam fore ſecundùm
dictamen rationis , ut quis vacet contempla-
tioni , *& ad* 3. habet -- Dicendum quod le-
„ ges feruntur ſecundum ea , quæ ut in plu-
„ ribus accidunt ; hoc autem rarum erat
„ apud antiquos , ut aliquis amore veritatis
„ contemplandæ ab omni delectatione ve-
„ nerea abſtineret , quod ſolus Plato legitur
„ feciſſe ; unde non ſacrificavit, quaſi hoc
„ peccatum putaret , ſed perverſæ opinioni
„ Civium cedens, ut ibidem Auguſtinus di-
„ cit -- Validum in hac materia ex Plinio ,
& Solino argumentum , ut alios omittam ,
dicit Vaſquez *Tom.* 2. *in* 3. *p. Diſp.* 124. *cap.*
3. *n.* 41. -- Ex ipſis verò Judæis , & Genti-
„ libus habemus hujus rei præclarum teſti-
„ monium ; nam Joſephus *lib.* 2. *de bello Ju-*
„ *daico cap.* 7. , *& lib.* 18. *antiquitatum Ju-*
„ *daicarum cap.* 2. , Plinius *lib.* 5. *Hiſt. na-*
„ *turalis cap.* 17. , & Solinus *cap.* 36. me-
„ moriæ prodiderunt Eſſenos abſque fœminis ,
„ atque omni venere abdicata in communi
„ ſocietate , non quidem cum ignominia ,
„ & infamia , aut tanquam legis tranſgreſ-
„ ſores , ſed ſumma cum laude vixiſſe ; cum
„ in Evangelio multa contra Phariſæos , qui
„ erant alterius ſectæ , contra Eſſenos tamen
„ nihil ſcriptum inveniamus ; & quamvis
„ Cardinalis Baronius *Tom.* 1. *Annal. ſub an-*
„ *no* 64. *Chriſti* , non longe a principio , con-
„ tra Scriptores Gentiles contendat hanc ſe-
„ ctam Eſſenorum non fuiſſe antiquiſſimam
„ apud Judæos , & forſan , ſi poſſet , hoc ge-
„ nus vivendi ſolis Chriſtianis poſt Chriſtum
„ reſervaret ; tamen auctoritate Joſephi con-
„ victus non potuit negare eos ante Chri-
„ ſtum vixiſſe , & ita in apparatu annalium ,
„ horum exemplo probat virginitatem , &
„ caſtitatem tempore legis antiquæ non ve-
„ titam fuiſſe , ſed in magno honore -- Ex
his corruit , quod addit Adverſarius, nempe
Eſſenos a Patribus laudatos ad novam legem
pertinere ; hoc namque quid aliud eſt, quam
cæcutire in meridie ; cum Joſephus aperte
de Eſſenis veteris Teſtamenti loquatur .

17 DICIT III. Eſſenos ſervaſſe qui-
dem caſtitatem , non jam ob motivum vir-

tutis ; ſed quia experti fuerant mulieres fœ-
A diſragas , nec non intemperantes , & ad hunc
ſenſum trahit verba Joſephi *ex lib.* 2. *de bello*
Judaico -- Non quia conjugia , vel humani
„ generis ſucceſſionem cenſeant perimen-
„ dam , ſed quia cavendum putent intem-
„ perantiam fœminarum , nullam earum
„ uni viro fidem ſervare credentes --

Sed hujuſmodi arbitraria eſt interpreta-
tio , quæque magni nominis Auctoribus ad-
verſatur , qui plurimum commendant lauda-
bile Eſſenorum inſtitutum caſtitati incum-
bens . Porro ſi caſtitatem ob motivum vir-
tutis non obſervabant , quomodo diceret ibi-
dem Joſephus -- Continentiam ſervare , ne-
B „ que cupiditati ſuccumbere virtutem maxi-
„ mam ducerent ? -- Quomodo ſubderet --
„ Vivunt autem quam longiſſime , ita ut
„ plurimi eorum uſque ad centenariam pro-
„ ferantur ætatem , propter ſimplicitatem
„ ſcilicet victus ; quod eis nimirum accedere
„ puto propter inſtitutionem bene in omni-
„ bus ordinatam ? -- Bene ordinata inſtitu-
tio a dictamine rationis dirigitur . Ceterum
nonne laudabile eſt præcavere fœminarum
intemperantiam , atque infidelitatem ? Non-
ne adhuc melius ab iiſdem abſtinere propter
Deum ? Et ſane ſi non foret commendabilis
hujuſcemodi Eſſenorum continentia , nequa-
C quam eam in exemplum aſſumeret S. Hiero-
nymus adverſus Jovinianum *lib.* 2. *cap.* 9. --
„ Joſephus in ſecunda Judaicæ captivitatis
„ hiſtoria , & in octavo decimo captivitatis
„ libro , & contra Appionem duobus volu-
„ minibus tria deſcripſit dogmata Judæorum ,
„ Phariſæos , Saducæos , Eſſenos , quorum
„ noviſſimi miris effert laudibus , quod &
„ ab uxoribus , & vino , & carnibus ſemper
„ abſtinuerint ; & quotidianum jejunium
„ verterint in naturam ; ſuper quorum vita
„ & Philo , vir doctiſſimus , proprium vo-
„ lumen edidit --

18 DICIT IV. Eſſenos nequaquam
D perpetuam obſervaſſe caſtitatem , ſed trien-
nalem ; nam , fide fœminarum per triennium
experta , ſolemniter jungebantur Matrimo-
nio , ut refert Serarius ex Joſepho 1. *Machab.*
cap. 7. , *&* 14. , cui ſuppetias ferre videtur
S. Hieronymus *in* 1. *Paralip. cap.* 28. -- Quæri
„ poteſt , cur hi Eunuchi ad tam grande
„ conſilium vocati eſſe dicantur , cum Iſrae-
„ litas abſcindi lex prohiberet , & alienige-
„ næ non facile poſſunt admitti ad tam
„ grande conſilium . Tradunt Hebræi in
„ hoc loco illos vocari Eunuchos , qui ab
„ omnibus actibus Seculi alieni , orationi
„ tantum , & lectioni vacabant , & uxores
E „ non cauſa libidinis , ſed ſuſcipiendæ prolis
„ gratia habebant , quos Joſephus ſecundùm
„ eorum hæreſim Eſſenos vocat -- Ex ſupe-
riùs dictis inſtantia evaneſcit . In probatio-
ne alios diximus Eſſenos perpetuam coluiſſe
caſtitatem , alios temporaneam , illos habes
ex auctoritate Hieronymi citati contra Jo-
vinianum , ubi ſemper Eſſenos caſtos enun-
ciat , alios habes ex hoc loco : Serarius lo-
quitur ibi de ſecundis , qui alio nomine di-
cebantur Aſſidæi 1. *Machab.* 2. *v.* 42. , *&* 2.
Machab. 14. *v.* 6. non quod diverſam ab Eſ-
ſenis conſtituerent ſectam , ſed quia nomen
Aſſi-

Aſſidæorum commune erat omnibus piis, ſicut nomen Regularis commune eſt habentibus votum ſimplex, & ſolemne, & nomen Presbyteri latinis convenit Sacerdotibus, qui cœlibes vivunt, & Græcis uxoratis. Itaque Eſſeni qui perfectam communitatem obſervabant, hi perpetuam colebant caſtitatem. Videatur Natalis ab Alexandro *Tom.* 2. *Veteris Teſtamenti ætate* 6. *art.* 5. §. 4., ubi etiam plures refert, qui de Eſſenis ſcripſere.

19 DICIT V. Licet Eſſeni caſtitatem ex voto coluerint, nihilotamenminùs nihil inde laudis colligitur: non enim ab hæreſis labe immunes erant; quod pluribus evincitur: nam Joſephus *lib.* 18. *Antiquitatum cap.* 2., ubi agit de Eſſenis, ipſum caput inſcribit: *De quatuor hæreſibus apud Judæos*; idem habetur ex S. Hieronymo 1. *Paralip. cap.* 5., & Philo *de vita contemplativa* eorundem cœtum ſectam nuncupat.

S. Epiphanius *hær.* 19. de ipſis ſcribit -- „ Manſerunt uſque ad adventum Chriſti, & „ poſt Chriſti in carne adventum uſque ad „ devaſtationem, quæ facta fuit Tito Rege, „ Fratre Domitiano, filio verò Veſpaſiani „ Regis; poſt expugnationem verò Jeroſolymorum permanſit tum hæc, tum aliæ modico tempore, quæ videlicet hæreſes appellantur. Saducæorum, inquam, & Scribarum. Phariſæorum. Hemerobaptiſtarum, Nazaræorum. Oſſenorum, & Herodianorum; donec ſingulæ pro occaſione, „ & tempore diſſipatæ, ac abſolutæ ſunt -- Philaſtrius, qui anno Domini 380. floruit *Tom.* 4. *biblìot. PP. de Eſſenis* habet -- Eſſeni „ autem ſunt, qui Monachorum vitam exercent, eſcas deliciofas non ſumentes, nec „ ſtudium in veſtimentis gerentes, nec poſſidentes aliquid; lectioni autem, & bonis „ operibus inſiſtentes; in locis autem ſeparatis habitantes, Chriſtum autem Dominum Dei filium non expectantes, neque „ in lege, atque Prophetis eum Deum agnoſcentes annunciatum, ſed ut Prophetam, „ aut juſtum hominem Dominum ſolùm credentes expectant -- Guido Carmelitarum Generalis, & Epiſcopus Majoracenſis *de hæreſibus Errore* 12. inter Hæreticos connumerat Eſſenos -- Duodecimus error quorumdam „ Judæorum, qui dicuntur Eſſeni; dicunt „ enim quod Joannes Baptiſta fuit Chriſtus, „ qui ejus docuit omnem abſtinentiam, cui „ erat cibus locuſta, & mel ſilveſtre, & „ erat veſtitus de pilis Camelorum, & zona „ pellicea circa lumbos ejus, & prædicavit dicens: Facite fructum dignum pœnitentiæ; propter tam admirabilem pœnitentiam dixerunt iſti perfidi Eſſeni, quod „ Joannes Baptiſta fuit Chriſtus --

Hinc S. Nilus *in Aſcetico de Eſſenis* ait -- „ Habuerunt quidem mores ſimiles moribus „ Monachorum, ſed quia fide in Chriſtum „ caruerunt, nihil eis profuerunt Sancti „ mores -- & Joſephus *cit. loco Antiquitatum* varios eorum deſcribit errores, videlicet quod templum non adibant, ſeorſim ſacrificantes, quod ſuas ceremonias ſacrificiis præferebant a Domino inſtitutis, quod Solem velut Deum exorabant, atque omnia in fatum referebant, Pythagoricas inſuper proſequentes ſuperſtitiones; ergo antiquus Monachatus erat hæreticorum cœtus; ergo ſuper eos non debet novæ legis Monachatus fundari.

A RESP. Eſto, quod Eſſeni fuerint infecti hæreſis labe, non inde ſequitur in veteri lege jure negari poſſe aliquos laudabiliter coluiſſe ex voto caſtitatem. Siquidem ex quo aliqui circa aliquod dogma erraverint, perperam diceretur erronea fore omnia, quæ docent, peraguntque. Tertullianus, Origenes, Euſebius, Socrates, aliique quoſdam propugnarunt errores, quin reprehendantur quoad reliqua, quæ laudabiliter tradiderunt; unde eorum ſcriptis non ſine Catholicæ fidei utilitate utuntur Catholici. Cum ergo Eſſeni

B ob continentiam, obedientiam, & paupertatem bene audirentur a concivibus, palam fit caſtitatis obſervantiam non fuiſſe in contemptu, ſed potius in honore apud Judæos.

Illud tamen indubium eſt Eſſenos Judæos nequaquam a fide aberraſſe; unde notandum eſt Eſſenos alios fuiſſe Judæos, Samaritanos alios, de primis occurrit ſermo apud Auctores, quos ſuperiùs laudavimus, de ſecundis agit Epiphanius *hær.* 10., ubi declarat quatuor fuiſſe Samaritanorum ſectas, quarum primam ponit Eſſenorum; recedentibus Samaritanis a veritate doctrinæ, receſſerunt iidem Samaritani illi, qui

Eſſeni alii Judæi, Samaritani alii.

C perfectiorem vivendi rationem ſectabantur; hinc, dum ob diverſitatem doctrinæ inter ipſos Samaritanos facta eſt diviſio, eadem contigit inter Judæos Eſſenos, & Eſſenos Samaritanos. Tempore Concilii Chalcedonenſis portio una fidelium Alexandrinorum, Ægyptiorumque ſtetit in fide, defecit altera, ons cum illis quidam ex Monachis fuere, alii cum aliis, ex quo tamen hi erraverint, quis dicet erraſſe & alios? Ita in noſtro caſu.

Nos docet Evangelium Chriſtum non raro Saducæos, & Phariſæos reprehendiſſe, & tamen nuſquam legimus adverſus Eſſenos

D inſurrexiſſe; certum ſimiliter eſt Judæos nequaquam eos commendaſſe, qui ipſorum legi adverſabantur, eoſque qui tanquam hæretici traducebantur, nihilominus Eſſenos valde laudabant, ut compertum eſt ex Abulenſi *in* 3. *Matthæi quæſt.* 63. -- Erant valde „ laudabiles (*Eſſeni*) unde non ſolum Judæi, „ ſed etiam Gentiles eos valde laudabant -- Idem Abulenſis *Levit.* 22. *quæſt.* 7. -- Eſſenorum ſecta inter Judæos videbatur ſanctiſſima -- Et certe ſi hæreſeos nota ipſis inuſta fuiſſet, nuſquam S. Hieronymus eorundem exemplum adduxiſſet adverſus Jovinianum ad vetus Teſtamentum provocantem;

E facilè enim potuiſſet ab Hæretico irrideri, utpote aberrantium doctrinâ utens.

Ex his expedite diſſolvuntur objecta. Itaque nihil primum officit: etenim hæreſis nomen Græca dictio eſt, quâ optio, vel electio ſignificatur; unde ſumitur non raro pro firma opinione alicujus ſententiæ, qua de re apud Ciceronem in Paradoxis occurrit exemplum -- Cato autem perfectus (meâ „ ſententiâ) ſtoicus, & ea ſentit, quæ non „ ſane probantur in vulgus, & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem Orationis -- Cum igitur Eſſeni diſcretam ab aliis ele-

Hæreſis quandoque ſignificat opinionem.

Digitized by Google

elegerint vivendi rationem, apud antiquos dicebantur peculiarem hæreſim profiteri. Porro quod in hac ſignificatione hæreſis ſicut & ſectæ nomen uſurparetur, plane colligitur, ex quo mirifice eorundem inſtitutum laudatur, atque extollitur: quinimmo plerique Catholicorum, apud quos ſectæ, hæreſiſque nomen male auditur, loquendo de Eſſenis illud laudabiliter uſurpant, ut ſuperiùs vidimus ex Abulenſi *in Leviticum* -- Eſſenorum ſecta „ inter Judæos videbatur ſanctiſſima --

Nec dicas, quod a Joſepho nomen hæreſis Eſſenis accomodatur, ſicut Sadocæis, & Phariſæis, qui revera falſi dogmatis ſectatores erant: etenim Hæretici non a nomine, ſed a doctrina dignoſcuntur. Porro Joſephus Saducæorum, Phariſæorumque refert prava dogmata, Eſſenorum autem laudes.

Nihil itidem urget Epiphanii auctoritas; ſiquidem *hær.* 19. non de Eſſenis, ſed de Oſſenis agit; hi autem genus erat hypocritarum hominum, ut apte advertit Natalis ab Alexandro *Tom.* 2. *Hiſt. veteris Teſtamenti ætate* 6. *art.* 5. §. 4. -- Epiphanius *hær.* 19. „ Oſſenos ab Eſſenis diverſos facit, & diverſos plane fuiſſe neceſſe eſt, aut certe „ degeneres Eſſenos, & quia a prioribus „ inſtitutis omnino deflexerint, cum Exlai „ Pſeudoprophetæ prava dogmata ſunt amplexi --

Oſſeni ab Eſſenis diſcreti.

Philaſtrius non loquitur de omnibus Eſſenis, ſed tantummodo de quibuſdam ſermonem habet, qui non recte de Chriſto ſentiebant. Guido itidem eos ſolum tanquam hæreticos traducit, qui Joannem Baptiſtam fore Chriſtum præſumebant; ſed hi non erant Eſſeni, de quibus nos agimus, ſed recentiores quidam, pravis corrupti dogmatibus; quod evincitur, ex quo idem Auctor aſſerit ab ipſomet Joanne omnem didiciſſe abſtinentiam; cum alias Præcurſor Eſſenis accenſeretur. Demum S. Nilus eos impetit, qui in Chriſtum non crediderunt. Verùm ſicut ex quo plurimi ex Judæis Evangelium non adoptarunt, non inde colligitur Judæos omnes fuiſſe a fide devios, ita pro re nata de Eſſenis dicendum eſt.

Ultimum tandem non urget: errores ſiquidem, qui Eſſenis affinguntur, ab extortis interpretationibus dimanant: etenim cum dicitur cum populo non ſacrificaſſe, non inde colligas obtuliſſe ſacrificia in profano loco, ſed in templo a populi frequentia ſemoto; quia Religione, & Profeſſione ſe ceteris puriores autumabant; ſicut noſtra hac tempeſtate quidam ex Cœnobitis, Secularibus ſecluſis, ſacra peragunt myſteria. Textus, prout in meo Codice, non innuit, quod Sacrificia facerent Eſſeni extra Templum, quod omnibus deſerviebat, ſed extra concurſum populi: verum quidquid hac ſuper re propugnetur, non hoc eorum derogat ſanctitati; compertum quippe habemus Eliam in Carmelo peculiare erexiſſe altare, ubi hoſtiam obtulit laudabiliter Domino. Si enim eorum vita ab aliis diſcreta erat, quid mirum ſi ab iiſdem ſejuncti ſacrificabant? Neque in hoc erraſſe dicendum eſt; etenim laudatus Joſephus *de Bello Judaico* ait -- Præ„ cipue circa Deum Religioſi ſunt -- *& de*

Eſſeni a populo ſejuncti ſacrificabant.

A

Antiquitatibus -- Sacerdotes autem optimos „ viros eligunt -- Porro quo jure Religioſi dicerentur circa Deum, quomodo optimi forent Sacerdotes electi, ſi quoad ſacrificia erraſſent?

Quod additur, nempe eos ſuas peculiares ceremonias ſacrificiis a Deo inſtitutis præpoſuiſſe, in meo Codice deſideratur, quinimmo oppoſitum legere eſt, ſcilicet ſacrificaſſe, licet ab aliis ſegregati forent.

B

Perperam itidem dicitur Eſſenos Solem velut Deum exorare. Ex quo enim aſſerat Joſephus -- Ei, *nempe Soli*, quædam vota „ celebrant, quaſi ut oriatur precantes -- non inde colligere fas eſt ipſum ut Deum venerari; ibidem namque legitur præcipue erga Deum fore Religioſos; ſed innuitur ſub ortu Solis aſſuetos fuiſſe orare, ſibique felicem diem precari, ut Philo *de vita contemplativa* dilucidat -- Quotidie bis precari ſolent, ma„ ne, & ſub veſperam: Oriente Sole peten„ tes diem felicem, atque mentes eorum „ cœleſti repleantur lumine -- Videbantur igitur Soli preces offerre, ceterum verum Deum exorabant.

Oriente Sole orabant Eſſeni.

C

Quod additur de Fato nequaquam intelligitur ad mentem Stoicorum, ſed Catholicorum, nam Joſepho teſte, omnia dirigebant in Deum: ſufficiat adducere Abulenſem 3. *Matt. q.* 63. -- De his dicit Joſephus „ *cap.* 13. *Antiquitat.* Gens Eſſenorum om„ nia ſub fato eſſe confirmat, & nihil eſſe, „ quod hominibus proveniat ſine fatali de„ creto; de his enim 18. *Antiquit.* ait: Eſſe„ ni ad Deum omnia referunt, Ideſt, quod „ omnia pendent ex ſententia ſua.... Præ„ cipue circa Deum Religioſi ſunt.... Cum „ incipiunt, & cum deſinunt quaſi datorem „ Deum laudibus canunt.... Credunt nec „ abſque voluntate Dei cuiquam poſſe po„ tentiam Principatus accedere -- Ex quibus abunde compertum fit Divinam Providentiam illud fore Fatum, quod illi agnoſcebant; & de quo Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. Dei cap.* 1. -- Si propterea quiſquam res hu„ manas fato tribuit, quia ipſam Dei vo„ luntatem, vel poteſtatem, fati nomine ap„ pellat, ſententiam teneat, & linguam „ corrigat --

D

Demum gratis dicitur, quod Pytagoricas exercerent ſuperſtitiones. De hoc namque apud Joſephum altum ſilentium. Peculiares quædam ceremoniæ, atque uſus ab ipſo relati, non jam ab intrinſeco mali, ſed adjaphori ſunt; unde nihil deordinationis involvunt, ſi juſto exiſtente motivo exerceantur. In his porro nullum pravum interceſſiſſe motivum, ex eo palam fit, quod in eorum doctrina Dei cultus relucebat: hinc eſt, quod eorundem Philoſophia eo tendebat, ut eos allicerent, qui ſemel Dei ſapientiam guſtaverint -- Plane illecebram „ inevitabilem eis, qui ſemel de eorum ſa„ pientiâ guſtaverint, reponentes --

E

Putat Adverſarius ſuperſtitioſos fuiſſe Eſſenos, quia ſtudio Scripturarum inſiſtebant, ut haberent remedia pro morbis, atque lapillorum conſequerentur cognitionem.

Verùm de Scriptoris nullus eſt ſermo apud Joſephum -- Summum autem ſtudium

Digitized by Google

„ veterum ſcriptis adhibent : ea maxime , „ quæ animæ , & corpori expediant , eli- „ gentes . Hinc illis morborum remedia , „ ſtirpes medicæ , quamque vim propriam „ ſinguli lapides habeant , a rimantibus con- „ quiruntur -- Non igitur ex Scripturis ta- lia exquirebant , ſed ab aliis antiquis monu- mentis , quod dubio-procul abſque cenſura , immo laudabiliter peragere poterant .

Plura addi poſſent ad rem noſtram comprobandam ; verùm prædicta ſufficiant ; ex dicendis namque res clareſcet .

ADVERSANTIUM ARGUMENTA REFELLUNTUR .

20 ADverſarius noſter contra prædicta plura congerit , non quidem nova , cum a Doctoribus paſſim examinata , ſed in unum coacervata . Efficaciter ſenſa ſua exponit . Potiſſimum ſuper veteris legis imperfectionem ædificium elevat ; hoc ſæpenumero repetit , atque per plures paginas proſequitur : operæ pretium foret ab hoc deſumere primam objectionem ; quoniam verò opportuniorem locum infra habet , ideo ad ea convertimur , quæ promit , ut magis directe virginitatis votum evertat .

OBJIC. I. Nequit laudabile cenſeri exercitum a viris excellentioris ſanctitatis , quod a lege vetitum habebatur ; ſed obſervatio caſtitatis erat hujuſmodi : urgebat namque præceptum Gen. 1. promulgatum : *Creſcite , & multiplicamini* ; ergo perperam propugnatur laudabiliter in veteri lege ſervatam fuiſſe caſtitatem .

Tum veteres , tum recentiores Hæretici hoc argumento turpitudines ſuas propagare contenderunt ; hoc Deiparæ Virginitatem obnubilarunt ; hoc Jovinianus Virginitatem obtenebrans nuptiis poſtponere ſtuduit . Pro hac Sancti Patres pugnarunt , noſque cum illis ; ea propter dicimus cum Auguſtino *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 22. nullum eo loci contineri præceptum , ſed illis impertiri fœcunditatis benedictionem ; ideſt , declaravit ineſſe naturæ efficacitatem ad propagationem , ut textus innuit : etenim , creato homine , legitur : *Benedixitque illis Deus , & ait* : *Creſcite &c.* , & eodem verborum tenore utitur Scriptura , ubi de creatione piſcium , atque volatilium agit ; ſed his indubie non fuit injunctum præceptum , cujus non erant capaces , ſed eorundem deſignata eſt fœcunditas ; ergo .

Non habetur Gen. 1. præceptum de multiplicatione.

21 DICES . S. Thomas expreſſe vult omnibus datam fuiſſe in lege naturæ , & ſcripta obligationem filios procreandi , ideo 3. *p.* *q.* 28. *art.* 4. habet -- Tempore legis oportebat generationi inſiſtere tam mulieres , „ quam viros -- Verbum *oportebat* præceptum ſignificat . Idem confirmat Angelicus *in Reſp. ad* 1. -- Dicendum quod quia videbatur lege prohibitum non dare operam „ ad relinquendum ſemen ſuper terram ; „ ideo non ſimpliciter &c. -- ergo .

Hiſce utuntur auctoritatibus nonnulli ex Scholaſticis , ut minus venerabilem reddant Angelici doctrinam , quatenus ibidem

A minuere videtur excellentiam voti Virgineæ Matris , cum dicat votum illius ante deſponſationem conditionatum tantummodo fuiſſe . His concinit Adverſarius noſter Galianus 1. *p. diſc.* 3. §. 4. , ut votum caſtitatis deprimat in Elia , caſſo tamen , irritoque labore : etenim verbum *oportet* non ſemper innuit neceſſitatem , ſed quandoque dicit congruitatem , & ibi ſenſum reddit ; quia Judæis promittebantur in lege immediatiùs temporalia bona , quibus accenſebantur filii , plerique generationi operam dabant ; ea propter illi ſtatui dicitur quidem competere connubium , non verò quod quilibet deberet generare . Ver-

Verbum oportet ſæpe declarat congruitatem , non neceſſitatem .

B bum *oportet* uſurpari non pro neceſſitate , ſed pro congruentia , clare habetur ex Cicerone *ad Attic. lib.* 6. -- Hoc fieri & oportet , & „ opus eſt --

Textus alter S. Doctoris non officit : non enim dicit abſolute prohibitum fuiſſe non nubere , ſed quod videbatur prohibitum , quia ſcilicet temporalibus promiſſionibus cenſebatur conforme ; porro B. V. in omnibus apprime circumſpecta ex hoc adduci potuit , ut conditionatum votum eliceret , & quidem potiſſimum cum obedientiſſima Sacerdotibus , ad quorum nutus pendebat , ſubdita erat . Videatur Suarez *Tom.* 2. *in* 3. *p. quæſt.* 28.

C *art.* 4. *diſp.* 6. *ſect.* 1.

Ceterum ſecundò ad argumentum reſpondetur , quod licet verba Geneſeos præceptum importent , non inde tamen totam afficiebat communitatem in ſingularibus , ſed in communi . Audiatur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 152. *art.* 2. *ad* 1. -- Sed præceptum „ datum de generatione reſpicit totam multitudinem hominum , cui neceſſarium eſt „ non ſolùm , quod multiplicetur corporaliter , ſed etiam quod ſpiritualiter proficiat , „ & ideo ſufficienter providetur humanæ „ multitudini , ſi quidam carnaliter generationi operam dent , quidam verò ab hac

D „ abſtinentes contemplationi Divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem , & ſalutem , ſicut etiam in exercitu quidam Caſtra cuſtodiunt , quidam „ ſigna deferunt , quidam gladiis decertant , „ quæ tamen omnia debita ſunt multitudini , ſed per unum impleri non poſſunt -- Ex quibus non ſolùm ſolvitur argumentum , ſed etiam confirmatur noſtra concluſio , cum D. Thomas ponat quaſi quoddam debitum , ut aliqui ſint , qui Virginitatem colant .

Sed ultro demus in textu Geneſis contineri præceptum ſingulos afficiens , hoc tamen non urgeret quovis tempore , ſed eo

E ſolummodo , quo id neceſſarium foret ad humanum genus propagandum : ita ſentit Hieronymus *lib.* 1. *adverſus Jovinianum cap.* 9. -- Neceſſe fuit prius plantare ſilvam , & „ creſcere , ut eſſet quod poſtea poſſet excidi ; ſimulque conſideranda vis verbi : *Replete terram* . Nuptiæ terram replent , virginitas Paradiſum --

22 OBJIC. II. Galianus 1. *p. diſc.* 3. §. 1. *n.* 156. , *& ſeq.* Ut poſſet in aliquo ſtatu veteris legis laudabiliter ſervari caſtitas , debuiſſet Hebraicæ Genti compertum fore ſublatum eſſe infœcunditatis opprobrium ; atqui

eo

eo tempore oppoſitum innoteſcebat: Exod. 23. *Non erit in te infœcunda, nec ſterilis in terra tua*. Deut. 7. *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus*. Gen. 30. cum Rachel peperiſſet filium ſuum Joſeph, dixit: *Nunc abſtulit Deus opprobrium*: Lia, habito filio ex ancilla ſua, exclamavit: *Hoc pro beatitudine mea*. 1. Reg. Anna Samuelis ob infœcunditatem ab æmula exprobrata amaro animo flebat, & Eliſabeth, Joanne in lucem edito, inquit Luc. 1. v. 25. *Quia ſic facit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines*. His palam fit infœcunditatem involvere quandam infamiæ ſpeciem apud Hebraicam Gentem; ergo.

RESP. Nuſquam apud eos, qui Prophetarum Oracula noverant, opprobrioſa credita eſt virginitas, ob motivum virtutis adoptata. Compertum quippe habere poterant Chriſtum ex Virgine naſciturum: eapropter laudati textus ex Exodo, atque Deuteronomio abs re afferuntur: ibi enim Scriptura legem ſervantibus prolem tanquam præmium promittit: hocce clare patet ex contextu: ibi namque dat Deus præcepta legis, hortaturque populum ad ejuſdem adimplementum, hinc fidelibus præmia promittit, inter quæ fœcunditas recenſetur. Non interceſſiſſe præceptum ibidem clare evincitur, cum idem ſub eodem verborum tenore dicitur de gregibus; dein quomodo poterat Deus præcipere, ne quis eſſet infœcundus, & ſterilis, cum ſterilitas ſit neceſſarius naturæ effectus? Cetera quæ referuntur, non urgent: ſiquidem loquuntur de Nuptiis ſterilibus, & iſtis ſterilitas in opprobrium vertebatur, ſicut & impræſentiarum, quamvis modo plane diverſo, ac in veteri lege: per eam namque manifeſtatur defectus quidam naturæ, & impedimentum contra finem nuptiarum. Momentum autem, cur tunc temporis fœcunditas deſiderabatur, illud erat, quod hæc legem obſervantibus promiſſa erat, pro peccatis verò comminata ſterilitas juxta illud Oſee 9. v. 14. *Da eis vulvam ſine liberis, & ubera arentia*, ideoque ſpeciem quandam ignominiæ præſeferebat, quaſi quod a peccato dimanaret. Nullibi tamen in Scripturis legere eſt ſive opprobrium, ſive maledictio adverſus eos, qui ob virtutis amorem ſeſe continebant.

Fœcunditas præmium bonorum operũ.

23 OBJIC. III. Præcipitur Deut. 25. v. 5., & ſeq. ut frater ſuſcitet ſemen fratris ſui. *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit*. Quod ſi ſuperſtes illam ducere nolebat, ipſa coram ſenioribus tollebat calceamentum de pede illius, atque in faciem ejus ſpuebat dicens v. 9. *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui*. Porro ex his quis non videt, quam contumelioſum ſingulis foret non nubere?

Hoc urgebat argumentum Fauſtus, quaſi Moyſes invidus eſſet continentiæ, cui apte fieri ſatis poteſt ex Damaſceno *lib.* 4. *de fide Orthodoxa cap.* 25., ubi explicat verba Geneſeos: *Creſcite, & multiplicamini &c.* -- Oportet igitur ſpiritualius accipere legis præceptum: nam eſt ſemen ſpirituale per charitatem, & timorem Dei in mentis utero parturienti, & parienti ſpiritum ſalutis. Sic autem accipiendum eſt hoc: Beatus eſt, qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Jeruſalem. Quid enim ſi fornicator, ſi ebrioſus, ſi idololatra, beatus ne eſt, ſi ſolum ſemen habet in Sion, & familiares in Jeruſalem? Nullus, qui recte ſapit, hoc dicit -- Spiritualiter igitur intelligi poteſt præcitatus Scripturæ textus. Verùm litteralem ſenſum ſi perſcrutemur, non urget: ſiquidem non ibi ponitur præceptum cogens fratrem, ſed hic cedere poterat juri prælationis, ut compertum eſt in caſu Ruth cum Booz, ut legitur Ruth cap. 3., & ſeq., qui eam ad propinquiorem remiſit, qui ceſſit juri ſuo. Poterat ergo fratris uxorem alteri cedere; in ſignum porro ceſſionis exuebat calceamenta, & mulier expuebat in faciem, ideſt, coram eo, dicebatque: *Sic fiet homini, qui non ædificat &c.* Ceremoniæ hujuſmodi mutuam innuebant ceſſionem, ita ut alteri poterant nubere. Eſto tamen haberetur in caſu præceptum obligans, quid inde? Poteſt ne peculiare præceptum jure ad omnes extendi? Nequaquam ſane.

Libere Frater poterat ſemen fratris ſuſcitare.

Hinc in aperto eſt, quam futile ſit argumentum, quod urget Adverſarius *p.* 1. *diſc.* 1. §. 4. *n.* 78., nempe quod præceptum de ſuſcitando ſemine publicum erat, votum verò emiſſum ignotum prorſus etiam Sacerdotibus: ſi ergo frater alicujus Monachi fato functus eſſet, nec filios genuiſſet, potuiſſent Sacerdotes cogere Monachum ad nubendum. Potiſſimum cum id quod ſaltem indirecte eſt contra legem nequit eſſe materia voti; ſed obſervantia perpetuæ caſtitatis indirecte ſaltem huic legi adverſatur; ergo.

Futile, inquam, eſt hujuſmodi argumentum, cum ex falſa legis intelligentia procedat. Quare Monachus ille nequaquam adſtringi poterat ad nuptias, etiamſi lex vim habuiſſet ad mentem Adverſarii: noverant quippe Sacerdotes vim votorum; quod ſi votum fuiſſet occultum, manifeſtari poterat Sacerdotibus, ſi opus fuiſſet. Et ſane demus quod alter ex fratribus viduus prius fuiſſet, & ſine liberis, hinc perpetuam voviſſet caſtitatem, quod utique legi non adverſabatur; quid tunc peregiſſent Sacerdotes? Quomodo lex illa de ſuſcitando fratris ſemine obligaſſet?

Poſt votum nemo ad nuptias adſtringi poteſt.

24 DICES *ex eodem* 1. *p. diſc.* 3. §. 1. Quod non eſt in Scripturis commendatum, non eſt cenſendum in veteri lege adoptatum; ſed Virginitas non eſt in Scripturis Sacris commendata: etenim *a capite* 44. *Eccli. uſque ad* 55. illuſtriorum, ſanctiorumque virorum laudes referuntur, de caſtitate autem nulla mentio, immo laudantur illi ex filiis, & generationibus, *& cap.* 48., ubi de Elia, de Virginitate altum ſilentium.

In ſuperioribus pluries commendatam habuimus caſtitatem in Scripturis; porro haud neceſſe eſt, quod eadem ubique repetantur; quare etſi ultro concedatur, locis in Eccleſiaſtico enunciatis, nullam occurrere

Non ubique eadem laudantur.

mentionem caſtitatis, nihil tamen colligeretur. Ceterum laudatis locis nec omnes viri commendabiles, nec omnes virtutes enunciatorum recenſentur; & ſane ſi genus illud argumenti urgeret, quot virtutes in præcitatis viris abnegari deberent, cum plurium nullus ſermo habeatur? Verùm ut de Elia loquamur; eo loci nulla uxoris mentio fit: unde Patres, quos dabimus infra, apte colligunt Virginem fuiſſe. Laudantur quidem ibi præcellentes viri ex filiis, atque Nepotibus, ſed laus hæc totam afficit collectionem, quin ad ſingulos extendatur.

25 Inſtat Galianus ibidem. Ut Virginitas apta foret materia voti pro ea gente, cui toties promiſſa fuerat benedictio in filiis, debuiſſet præcellentia Virginitatis ſupra nuptias innoteſcere; ſed nullibi in veteri lege adinvenitur Virginitas nuptiis prælata tanquam bonum melius, aut ei nobilius promiſſum præmium; ergo.

Sanctiores viri caſtitatis pretium noverant.

Inſtantia in pluribus deficit; & primò quidem haud neceſſe eſt, quod Virginitatis prærogativa univerſo innoteſceret populo, ſed voventibus, qui cum eſſent excellentioris ſanctitatis apprime ejuſdem perfectionem noverant: ſecundò, in benedictione prolis non ſemper carnalis inſpicitur, ſed quandoque myſtica, & ſpiritualis ſignificatio, ut ex Damaſceno ſuperiùs probatum eſt: tertiò, ſolummodo conſideratur Scriptura quoad partem, nempe Pentateuchon, quin libri Sapientiales, & Prophetales perpendantur, in quibus & myſtica rerum intelligentia, & caſtitatis referuntur laudes. Lex igitur, quæ Moyſis dicitur, nec poſitive præcipit, aut perpetuam conſulit caſtitatem, huic tamen non adverſatur, aliunde moralium virtutum honeſtas, & Virginitatis excellentia ſanctioribus viris ſive ex naturali ratione, ſive ex naturæ lumine innotuiſſe indubium plane eſt.

26 OBJIC. IV. In veteri lege ob propagationem populi Dei Virginitati præferebatur conjugium; ergo caſtitas laudabiliter non poterat adoptari, multòque minus voveri. Ad ſuam evincendam propoſitionem, innumeras fere Patrum ſententias congerit Galianus, atque per totum diſcurſum 3. primæ partis refert. Hinc ſæpe Auguſtinum, ſæpe Hieronymum, ſæpe Angelicum in medium profert, contendens laudatos Patres velle, quod lex vetus non nubentibus eſſet in maledictum: debebat namque Gens Hebraica multiplicari, atque operam dare generationi, quia ex illa naſciturus erat Meſſias; adeoque omnes tenebantur ad nuptias: ex quibus duplex argumentum efformatur. Primum. Unuſquiſque, quantum in ſe eſt, Eccleſiam tenetur propagare; ſed in veteri Teſtamento non propagabatur, niſi per nuptias; ergo. Alterum. Unuſquiſque in ſua familia gloriam expectabat naſcituri Meſſiæ; aliàs expectabatur naſciturus per carnalem generationem; ergo.

Crambe recocta. Argumentum hocce ſæpenumero enervatum eſt; ea propter brevi calamo impræſentiarum ea innuimus, quæ illud funditus evertunt. Si igitur Scriptura juxta corticem literæ, quæ temporalia promittit, ſi relate ad univerſam gentem, & pro tempore, quo neceſſitas propagationis urgebat, intelligatur, nonnniſi vera enunciat; ceterum ſi ſenſus myſticus perſcrutetur, ſi nonnulli ſpectentur ſpecialiter a Deo moti, ſi demum humanum genus ſufficienter propagatum concipimus, Scriptura præter enunciatam ſignificationem, ſive myſticam aliam habere intelligentiam, ſive ſub illis terminis generalibus non omnes comprehendere meritò cenſenda eſt: quo pacto cum dicitur: *Omnes quærunt quæ ſua ſunt: Duces veſtri cæci omnes*, ſupponunt quidem pro multitudine, non verò pro ſingulis. Hinc ad primum argumentum dicimus, quod ad propagandam Eccleſiam ſufficiebat obligatio penès multitudinem, non autem penès ſingulos, & quod hi animum haberent paratum, illam carnaliter propagandi, ſi neceſſitas occurreret, ſicut in lege nova non omnes actu ſpirituali incumbere debent propagationi. Addas velim, quod etiam pro tunc ſpiritualiter propaganda erat Synagoga, adeoque æquum erat, ut aliqui a nuptiis abſtinerent.

Termini univerſales non ſemper pro omnibus ſupponunt.

Itidem ut ſarta tectaque eſſet gloria expectati Salvatoris ſat erat obligatio nubendi penès multitudinem. Potiſſimùm cum ſolummodo ex Tribu Judæ promiſſus habeatur Meſſias quoad nativitatem; immo doctiores ex filiis Iſrael ſive ex laudata Tribu Judæ, ſive ex aliis Tribubus optime ex figuris, & Prophetiis dignoſcere valebant Meſſiam ex Virgine naſciturum, ut Catholici adverſus Hebræos ex Rabbinorum auctoritatibus ſatis oſtendunt: eaque propter poterant aliqui caſtitatem ſervare, ut hanc ſibi gloriam adſciſcerent.

Rem comprobatam habes ex Angelico 4. *Sent. diſt.* 49. *quæſt.* 5. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 3.
-- Etiam tempore legis Moyſis, quando cul-
„ tus Dei etiam per carnalem actum propa-
„ gandus erat, non erat omnino laudabile
„ a commixtione carnis abſtinere; unde nec
„ tali propoſito ſpeciale præmium redderetur,
„ niſi ex divino proceſſiſſet inſtinctu,
„ ut creditur de Jeremia, & de Elia, quo-
„ rum conjugia non leguntur -- His innuit Angelicus in pluribus datam nubendi obligationem; ſi enim hujuſmodi obligatio non interceſſiſſet, dubio-procul fuiſſet omnino laudabile non nubere. Dicit quoque ſpeciale præmium non fuiſſe aſſignatum; verùm hoc intelligitur relate ad legem Moyſis. Ceterum compertum facit hoc fore abſolute laudabile, accedente Divini numinis afflatu, quo moti fuere ad caſtitatem ſervandam Elias, & Jeremias, qui præ aliis exempli cauſa referuntur.

Elias, & Jeremias Virgines.

27 OBJIC. V. *ex eodem* 1. *p. diſc.* 3. *§.* 2. *a num.* 164. *uſque ad* 170. Quod adverſatur doctrinæ ab Univerſali Eccleſia ſcienter, & poſitive adoptatæ, nequaquam probabile dici poteſt; ſed doctrina de voto caſtitatis, immo de caſtitatis obſervantia, opponitur doctrinæ ab Univerſali Eccleſia ſcienter adoptatæ: etenim *in Nocturno III. Officii S. Cæciliæ ex hom. S. Joann. Chryſoſtomi* legitur -- Magna quædam de Virginitate diſſe-
„ ruerat, dicens: ſunt Eunuchi qui ſeipſos
„ caſtraverunt propter Regnum Cœlorum,
„ &c.

Google

„ &c. Qui poteſt capere capiat . Non igno- „ rabat de Virginitate magnam vulgò eſſe „ exiſtimationem , quippe cum ſit ea res na- „ turâ ſublimis ; quod inde patet, quod nec „ in veteri Teſtamento a priſcis illis , ſan- „ ctiſque viris culta fuit , & in novo nulla „ legis neceſſitate jubetur -- Porro ſi ab Iſraelitica Gente culta fuiſſet Virginitas, falſo inniteretur ſuppoſito S. Doctoris argumentum: unde clare evincitur ea in lege nullum adfuiſſe , ſive præceptum , ſive conſilium de Virginitate , quin immo rem plane novam fore , atque legis gratiæ propriam.

Refert etiam S. Ambroſii auctoritatem *ex homilia , quæ in ſecundo Nocturno de communi Virginum* , videlicet -- E cœlo accerſi- „ vit , quod imitaretur in terris . Nec im- „ meritò vivendi ſibi uſum quæſivit a cœlo , „ quæ ſponſum ſibi invenit in cœlo -- Ex quibus hunc inſtituit diſcurſum . Tunc Virginitatis cultus in terris apparuit , cum manifeſtatus eſt Sponſus , quem in cœlis invenit ; ſed iſte ſolummodo , illuceſcente lege gratiæ, manifeſtatus eſt : non enim alius eſt a Chriſto ; ergo ſolummodo in nova lege Virginitatis cultus apparuit .

II. Virginitas , quando in mundo viſa eſt , ſeu ea , de qua natus eſt Chriſtus , eſt ſponſa ; ſed in veteri lege non erat ſponſa , ſed ſerva ; ergo in ea lege Virginitas viſa non fuit ,

III. Sicut Virginitas naturalis corporis Chriſti nequit dici temporaliter nata , niſi ex matre Virgine , ita Virginitas myſtici corporis Chriſti dici non poteſt ſpiritualiter genita , niſi ex ſponſa Chriſti Virgine , myſtica matre in Chriſto ; ſed Eccleſia unica eſt Chriſti ſponſa , & mater myſtici corporis Chriſti , immo eſt myſticum ejuſdem corpus ; ergo Virginitas Deo ſacra haud dici poteſt in tempore ſpiritualiter genita , niſi ex Chriſti ſponſa Virgine , Matre myſtica in Chriſto , & per Chriſtum . Totam hujuſce diſcurſus ſtructuram fundavit Galianus in Hieronymo *lib.* 1. *contra Jovinianum cap.* 9. -- „ In Chriſtum renaſcimur Virginem , qui „ & natus ex Virgine , & renatus per Vir- „ ginem eſt -- & in Auguſtino *de vera Virginitate cap.* 12. -- Si harum *Virginum* quæ- „ ritur Mater , Eccleſia eſt ; non parit Vir- „ gines ſacras, niſi Virgo ſacra ; Virgo illa, „ quæ deſponſata eſt uni viro caſta exhiberi „ Chriſto : ex illa non tota corpore , ſed „ tota virgine ſpiritu naſcuntur ſacræ Virgi- „ nes & corpore , & ſpiritu --

Argumentum hocce , quod magni facit Galianus , in ipſum regeritur: eadem namque Univerſalis Eccleſia, quæ Officium S. Cæciliæ adoptat , ſicut & Lectiones D. Ambroſii pro Virginibus, eadem , inquam, eſt, quæ Carmelitarum Officia approbavit , ubi ſatis innuitur in veteri lege obſervantia Monaſtici Inſtituti , ſicut & votorum . Ceterum videamus quid ſenſerit Chryſoſtomus hac ſuper re . Lib. itaque *de Virginitate cap.* 79. ſcribit -- Qua enim , quæſo , re differebant „ ab Angelis Elias , Eliſeus, Joannes , ger- „ mani hi virginitatis amatores ? Nullâ , niſi „ quod mortali natura erant obſtricti ; nam „ cetera ſi quis diligenter inquirat , nihilo- „ minus affecti reperientur , quam beatæ illæ „ mentes &c. -- Admittit igitur in veteri lege cultum Virginitatis , ea propter in priori auctoritate vult , quod in paucioribus fuerit exculta Virginitas , itaut hi ob nubentium multitudinem vix dignoſcerentur .

Eccleſia non renuit votum caſtitatis in veteri lege admittere.

A

Ad textum S. Ambroſii reſpondemus ea referendo , quæ ſubdit -- Dicet aliquis ; ſed „ etiam Elias nullius corporei coitus fuiſſe „ permixtus cupiditatibus invenitur . Ideo „ ergo curru raptus ad Cœlum ; ideo cum „ Domino apparet in gloria ; ideo Dominici „ venturus eſt Præcurſor adventus -- Sentit ergo Ambroſius in veteri lege fuiſſe excultam virginitatem ; ergo non eſt contra Eccleſiæ ſenſa propugnare , quod in veteri lege fuerint Virginitatis cultores .

B

Dicit Adverſarius *n.* 170. Ambroſium prædictis ſequentia ſubnectere -- Sed quid „ Apoſtolus ? Hæc autem in figuris contin- „ gebant illis , ut eſſent indicia futurorum : „ figura enim in paucis eſt , vita in pluri- „ bus -- ergo virginitas Eliæ fuit velut in umbra , & in figura .

Verum enim verò quid ex hoc contra nos ? Ex quo enim Eliæ virginitas umbra fuerit virginitatis novæ legis , inepte colligitur , quod illa in veteri lege non præceſſerit , immo validiùs comprobatur ; ſicut ex quo obedientia Abrahæ umbra fuerit obedientiæ Chriſti , & Religioſorum ſeſe Chriſto devoventium , non facit , quod illa non præceſſerit in veteri lege , ſed magis evincitur . *Vide infra n.* 102.

Figuræ comprobant rei exiſtentiam.

C

Porro quanti valeat auctoritas S. Doctoris pro Adverſario ex eo colligere fas eſt , quod ex ea noſtra roboratur aſſertio . Nam ex S. Ambroſio in veteri Teſtamento præceſſerunt figuræ eorum , quæ in lege gratiæ ſunt excellentiora ; ſed in hac lege inter excellentiora enumerantur Evangelica conſilia ; ergo eorum præceſſerunt figuræ ſaltem in aliquibus .

D

Virginitas itaque de Cœlo deſcendit ; donum quippe eſt peculiare Dei , non carnis privilegium ; ſponſum in Cœlo Chriſtum invenit , & eo coronata in terris apparuit ; in veteri Teſtamento Chriſtum ut futurum proſpexit , in novo Chriſtum ut præſentem contemplata eſt ; unde nequaquam fuit ſponſa abſque ſponſo ; ſicut nuſquam Eccleſia fuit abſque capite . In illa lege licet Virginitas revera ſponſa foret , ſerva tamen apparebat , quia a viris ſubditis legi ſervitutis adoptata ; nec ex corrupta Matre myſtica genita , ſed ex Virgine : vetus namque Eccleſia non fuit concubina , ſed ſponſa , & Virgo , quia nuſquam corrupta , cum nunquam defecerit a Chriſto venturo .

E

28 OBJIC. VI. Et quidem validiùs , ut ajunt laudati Patres Salmanticenſes . Ex communi Patrum calculo prima , quæ caſtitatem ſervavit , & vovit fuit Deipara Virgo ; ſed hoc non ſtaret , ſi in veteri lege aliqui caſtitatem obſervaſſent , Deoque nuncupaſſent ; ergo . Major propoſitio pluribus comprobatur . S. Hieronymus *Epiſt.* 2. *ad Euſtochium* -- Mihi Virginitas in Maria de- „ dicatur, & Chriſto -- S. Ambroſius *de Inſtitut. Virg. cap.* 5. -- Egregia Maria , quæ „ ſignum

„ ſignum ſacræ Virginitatis extulit , & in„ temeratæ integritatis pium Chriſto levavit „ vexillum -- S. Auguſtinus *Tract.* 10. *in Joan.* -- Inde cœpit dignitas Virginum -- Rupertus *in Cant. lib.* 3. *cap.* 4. -- Hoc ſcientes dicunt, „ & vere dicunt Amici; quia votum egregium „ prima voviſti Virginitatis -- S. Ildelfonſus „ *Ser.* 5. *de Aſſumpt.* -- Prima omnium fœmina„ rum Deo Virginitatem obtulit -- Ricardus a S. Laurentio *de laudibus Virginis lib.* 3. §. 12. -- „ Prima igitur Mariæ prærogativa ſecundùm „ D. Bernardum eſt , quod ipſa fuit Virgi„ nitatis primiceria -- Idiota *de contemplatione cap.* 6. Mariam vocat -- Virginitatis „ primipilam -- His concinunt reliqui Patres , quibus ſuppetias ferunt Scholaſtici . Ex quibus ſequens inſtituitur argumentum . Quidquid B. Virginis magis elevat dignitatem , id ultro eidem concedendum eſt ; ſed quod prima ſervaverit , Deoque Virginitatem nuncupaverit , magis Ejuſdem elevat dignitatem ; ergo .

In hoc argumento laudanda potius eſt devota pietas Adverſariorum , quam vis illationis pertimeſcenda . Poſſemus facili negotio juxta Thomiſtarum principia inſtantiam diſſolvere . Ut tamen res clareſcat , placet nonnullas ſolutiones referre , quæ ſive a Noſtratibus , ſive ab Extraneis afferuntur , ut inde ſelectior adoptetur : interim I. advertendum eſt , quod notat Suarez *Tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 6. *ſect.* 3. cum enim ſibi propoſuiſſet aliquas auctoritates aſſerentium nonnullos fuiſſe , qui docuerunt Beatam Virginem non fuiſſe primam , quæ caſtitatem voverit , habet -- Ad „ alias objectiones nihil habeo , quod re„ ſpondeam , niſi rem hanc eſſe incertam , „ & non admodum ad Deiparæ laudes per„ tinere . Quod enim ipſa perfectum votum „ Virginitatis emiſerit , ad perfectionem „ ejus pertinet ; quod verò ante ipſam nul„ lus hoc fecerit , ad ejus commendationem „ non admodum refert --

Unde excellentia Virginitatis in Deipara?

II. Sicut Eccleſia Deiparam veneratur ut Virginem Virginum , & Virginum Reginam , ita Eam colit ut Reginam Martyrum ; ſed jure optimo ut Regina Martyrum veneratur , quamvis in veteri Teſtamento Martyres præceſſerint , dicente Domino Matt. 23. v. 37. *Jeruſalem , Jeruſalem , quæ occidis Prophetas , & lapidas eos* , & 1. Machabæorum plures referuntur , qui pro ſervandis patriis legibus ſanguinem fuderunt .

III. Sicut dicitur a Patribus Deiparam Virginitatis habuiſſe primatum , ita in ea prædicant primatum charitatis , humilitatis , fidei , aliarumque virtutum , quæ in aliis adinveniuntur . S. Auguſtinus *Ser.* 18. *de Sanctis* -- Auctrix peccati Eva , auctrix meriti Maria -- S. Joann. Damaſcenus *Orat.* 1. *de dormit. B. M.* -- Uberrima benedictionis „ ſcaturigo , quæ nobis bonorum cauſa , & „ parens extitiſti -- Germanus CP. *Serm.* 2. *in Maria dormit.* -- Niſi tu præires , nemo „ ſpiritualis evaderet, nemo in ſpiritu Deum „ adoraret -- S. Bernardinus *Tom.* 3. *Serm.* 11. *art.* 2. *cap.* 3. -- Spiritus Sanctus in hac „ officina , & per eam fabrefecit , quidquid „ in gratia mirificum operatur -- Sed hæc apte verificantur, etiamſi in veteri lege præ-

A ceſſerint juſti charitate , humilitate , fide , aliiſque virtutibus exornati ; ergo verificabitur excellentia Virginitatis in Maria , licèt alii ejuſdem virtutis cultores præceſſerint .

IV. Inter Patres , qui ſummis laudibus Deiparæ Virginitatem commendant , ſunt , qui itidem aſſerunt in veteri lege eandem ab aliis fuiſſe adoptatam ; ne ergo velimus contradictoria tradidiſſe , dicendum venit , utrumque ſalvari poſſe . His ſummis labiis prælibatis veniamus ad ſolutiones , quæ ab Auctoribus afferuntur .

Sunt igitur , qui dicunt velle Patres Primatum Virginitatis in Deipara relate ad fœminas , ſecus quoad viros , & ad hoc du-
B cuntur auctoritate Origenis in Matthæum dicentis -- Arbitror rationi conſentaneum eſſe „ virilis quidem puritatis in caſtitate primi„ tias fuiſſe Jeſum , muliebris verò Mariam -- Bedæ *in Luc. cap.* 1. *lib.* 1. -- Quæ quia pri„ ma fœminarum tantæ ſe virtuti mancipare „ curavit , jure ſingulari præ ceteris fœminis „ beatitate meruit excellere -- Richardi a S. Laurentio ſupra laudati -- Et ideo pri„ ma , quia ante illam nulla -- S. Bonaventuræ *lib.* 1. *Pharetræ cap.* 5. -- Hæc prima „ inter fœminas hoc conſtituit in corde ſuo -- Alii plures ejuſdem labii ſunt ; cumque aliàs docuerint Patres nonnullos caſtitatem ſervaſ-
C ſe , jure dicendum videtur eos , qui primatum Virgini tribuunt , loqui de primatu non quidem abſolute , ſed inter fœminas , & hoc modo ſolvunt Patres objectionem , quæ adverſus Deiparæ dignitatem inſtituitur ex Chriſti verbis : *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta* , ubi notant Chriſtum meditatò dixiſſe *inter natos* , ut Matrem ſuam exciperet .

Ceterum longe probabiliùs eſt plures inter fœminas virtutem caſtitatis in lege veteri coluiſſe , quod dilucidis oſtendi poteſt momentis : indubium quippe eſt tunc temporis egregiâ cum laude ſervatam fuiſſe vidualem
D caſtitatem , ut videre eſt in Juditta , & Anna , de qua S. Cyrillus Jeroſolymitanus *Cathecesi* 10. -- Anna Propheciſſa continens , & Re„ ligioſiſſima Monialis -- & Hugo Cardinalis *in poſtilla ſuper Evangel. totius anni* , Dominicâ infra Octavam Nativitatis -- Anna „ fecerat profeſſionem viduitatis , & Maria „ fecerat profeſſionem virginitatis -- atqui vidualis caſtitas Evangelicis Conſiliis perinde accenſetur , ac virginitas , ut declarat Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. ; ergo cultus pariter virginitatis non repugnabat legi veteri ; propteraque cum plerique ex Patribus in eam conveniant ſententiam Virginitatem ea tem-
E peſtate fuiſſe excultam , non eſt , cur fœminæ repellantur .

Plures ex fœminis in lege veteri caſtitatem coluerunt.

Res clareſcet ex Iſaiæ textu ſuperiùs enunciato : *Non dicat Eunuchus &c.* , quem dubio-procul æque ad viros , ac ad mulieres extendi nemo inficias ibit ; a Patribus namque exponitur ad ſimilitudinem Evangelici textus : *Sunt Eunuchi , qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum* ; ſed hic viros , & mulieres comprehendit ; ergo & ille .

Demum urgentiùs comprobatur ex cap. 6. v. 6. Num. *Vir , ſive mulier cum fecerint votum* . Ex hoc ſupra collegimus aliquos fuiſſe

fuiſſe inter Nazaræos perpetuo obligatos voto;
ſed in textu non ſolùm virorum, ſed & mu-
lierum recurrit mentio; ergo aliquæ ex fœmi-
nis eâdem caſtitatis prærogativâ gaudebant;
ergo ſi inter voventes caſtitatem enumera-
bantur viri, perperam excluduntur mulieres.

29 RESP. Galianus *p.* 2. *diſc.* 2. §. 1.
n. 43. -- Eo magis, quia licet inter Naza-
„ ræos mulieres aliquæ converſarentur, &
„ eorum inſtitutum ſectarentur, in quo Vir-
„ gines tantùm recipiebant, tamen infœ-
„ cundæ, & ad ſenectutem pervenientes,
„ quia ad generationem ineptæ erant, ab
„ eorum congreſſibus expellebantur --

Verùm his concedit eas inter fuiſſe
Virgines, quod negare non poteſt, ſed quod
in ſenectute expellerentur, non probat; eſto
tamen id evinceret, cogeretur vel invitus
affirmare Virgines permanſiſſe, ſive ob jus-
jurandum, quo adſtringebantur, ſive quia
ineptæ ad nuptias; non enim conjici po-
teſt, quod Vetulæ illæ ad unam omnes ma-
ritos adinvenirent, potiſſimùm in ea lege,
in qua juxta Adverſarii doctrinam fœcundi-
tas erat in votis, ſicut & filiorum procreatio.

Addimus & fortius momentum ex 2.
Machab. 3. v. 19. deſumptum, ubi, etiam
Heliodori adventu, ut pecuniam e templo
aſportaret, totiuſque Civitatis trepidatione,
ac commotione, ſubditur: *Sed & Virgines, quæ*
concluſæ erant, procurrebant ad Oniam. No-
mine Virginum indubie veniunt puellæ Deo
ſpecialiter devotæ, & in quibuſdam veluti
clauſtris concluſæ: data enim fuiſſe peculiaria
quædam loca prope, vel intra Jeroſolymita-
num templum poſt Nyſſenum *Orat. de Nati-*
vitate Virginis plures tradunt Auctores, quos
laudat Baronius: porro illis in clauſtris mo-
rabantur Virgines Deo famulantes.

Virgines in clauſtris Deo devotæ.

RESP. Galianus ex Capiſucco *p.* 1. *diſc.*
2. §. 2. *n.* 48. Virgines illas haud egreſſas a
clauſtris Templi, ſed a domibus parentum,
in quibus cuſtodiebantur; quod roborari po-
teſt ex Natali ab Alexandro *Tom.* 1. *Eccleſia-*
ſtica Hiſtoria Sec. 1. *cap.* 1. *art.* 3. *n.* 4., ubi
ſcribit -- Aſſertio Baronii Cardinalis de Cel-
„ lulis circa Templum, in quibus Virgines
„ recluſæ eſſent, a viris eruditis rejicitur --

Hæc tamen vim argumenti non ener-
vant, ſive enim recluſæ forent Virgines in
cellis Templi, ſive, ut ait Natalis, in pro-
priis ſibi cubiculis, ex quibus foras non egre-
diebantur, ſemper verificatur, quod Virgi-
nes erant, Deoque ſacræ. Ceterum Corne-
lius a Lapide cum Serario duplex Virginum
genus diſtinguit, & alias in domibus paren-
tum, alias in Templo incluſas refert. Ve-
rùm de hoc infra.

Demum idem probatur *ex capite* 30.
Num., ubi uxoratarum mulierum vota, ſicut
& Virginum in puellari ætate exiſtentium,
referuntur, quæ vota, ſi Pater, vel maritus
ſciens non adverſabatur, vim obligandi ha-
bebant, ſecus prædictis contradicentibus:
porro vota Puellarum fuiſſe Virginitatis ſen-
tiunt Interpretes: ſufficiat Abulenſis *ibid.*
q. 22. -- An iſta puella in veteri Teſtamento
„ poſſet vovere obſervare Virginitatem, cum
„ eſſet in Patris poteſtate? Reſpondendum
„ eſt non eſſe dubium, quin poſſet vovere --

Qua de re affert rationem -- Non enim erat
A „ aliquod illicitum Virginitas in veteri Te-
„ ſtamento, cum aliqui viri, & fœminæ eam
„ obſervarent, ut ſupra dictum eſt -- Scio
quod hæc non cohærent cum his, quæ dixe-
rat *quæſt.* 12. affirmans nullam fœminam in
prædicta lege virgineam ſervaſſe caſtitatem,
ſive cum voto, ſive ſine voto; nobis tamen
ſat eſt, quod poſteriùs dixit, videlicet vo-
tum potuiſſe cadere ſupra Virginitatem, ut
jure dicamus quaſdam eam Deo nuncupaſſe;
fruſtra enim Deus modum declaraſſet votum
Virginum irritandi, ſi nuſquam id eventu-
rum prænoviſſet.

Iniſtat Galianus *ibid.* §. 2. *n.* 44. *ex eo-*
B *dem Capiſucco Controv.* 16. §. 6., quod in
illa lege vota verſabantur circa ſingularia,
non verò circa perpetua; vota namque per-
petua illius ſtatus perfectionem ſuperabant,
& potiſſimum ſi loquamur de voto Virgini-
tatis; hæc ſiquidem non erat in uſu, cum
potius commendaretur fœcunditas. Eodem
modo reſpondet ad præcedentem inſtantiam
de Virginibus 2. *Machab.* 3. laudatis; ad-
dens ab Auctoribus non affirmari eas votum
perpetuæ Virginitatis elicuiſſe.

Sed hoc ipſo quod Capiſuccus concedit
ea in lege agnitam fuiſſe voti ſanctitatem,
atque perfectionem, perperam negabit ali-
C quos illam obſervaſſe; ne inutiliter prorſus
dicamus voti ſanctitatem fuiſſe manifeſtatam.
Non enim invenire eſt, ſive in novo, ſive
in veteri Teſtamento aliquod virtutis opus,
quod ab aliquibus non fuerit adoptatum,
potiſſimum ſi gerenda in lege gratiæ præfi-
gurabat. Audiatur S. Ambroſius *lib.* 1. *de*
Virginibus circa initium, qui poſtquam dixit
Eliam Virginem fuiſſe, & Mariam Aaronis
Sororem, ſumpto tympano, virgineos du-
xiſſe choros, atque hæc ſpeciem fuiſſe geren-
dorum a Virginibus in Eccleſia, ſubdit --
„ Nam etiam Templo Jeroſolymis fuiſſe le-
„ gimus Virgines deputatas. Sed quid Apo-
D „ ſtolus dicit? Hæc autem in figura con-
„ tingebant illis, ut eſſent indicia futuro-
„ rum: figura enim in paucis eſt, vita in
„ pluribus; at verò poſteaquam Dominus in
„ corpus hoc veniens, contubernium divi-
„ nitatis & corporis ſine ulla concretæ con-
„ fuſionis labe ſociavit, tunc toto orbe dif-
„ fuſus corporibus humanis vitæ cœleſtis uſus
„ inolevit -- Hinc deſcribens copioſam Vir-
ginum multitudinem in nova lege addit --
„ Habemus ergo auctoritatem vetuſtatis a
„ Seculo, plenitudinem profeſſionis a Chri-
„ ſto -- Hic niſi velimus voluntarie decipi,
fateamur oportet S. Doctorem velle in ve-
E teri Teſtamento quaſdam perpetuam ſervaſſe
Virginitatem, & ex his nonnullas ex voto;
præfigurabant enim eas Virgines, quæ in
lege gratiæ ſive cum voto, ſive ſine voto Do-
minicum adoptare debebant conſilium de
Virginitate.

Virginitas legis novæ in veteri præfigurata.

Adde, quod nullius fore momenti vi-
deri poterat cautela in Scripturis appoſita de
conſenſu Patris, ut votum obligaret, niſi
hoc perpetuum eſſe potuiſſet: etenim ſine
irritatione, tranſacto voti tempore, ceſſaſſet.

Illud porro animadvertere opus eſt,
quod ſupradictæ inſtantiæ enervant vim ar-
gu-

gumenti, quod Controverſiſtæ inſtituont adverſus Novatores, ut probeot ex Scripturis sum Sanctimonialium vivendi genus, tum perpetuum caſtitetis votum: noo enim in lege nova da his recurrit meorio: & de facto Hæretici, ut ſuos propugnent errores, negant illa Virginum clauſtra, conteodentes eas potuiſſe nubere, immo nupſiſſe, & nomen vnil ioſiciantur cadere ſupra Virginitatem, ut legere eſt in Calvino, Beaa, Petro Martyre, aliiſqoe ejuſdem furfuris. *Vide Caniſium lib. 1. de B. Virgine cap. 12.*, ſed de hoc iterum.

Solutio altera ad principale argumentum vult Sanctos Patres, dum aſſeruut Beatam Virginem primò Virginitatem Deo ouncupaſſe, loqui de prioritate novæ legis, non autem abſolute. Hoc apte colligitur ex S. Iſidoro *lib. 2. de Officiis cap.* 17. -- Nunc „ eutem quæ ſit ſacræ Virginitatis integritas, vel a quo tam ſancti propoſiti ſumpſit „ exordium, breviter intimabo. Quantum „ enim pertinet ad vetus Teſtamentum Elias, „ & Jeremias, & Daniel caſtitatis, & con„ tinentiæ bonum primi conſtituiſſe digno„ ſcuntur; quaorum verò ad novum, viro„ rum Virginum caput eſt Chriſtus, fœmi„ narum Virginuut caput eſt Maria. Ipſa „ earum auctria, ipſa Mater noſtri capitis, „ qui eſt Virginis filius, & Virginum ſpon„ ſus -- His facili negorio omoia objecta diſſolvuntur. Et quidem Patres, dum Virginem volunt primam voviſſe caſtitatem, indubie ad vetus Teſtamentum non ſpectaſſe dicendum eſt, ideoque bene dicitur Deiparam primam extuliſſe Virginitatis vexillum in lege gratiæ, cum qua non computatur Virginitas veterum Patrum; ipſa namque fuit aurora diei, nempe Chriſti, & illi velut in nocte ambulabant. Chriſtus dicitur *Apocal.* 1. Primogenitus mortuorum, & tameo alii ante ipſum a morto excitati fuere; dicitur itaque Primogenitus, ut notat S. Thomas *ibid.* generatione gloriæ: etenim Lazarus licet prius fuerit reſuſcitatus, non tamen fuit glorificatus; quia non reſurrexit glorioſa reſurrectione.

Prioritas temporis, & excellentiæ.

Tertia demum ſolutio, eaque optima, utpote ad meotam Eccleſiæ, adeoque & Patrum, duplicem diſtinguit prioritatem, unam temporis, excellentiæ aliam: quando igitur Patres Deiparæ tribuunt prioritatem vovendi, loquuntur de prioritate excellantiæ, ſecus temporis; illa namque, non hæc honori vertitur. Non enim commendatur Deipara, ex quo nemo unus ante ipſam fidem, ſpem, & charitatem habuerit, ſed qoia in hiſce virtutibus aliis præcellebat. Porro excellentia Virginitatis Deiparæ ex pluribus conſurgit: primò ex fervore charitatis, quo ſeſe Deo dicavit. Ipſa ſiquidem in ſuis actibus toto niſu, atque charitatis intenſione operabatur. Fervor autem hujuſmodi nullos hominum non jam æquare, ſed nec referre valet.

Secundò, ex firma immobilitate non ſolùm ex parte voluntatis, ſed ex dono confirmationis.

Tertiò, ex ſumma intentionis puritate, qua ex Divino Amoris æſtu Virginitatem ſuam Deo conſecravit.

Quartò, ex quo votum perfecte adeo ſervaverit, ut omni prorſus motu contrario, aut repugnante caruerit, immo alios ad ſanctitatem provocaverit. Deinde ejuſdem excellentia relucet ex quo, ut ait Suarez *Tom. 2. in 3. p. diſp. 7. ſect.* 3. -- Caruit omni con„ trario, quod Virginitatis perfectionem „ poſſet minuere; nam & ipſum conjugium, „ quod in aliis ad Virginitatem tollendam „ ordinari ſolet, in illa fuit ad ejus cuſto„ diam, teſtimonium, & honorem institu„ tum. Habuit deinde comitantes omnes „ virtutes, temperantiam, humilitatem, „ & alias, quæ illius perfectionem poſſent „ augere. Fuit denique ejus Virginitas pro„ pter altiſſimum finem a Deo ordinata; „ nam & ad filii generationem ordinata eſt „ (quod eſt admiratione digniſſimum) & „ ad conſecrandum Deo thalamum, ex quo „ factus homo naſceretur: quo nihil poteſt „ perfectius, aut excellentius intelligi --

Excellens in Deipara Virginitas.

Prima igitur prioritate excellentiæ Virginitatis votum emiſit Deipara, prima levavit vexillum caſtitatis, duxit choros Virginum, initium fuit, caput, & Regina Virginum. Hanc porro prioritatem Patres ſpectarunt, ejuſdemque laudes unà cum Eccleſiâ brevibus complectuntur, dicentes: *Sola ſine exemplo placuiſti*; ideſt ſola ſine exemplo perfectionis, ac ſupradictæ excellentiæ. Hiſce laudatis ſolutionibus eam, quam Noſtri Patres Salmanticenſes adoptant, ſubdam.

Salmanticenſium ſolutio.

Noſtrates igitur non minus veneratores, ac Deiparæ laudatores, prædictas Patrum auctoritates de prioritate explicant in genere cauſæ finalis, & exemplaris, aſſeruntque; debita ſubintellecta proportione, Virgines ad unum omnes ad Beatam Virginem tanquam ad finem fuiſſe præordinatos, ſicut omnes Sancti ad Chriſtum; fuiſſe itidem Deiparæ Virginitatem a Domino præelectam, velut exemplar quoddam e Virginibus imitandam; hujuſcemodi ſolutionem proſequimur, atque ſic elucidamus.

Primò. Indubium eſt Sanctos Patres nuncupando B. Virginem initium, caput, Reginam, primipilam, vexilliferam omnis Virginitatis eam voluiſſe prioritatem Eidem tribuere, quæ in maximum ipſius decus cederet; atqui prioritas finalis, ac exemplaris in maximum ipſius decus cedit; ſiquidem illa prioritas magis excellens intelligitur, quæ conſtituit, perfectioremque explicat Virginitatem: ſed prioritas prædicta eſt hujuſmodi; etenim cauſa eo eſt perfectior, quo ad plures effectus ſuam extendit cauſalitatem, pluresque ſub proprio influxu continet, dicente Angelico 3. *p. q.* 65. *art.* 3. -- Quantò „ aliqua cauſa eſt ſuperior, tantò ad plura „ ſe extendit in cauſando -- Et ratio in aperto eſt; quia actu cauſare perfectio eſt, eaque propter plura cauſare major eſt perfectio; ſed dicere Virginitatem Deiparæ priorem in genere cauſæ finalis, & exemplaris, nullimode ſpectata temporis prioritate, eſt extendere ejus cauſalitatem ad plures effectus; nam ſic ipſa Virginum exemplar ſive in novo, ſive in veteri Teſtamento conſtituitur;

Perfectior cauſa, quæ ad plura extenditur.

tuitur ; ergo prioritas hæc illi majorem tribuit perfectionem : habet namque S. Doctor 3. *contra Gentes cap.* 24. -- Quantò aliquid „ invenitur melius , tantò ad remotiora bo„ nitatem ſuam diffundit --

Secundò . Univerſi Patres B. Virginis excellentiam extollunt, eam quantum fas eſt, aſſimilando filio , quem genuit ; ſed Chriſtus dicitur initium , principium , caput , fundamentum Eccleſiæ in genere cauſæ finalis , & exemplaris , itaut in utroque Teſtamento fuerit vera Eccleſia , fuerint veri Sancti , verique fideles , quorum Chriſtus eſt finis , & exemplar , juxta illud Apoſtoli ad Heb. 11. v. 24. , & 26. *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis . . . Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum , improperium Chriſti ; aſpiciebat enim in remunerationem* . Similiter ergo eædem locutiones de Virgine verificari debent , immo verificantur in genere cauſæ finalis, & exemplaris , ita quod jure dici poſſit prima ſive relate ad vetus , ſive ad novum Teſtamentum .

Id excellentius , quod magis Chriſto aſſimilatur .

Tertiò . Locutiones Patrum majorem non explicant prioritatem quoad Deiparam , quam explicent Scripturarum locutiones quoad Chriſtum , puta quod ſit *Primogenitus omnis creaturæ* ; ad Coloſs. 1. v. 15. *Primogenitus in multis fratribus* , ad Rom. 8. v. 29. , ſed hujuſmodi locutiones aliam non innuunt prioritatem , niſi finalem , & exemplarem , ut tradunt ipſimet Patres ; & meritò quidem ; nam ut ait S. Thomas 3. *p. quæſt.* 56. *art.* 1. -- Id quod eſt perfectiſſi„ mum , eſt exemplar ejus , quod eſt minus „ perfectum ſecundùm ſuum modum -- Cum ergo Deiparæ Virginitas ſit in hoc ordine perfectiſſima , jam plane fit , quod omnium Virginum ſit exemplar , proindeque ſicut Chriſtus ita eſt primogenitus omnis Creaturæ , ut tamen alii tempore ipſum præceſſerint , ſic B. Virgo prima cenſetur Virgo , licet alii in veteri Teſtamento præiverint .

Deipara exemplar Virginitatis.

Quartò . Juxta probatam Sanctorum doctrinam non minus Deipara prima eſt in privilegio Sanctitatis , & gratiæ , quam in prærogativa Virginitatis ; ſed illa prioritas eſt exemplaris in vetus influens , & novum Teſtamentum ; non enim poterat eſſe prioritas temporis , ut in aperto eſt ; ergo etiam prioritas Virginitatis . In majorem propoſitionem omnes Patres confluunt : Germanus CP. *Serm.* 2. *de dormitione B. Mariæ* -- Nemo „ Dei cognitione repletus eſt , niſi per te „ o Sanctiſſima -- Damaſcenus *Orat. de dormit. Virginis* -- Uberrima benedictionis ſca„ turigo , quæ nobis bonorum cauſa , & Pa„ rens exſtitiſti -- Chryſippus Jeroſolymit. *de Deipara* -- Ave radix omnium bonorum -- Bernardus *Ser.* 1. *ſuper Salve Regina* -- Origo „ fontium , & fluminum mare : virtutum „ auctrix , & ſcientiarum ſanctarum Maria -- Bernardinus Senenſis *Tom.* 3. *Ser.* 51. *art.* 2. *cap.* 3. -- Spiritus Sanctus in hac officina , „ & per eam fabreſecit , quidquid in gra„ tia mirificum operatur -- His , & ſimilibus clare apparet , quod eadem Virgini tribuitur a Patribus prioritas Sanctitatis , ac Virginitatis : ſi ergo nequit illa ſalvari , niſi in genere cauſæ finalis , & exemplaris , ita & iſta .

B. V. omnium bonorum cauſa.

Quintò . Quod Chriſtus non conceſſerit Deiparæ , ut eſſet perfectiſſimum Virginitatis exemplar , neque vim haberet , ut aliquos etiam veteris legis cultores moveret ad obſervantiam , votumque Virginitatis , vel provenit eo quod non potuit tale privilegium illi concedere , vel quia noluit , primum divinæ derogat potentiæ , aliud ſummo amori Filii erga Matrem ; ergo conceſſiſſe cenſendum eſt . Hæc demum maxime urgent , ex quo Sancti Patres indefinite Deiparam prædicant Virginitatis exemplar . S. Ambroſius *de Inſtit. Virg. cap.* 5. -- Omnes ad cul„ tum Virginitatis Sanctæ Mariæ advocamur „ exemplo -- *& cap.* 6. -- Mariæ exemplo „ ceteræ ad Virginitatis ſtudium provocan„ tur -- S. Ildephonſus *Ser.* 5. *de Aſſumpt.* Virginem vocat Perfectionis virginalis exemplum . Alii ſimilia loquuntur , unde & jure , & meritò dici debet , quod B. V. fuerit prima quoad prærogativam Virginitatis , non quidem tempore , ſed in genere cauſæ finalis , & exemplaris , ut abunde probatum eſt .

Galianus 1. *p. Diſc.* 1. §. 4. *per totum* , *& Diſc.* 4. §. 2. plura adverſus ſolutionem hanc congerit , ſeu pluries eadem refricat , & quidem potiſſimùm ut neget cognitam fuiſſe in veteri lege Deiparæ Virginitatem .

30 OBJICIT ergo I. Cauſa exemplaris , ſeu finalis , ut moveat , neceſſe eſt , quod ſit cognita ; ſed Deiparæ Virginitas cum voto non fuit in veteri Teſtamento cognita . Equis enim unum Scripturæ textum referet , qui id innuat , unum Orthodoxum Patrem , quid id aſſerat ? ergo perperam Virginitati Deiparæ affingitur prioritas in genere cauſæ exemplaris , & finalis .

Verùm facili negotio poſſemus majorem negare propoſitionem , loquendo de Operantibus , qui agunt ut moti ab alio ; ſiquidem totius operis idea non eſt neceſſe , quod in mente ſingulorum exiſtat , ſed ſolius principalis moventis : hinc idea domus ædificandæ non eſt opus præexiſtat in mente ſingulorum , ſed ſolius Architecti ; cum igitur viri illi , qui in lege Virginitatem coluerunt , fuerint a Deo ſpecialiter moti , peculiarique fidei lumine inſpirati Virginitatis excellentiam agnoverint , haud neceſſe fuit , quod ab ipſis Mariana Virginitas tanquam idea , & exemplar intelligeretur , ſed ſat fuit quod a Domino dignoſceretur , qui totum Synagogæ Ordinem direxit , primò quidem ad Chriſtum , dein ad Virginem tanquam ad finem

Qui ab alio movetur , ab ipſo dirigatur .

Res exemplis palam ſit . Peccans contra lumen rationis directe nihil reflectens ad Deum ſupernaturalis Ordinis auctorem , immo ignorando , peccat peccato vere Theologico , & non ſolum , ut aliàs quidam perperam dicebant , peccato Philoſophico , æternamque meretur pœnam , non ob aliud , niſi quia naturalis Ordo de facto ad ſupernaturalem elevatus eſt : ut ergo Deiparæ Virginitas ſit cauſa finalis , & exemplaris , ſufficit , quod Virginitas a quocunque rite , ſancteque adoptata ad illam prærordinata ſit a Domino .

Itidem ſi Dux caercitus intendat Urbem devaſtare, licet boc militibus, quos movet ad pugnandum, non manifeſtet, hi pugnando, implicite ſaltem, Urbis ruinam intendunt.

Hinc faciliùs negatur minor propoſitio: & ſane mirum eſt, quod de ea dubitet Orthodoxus Theologus. Toi igitur aſſignamus Scripturas, & Patres, quot utitur, & uſa eſt Catholica Eccleſia adverſus Judæos in Conciliis, in privatis Diſputationibus, in publicis Concionibus ad probandum Chriſtum ex Virgine naſciturum. In hiſce porro Scripturis dignoſcere in veteri lege potuerunt excellentioris Sanctitatis viri Deiparæ Virginitatem: etenim in quolibet ſtatu ea ſufficit cognitio, quæ eidem congruit; Legi veteri congruebat divinorum cognitio in figuris. D. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 7. *ad* 3. -- Et ideo tantùm dabatur Patribus, qui „ erant inſtitutores fidei, de cognitione „ fidei, quantùm oportebat pro tempore illo „ populo tradi vel nude, vel in figura -- Virginitas autem Mariana in centenis figuris præceſſit, & Eccleſia pluries eam nobis præfiguratam proponit: ceteris omiſſis, id habemus, dum canit: *Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem*. Patres ſimiliter perpetui ſunt in referendis figuris, quibus Deiparæ Virginitas repræſentatur.

Cognitio in veteri lege in figuris.

Subdit Adverſarius 1. *p. diſc.* 1. §. 4. *n.* 53. -- Unde hic non vertitur in dubium, „ an aliquibus juſtis illius Legis ex interna „ aliqua, & ſpeciali revelatione revelatus „ fuerit Chriſtus Dominus, ut auctor virtutum legis gratiæ, & Virginitas Deiparæ „ fuerit aliquomodo cognita, ut ſecundùm „ cultum, & ritum exteriorem verum illius „ legis operantes exteriùs, quoad animam „ perfectionem divinæ legis acquirerent, ut „ eſſent perfecti. De hoc non dubitatur &c.--

Hæc nobis abunde ſufficiunt, ut Deiparæ Virginitas dicatur cauſa exemplaris, ſicut & principaliùs ipſemet Chriſtus: porro iſti potuerunt aliis hocce manifeſtare, immo jure cenſendum eſt hanc factam fuiſſe manifeſtationem. Cum enim dicimus præceſſiſſe in genere cauſæ finalis, & exemplaris, non intelligimus, quod lex expreſſe, poſitive, directe proponeret Deiparæ Virginitatem omnibus, & ſingulis, ſed quod erat iis propoſita, qui proportionata inſpiratione movebantur, & ab illis excellentia Virginitatis Marianæ aliis innoteſcebat.

31 DICES ex eodem *ibid. n.* 58. Virtus hujuſcemodi cœpit innoteſcere poſt humani generis reparationem, dicente Athanaſio *in Apologia ad Conſtantium* -- Dei Fi„ lius, & Salvator noſter Dominus Jeſus „ Chriſtus, Homo propter nos factus, pro„ fligata morte, & liberato e ſervitute, „ & corruptione humano genere, inter ce„ tera dona ſua largitus eſt nobis in Virgi„ nitate exemplar Angelicæ Sanctitatis -- ergo ante Chriſti paſſionem nec Virginitas fuit voto adoptata, nec Chriſtus ſeſe dedit exemplar.

Ergo, juvat ſubdere, nec Beata Virgo ante filii mortem voto coluit Virginitatem, quod Arguenti, immo Univerſæ Eccleſiæ adverſatur? Athanaſius præter Virginitatem alia dona dediſſe Chriſtum affirmat, quibus accenſetur Proximi dilectio, quam ſuum nuncupavit præceptum, & tamen non bene infertur; ergo ante Chriſti obitum non fuit culta charitas proximi; ſicut cum dicitur: *Olim Deus locutus eſt in Prophetis, noviſſime in filio ſuo*, non valet inferre, quod antea Dominus non ſit locutus, ſed quod non ſit locutus in Filio: ita Chriſtus largitus eſt nobis in veritate Virginitatis exemplar, quod antea in figuris manifeſtum erat; dedit exemplar intrinsece conſummatum per merita ſuæ paſſionis, quæ conſummatio prius deſiderabatur.

32 INSTABIS. Ex laudato Athanaſio ibidem legitur -- Nunquam alibi Sancta „ illa, & cœleſtis æternæ felicitatis profeſſio „ feliciter adimpletur, niſi duntaxat apud „ nos Chriſtianos --

Utique feliciter, Ideſt, meritorie non adimpletur niſi apud Chriſtifideles; etenim apud Gentes nullius ſpiritualis utilitatis eſt: verùm qui illam in ſtatu veteris legis coluerunt, erant fideles. Nota quod S. Doctor dixit mandatum feliciter, nempe, faciliter adimpleri in lege gratiæ, quod indubium eſt ob majora auxilia, quæ præſto ſunt; aliàs non negat in veteri Teſtamento ſervatam fuiſſe Virginitatem, ſed hoc potius ſupponere videtur, dum aſſerit alibi non fuiſſe feliciter obſervatam.

33 URGEBIS ex eodem *ibid. n.* 60. Haud dicendum eſt excellentiorem factam fuiſſe revelationem Chriſti ut exemplaris Virginitatis Elianis Monachis, quam Deiparæ; ſed Deipara hanc non habuit revelationem; nam, ut tradit S. Thomas, ipſa votum emiſit conditionatum, non abſolutum; ergo.

Nemo unus inficias ibit Deiparam præ aliis Creaturis excelluiſſe in cognitione Divinorum, & pro re nata ſunt, qui aſſerant Deiparam in Templo exiſtentem exoraſſe Deum, ut Virginem Meſſiæ Matrem poſſet videre. Nec inducta probatio evincit: etenim alii ſunt, qui volunt ipſam abſolutum votum Deo nuncupaſſe; alii verò propugnant conditionem propter alias extrinſecas cauſas appoſitam non derogare perfectioni votorum. Noverat enim legem in lib. Numerorum deſcriptam, præcipientem votum Puellarum ſine parentum conſenſu non eſſe firmum; advertebat ſe unicam eſſe ex familia, proindeque ſuſpicari potuit, quod ejuſdem extinctio non eſſet Deo grata; erat de Tribu Sacerdotali Sacerdotum vigilantiæ commendata; ea propter modeſtiſſima, & humillima conditionem apponere potuit, ad excellentius virtutis exercitium ſe aliis ſubjiciendo in re, quam ardenter adeo exoptabat. Verùm quid ultra? Deus, qui corda hominum movet, pro libitu eadem dirigit.

Excellens Divinorum cognitio in Virgine.

34 REPLICABIS ex *n.* 67. Divinæ cauſalitatis perfectio non in eo ſita eſt, ut actu ſe ad plura extendat, ſed ut poſſit, cum velit, effectum producere, quin ab alio impediatur: & ſicut potentiam ſuam manifeſtat, ita etiam ſapientiam, & prudentiam, ſpectando aliquas temporum, rerumque congruentias, ſic in cœleſtium Myſteriorum reve-

revelatione expectavit acceptabile tempus, & dies ſalutis; atqui alia inter myſteria eſt Virginitas Deiparæ, ejuſdemque cum S. Joſeph deſponſatio; ergo Deiparæ votum non fuit circumciſis Monachis revelatum, ut caſtitatem ſervarent. Inſtantia comprobatur auctoritate Bernardi *Hom. 2. ſuper Miſſus eſt*, ubi declarat Incarnationis Myſterium occultatum hominibus per deſponſationem -- Quid ſa-
„ pientiùs? quid dignius Divinâ Providen-
„ tiâ? Uno tali conſilio ſecretis cœleſtibus
„ & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis,
„ & integra ſervatur fama Virginis Mariæ --

Arbitraria prorſus eſt illatio ex Melifluo deducta. Novit S. Bernardus in veteri Teſtamento plures Deiparæ, ejuſdemque Virginitatis præceſſiſſe figuras, pleroſque ex Prophetis eas intellexiſſe: novit Dominum poſt Filium conſtituiſſe Mariam caput, atque omnium Sanctorum, immo & Angelorum finem: unde ſolummodo affirmat in executione Incarnationis ita diſpoſuiſſe, ut Dæmonibus Sacramentum lateret, atque incolumis eſſet Virgo: Judæi namque tanquam adulteram lapidibus obruiſſent; & iſtæ ſunt in hoc Myſterio rerum, temporumque congruentiæ. Ceterum ut detegatur fallacia Arguentis, ſic inſtatur ex laudata Bernardi auctoritate. Celavit Deus per Virginis deſponſationem Incarnationem, adventumque Meſſiæ; ergone Judæi non expectabant Meſſiam, nec, ut eum expectarent, erat eis revelatus: illatio hujuſmodi pluſquam falſa eſt: eſt ſiquidem fallacia a quæſtione juris ad quæſtionem facti particularis.

Myſteria congrue occultantur.

35 SUBSUMES. Abs re dicetur, quod Elianis fuerit revelata Deiparæ Virginitas, ut cauſa exemplaris, ſi Sacerdotibus, quibus ipſa tradita fuerat, hoc nullimode fuerit manifeſtatum; ſed his non fuit manifeſtatum, quod evincitur ex Hiſtoria, quam tradunt Nyſſenus *Orat. de Sancta Nativitate*, Metaphraſtes *Orat. de Ortu, & Dormit. Deiparæ*, Calliſtus *lib. 2. Hiſt. cap. 7.* In ea igitur legere eſt, quod Sacerdotes, audientes Virginis votum, dubii conſilium inierunt, quid agendum: ſi autem præſcivissent Virginitatem Deiparæ, nullatenus fuiſſent conturbati, nec iniiſſent conſilium.

Inſtantia, ni fallor, adverſarium ferit; ex laudata namque Hiſtoria compertum fit Sacerdotes cognoviſſe votum illud fore bonum, ratum, & ſecundùm legem, dicebantque proinde, quod vota ſunt Deo reddenda, unde ſponſum quæſierunt, qui non maritus, ſed juſtus eſſet. Audiatur Nyſſenus -- Qui tamen ad cuſtodiam ejus dumta-
„ xat eſſet idoneus -- Nam paulò ante dixerat -- Etenim naturæ legi illam ſubjicere,
„ ut cuipiam matrimonio collata ſerviret,
„ abſurdiſſimum videbatur. Inſtar enim ſa-
„ crilegii fuiſſet; ſi muneris Deo ſacrati
„ Dominus homo fieret -- Audiatur Metaphraſtes -- Concilium cœperunt quidnam ſa-
„ cro illi corpori facientes, in Deum non
„ peccarent: eam enim legi naturæ ſubjun-
„ gere, & eam dare in ſervitutem ei, qui
„ eam duceret, videbatur abſurdiſſimum;
„ exiſtimatum eſt plane ſacrilegium, ſi di-
„ vini donarii homo fieret Dominus -- Audiatur Calliſtus -- Conſilium Sacerdotes agi-
„ tarunt, quid de ea ſtatuerent, ne in ſa-
„ crum ejus corpus admittere quidquam vi-
„ deretur ſacrilegum -- Noſcebant igitur votum fore ſervandum; non ergo cenſebatur fore contra legem votum Virginitatis, quod alte deprædicat Adverſarius. Dubius ergo fuit Pontifex non jam de validitate, & ſanctitate voti, non de Meſſia ex Virgine naſcituro, ſed quid foret agendum, ut cuſtodiretur illa puella, cum intra ſepta Templi commorari minus videretur honeſtum, ob Sacerdotum frequentiam, ut prælaudati Auctores innuunt; aliàs eam domum remittere non poterant, cum demortui eſſent Virginis Parentes. Inſolitum quidem hoc viſum eſt; licet enim aliquæ Deo Virginitatem nuncuparent, votum tamen non obligabat, cum reſcinderetur a Parentibus. Porro ſi nullum præceſſiſſet exemplum, dubio procul votum nullum fuiſſet judicatum, utpote conſuetudine, nuſquam violatâ, refragante; potiſſimum cum Deipara unica eſſet ſuæ Matris, & plane inuſitatum erat, quod non ſuſcitaretur familia.

Plura *a numero 82. uſque ad 87.* congerit Adverſarius, quæ non niſi inania ſunt ſophiſmata, ut evincat ad Annunciationis uſque, & Nativitatis tempus latuiſſe Verbi Incarnationem. Aſſumit itaque verba S. Hieronymi *in cap. 53. Iſaiæ* -- Denique cum
„ Mariæ diceretur ab Angelo: concipies,
„ & paries filium; illa reſpondit: unde mihi
„ hoc, quia virum non cognovi; cui rurſum
„ Angelus: Spiritus, inquit, Sanctus veniet
„ ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit
„ tibi, ut vel ab Angelo, vel ab Evangeliſta
„ tantùm nativitatis hujus Sacramenta di-
„ cantur -- Hinc concludit -- Ergo Maxi-
„ mus Eccleſiæ Doctor Nativitatem Chriſti
„ Domini ex Virgine occultam illis Secu-
„ lis fuiſſe docet uſque ad Annunciatio-
„ nem Angeli, & Evangelicam prædicatio-
„ nem -- Idem colligit ex Chryſoſtomo *in Matt. hom. 22.*, quæ recitatur *in 3. Nocturno die 8. Conceptionis* -- Poſſumus verò aliam
„ quoque, & altiorem quidem proferre ra-
„ tionem, ob quam Parentes Virginis præ-
„ termiſſi ſunt. Sed quæ ea eſt? Noluit
„ Evangeliſta recenti adhuc tempore novi
„ illius, admirandique partus Judæis eſſe
„ manifeſtum, quod Chriſtus natus fuiſſet
„ ex Virgine -- Concludit -- Ergo ex Sent.
„ D. Joan. Chryſoſtomi, quam tenet appro-
„ batam Eccleſia, non ſolùm ante Chriſti
„ Domini adventum, ſed etiam poſt ejus
„ nativitatem recenti Evangeliſtarum tem-
„ pore ignotum fuit Judæis, quod Chriſtus
„ Dominus natus eſſet ex Virgine -- Patronum ſibi conciliat Ambroſium *hom.*, *quæ recitatur feria IV. infra hebdomadam III. Adventus* -- Morale eſt omnibus, ut qui fidem
„ exigunt, fidem aſtruant, & ideo Angelus
„ cum abſcondita nunciaret, ut fidem aſtrue-
„ ret, exemplo ſenioris fœminæ ſterilíſque
„ conceptum Virgini Mariæ nunciavit, ut
„ poſſibile Deo omne, quod ei placuerit,
„ aſſereret -- Erat igitur abſconditus conce-
„ ptus Virginis -- ſubſumit ille. Ex Hiſtoria pariter Evangelica, qua Annunciatio de-

ſcribitur, idem colligit, quatenus Deipara mirabunda reſpondit -- *Quomodo fiet iſtud*, „ *quoniam virum non cognoſco* -- Ergo vide„ tur, *inquit*, quod fuerit ei revelatum vo„ tum Virginitatis Matris Meſſiæ, quem ſpe„ rabat futurum, quia non dubitaret ex voto, „ ſi ei fuiſſet revelatum votum Matris Meſſiæ „ futuræ --

Ad probandum hujuſce Myſterii occultationem uſque ad Annunciationem, & Chriſti Nativitatem refert etiam auctoritatem Ambroſii, & Auguſtini ex S. Thoma 3. *p. q.* 30. *art.* 4. *ad* 2. -- Dicendum quod Am„ broſius expreſſe dicit ſuper Lucam, quod „ B. Virgo de verbis Angeli non dubitavit. „ Dicit enim; temperantior eſt Mariæ re„ ſponſio, quam verba Sacerdotis: hæc ait, „ Quomodo fiet illud? Ille reſpondit: Unde „ hoc ſciam? Negat ille ſe credere, qui „ negat ſe ſcire iſta, non dubitat eſſe fa„ ciendum, quod quomodo fieri poſſit, in„ quirit. Auguſtinus tamen videtur dicere, „ quod dubitaverit. Dicit enim in lib. Quæ„ ſtionum veteris, & novi Teſtamenti: am„ bigenti Mariæ de conceptu, poſſibilitatem „ Angelus prædicat: ſed talis dubitatio ma„ gis eſt admirationis, quam incredulitatis; „ & ideo probationem Angelus inducit non „ ad auferendam infidelitatem, ſed magis „ ad removendam ejus admirationem -- *Vide infra n.* 102.

Poſtremò addit S. Hieronymum *contra Elvidium*, ubi dicit, quod omnes, exceptis Joſeph, Eliſabeth, & Maria, Jeſum exiſtimabant Joſephi filium, ex quibus triumphanti ſimilis concludit exemplar Virginitatis Marianæ circumciſis Monachis ignotum prorſus fuiſſe.

Nativitas Chriſti ex Virgine in figuris præſignata.

Mirum ſane tanto ſtudio inania coacervaſſe. Prædicta id unum evincunt, quod Judæi peculiarem illum, atque individualem conceptum ignoraverint, quod non inficias imus; indubium quippe eſt paucos admodo perſpectum habuiſſe Chriſtum Neonatum Matrem habuiſſe Virginem, ſed inſimul certum eſt paucos natum Infantem credidiſſe Meſſiam, immo pauci ex Judæis adultum, & Evangelizantem ut Meſſiam ſuſcepere; porro juvat ne ex hoc inferre Judæos neſciviſſe venturum Meſſiam, hocque eis non fuiſſe, ſaltem in figuris, revelatum? Nequaquam ſane, nec ſine errore valet hoc affirmari. Sufficienter itaque noverat, ex figuris ſaltem, Synagoga Meſſiam oriri debere ex Virgine, aſt peculiaris Perſona Mulieris tempuſque Incarnationis latebat, licet plura forent prænunciata ſigna ad dignoſcendum Nativitatis tempus, & partum; proindeque haud mirum eſt, quod Chriſtus foret eo tempore incognitus ùt natus ex Virgine, cum eſſet etiam incognitus ùt Meſſias, ùt Deus. Ipſa autem Deipara ex Scripturis, quas evolvebat, aperte noſcebat Chriſtum ex Virgine naſciturum; ignorabat autem ſe ad tantam dignitatem præordinatam; cumque demiſſe de ſelpſa ſentiret, vix credere poterat Angelo tam mira annuncianti; ex propter ſub initio timuit, ne partus iſte alius eſſet a Meſſia, adeoque Votum manifeſtavit; rem inde perſpicue intellexit, unde non opus fuit, ut Angelus ulteriora adjiceret. Videatur S. Thomas 3. *p. q.* 36. *art.* 1., ubi declarat, quod Chriſti Nativitas non debuit omnibus manifeſtari: videatur etiam *in laudata quæſt.* 30. *art.* 1., ibi enim alia inter momenta, quibus probat fuiſſe neceſſe annunciari Incarnationem, habet -- Secun„ dò ut poſſet eſſe certior teſtis hujus Sa„ cramenti, quando ſuper hoc divinitus „ erat inſtructa -- proptereaque Deus ea diſpoſuit, quæ in Anounciationis Myſterio eveniſſe leguntur. Cumque in laudato articulo ſibi objiceret, non debuiſſe Virginem inſtrui, cum expreſſam Incarnationis fidem haberet, reſpondit *ad* 2. -- Dicen„ dum quod Beata Virgo expreſſam fidem „ habebat Incarnationis futuræ, ſed cum „ eſſet humilis, non tam alta de ſe ſapie„ bat, & ideo ſuper hoc erat inſtruenda -- Stat ergo, quod ipſa indubie noverit ex Virgine naſciturum Meſſiam, & quod in Annunciatione timuerit, atque admirata fuerit; fit enim tranſitus a cognitione rei ſecundùm ſe conſideratæ, ad cognitionem rei ſpectatæ ſecundùm omnes circumſtantias; quare in veteri lege potuerunt aliqui tum ex figuris, tum ex peculiari revelatione agnoviſſe Deiparam ut Virginitatis exemplar.

CONTROVERSIA III.

AN ALIQUI SYNAGOGÆ TEMPORE OBEDIENTIAM, ET PAUPERTATEM, MEDIO VOTO PROFESSI SINT.

SUevere nonnulli duplicem hac de re inſtituere Controverſiam, nos verò ſub uno titulo utramque virtutem comprehendimus, quia utriuſque eædem ferme ſunt rationes, eaſdem utrique opponunt difficultates Adverſarii, & potiſſimum Galianus *p.* 2. *diſc.* 3., *&* 4. *per totum*, *&* 3. *p. diſc.* 1. *a* §. 4. *uſque ad* 7., in quibus etſi plura congerat, omnia tamen id unum evincere conantur, nempe vota hujuſmodi ſtatum veteris legis excedere.

Dicendum tamen in lege veteri aliquos extitiſſe, qui paupertatis, & obedientiæ votum obſervaverunt.

36 PROB. I. Plures in veteri Teſtamento voluntariam amplexati ſunt paupertatem, atque obedientiam; ergo nonnulli etiam voto. Prob. ant. quoad primam partem. Jerem. 35. v. 6., & ſeq. legitur: *Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum: & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris.* Subditur dein, quod obedierunt, unde a Domino mercedem receperunt: porro hic agi de paupertate ſatis communis eſt Interpretum intelligentia; audiatur Angelicus in hunc locum -- Tertiò ponitur obedientiæ „ proteſtatio: qui reſponderunt, & primò „ inducitur paterna juſſio, de non bibendo „ vino:

„ vino: non bibetis: Eccl. 2. v. 3. Cogitavi
„ a vino abſtrahere carnem meam, ut ani-
„ mum meum transferrem ad ſapientiam:
„ & de paupertate ne ſolicitudine tempora-
„ lium ſapientiæ ſtudium intermitterent: &
„ demum: 1. Corinth. 6. Tanquam nihil
„ habentes, & omnia poſſidentes -- Accedit
Voluntaria paupertas apud Rechabitas.
Abulenſis 1. Paralip. cap. 2. q. 21. -- Per hæc
„ intendebat Jonadab deducere filios ſuos ad
„ quatuor perfectiones: prima erat pauper-
„ tas voluntaria: ſecunda contemptus re-
„ rum; nam faciebat, quod filii ſui contem-
„ nerent divitias ſeculi, & ceſſantes ab his
„ ducebant vitam pauperem -- Hi porro præ-
ter paupertatem adoptarunt obedientiam, ut
contextus innuit, & unà cum aliis interpre-
tatur Angelicus, & quidem perfectioris no-
tæ, utpote in re ardua, qualis ea eſt, de
qua agitur impræſentiarum, videlicet, tem-
poralium bonorum abdicatio; non enim po-
terat Pater pauperrimum illum vivendi mo-
dum filiis præcipere, niſi ultro ſeſe obli-
gaſſent.

Locus alter ex Scripturis rem noſtram
comprobat: etenim 3. Reg. 17. v. 3., & ſeq.
dixit Dominus Eliæ: *Recede hinc, & vade con-
tra Orientem, & abſcondere in torrente Ca-
rith, qui eſt contra Jordanem, & ibi de tor-
rente bibes, corviſque præcepi, ut paſcant te
ibi &c. Surge, & vade in Sarephta Sidonio-
rum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri
viduæ, ut paſcat te.* Agnoſcunt Patres vo-
Elias paupertatis cultor.
luntariam in Elia paupertatem, ipſumque
omnia propter Deum abdicaſſe; unde Na-
zianzenus *Jambico* 18. *n.* 62. pauperum pau-
perrimum nuncupat, Chryſoſtomus *hom.* 4.
ad Populum Antiochenum -- Quid Elia pau-
„ perius? Sed propterea omnes divites vin-
„ cebat, quoniam pauper hic erat, ipſam
„ verò paupertatem ex mentis opulentia ele-
„ git: quoniam enim omnem pecuniarum
„ copiam animi ſua magnitudine putavit eſſe
„ inferiorem, nec Philoſophiâ dignam, ideo
„ tantam paupertatem amplexatus eſt -- San-
ctus Iſidorus *lib.* 2. *de Officiis cap.* 16. -- Unde
„ autem ad Monachos ſtudium defluxit pau-
„ pertatis, vel cujus hujus converſationis ex-
„ titit auctor, cujus iſti habitum imitantur?
„ Quantum attinet ad auctoritatem veterum
„ Scripturarum, hujus propoſiti Princeps
„ Elias, & Diſcipulus ejus Eliſeus fuerunt,
„ ſive alii Prophetæ, qui habitabant in ſoli-
„ tudine, urbibuſque relictis faciebant ſibi
„ caſulas prope fluenta Jordanis --

In laudato Regum libro aliud pro re
nata occurrit argumentum *cap.* 19. ubi Eli-
ſeus relictis bobus cucurrit poſt Eliam, quod
Eliſeus Eliæ paupertatem adoptavit.
perpendens Lyranus habet -- Decrevit, re-
„ pudiatis omnibus, adhærere Eliæ -- Idem
ſentit Ambroſius *lib.* 1. *de Offic. cap.* 30., &
Theodoretus *quæſt.* 19. *lib.* 4. *Reg.* loquens
de Eliſeo oblatis a Naaman Syro muneribus
ſcribit -- Naaman Eliſeo dona obtulit pre-
„ tioſa, ſed Propheta expetendam pauperta-
„ tem prætulit omnibus divitiis --

His robur accedit ex novo Teſtamento
juxta Apoſtolum ad Heb. 11. v. 37., ubi
nonnullos referens viros ſanctitate præcellen-
tes habet -- *Circuierunt in melotis, in pelli-
bus caprinis, egentes &c.* Hi porro ſunt, de

quibus laudatus Theodoretus eo loci ſcribit --
A „ Chorus Prophetarum extremam amplecte-
„ batur paupertatem -- & Bellarminus *lib.
de Monachis cap.* 5. -- Habemus deinde in
„ eodem Teſtamento veteri Eliam, & Eli-
„ ſeum, & Filios Prophetarum ſine uxori-
„ bus, & divitiis in hoc mundo vixiſſe, de
„ quibus D. Hieronymus in Epiſtola ad
„ Ruſticum, quæ eſt ordine quarta: Filii
„ Prophetarum, inquit, quos Monachos in
„ veteri Teſtamento legimus, ædificabant
„ ſibi caſulas juxta fluenta Jordanis, & tur-
„ bis Urbium derelictis, polentâ, & herbis
„ agreſtibus victitabant. Et Epiſt. 13. ad
„ Paulinum de Monachis loquens: noſter
B „ Princeps, inquit, Elias, noſter Dux Eli-
„ ſeus, noſtri Duces Filii Prophetarum, qui
„ habitabant in agris, & in ſolitudinibus,
„ & faciebant ſibi Tabernacola prope fluenta
„ Jordanis --

Prædicta confirmata habemus a Joſepho
lib. 2. *de Bello Judaico cap.* 7., ubi de Eſſe-
nis habet -- Divitiarum Contemptores ſunt,
„ rerumque apud eos communicatio admira-
„ tioni habetur, neque invenies alterum al-
„ teri opulentiâ præſtare: legemque ſibi di-
„ xerunt, ut qui diſciplinam ſuam ſectari
„ vellent, bona contubernio publicarent ...
„ Deſignatos autem Procuratores habent, &
C „ ad uſus omnium ſingulis indiviſos -- De
iiſdem Eſſenis ſcribit etiam Natalis ab Ale-
xandro *Tom.* 2. *Hiſt. veteris Teſtamenti Ætate* 6.
art. 5. §. 4. -- Summa inter illos erat bono-
„ rum communio. Deſignati omnium rerum
„ Procuratores -- Laudati Auctores, aliique
plures adducunt Eſſenos ſub uno Magiſtro adu-
nari, ab eoque dirigi; in quo obſervantia
obedientiæ relucet.

Obedientiam porro coluiſſe filios Pro-
phetarum palam tradunt Scripturæ Sacræ in-
terpretes, hos inter habemus Abulenſem 4.
Reg. cap. 1. *q.* 9. -- Iſti non erant filii Pro-
„ phetarum ſecundùm carnem, ſed erant
D „ Diſcipuli eorum, & vocabantur filii; quia
„ Diſcipuli vocantur filii Magiſtrorum; &
„ iſti erant multi viri habentes vitam Reli-
„ gioſam, qui volebant eſſe perfectiores re-
„ liquis de populo, & conveniebant in lo-
„ cum unum, ubi erant Prophetæ, & ibi
„ vacabant doctrinæ eorum, & laudibus
„ Dei: erant autem Congregationes iſtorum
„ per diverſa loca &c. --

Et *quæſt.* 11. -- Filii Prophetarum vo-
„ lebant, quod Eliſeus ſuccederet loco Eliæ
„ in principatu Prophetiæ, ideo revelabant
„ ei receſſum ejus, ut priuſquam recederet,
„ peteret ab eo donum eminentiæ inter Pro-
E „ phetas; ne manerent omnes illi Prophetæ
„ minores tamquam ſine capite; motivum
„ autem eſt, quia Elias erat caput omnium
„ Prophetarum, qui tunc erant tam in emi-
„ nentia Prophetiæ, quam in ſignorum ope-
„ ratione, quia non legitur de alio Prophe-
„ ta, quod manente Elia inter homines,
„ faceret mirabilia; ipſe autem erat Prin-
„ ceps cæterorum tam in doctrina morali,
„ quam in eruditione legis, & exemplo
„ vitæ, & gerebat curam de omnibus Col-
„ legiis Prophetarum in terra Iſrael --

37 Probato antecedente ſupereſt, ut
pru-

probetur conſequentia, & quidem primò quoad paupertatem, dein quoad obedientiam; ſic ergo evincitur quoad paupertatis votum. Per Adverſarium 2. *p. diſc.* 4. §. 1. *n.* 90. aliqui in lege veteri voluntariam adoptarunt paupertatem; ſed momentum, quo id probat, aptè evincit aliquos talem adoptaſſe virtutem ex voto; ergo. Prob. min. verba Galliani referendo -- Nos igitur cum „ Sanctis Patribus, & Doctoribus concedi„ mus aliquos in veteri Teſtamento, diver„ ſiſque temporibus, & ſeculis in pauper„ tate voluntaria ex Dei interno inſtinctu „ vixiſſe, ut eſſent figura, & indicia futu„ rorum pauperum legis gratiæ -- Sed in hac lege plures futuri erant pauperes ex voto; ergo etiam in illa lege debuerunt dari pauperes ex voto, ut eſſent horum figura.

Pauperes ex voto in veteri lege præfigurati.

Argumentum elucidatur I. Figuræ præceſſerunt de his, quæ majorem quandam excellentiam exprimunt in nova lege; atqui major excellentia paupertatis Evangelicæ in eo ſita eſt, ut obſervetur ex voto; ergo de hoc debuit figura præcedere.

II. Totum pondus doctrinæ Adverſantium in eo verſatur, quod voluntaria Caſtitas, Obedientia, & Paupertas ſint propriè, & rigoroſè Evangelica Conſilia; ſed in lege gratiæ prædicta non habentur ſub ratione voti: nullibi enim novum Teſtamentum voti nomen uſurpat, ut de re ejuſdem propria, ſed tota votorum doctrina per vetus Teſtamentum Eccleſiæ traditur quoad ea, quæ illi legi convenientia erant, & ex illorum votorum ſimilitudine Eccleſia impræſentiarum ſimilia adoptat vota; ergo formalitas voti non eſt Evangelicæ legis propria.

Vota in nova lege ex veteri adoptata.

38 DICES ex Galliano 3. *p. diſc.* 1. §. 5. *n.* 53., *&* §. 6. *n.* 75. Figura eſt ſimilis figurato, & hoc modo Doctores ex geſtis legis veteris arguunt ad novum Teſtamentum: arguere verò non ſimilem, ſed eandem rerum veritatem, dubio-procul eſt tollere ſtatum figurativum, & novam in veterem legem transferre; hic porro arguendi modus omnia cogeret novæ legis myſteria in veterem transferre; eapropter Sacramenta legis gratiæ fuiſſent in veteri; & quia Melchiſedech panem, & vinum obtulit, obtuliſſet verum Chriſti corpus. Hoc faciunt Salmanticenſes.

Verùm hinc magis roboratur argumentum. Neceſſe eſt, quod figura relatè ad virtutes morales eandem ſervet identitatem proprietatis, licet cum aliquo diſcrimine quoad majorem, minoremve perfectionem; ſed præſens Controverſia verſatur in materia virtutum moralium; ergo ſervari debet identitas proprietatis. Major in aperto eſt: non enim obedientia filiorum erga Parentes, fidelitas Uxorum erga Viros, eleemoſyna erga pauperes &c. ſubſtantialiter differebant, & aliter loqui errore non caret: accipe doctrinam Apoſtoli quoad vitia virtutibus adverſa. Habet igitur 1. ad Corinth. 10. v. 6., & ſeqq. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut illi concupierunt; nec Idololatræ efficiamur, ſicut quidam ex illis: quemadmodum ſcriptum eſt: ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die triginta tria millia; neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt; neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore: hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum devenerunt.*

Id igitur eſt in figura, quod datur ut exemplar, ut explicat Angelicus *ibid.*, quia non pro illis tantummodo, ſed & pro nobis facta ſunt, & licet peccata illa fuiſſent figurativa peccatorum, quæ perpetranda erant in nova lege, quis uſquam dicet non fuiſſe vera delicta, ejuſdemque eſſentialis malitiæ: *Non ficta, ſed vere facta*, ut ait S. Doctor, qui aliàs egregie advertit in nobis fore graviora, ſeveriùſque mulctata. Itaque pari ratione egregia facta Sanctorum veteris legis figura erant, ſed inſimul veræ virtutes, etſi non conſummatæ, minoriſque perfectionis.

Et ſane ſciſcitari juvat ab Adverſario vota aliarum virtutum in prædicta lege nuncupata nonne quoad ſubſtantiam, & quoad vim obligandi erant vera vota? Utique; & tamen & illa erant figurativa. Caſtitas vidualis Judith, & Annæ nonne erat ſubſtantialiter eadem, ac ea quam ſervavit, puta S. Franciſca Romana? Nemo ſane id negabit, & tamen hæc in illa præfigurata fuit, quin jure dicatur ſtatus legis novæ in veterem translatus, & e contra. Quare ergo non poterit Virginitatis votum eſſe quoad ſubſtantiam idem abſque utriuſque legis confuſione?

Virtutes ſemper eſſentialiter eæd., ſicut & vota.

Equidem in materiis, quæ aliæ ſunt a virtutum exercitio, & conſiſtunt in ritibus a divina inſtitutione pendentibus haud neceſſe eſt identitas proprietatis, ſed ſat eſt identitas ſimilitudinis, & proportionis; in aliquibus tamen generica ſaltem ratio eſſentialis ſalvatur: hinc Theologi plerique propugnant Sacramenta novæ, veteriſque legis convenire univocè; & argumentum, quod a Sacrificio Melchiſedech relatè ad noſtrum inſtituunt Patres, verificatur ſecundùm identitatem, videlicet, quod materia conſecranda ſit verus panis, verumque vinum; nec quoad alia paritatem habent: porro Salmanticenſes identitatem paupertatis, & voti tantummodo quoad eſſentiam concedunt, unde injuſte traducuntur.

39 PROB. II. Indubium eſt apud Patres Apoſtolos voluntariam paupertatem voviſſe, idque ſatis colligi ex Scripturis jure exiſtimant; atqui phraſibus plane ſimilibus aliquorum veterum paupertas deſcribitur; ergo & hi illam ex voto ſervaſſe meritò cenſendum eſt. Phraſes, quibus innuitur Apoſtolorum paupertas, leguntur Matth. 19. v. 27., ubi Petrus omnium nomine ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*: quibus exprimitur plena terrenorum abdicatio, firmaque voluntas adhærendi Deo; ſed 3. *Reg.* 19. eadem plena abdicatio, atque firma voluntas deſcribitur in Eliſeo ſeculo abrenuncians, ut Eliam ſequeretur; quod egregie verſat Abulenſis *ibid. q.* 26. -- Ad

Apoſtolorum paupertas cōparata cum illâ veteris legis.

„ voca-

„ vocationem Eliæ illico ipſe reliquit boves,
„ tanquam nunquam araturus cum eis, &
„ totaliter intendebat ſequi Eliam -- Hinc
explicans, quod mactaverit boves, atque,
combuſto aratro, coxerit carnes, ſubdit --
„ Hoc fecit non quidem tanquam non habe-
„ ret alia ligna, ſed quia tranſibat ad Do-
„ minum, omnino volebat renunciare Se-
„ culo, ita quod nihil relinqueret in illo,
„ quod ad ſe pertineret . . . Illud exemplum
„ ſecutus eſt Beatus Matthæus, qui a Chri-
„ ſto vocatus reliquit omnia, quæ habebat --
Et *quæſt.* 23. abdicationem Eliſei jam com-
paraverat cum ea, quam, Chriſto vocante,
fecerunt Apoſtoli -- Non curavit amplius
„ arare, nec vacare negotiis ſecularibus . . .
„ Sic enim quando Chriſtus vocabat Diſci-
„ pulos ſuos, relinquebant omnia, & ſe-
„ quebantur eum. Sic etiam quando Chri-
„ ſtus vocavit Petrum, & Andream fratres,
„ relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Sic etiam
„ Jacobus, & Joannes Zebedæi, fratres re-
„ linquentes patrem, & navem, vocantem
„ Chriſtum ſecuti ſunt -- Porro perfecta re-
rum omnium abrenunciatio haberi nequit,
niſi ſit voto firmata, quatenus non ea tan-
tùm relinquuntur, quæ poſſidentur, ſed
etiam quæ poſſideri poſſunt, ut notat Suarez
Tom. 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 2.

40 Reſpondet Galianus *p.* 3. *diſc.* 1.
§. 5. *n.* 54., *& ſeq.* aſſignando diſcrimen
Apoſtolos inter, alioſque qui in veteri lege
floruere, & quidem I. quia ex Evangelio
compertum habemus datum paupertatis con-
ſilium: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende om-
nia, quæ habes*. II. Dubio-procul Apoſtoli
primitias Spiritus ſortiti ſunt, ut hinc ad
perfectionis culmen pervenirent. III. quia
in novo Teſtamento expreſſe conſtat, obſer-
vantiam Conſiliorum majoris fore utilitatis,
ſi habeatur cum voto, quam ſine voto. Do-
ctrinam hanc prædicaverunt Apoſtoli, &
potiſſimum Paulus. IV. quia Apoſtoli con-
ſtituti ſunt in perfectiſſimo Eccleſiæ ſtatu, ut
Evangelium Univerſo Orbi prædicarent; ea
propter virtutes, quas habuerunt, perfectiori
modo exercuerunt, modus autem perfectior
eſt per votum. Sal erant ad condiendam na-
turam infatuatam, ut tradit Chryſoſtomus *in
Officio ejuſdem Doctoris lect.* 2. adeoque ha-
bere debebant eas virtutes, quæ maxime ne-
ceſſariæ ſunt, utileſque ad multorum procu-
randam ſalutem; has inter eſt conſilium
paupertatis.

Noſtrum non eſt oſtendere viros illos
veteris Teſtamenti æqualis fuiſſe ſanctimoniæ
cum Apoſtolis, ut nonnulli contendunt, lo-
quendo de Elia, & Enoch, ſed ſolummodo
identitatem proportionis, ex qua apte infer-
tur eos ex voto paupertatem exercuiſſe. Hinc
ad primum, omitto Apoſtolos omnia abdi-
caſſe, antequam Chriſtus illud conſilium do-
ceret, itidem conſilium hocce æque amplecti
poſſe per votum, ac ſine voto: ea propter
male colligitur ab Apoſtolis fore ex votu ob-
ſervatum, ex quo illud fuerit expreſſe tradi-
tum. Conſilium igitur paupertatis comper-
tum habemus in lege gratiæ, quia eſt illius
proprium; eſt enim conſilium legis novæ,
ſicut præceptum dilectionis proximi dici-

Paupertas non novæ legis propria?

tur novum: Joan. 13. v. 34. *Mandatum*
A *novum do vobis*; novum eſt, quia proprium,
ut advertit ibid. S. Thomas -- Quod autem
„ mandatum iſtud in veteri Teſtamento ex
„ timore, & amore ſancto erat, pertinebat
„ ad novum Teſtamentum; unde hoc man-
„ datum erat in lege veteri, non tanquam
„ proprium ejus, ſed ut præparativum novæ
„ legis -- Idem igitur meritò dicendum eſt
de Conſiliis. Ulterius: concedit Adverſa-
rius quoſdam obſervaſſe paupertatem ex di-
vino inſtinctu; cur ex eodem inſtinctu illam
obſervare non poterant ex voto?

Ad ſecundum. Concedimus Apoſtolos
habuiſſe primitias Spiritus; verùm viri illi
B veteris legis erant præcipui ex dono Prophe-
tiæ, in Magiſterio legis, in ſanctitate. Dati
namque fuerunt tanquam ſpecialia virtutum
exemplaria.

Sancti in veteri lege fuerunt virtutis exemplar.

Tertium perperam aſtruitur; non enim
apud Paulum, aut apud Canonicas Apoſto-
lorum Scripturas invenire eſt, quod obſer-
vantia ex voto majoris ſit perfectionis: ubi
enim prælaudati doctrinam tradunt Conſilio-
rum, de voto nulla habetur mentio. Ad-
mittimus quidem perfectius eſſe virtutem
exercere ex votu, ſed hoc compertum erat
etiam in veteri lege, ubi frequens votorum
doctrina legitur, immo fideles illi ad voven-
C dum invitabantur, ut alibi dictum eſt.

Agere ex voto perfectius.

Ad quartum. Utique Apoſtoli fuere in
perfectiſſimo ſtatu legis Evangelicæ, totiuſ-
que Orbis Magiſtri, attamen & Elias v. g.
in Prophetia, legiſque Magiſterio maxime
excelluit, unde S. Thomas 3. *p. q.* 45. *art.* 3.
ad 3. oſtendens congrue Eliam Transfigura-
tionis teſtem dicit ipſum fuiſſe legis Zelato-
rem, præcipuumque inter Prophetas, immo
Ambroſius, & Anſelmus interpretantes illud
Pauli 1. ad Corinth. 4. v. 9. *Puto enim, quod
nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit*, docent Eliam,
& Henoch noviſſimis temporibus futuros A-
poſtolos adverſus Antichriſtum, quod proſe-
D quitur Malvenda *lib.* 9. *cap.* 5. *de Antichri-
ſto*, aliique.

Elias præcipuus inter Prophetas.

41 PROB. III. Apud Doctores ſolem-
ne eſt ex circumſtantiis, & formulis locu-
tionum Patrum ſenſa venari, ubi verba non
habentur expreſſa; hinc licet apud Veteres
non habeatur expreſſum Tranſubſtantiatio-
nis nomen, quia tamen circumlocutio-
nibus utuntur, quæ panem innuunt tran-
ſire in Chriſti Corpus, apte colligimus dog-
ma illud extitiſſe apud Veteres; atqui Inter-
pretes, & Patres agentes, puta, de Prophe-
tis, etſi expreſſo voti nomine non utantur,
adhibent tamen circumlocutiones id ſatis ex-
E plicantes; ergo in eis admittendum eſt vo-
tum. Dilucidatur minor. Ita commendant
Patres paupertatem v. g. Eliæ, & Eliſei, ut
vel aſſerant ab ipſis ad Religioſos exemplum
deſcendiſſe, S. Iſidorus *lib.* 2. *de Officiis cap.* 16.
habet -- Unde autem ad Monachos ſtudium
„ defluxit paupertatis, vel quia hujus con-
„ verſationis extitit author, cujus iſti habi-
„ tum imitantur? Quantum attinet ad au-
„ thoritatem veterum Scripturarum, hujus
„ propoſiti Princeps Eliſa -- Hieronym. *Epiſt.*
13. *ad Paulinum de Monachis agens*, ait --
„ Noſter Princeps Elias, noſter Dux Eli-
„ ſeus

„ ſeus &c. -- vel Religioſos prædicant ad ſimilitudinem noſtrorum : idem Hieron. *in Epiſt. ad Ruſticum* -- Filii Prophetarum, quos „ Monachos in veteri Teſtamento legimus -- Salianus *ad annum* 3144. poſtquam filios Prophetarum vocavit Religioſos voluntate, & profeſſione pauperes, ſub anno ſequenti dicit -- Prophetæ, qui Religioſam pauperta- „ tem profitebantur -- *& num.* 2. iterum ait -- Sæviente egeſtate Religioſi ad Eliſeum „ tanquam ad communem parentem undi- „ que convolabant, ut ab eo, vel divina „ ſubſidia per miracula, vel humana per esi- „ miam ejus apud omnes gratiam conſeque- „ rentur, & promiſſam Deo paupertatem „ faciliùs ferrent -- *& n.* 5. addit -- Eos „ demum Monachos agnoſcit, vocatque „ Hieronymus, ſicut & Joannes Hieroſoly- „ mitanus paſſim. Abulenſis ait quaſi nihil „ habuiſſe, niſi quæ ſibi a populo dabantur. „ Theodoretus quoque eorum celebrat pau- „ pertatem -- Porro Religioſa paupertas ea eſt, quæ voto Deo eſt nuncupata; ergo hanc profeſſi ſunt Prophetæ illi, licet minori quodam perfectionis gradu.

Religioſa paupertas debet eſſe voto firmata.

Certè ſpeciem Religioſæ obſervantiæ, & paupertatis exhibent duo, quæ recitantur 4. Reg. 4. primum legitur v. 38. *Eliſeus reverſus eſt in Galgala; erat autem fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo; dixitque uni de pueris ſuis: pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum; & egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes.* Hic videtur, quod communem haberent menſam, communemque cibum, & quidem pauperem; unde Hieronymus ad Ruſticum dixit -- Turbis Ur- „ bium derelictis, polentâ, & herbis agre- „ ſtibus victitabant -- Et Gaſpar Sanches -- „ Hoc videtur eo tempore illorum Prophe- „ tarum commune pulmentum; id indicat „ ille, qui egreſſus dicitur in agrum, ut „ colligeret herbas agreſtes --

Legitur aliud v. 42. *Vir autem quidam venit de Baalſaliſa deferens Viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera ſua; at ille dixit: Da populo, ut comedat: Reſponditque ei miniſter ejus.* Hic forma innuitur paupertatis inter Clauſtrales, qua præſcribitur, ut oblata non retineantur a Prælatis, ſed Communitati dividantur. Audi Salianum *ad an.* 3144. -- „ Acceptum munus Eliſeus in communem „ impendit utilitatem; erat enim eis menſa „ communis, ut Religioſis viris; nec Eli- „ ſeus ſibi proprium habere voluit, pauper- „ tatis ſtudio repugnante -- Et Theodoretus utrumque caſum comprehendens *ibid. q.* 19. habet -- Quod autem vita Prophetarum nul- „ las habuerit poſſeſſiones, docet Hiſtoria; „ nam qui erat eorum primus, nunc qui- „ dem eos excipit convivio olerum agre- „ ſtium, nunc autem panes hordeaceos vi- „ ginti appoſuit centum viris, eoſque ab aliis „ oblatos --

Aliud addi poteſt momentum *ex eodem libro 4. Regum cap.* 5., ubi narratur Giezi graviter leprâ punitum ab Eliſeo, ex quo munera a Naaman Syro receperit. Licet enim diſcriminentur Doctores circa qualitatem criminis a Giezi perpetratum, contendentes alii fuiſſe ſimoniacum, quatenus ob ſanitatem a Naamano obtentam munera popoſcit, alii furem, petendo pro Eliſeo, quod ſibi retinere intendebat, detractorem alii, bonum nomen Prophetæ denigrando, itaut videretur inordinatæ cupiditatis vitio laborare, ſentiunt tamen plures peccaſſe peccato proprietaris contra paupertatem. Hos inter eſt Caſſianus *lib. 7. de Spiritu Philarg. cap.* 14., qui dum Monachos proprietarios hoc exemplo redarguit, habet -- Nam „ Giezi ea, quæ ne antea quidem poſſede- „ rat, volens adquirere, non modo gratiam „ Prophetiæ non meruit poſſidere, quam per „ ſucceſſionem velut hereditariam a ſuo ha- „ buit Magiſtro, verùm etiam æternâ leprâ „ S. Eliſei maledictione perfunditur --

In veteri lege Proprietarii puniti.

42 Corroboratur aſſumptum. Paupertas, quæ ſtatum importat, non ſubſiſtit, niſi firmata per votum, ut palam docet S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 6. ſtatus ſiquidem firmitatem dicit, hinc *in reſp. ad* 1. concludit -- Hæc autem immobilitas ſequelæ Chri- „ ſti firmatur per votum, & ideo votum re- „ quiritur ad perfectionem Religionis -- Atqui prædictorum Prophetarum paupertas erat ex ſtatu; ergo voto obligata. Minor clare evincitur: verba illa ad Heb. 11. v. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes &c.* Interpretes cum D. Thoma *ibi lect.* 8. intelligunt de Elia, deque Prophetis, qui illum ſectabantur: porro S. Thomas egeſtatem, de qua Apoſtolus, eam vult eſſe, quæ ſtatum conſtituit -- Circuierunt in melotis: „ ponit mala voluntarie aſſumpta. Et iſta „ ad tria reducuntur, ſcilicet ad exteriorem „ cultum, ad perſonæ ſtatum, ibi (egentes) „ ... Quantum autem ad ſtatum Perſonæ „ dicit (egentes) quia carebant divitiis, in „ quo præfigurabant ſtatum perfectionis novi „ Teſtamenti, de quo dicitur Matth. 19. „ Si vis perfectus eſſe, vade, & vende om- „ nia, quæ poſſides. Et hoc fuit ſpecialiter „ de Elia &c. -- ergo paupertatem profeſſi ſunt ex voto.

Status dicit firmitatem.

43 His reſpondet Adverſarius S. Thomam ponere ſtatum figurativum, qui eſt ſine voto, Salmanticenſes verò contra expreſſam D. Pauli doctrinam ponere ſtatum verum quoad ſubſtantiam Evangelicum: addens multos ex Eremitis ſequi paupertatem, quin ſint in ſtatu perfectionis cum voto.

Utique Angelicus ponit ſtatum figurativum, ita tamen ut vere, & non ficte illi fuerint in ſtatu paupertatis ob neceſſitatem figuræ; eo namque modo hunc ſtatum vult figurativum Evangelicæ perfectionis, quo exponens D. Paulum 1. ad Corinth. 10. ait peccata veteris legis figuras fuiſſe peccatorum novæ legis. Contextus rem comprobat -- „ Et hoc fuit ſpecialiter de Elia, qui paſtus „ fuit a Corvis, & a muliere vidua -- En veritas paupertatis, adeoque jure dicendum eſt loqui etiam de vero ſtatu. Ibidem inquit ſimiliter -- Præcipue tamen, qui profitentur „ ſtatum pœnitentiæ, debent oſtendere ſigna „ Profeſſionis. Et ideo licet eis uti talibus „ veſtibus, non tamen ad oſtentationem; & „ ſic utebantur Prophetæ -- Hæc autem vera

Figura vera debet referre exemplar.

fuere

fuere, non ficta pænitentiæ ſigna.

Sub initio prædictæ lectionis agens de Sanctis veteris legis, qui propter fidem paſſi ſunt, ut Machabæi, habet — In iſtis San„ctis primò figurabatur novum Teſtamen„tum — & tamen illa fuere vere martyria, ſicut illi vere Sancti: enumerans deinde Angelicus ſupplicia, & ludibria, quæ paſſi ſunt Prophetæ ſubdit — In quibus omnibus præfi„gurabantur paſſiones novi Teſtamenti, 1. „ad Corinth. 4. Spectaculum facti ſumus „mundo, & Angelis, & hominibus — & tamen quis uſquam inficias ibit illa non fuiſſe vera ludibria, eoſque vere paſſos eſſe: illa itaque præfiguratio fundabatur in rerum veritate; ergo Evangelicæ perfectionis figura fundatur in veritate ſtatus paupertatis; ergo ad mentem D. Thomæ locuti ſunt Salmanticenſes. Nec nos dicimus, quod ibi Angelicus velit Prophetas paupertatem ex voto ſervaſſe, ſed ex ſtatu, & inde colligimus ex voto, quia alibi S. Doctor ad ſtatum requirit votum. Itidem non negamus plures Eremitas abſque voto ſervaſſe paupertatem, ſed hoc ipſo quod concedit non fuiſſe in ſtatu paupertatis, nihil concludit adverſus hanc, quam urgemus, probationem.

Ad ſtatum votum requiritur.

Contra reliqua inſurgit Galianus *p. 2. diſc. 4. §. 2. n. 99.*, & ad id quod dictum eſt de panibus hordeaceis, ultro concedit fuiſſe viro Dei oblatos, ſed quæ de vita communi aſſeruntur, chimerica vocat; nec diſtributos vult Monachis, ſed populo, ut textus declarat; & filios Prophetarum ibidem relatos vult uxoratos; quia ibi legitur: *Mulier quædam de Uxoribus Prophetarum*. Reſpondet ad auctoritatem Saliani, quod communis utilitas non eſt vita communis Religioſa, nec ſtudium paupertatis fore votum, ſed deſiderium, ea propter concludit extorqueri auctoritatem.

Reſpondet ſimiliter ad illud quod dicitur de juſſione Eliſei, ut cibus pro filiis Prophetarum diſponeretur, ex hoc non argui votum: nam Patres S. Philippi Nerii communem habent menſam, & tamen non habent paupertatis votum, ſolummodo concluditur Eliſei miſericordia erga pauperes Prophetarum filios; ſicut in pluribus Monaſterii olla grandis ponitur ante oſtium ad eleemoſynam.

Giezi vult uxoratum, ſiquidem Eliſeus in maledictione dixit: *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo uſque in ſempiternum*. Habebat ergo filios. Subdit deinde, ut quia fit in ſtatu, haud neceſſe fore habere votum: nam Religioſi, qui Trinitarii, ſeu SS. Trinitatis nuncupantur, ſunt in ſtatu ſpecifico redimendi captivos per ſolam legem.

Verùm ſi prædicta recte perpendantur, ſponte corruunt objecta. Auctoritas Saliani declarat dilucide menſam fuiſſe communem, ſicut Religioſos viros decet, nihilque Eliſeum ſibi retinuiſſe, *paupertatis ſtudio repugnante*; ſtudium repugnans male dicitur ſolum deſiderium, ſed veram importat paupertatis profeſſionem, unde ibidem illos Prophetas vocat — Religioſos viros voluntate, „& profeſſione pauperes — aſſerit a Hieronymo eoſdem fuiſſe agnitos, vocatoſque Monachos, aliàs ex littera compertum eſt, quod populus, cui juſſit hordeaceos panes diſtribuere, non erat alius a filiis Prophetarum, qui relictis Urbibus faciebant ſibi caſulas, teſte laudato Hieronymo, quique, ut tradit Theodoretus *q.* 19. ſub uno Rectore vivebant, quem primum vocat — Quod autem „vita Prophetarum nullas habuerit poſſeſſio„nes, docet Hiſtoria. Nam qui erat eo„rum primus, nunc quidem excipit convi„vio olerum agreſtium, nunc panes hor„deaceos viginti appoſuit centum viris, „eoſque ab aliis oblatos — Ex his etiam palam fit ollam grandem pro Religioſis fuiſſe.

Nec urget exemplum Patrum Congregationis S. Philippi, quia illi nec ſunt, nec vocantur Religioſi, aut Monachi; auctoritates autem, quas adduximus, filios Prophetarum Monachos vocant, immo noſtrorum Monachorum Duces. *Noſter Princeps Elias, noſter Dux Eliſeus*, ſic Hieronymus ſupra laudatus. Alia quæcunque Congregatio, quæ communem habet menſam abſque voto, vel juramento Monachalis non cenſetur, niſi ſaltem veram habeat legem, quæ importet obligationem: quare olla grandis non eſt ſimilis illi, quæ ante oſtium Monaſteriorum ponitur ad eleemoſynam.

Quod attinet ad Religioſos SS. Trinitatis, petimus, an per illam legem conſtituantur in ſtatu ſpecifico Religionis, vel non? ſi hoc; fruſtra aſſumitur argumentum contra nos, ſi illud; ergo ſaltem illi Prophetæ per legem ſtatum habebant ſufficientem pro veritate Monaſtici ſtatus; ergo ſufficiens habemus fundamentum aſtruendi in veteri lege ſtatum Religioſum. Ceterum illud indubium eſt ſtatum Religioſum quoad eſſentialia neceſſariò conſtitui per vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, reliqua, quæ adducuntur ſive ex lege, ſive ex voto, accidentalia ſunt: porro S. Thomas, ut vidimus, ponit ſtatum Prophetarum præfigurativum ſtatus perfectionis eſſentialis novæ legis.

Vota eſſentialia pro Religioſo ſtatu.

Ad inſtantiam de Uxoribus Prophetarum dico in primis, eſto quod omnes fuiſſent uxorati, nihil urget adverſus votum paupertatis, ſtatumque Religioſum. Etenim inter Catholicos probabilis eſt opinio Religiones militares, quæ votum habent maritalis caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, ſimpliciter, & eſſentialiter fore Religiones; licet S. Thomas oppoſitum ſentiat, quis ergo inficias ibit, in veteri lege aliquos ſub conſimili forma veros fuiſſe Religioſos? Si ſtatus legis gratiæ, qui perfectiſſimus eſt, verum Religioſum ſtatum ſub prædicta vivendi ratione admittit, cur non admiſiſſe dicendum eſt vetus Teſtamentum?

Illud tamen indubium eſt, annuente Adverſario, non omnes Prophetas fuiſſe uxoratos, & nonnullos cœlibes fuiſſe. Unde ſic inſtatur: ſicut non valet hoc argumentum: Scriptura dicit: *Mulier quædam de uxoribus Prophetarum*; ergo Eliſeus erat uxoratus: ita non valet: Littera dicit: *Mulier quædam de uxoribus Prophetarum*; ergo omnes filii Prophetarum erant uxorati; erant cum uxoribus; erant ſine uxoribus; erant

Non omnes Prophetæ uxorati.

 Diſci-

Diſcipuli Eliſei ; erant ab illo ſeparati .

Maledictio Giezi modum importat loquendi Scripturarum , exprimentem malum lepræ non eſſe temporarium , ſed pro toto vitæ tempore ; unde male inſtantur contra nos .

44 Probato paupertatis voto pro lege veteri , ſupereſt , ut agamus de voto obedientiæ . Galianus 3. *p. diſc.* 1. §. 6. *n.* 63. concedit -- In veteri Teſtamento fuiſſe virtutem obedientiæ , & aliquomodo voluntariam aliquam ſubjectionem ex pacto , vel voto circa aliquod opus particulare , ſed votum per abrenunciationem voluntatis negamus , *inquit* , in illa lege , antequam Chriſtus Dominus per ſuam obedientiam nos liberaret a peccato inobedientiæ -- Infert hinc Salmanticenſes nimis veterem legem extollere , contendendo aliquos ex voto obedientiam ſervaſſe . Rem apte comprobatam credit ex D. Thoma *Opuſc.* 18. *cap.* 10. -- Aliqui verò libertati propriæ voluntatis totaliter abrenunciant ſe propter Deum aliis ſubjicientes per obedientiæ votum , cujus quidem obedientiæ exemplum præcipuum habuimus in Chriſto , de quo Apoſt. dicit ad Roman. 5. ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi , ita per unius obeditionem juſti conſtituentur multi . Quam quidem obedientiam Apoſtolus manifeſtat ad Philip. 2. dicens : Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem ; hæc autem obedientia in abrenunciatione propriæ voluntatis conſiſtit ; unde ipſe dicebat Matth. 26. Pater mi , ſi poſſibile eſt , tranſeat a me calix iſte ; verumtamen non ſicut ego volo , ſed ſicut tu --

Hujuſmodi doctrina indubia eſt , ſed ab Angelico juxta Adverſarii mentem nullo modo tradita , qui ſolùm intendit explicare totalitatem abnegationis voluntatis propriæ ; quod autem fuerit in uſu pro lege veteri , innuit potius , quam neget , tum quia dicit Chriſtum fuiſſe præcipuum exemplum , non autem primum , & unicum , adeoque ſupponit alia minus præcipua præceſſiſſe exempla , tum quia ideo ex illo loco arguit Galianus ante Chriſtum non extitiſſe hujuſmodi obedientiam , quia nondum per obedientiam Chriſti fueramus a peccato inobedientiæ liberati ; ſed ante Chriſti adventum intuitu futuræ obedientiæ Chriſti plures conſtituti ſunt juſti ; ergo intuitu ejuſdem futuræ obedientiæ potuerunt aliqui fore obedientes ; ſi enim obedientia futura , ut ſanativa , juſtificavit plures , eadem , ut exemplaris , potuit movere aliquos .

Igitur probatur quoſdam in veteri lege obedientiam ex voto adoptaſſe . P. Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 3. aſſerit quod in ordine ad ſtatum Religioſum Profeſſio , juramentum , & votum in idem redeunt -- Nam ex quo tempore incœpit Religioſus ſtatus , incœpit etiam Profeſſio , cujus antiquiſſima mentio invenitur in Sanctis Patribus , interdum ſub nomine conſecrationis , aut benedictionis , interdum nomine juramenti , aut voti , & ſæpe etiam profeſſionis -- remque nonnullis auctoritatibus evincit ; ſed Eſſeni ſub lege veteri obedientiam jurabant ; ergo in lege datum eſt hujuſmodi votum. Minor declaratur . Eſſenos ſub obedientia vixiſſe compertum eſt ex Joſepho *lib.* 2. *de Bello Judaico cap.* 7. -- Nihil ſine præcepto faciunt Curatoris -- Serarius *lib.* 3. *Tribær. cap.* 4. -- Nihil eſt quod non agant ex Curatorum ſuorum imperio -- Natalis ab Alexandro *Tom.* 2. *veteris Teſtam. Ætate* 6. *art.* 5. §. 4. -- In juvando dumtaxat , & miſerendo ſui juris erant , in ceteris e Curatoris pendebant arbitrio ; ſine cujus venia vel cognatis aliquid dare nefas ducebant -- Porro hoc obſervaſſe Eſſenos ex juramento tradit Joſephus laudato loco -- Cumque dignus apparuerit , tunc demum in conſortium aſſumitur . Prius verò quam incipiat communem habere cibum , magnis execrationibus adjurat ſe primò colere Deum &c. -- Et infra -- His quidem execrationibus explorant , & quaſi præmuniunt accedentes -- Joannes Caramuel *in Regul. D. Benedicti lib.* 2. *diſp.* 14. -- Inter alia jurejurando promittebant , aſſerente Joſepho , ſe ſi ad principatum promoverentur , nulli injurios , neque victu , neque ornatu aliquo ſubditis ſplendidiores futuros -- Euſebius *lib.* 9. *de Præparat. Evangel. cap.* 1. -- Antequam cometer cum eis veſcantur , jurejurando confirmant primò pios ſe erga Deum futuros -- ergo in lege veteri ſervata fuit obedientia ex voto , aut juramento , cumque dicant Joſephus , aliique Eſſenos promiſiſſe pios ſe futuros erga Deum , jam palam fit eorundem obedientiam non fuiſſe pure philoſophicam , ut Galiano placet .

Eſſeni jurabant obedientiam.

45 Secundò . Rechabitæ ſe adſtrictos agnoverunt ad ea obſervanda , quæ a Patre præſcripta refert Jeremias cap. 35. , nempe non bibendi vinum , non ædificandi domos , & hujuſmodi , quod rite , ſancteque obſervaverunt , ob quod Deo accepti fuere , &c. , ut ait Rabanus *apud Gloſſam* -- Propter obedientiam Patri exhibitam a Domino laudantur , & futura eis bona promittuntur -- Sed hæc obligatio a voluntate , voto , vel juramento adſtrictâ oriebatur : etenim oriri non poterat ex paterno mandato , ſiquidem materia limites paternæ poteſtatis excedebat , atque ad opus conſilii omnino liberum ſpectabat ; ea propter oriatur oportet ex voluntaria acceptatione vinculo voti , aut juramenti firmata .

Rechabitæ voto obedientiam ſervarunt.

46 RESP. Galianus 2. *p. diſc.* 3. §. 2. *n.* 60. , *& ſeq.* Rechabitas lege divina obedientiam exercuiſſe , quatenus filii , jubente Deo , tenentur obedire parentibus , & citat Auguſtinum *in Pſal.* 70. *Concione I.* Hanc eandem reſponſionem dederat olim Petrus Martyr *lib. de votis* , quam apte impugnat Bellarminus *lib. de Monachis cap.* 21. *de voto Obedientiæ* .

Ceterum contextus aliud innuit . Deus enim præmia confert Rechabitis , laudatque , ob id quod præ ceteris Judæis ſpecialiter præſtiterunt , Judæoſque redarguit exemplo Rechabitarum , quia illi voci Dei non obedierunt , iſti verò voci homini obtemperarunt ; ſed ſi utrique ex divino præcepto fuiſ-

ſent

ſent obligati, eadem fuiſſet obediendi cauſa, & origo, mandatum ſcilicet Dei; ergo. Deinde Rabanus *laudato loco* dixit -- Myſti- „ ce Rechabitæ ſignant eos, qui deſiderio „ perfectionis tranſcendunt mandata legis -- ergo aliquid ſupra legem peregerunt. Ratio autem horum eſt, quia filii tenentur quidem per omnia Parentibus obedire, ſed in iis, ad quæ ſe extendit patria poteſtas, ut præclare docet S. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *ad* 1. porro ea, quæ Rechabitis præcepta fuere, patriam excedebant poteſtatem; pertinebant enim ad ſtatum: ergo ſi ſe obligarunt, dicendum venit, hoc ex lege ſibi voluntarie impoſita dimanaſſe, ut abunde conſtat ex Concilio Senonenſi *Can.* 9., ubi de votis Monaſticis agens habet -- Si quis igitur votum ali- „ quod hujuſmodi, ſcilicet, obedientiæ, & „ paupertatis voverit Domino, etiamſi per- „ petuum fuerit., non faciet irritum verbum „ ſuum; ſed Deiparæ Virginis, Annæ Ma- „ tris Samuelis, & Rechabitarum exemplo, „ omne, quod promiſit, implebit -- Hic ſupponit Concilium Deiparam, Annam, & Rechabitas fuiſſe voto obligatos, aliàs argumentum nihil evinceret. Materia autem voti in Rechabitis nil aliud fuit, niſi id quod in Scripturis enunciatur, & de quo ibi laudantur, ex quibus patet ad ea, quæ Galianus ex Capiſucco profert *p.* 2. *diſc.* 3. §. 2. *n.* 71. videlicet Rechabitas non voviſſe obedientiam, & paupertatem, ſed ſolummodo promiſiſſe Deo famulari in Tabernaculo, abſtinere a vino, aliaque ſibi præſcripta peragere, patet, inquam, quia probatio Concilii nullius foret momenti, & textus declarat eos obediſſe, aliàs inter præſcripta recenſetur temporalium abdicatio; potiſſimum verò ex quo Concilium ſermonem habeat de Virgine Deipara, quæ caſtitatem, paupertatem, & obedientiam obſervavit, adeoque Concilium meritò innuit, & Annam vidualem Deo nuncupaſſe caſtimoniam, & Rechabitas paupertatem, & obedientiam.

His pondus additur ex Suarez *Tom.* 3. *lib.* 3. *de Relig. cap.* 1. *n.* 14. nempe Rechabitas ex probabili ſententia a Nazaræis deſcendiſſe; ſed hi temporario, vel perpetuo voto adſtricti erant.; ergo.

47 DICIT *ibid. n.* 61. -- Deus objur- „ gat Judæos ex minori obligatione Recha- „ bitarum; ſed ſi ex voto fuiſſent obligati, „ non fuiſſet minor obligatio, & minus pec- „ catum; ſiquidem ex voto, quod eſt juris „ divini, adſtricti fuiſſent --

RESP. Neg. min. Dicitur enim minor obligatio præſuppoſitive, quia de bono ſupererogatinnis, voluntarie electo, non Deo, ſed homine jubente; non autem eſt minor obligatio ex vinculo immediate ligante, per quod conſtituebantur in ſtatu Religioſo; unde Abulenſis 1. *Paralipom. cap.* 2. *q.* 21. de Rechabitis aſſerit -- Iſti erant Viri Religioſi in „ veteri Teſtamento, ſicut ſunt Monachi -- & S. Hieronymus *Epiſt* 13. *ad Paulinum* inter Duces Religioſorum ipſos enumerat.

Rechabitæ Duces Religioſorum.

48 Tertiò. Licet non legatur Apoſtolos voviſſe obedientiam, conſtans tamen eſt Doctorum ſententia voto ſeſe obligaſſe ad obediendum Chriſto; ſed etiam Eliſeus ob Dei amorem ſecutus eſt Eliam, ut videre eſt ex iis, quæ ſuperiùs diximus ex Abulenſi, aliiſque, & abunde patet ex hiſtoria relata 3. *Reg.* 19. comparata cum Evangelica Hiſtoria, qua deſcribitur, qualiter Apoſtoli, omnibus relictis, ſecuti ſunt Chriſtum: ex propter Chryſoſtomus *hom.* 14. *ex variis in Matth.* habet -- Perpende fidem, & obe- „ dientiam vocatorum, cuncta illico relin- „ quentes fecerunt, quod Eliſeus quoque „ ſub Elia legitur impleſſe -- Quid aptiùs deſiderari poteſt?

Eliſeus prælusit Apoſtolis.

49 Reponit Galianus 3. *p. diſc.* 1. §. 6. *a num.* 69. *ad* 73. quod licet votum Apoſtolorum non ſit expreſſum, per effectus tamen dignoſcitur. Chriſti ſequela ſita eſt in ſui abnegatione, parentumque odio, immo & propriæ animæ, quod quidem immobiliter haberi nequit abſque voto ad id obligante; in ſequela verò Eliſei non eſt invenire, nec ſui abnegatio, nec parentum, aut animæ ſuæ odium. Hæc quippe in veteri Teſtamento prorſus erant inaudita. Subdit non omnem ſequelam votum ſupponere, ut in Chriſti Eccleſia, in qua plures Chriſtum ſequuntur, nullo prorſus elicito voto. Addit nonnullos abſque voto Magiſtrum ſequi quoad Evangelica Conſilia. Concludit demum eadem Evangelica Conſilia ex conſtanti S. Thomæ doctrina abſque voto poſſe obſervari: concedit tamen ex eodem Angelico ad perfectionem ſtatus Religioſi requiri votum -- Cum „ verò ſine voto immobiliter conſilia firmari „ non poſſint, ideo verus ſtatus Religioſus „ ſine votis firmari nequit --

Verum enim verò hæc levia ſunt. Per effectus ergo dignoſcitur Conſiliorum obſervantia ex voto: effectus iſti ſunt abnegatio ſui, parentum, immo & propriæ animæ odium; ſed iſti effectus in utriſque adinveniuntur, ut clare evincitur ex comparatione hiſtoriæ tum Eliſei, tum Apoſtolorum: illi enim omnia reliquerunt, ille itidem boves, poſſeſſiones, parentes, quos ultimò deoſculari ab Elia petiit, non amplius ad eos rediturus; illi Chriſtum, Eliam iſte, ut totus Deo famularetur, ſecutus eſt. Cur ergo negatur in Eliſeo ſui, ſuorumque odium? Cur talia inaudita dicuntur, ſi factum Scriptura recenſet? Si Chryſoſtomus, ſi Abulenſis, aliique quoad hoc cum Apoſtolis comparant Eliſeum? Quia immobiliter Conſilia ſervaverunt Apoſtoli, in eis concedit Galianus votum; ſed Eliſeus immobiliter ſecutus eſt Eliam, immobiliter deſeruit parentes, temporaliaque bona; ergo. Minor dilucidatur adoptando ex S. Thoma hujus immobilitatis definitionem. Igitur 2. 2. *q.* 186. *art.* 6. inquirit, an ad perfectionem Religioſi ſtatus requiratur votum paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis. Sibi objicit primò hoc non fore neceſſe, quia Chriſtus *Matth.* 19. Evangelicæ perfectionis tradens doctrinam, non poſuit votum, cui reſpondet -- Ad perfectio- „ nem vitæ Dominus pertinere dixit, quod „ aliquis eum ſequatur, non qualitercun- „ que, ſed ut ulterius retro non abiret: „ unde & ipſe dixit Luc. 9. Nemo mittens „ manum ad aratrum, & reſpiciens retro, „ aptus eſt regno Dei -- poſtremò conclu-

Eliſeus firmiter adhæſit Eliæ.

 dens --

dens -- Hæc autem immobilitas ſequelæ
A „ Chriſti firmatur per votum -- Porro Eli-
ſeus Eliam ſecutus eſt, non qualitercunque,
ſed ut ulterius retro non abiret. Audiatur
Dionyſius Carthuſianus 3. *Reg.* 19. *art.* 18. --
„ Quo pacto monſtravit ſe nolle ad priſti-
„ num reverti officium, ſed Eliæ inſepara-
„ biliter adhærere, ſub obedientia tanti Va-
„ tis vivendo -- Et Lyranus ibidem habet --
„ Volens omnino adhærere ei motus inſtin-
„ ctu Spiritus Sancti -- Quid clariùs, aptiúſ-
que deſiderari poteſt? Verùm meliorem ha-
bemus ex Scripturis ſermonem. Ipſa namque
declarat Eliſeum nuſquam ad ſecularia re-
diiſſe, ſed conſtanter perſeveraſſe ſub obe-
B dientia Eliæ. 4. *Regum* 2., ubi Eliæ raptus
deſcribitur, Eliſeus ſcidit veſtimenta ſua,
quia a Magiſtro deſerebatur. Sic Lyranus eo
loci -- Eo quod non poſſet amplius Magiſtro
„ ſuo aſſociari -- Cajetanus ſimiliter -- Or-
„ batus Patre, more lugentium, ſcidit ve-
„ ſtimenta ſua -- & Abulenſis *ibid. q.* 20. --
„ Eliſeus dolebat nimis de raptu Eliæ, eo
„ quod ſub umbra illius vivebat, ipſeque
„ erat Princeps omnium Prophetarum --

Verùm cum ſupra dixerimus juramen-
tum æquivalere voto, votum Eliſei ſequendi
Eliam habemus, ubi cum Elias diſcedere
vellet, repetitis vicibus dixit Eliſeus. *Vivit*
C *Dominus, & vivit anima tua, quia non de-*
relinquam te. 4. Reg. 2. v. 6. In phraſi au-
tem Scripturæ, & Doctorum talis loquendi
modus juramentum importat.

Ad id quod primo loco ſubdit, re-
ſpondemus neminem ſequi Chriſtum, niſi
ligatum præceptis. Ultro quidem damus ali-
quos abſque voto adhærere Magiſtro, ſed in
ſimplici directione conſcientiæ, ſecus in ab-
dicatione rerum omnium, & ſecundùm per-
ſectionem Conſiliorum, immobiliterque.
Nec renuimus admittere nonnullos ſine voto
Evangelica obſervare poſſe Conſilia, verùm
non immobiliter; cum autem ex enunciatis
D conſtet de immobilitate ſequelæ Eliſei, jam
plane fit ipſam ex voto adoptatam fuiſſe, at-
que ſtatum conſtituiſſe.

Immobiliter nō obſervantur conſilia ſine voto.

Quod fortiùs evincitur, ſi perpendatur,
quod difficile eſt ſine vinculo obligante obe-
dientiam obſervare, vivendo unâ cum aliis;
ſed Eliſeus obedientiam ſervabat vivendo una
cum aliis, ut docent plerique auctores, quos
inter eſt Franciſcus Somnius *in Demonſtratione*
Evangelica cap. 2. -- In hac perfecta obedien-
„ tia filii itidem Prophetarum facti ſunt il-
„ luſtres in Scripturis, quod abnegatâ pro-
„ priâ voluntate ſubderent ſe per omnia
„ unius obedientiæ, qui in Spiritu Prophe-
E „ tico clarior erat, idque in admiranda re-
„ rum indigentia, & vitæ abſtinentia, ut
„ legere eſt 4. Reg. In novo autem Teſta-
„ mento ante omnes claruerunt hac perfectâ
„ obedientiâ fidei noſtræ Duces -- Robertus
Arboricenſis *Tom.* 2. *de tuendo ſacro Cœliba-*
tu, ut probet antiquiſſimum obedientiæ vo-
tum, argumentum deſumit a filiis Propheta-
rum, de quibus ait -- Erat autem Pater ſpi-
„ ritualis is, quem hodie Abbatem voca-
„ mus, ſicque ab eo tempore in hanc uſque
„ ætatem deducta eſt ſpiritualium filiorum
„ ſelecta, ac vere Monaſtica obedientia,
„ cui præſtandæ obnoxii erant, qui filii di-
„ cebantur Prophetarum . . . Tales, inquam,
„ erant hi, quibus Eliſeus Tuguriola ex-
„ truenda curavit, & quos alioqui fame
„ perituros aluit. 4. Regum 4., & 6. . . .
„ Non eſt ergo recens inventum obedientiæ
„ Monaſticæ, aut res, aut nomen, nam
„ de ea ſpeciatim loquimur -- Salianus *ad*
annum 3138. *n.* 12. -- Habetis Eliſeum di-
„ ſciplinæ Religioſæ Præpoſitum, ac Magi-
„ ſtrum, cui ſecundùm Deum obtempera-
„ bitis, quicumque in Carmelo, & Bethel,
„ & in Galgalis, & in Ayoth, & in Jor-
„ dane, & in Gabaa, ceteriſque locis Di-
„ vinæ militiæ, & Religioſæ profeſſioni no-
„ men dediſtis, in ejus manibus vota veſtra
„ offeretis Deo -- Lyranus 4. *Reg.* 9. -- Ado-
„ raverunt eum adoratione duliæ, tamquam
„ Superiorem ſuum, eo quod ſubſtitutus
„ eſſet loco Eliæ, ſub cujus regimine vixe-
„ runt -- Vide quam clare ſtatum Religio-
ſum aſſerant Doctores?

Iterum confugit Adverſarius ad Con-
gregationem S. Philippi Nerii. Verùm irri-
to, caſſuque labore: etenim oſtendat opor-
tet, quod in ea habeatur immobilitas ſtatus,
itaut qui in ea deſcribuntur, nequeant ad
ſecularia redire, quod ſint, & vocentur Re-
ligioſi.

Carpit ibidem Galianus Salmanticenſes,
eo quod non obtemperent decreto Tribuna-
lis Hiſpanicæ Congregationis, quod a Pro-
phetica Hiſtoria juſſit expungi, Eliam ex Dei
mandato fundaſſe in veteri Teſtamento Re-
ligionem: hoc ipſum aſſerunt Salmanticen-
ſes, quatenus aſſerunt in Eliſeo fuiſſe fun-
datam -- Et hic *n.* 54. affirmant, quod Elias
„ juſſu Dei vocavit Eliſeum ad ſtatum Reli-
„ gioſum --

Sed hoc inane eſt, & primò quidem
quia Sacrum Tribunal non illud expunxit,
quaſi a veritate prorſus alienum, ſed id pru-
denti quadam œconomia decrevit; ea pro-
pter Salmanticenſes abſque irreverentia tan-
quam probabile id aſſerere potuerunt. II. Sub
præcitato numero hac de re nulla occurrit
mentio; dicunt revera alibi, quod juſſu Do-
mini Elias unxit ſucceſſorem poſt ſe; quod
tamen aperte conſtat ex Scriptura; itidem
dicunt, quod in Eliſeo Religionem inſtituit
ex ſpeciali lumine, ac Dei Inſtinctu; ſed hoc
non eſt Religionem inſtituere ex Dei man-
dato in eo ſenſu, quo apud Adverſarium id
male auditur; aliàs Religio Benedictinorum,
Prædicatorum, & hujuſmodi eſſet dicenda
juris divini, cum ex inſtinctu, Deique in-
ſpiratione fuerit fundata.

Elias unxit ſucceſſorem poſt ſe.

Ceterum, ut redeamus ad Eliſeum,
S. Hieronymus *Epiſt.* 28. *ad Lucinium* fatetur
Prophetam ex voto deſeruiſſe domum, &
poſſeſſiones, ut Deo inſerviret -- Eliſeus
„ boves, & juga prioris operis vertit in
„ vota -- Quod perperam Adverſarius cum
Capiſucco intelligit, volens nomine voti ve-
nire deſiderium, eo quod S. Doctor *Epiſt.* 80.
In hac ſignificatione votum uſurpat, dum
ait -- Ut quos gladiis nequeunt, votis inter-
„ ficiant -- Verùm ſi derelicto contextu ſic
Patres fas eſt interpretari, omnis eorundem
nutabit auctoritas. Legatur igitur textus,

&

& quo ſenſu votum ibi uſurpaverit S. Hieronymus, compertum fiet: intendit enim ibi variis oſtendere exemplis, qualiter oporteat firmiter adhærere Chriſto, nec ab eo uſquam recedere. in laudata *Epiſt.* 80. nemo unus eſt, qui non videat votum ibi aſſumi pro deſiderio; id enim littera innuit; verùm cur non confugit Adverſarius ad ea loca, ubi S. Doctor votum intelligit pro vera promiſſione? Hoc non facit, quia ad male feriatum intentum novit non deſervire. Addimus poſtremò Hogonem Cardinalem *ſuper cap. 9. Luc.* -- Eliſeus in aratro coait car„ nes, mactavit boves, ideſt Religionis vo„ tum fecit --

ADVERSANTIUM MOMENTIS FIT SATIS.

ADverſus noſtram doctrinam habemus P. Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 2.* unà cum aliis pluribus, qui Elianam ſucceſſionem inficiantur, de qua nos nihil prorſus agimus. Eorum argumenta, quæ aliquam præſeferunt difficultatem, ad legis imperfectionem revocantur. Hæc paulò accuratiùs ſolvenda duxi, perpendendo, quæ Galianus confecit. Quæ a P. Suarez adducuntur ſoluta habentur a Salmanticenſibus *Tom. 8. tract. 20. diſp. 3. dub. 3., & 4.* nec quidquam momenti addit in defenſionem ejuſdem Suarez Galianus; magna verborum pompâ, immo & dicteriis eadem ſæpenumero jactitat; ſed his non propugnatur veritas.

Quoniam verò P. Suarez frequenter repetit non eſſe certum, incertum eſſe, qualis fuerit modus paupertatis, & obedientiæ ſub lege veteri, placet advertere, quod multiplex eſt certitudo, alia metaphyſica, fidei Theologicæ alia, alia demum moralis; nec primam, nec ſecundam certitudinem noſtræ aptamus ſententiæ, bene verò tertiam, quæ ex momentis, quæ retulimus, & ea ſolutione adverſantium argumentorum ſatis apparet: ſi enim pleriſque opinionibus in materia morum, minoribus certe fundamentis innixis, prudentialis, & gravis ſatis tribuitur probabilitas; ſi moralis certitudo non denegatur Hiſtoricis narrationibus, cum ab Hiſtoriographis probatæ fidei referuntur, cur noſtræ opinioni eadem certitudo denegabitur, cum & Patrum, & Doctorum, & Hiſtoriographorum fulciatur auctoritate?

Triplex certitudo.

50 OBJIC. I. ex Galiano *2. p. diſc. 3. §. 2. a num. 68.* Obſervantia paupertatis, & obedientiæ medio voto ad ſpiritualem ſpectat generationem; ſed in veteri lege nec dabatur, nec fuit revelata ſpiritualis generatio; nam, teſte Chryſoſtomo, generatio hujuſmodi inaudita fuit uſque ad Nicodemum; ergo non erat invenire tunc temporis obedientiæ, & paupertatis obſervantia cum voto.

RESP. Spiritualis generatio tripliciter uſurpari poteſt, primò prout dicit tranſitum a ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ, mediâ gratiâ, & hæc indubie data eſt in veteri lege, cum plures juſti tunc fuerint, & ex qualibet Tribu duodecim mille ſignatos vidit S. Joannes; ſecundò prout virtutum propagationem importat, ſive per exemplum, ſive per inſtructionem, & hæc pariter admitti debet: certum namque eſt Prophetas crimina reprehendiſſe, atque ad pietatem populos excitaſſe. Et ſane Sapientiales libri plurima commendant virtutum genera, & lex Patribus præcipiebat, ut filios erudirent in mandatis Domini, & ad hanc pertinet exercitium obedientiæ, & paupertatis, medio voto, & gradum ſortitur excellentiorem; tertiò prout ſignificat activam Sacramentorum virtutem emundativam a culpa, & hæc non dabatur in veteri Teſtamento; quia illius Sacramenta erant egena elementa, & de hoc loquitur Chryſoſtomus explicans, illa verba a Chriſto Nicodemo enunciata. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Cælorum*; quibus baptiſmalis virtus commendatur ad emundandas conſcientias. Quare abs re adducitur Chryſoſtomus.

Triplex ſpiritualis generatio.

51 DICES. Status ſpiritualium filiorum eſt generatio lucis, juxta illud ad Epheſ. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate*, & 1. ad Theſſal. 5. v. 5. *Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei, non ſumus noctis, neque tenebrarum*. Sed in veteri Teſtamento generatio hujuſmodi prorſus erat abſcondita, ut docet Auguſtinus *lib. 1. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 27.* -- Nomina eorum erant „ filii carnis, filii ſeculi, filii iræ, filii Dia„ boli, immundi, peccatores, impii, poſtea „ verò filii Dei, homini novo nomen no„ vum, canticum novum, cantanti novum „ per Teſtamentum novum -- ergo in illa lege non fuit ſpiritualis generationis ſtatus.

Inſtantia hæc deſtruit, & tollit a veteri lege ſtatum ſanctificationis, atque juſtorum; ſiquidem dubio-procul recitatæ Scripturæ, ut ab Adverſantibus intellectæ, ſicut & Auguſtinus hanc feriunt. Negatur ergo min. Itaque hi dicuntur filii lucis, qui lumine reguntur fidei: fides namque lux eſt: ſed in veteri lege plerique fidei lumine ducti fuere; ergo plerique fuere filii lucis. Uterque Apoſtoli textus loquitur de Epheſiis, & Theſſalonicenſibus ab errore converſis, atque peccatis, quæ tenebræ ſunt, ad cognitionem fidei, & veritatis, quæ dies eſt, atque ſuaſor eſt, ut mores ſuos ſecundùm fidei rudimenta dirigant. Auguſtinus totus in eo eſt, ut compertum faciat non aliunde ſanationem a peccato provenire, quam a Chriſti gratia, & omnes, qui Salvatoris ſanguine non mundantur, ſubeſſe peccato, legiſque opera vim non habuiſſe juſtificativam, quod ut evincat, plura aſſumit Scripturæ teſtimonia. Idem nos ultro affirmamus; itaut, qui ſub illa lege virtutes exercuerunt, non niſi ex gratia Chriſti, per Chriſtum, & per ordinem ad Chriſtum futurum id factum fuiſſe dicimus, ſecus ex lege vim habuiſſe, ac virtutem.

Legis opera vim juſtificandi non habuerunt.

52 INSTABIS. Per Evangelicam doctrinam fit ſpiritualis generatio, dicente Scriptura: *Per Evangelium ego vos genui. Filioli mei, quos iterum parturio.* Sed hæc

non

non fuit in veteri Teſtamento alicui manifeſtata : nulla enim generatio fuit revelata, antequam Chriſtus adoptionem præſignaret, quod non niſi in glorioſa Transfiguratione factum eſt ; ea propter *in Oratione prædictæ ſolemnitatis* legitur -- Deus, qui fidei Sacra„ menta in Unigeniti tui glorioſa Transfi„ guratione, Patrum teſtimonio, roboraſti, „ & adoptionem filiorum perfectam, voce „ delapſa, in nube lucida præſignaſti &c. -- ergo ſenſus ſpiritualis generationis illi carnali populo non innotuit.

Si quid evincit Adverſarius, probat in veteri Teſtamento non fuiſſe fidem, & juſtificationem ; de his ſiquidem loquitur in illa Oratione Eccleſia, ut in aperto eſt ; probat itidem Beatam Virginem votum non emiſiſſe Virginitatis : atenim ea argumento patet hanc ſpiritualem filiationem prævie ad Chriſti Transfigurationem non fuiſſe revelatam. Notes velim Eccleſiam ibi aſſerere fuiſſe in Transfiguratione præſignatam adoptionem, ſed non ea tunc ſolummodo, addens inſuper *perfectam*, non autem præciſe quoad ſubſtantiam ; eaque propter ipſa loquitur de præſignatione glorificatæ adoptionis, quæ noſtræ fidei eſt terminus : ad hoc enim fides data eſt, ut per eam ad æternam perducamur felicitatem, cujus ſignum, quoad corporis beatitudinem, in Transfigurationis gloriâ fuit expreſſum. Verùm quidem eſt, quod illi carnali populo non fuit in imagine veritatis revelatus ſenſus ſpiritualis, bene verò in figuris. Dein viri peculiariter ſuperno lumine illuſtrati nonnulla clariùs cognoverant, quæ inter eorundem Diſcipulos per traditionem evulgata fuerunt.

Spiritualis ſenſus quo pacto in lege innotuit.

53 REPLICAT 3. *p. diſc.* 1. §. 4. Incongruum eſt in Judaica Gente mirabilius opus gratiæ Chriſti ſtatuere ; ſed nihil eſt, quod magis Chriſti potentiam explicet, quam ſuper pauperes homines Chriſtianam inſtituere Rempublicam, & quidem adverſus potentes ſeculi ; opus hoc ſolùm potentia Dei fecit, quod Patres mirantur cum D. Thom. 1. *contra Gentes cap.* 6., ubi — In qua om„ nem humanum intellectum excedentia „ prædicantur, voluptatis carnis cohiben„ tur, & omnia, quæ in mundo ſunt, ha„ beri contemptui docentur. Quibus animos „ mortalium aſſentire, & maximum mira„ culum eſt, & manifeſtum Divinæ inſpira„ tionis opus, ut contemptis viſibilibus ſola „ inviſibilia cupiantur -- (Hoc maximum miraculum ab Elia factum in veteri lege docent Salmanticenſes) ſubdit Galianus.

Mirandum ſane foret, ſi Galianus candide, & ſine æquivoco inſtitueret argumenta. Hoc pro re nata floci faciendum eſt ; ſiquidem verificatur de abdicatione terrenorum quoad ſubſtantialem conſecutionem juſtificationis, & glorificationis, ideſt, de ea, quæ neceſſaria eſt in quolibet Fideli, ut juſtificetur, & glorificetur ; eaque propter ex vi argumenti ſequitur, quod in veteri lege non fuerit juſtificatio. Ceterum Patres id unum intendunt oſtendere, quod, qui fidei noſtræ myſteriis credit, non leviter credit, cum de ejuſdem veritate clara habeat momenta ; non enim fuit prædicata, aut evulgata armorum potentiâ, aut voluptatum promiſſione, & licet leges gratiæ ardua, & difficilia involvat, ab omni hominum genere fuit adoptata ; quod ſane non eveniſſet, niſi divina operante virtute. Miraculum hocce non præſtitit Elias : non enim legem ſuam Gentibus enunciavit, quamvis miraculorum virtute, Deique zelo munitus, rebelles Judæos conatus ſit ad cor reducere. Verum etſi argumentum eſſet ad rem ex eodem Angelico ibidem haberemus pro noſtra veritate fundamentum ; nam ſubdit -- Hoc autem „ non ſubito, nec caſu, ſed divina diſpoſi„ tione factum eſſe manifeſtum eſt ex hoc, „ quod hoc ſe facturum Deus, multis ante „ Prophetarum prædixit Oraculis, quorum „ libri penes nos in veneratione habentur, „ utpote noſtræ fidei teſtimonium adhiben„ tes -- Si ergo fides hæc docens contemptum mundi a Prophetis fuit prænunciata, quid mirum ſi aliqui circa eam illuſtrati voluerint excellentiora exempla virtutum imitari ?

Vitioſa rerum proprietas neceſſariò abdicanda ad juſtificationē.

54 SUBSUMIT. Non potuit eſſe in veteri Teſtamento, quod novum, & inſolitum fuit a temporibus Apoſtolorum ; ſed Evangelicâ paupertate præliari novum, & inſolitum fuit ab Apoſtolorum temporibus, dicente Chryſoſtomo *in Lect. ſecunda Nocturni III. in feſto S. Barnabæ* -- Jam verò, ut „ intelligant, novum hoc eſſe belli genus, „ & inſolitum præliandi morem, cum illos „ nudos mitteret, unâ indutos tunicâ, ſine „ calceis, abſque virga, & abſque zona, & „ pera ; & ab excipientibus ali juberet -- Hinc concludit ſua ſenſa non alia eſſe ab Eccleſia Matre, quæ hiſce nititur homiliis. *Vide infra n.* 102.

RESP. Alius plane eſt Chryſoſtomus ab eo, qui ab Adverſario fingitur ; ſiquidem ipſe alios inter Patres unus eſt, qui docet neminem fuiſſe Eliâ pauperiorem, ut ſupra vidimus. Non ergo intendit S. Doctor negare in veteri lege paupertatem ab aliquibus obſervatam, ſed ſolummodo palam facere converſionem Gentium ad fidem eſſe non jam humanæ, ſed divinæ virtutis opus, cum infirma mundi elegerit, ut fortia quæque confunderet, Piſcatores nempe, ut Imperatores traheret, indoctos, ut ſapientes ſuperaret, indigos, ut divites adduceret. Modus hujuſmodi præliandi, atque vincendi inſolitus plane eſt, qui tamen optime componi valet cum eo, quod aliqui in veteri lege ob Dei amorem, qui ut ſummâ proſequendus dilectione proponebatur, voverint paupertatem.

Converſio Gentium ex divina virtute.

55 OBJIC. II. Gens Judaica ſummo ſtudio exquirebat, diligebatque divitias, itaut concedebantur uſuræ cum Advenis ; ſed cum hoc paupertatis votum non componitur ; argo.

RESP. Bene ſtat, quod Populus divitiarum vinceretur cupiditate, & quod aliqui ſanctioris vitæ homines eas contemnerent, lumine fidei, terrenorum terminos prætervolando, atque Divinæ gratiæ virtute inclinationem, ac pronitatem ad mundana devincendo. Sicut enim a mundi primordiis ad finem uſque Seculi mixti erunt boni, & mali,

In veteri lege ſanctiores multura eligebant.

mali, ita quovis tempore inter bonos adinveniuntur etiam meliores, perfectioreſque.

56 DICIT. Quicunque ſub veteri lege vivebat, illam adimplebat cum ſpe bonorum, quæ promittebantur; ſed non alia niſi temporalia promittebantur, ut docent Patres; ergo cum ſpe temporalium illam ſervabat; ſed cum hac ſpe non componitur votum paupertatis, quod omne habendi deſiderium abdicat; ergo.

Minor falsò aſtruitur, ut ſuperius innuimus, & infra magis eluceſcet; nunc juvat doctrinam referre S. Thomæ, quæ egregie explicat, quales eſſent promiſſiones Judæis factæ. Bona itaque temporalia Judæis promiſſa fuere, velut quoddam præmium alliciens, ut per ipſa ad ſpiritualia, ad Deum, ad æternam perducerentur felicitatem, ſicut Pater munera filio promittit, ut per ea ad ſtudium alliciat, & Deus animabus in ſtatu Incipientium degentibus aliqualem ſpiritus dulcedinem perguſtandam elargitur, ut ad meliora chariſmata acquirenda excitet, juxta illud Canticorum: *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis: In odorem unguentorum tuorum curremus*. Audi D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 99. *art.* 6. *in Corpore* -- Imperfectorum tamen eſt, quod „ temporalia bona deſiderent, in ordine tamen ad Deum: perverſorum autem eſt, „ quod in temporalibus bonis finem conſtituant; unde legi veteri conveniebat, ut „ per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum -- 3. *Sent. diſt.* 40. *art.* 4. *quæſt.* 1., habet -- Secundò ut non ſolùm „ cognitio, ſed affectus temporalibus ad „ æterna manuduceretur -- 4. *Sent. diſt.* 1. *art.* 5. *q.* 3. -- Dicendum quod legis veteris „ intentio erat homines ad timorem, & reverentiam Dei inducere, & a carnalibus „ ad ſpiritualia trahere paulatim -- & alibi ſimilia. Pariter docet, quod Lex vetus ſecundùm exteriorem ſenſum promittebat temporalia, ſecundùm verò ſpiritualem ſpiritualia, & æterna. *Ad Rom.* 9. *Lect.* 1. -- Fuerunt autem eis multæ promiſſiones factæ „ de bonis terrenis, ut patet Levit. 26.; & „ Deut. 18., ſed per illa temporalia bona „ ſpiritualia præfigurabantur -- *& cap.* 10. *Lect.* 1. -- Dicit quædam gloſſa juſtitia legis „ ſuo tempore cuſtodita, non ſolùm bona „ temporalia, ſed etiam vitam conſerebat „ æternam; ſed hæc intelligenda ſunt ſecundum ſpiritualem ſenſum legis --

Temporalia promiſſa in ordine ad æterna.

INSTABAT. Illi viri illuminati tenebantur obſervare legem; ſed lex prohibebat paupertatem juxta illud Deut. 15. v. 4. *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*; & utique de voluntario intelligendus eſt textus; nam neceſſaria mendicitas nequit cadere ſub lege prohibente; ergo.

RESP. Neg. min. Lex loquitur de involuntaria indigentia, præcipit enim, ut divites ſuccurrant indigentibus, quod contextus clarè oſtendit, verſu enim 7. dicitur: *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas Civitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris*. Et ad hunc ſenſum textum intelligit Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 187. *art.* 5., ubi inquirit, an liceat Religioſis mendicare, & ex hac lege tertiam inſtituit objectionem, cui ſic ſatisfacit -- Dicendum quod ex illo „ præcepto legis Divinæ non prohibetur alicui mendicare, ſed prohibetur divitibus, „ ne tam tenaces ſint, ut propter hoc aliqui „ egeſtate mendicare cogantur -- Quare ex hoc nihil contra nos.

57 OBJIC. III. Nequit admitti votum paupertatis, & obedientiæ in lege veteri, ſi initium habuit a Chriſto, & ab Apoſtolis; ſed ita eſt ex concordi Patrum teſtimonio; ergo. In probatione minoris plurima colligit, ſparſim per totum librum Adverſarius, quibus videtur certum eſſe, quod in ſola lege nova obſervatio paupertatis viguerit. Aliquos colligit Auctores, qui volunt Chriſtum primum dediſſe exemplum, a Chriſto incœpiſſe; alios, qui dicunt in ſola lege nova auditum eſſe: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia*, p. 1. diſc. 2. §. 6. diſc. 3. §. 2., p. 2. diſc. 4., p. 3. diſc. 1.

Hoc argumentum ad quod vis tota adverſæ opinionis reducitur, non tanti eſt ponderis, quod movere poſſit: & ſic inſto: ſicut ſolum in lege nova auditum eſt: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia*: ita in ea ſolùm auditum eſt: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus &c. Qui perdiderit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*: & tamen plures, & veri Martyres extiterunt in lege veteri, de quibus S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 22. *n.* 2. -- Machabæi non idcircò contemnendi ſunt, „ quia ante Crucem extiterunt, verùm quia „ ad crucis normam vitæ ſuæ rationes exe„ gerunt, ideo laudandi --

In ſola lege nova auditum eſt: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*; & tamen David Pſal. 118. ait: *Tota die meditatio mea eſt*. Pſal. 33. v. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore*. Pſal. 54. v. 18. *Mane, veſpere, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*.

In lege nova auditum eſt: *Oculum pro oculo . . . Ego autem dico vobis non reſiſtere malo &c.*, & tamen David hoc perfectiſſime adoptavit, ubi Sauli pepercit, & de ſua erga inimicos manſuetudine ipſe dicere potuit: *Memento, Domine, David, & omnis manſuetudinis ejus*. Quod alia itidem conſilia adimplere concupierit intuitu Chriſti, aperte declarat Pſal. 16. v. 5. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis*. Ubi advertit Hugo a S. Victore in viis intelligi præcepta, in ſemitis verò conſilia. Porro *in ſemitis tuis* dixit, quia ad Chriſtum reſpiciebat.

Evangelica Conſilia in veteri lege præcognita, & adoptata.

In lege nova auditum eſt 1. ad Timoth. 6. v. 7. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium eſt, quod nec auferre quid poſſumus*; ſed veritatem hujuſmodi agnovit Job, cum omnium bonorum jacturam patienter ſuſtinuit, dicens: *Nudus egreſſus ſum de utero Matris meæ, & nudus revertar illuc*: unde Chryſoſtomus *hom.* 3. *de Patientia Job*, habet -- Apoſtolica vox ante tem„ pora Apoſtolorum: virtutis ad profectum

„ ve-

„ venicos: nudus exivi de utero Matris meæ, & nudus revertar -- Viam conſiliorum agnoviſſe Sanctum Job palam fit ex cap. 23. v. 11. *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus ; viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea*. Ubi S. Gregorius *lib. 16. Moral. cap. 16.* -- Cujus ni-
„ mirum vitam, dum Beatus Job ſuperno
„ ſpiritu repletus, ſollicita intentione con-
„ ſpiceret futuram illius manſuetudinis hu-
„ militatem prævidens, quaſi ad exemplum
„ ſibi propoſitum recurrit, ut quidquid in
„ hac vita ageret, ad imitationem illius ve-
„ ſtigia ligaret -- & S. Hieronymus *Epiſt. ad Demetriadem*, ſi tamen hæc Epiſtola Hieronymo adjudicanda eſt, meritò exclamat --
„ O virum ante Evangelica Evangelicum, &
„ Apoſtolicum ante Apoſtolica præcepta, Di-
„ ſcipulum Apoſtolorum! --

Hæc, & centena alia objectare poſſemus Galiano, atque ab eo reſponſum expectare, quod indubie mire argumento ſuo aptabitur: verùm ne in caſſum tempus teramus illud dabimus, quod tradit Capiſuccus, cui adeo fidit Galianus, dum eum adverſus nos urget: agens itaque de Privilegio Martyrii, quove tempore cœperit, habet -- Dicendum
„ igitur privilegium illud non cœpiſſe in
„ nova lege, nec ab adventu, & paſſione
„ Chriſti initium habuiſſe, ſed fuiſſe etiam
„ ante legem ſcriptam, ſtatim a creatione
„ mundi in ſtatu legis naturæ, & inde etiam
„ in lege ſcripta, in lege autem Evangelica
„ confirmatum, & expreſſius declaratum, ac
„ etiam auctum. Unde verba illa Chriſti
„ Domini: *Qui me confeſſus fuerit &c.* non
„ ſunt dicenda verba primæ inſtitutionis hu-
„ jus privilegii, ſed potius ſpecialioris cujuſ-
„ dam illius declarationis ad perfectionem,
„ & conſolationem eorum, qui ſequi velint
„ Chriſtum Dominum; quare etſi Chriſtus
„ non fuerit mortem paſſus, adhuc tamen
„ illi ante ejus adventum, & paſſionem veri
„ Martyres fuerunt, & realiter Chriſto Do-
„ mino paſſuro conformes.... Et ſicut cum
„ primo fuit Martyrium, fuit per ordinem
„ ad realem conformitatem ad Chriſtum
„ paſſurum, & fide creditum, ita & privi-
„ legium remittendi culpam, & pœnam,
„ fuit martyrio etiam pro illo tempore con-
„ ceſſum per ordinem, & conformitatem
„ ad Chriſtum paſſurum; itaut ex paſſione
„ Chriſti futura acciperet Martyrium ſuam
„ efficaciam, ſicut & poſt paſſionem Chriſti
„ ſuam efficaciam accipit a Chriſto jam paſ-
„ ſo; & ſicut Martyrum paſſio poſt Chriſti
„ paſſionem repræſentat realiter Chriſtum
„ paſſum, & Chriſto paſſo realiter Martyr
„ conformatur, ita & paſſio Martyrum Chri-
„ ſtum præcedentium repræſentabat realiter
„ paſſionem Chriſti futuram, & Martyres
„ Chriſto paſſuro realiter conformabantur --
Applicet doctrinam Galianus.

A

CONTROVERSIA IV.

AN STATUS RELIGIOSUS FUERIT IN VETERI LEGE.

NOn eſt e re noſtra inquirere, an fuerit poſſibilis Religioſus ſtatus in lege veteri: etenim ex quo compertum fiat, quod vere extiterit, jam dubio-procul evincitur fuiſſe poſſibilem. Nec aliam inſtituimus quæſtionem, an in prædicta lege fuerit aliqua Perſonarum traditio ad Dei cultum ſive perfecta, ſive im-
B perfecta ex parte objecti, videlicet, ad Dei cultum in omnibus, vel in aliqua materia, ſive ex parte modi tradendi, ideſt, irrevocabiliter abſolute tam ex parte dantis, quam accipientis, vel revocabiliter, ut ſi traditio ſit ex parte dantis abſoluta, ſecus ex parte acceptantis, de quo occurrit exemplum in votis ſimplicibus Societatis: in ſuperioribus namque expendimus, quæ leguntur Levit. 27. v. 18. *Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino. Et omnis conſecratio, qua offertur ab homine, non redi-*
C *metur, ſed morte morietur*. Quibus ſatis innuitur ex in lege aliquam fuiſſe Perſonarum conſecrationem ad cultum Dei, etiam perpetuam. Videatur Cornelius a Lapide *ibi*, & Abulenſis *quæſt.* 67., ubi id dilucide explicat, oſtenditque qualiter Levitarum quidam ſeſe Divino cultui perpetuò mancipabant, cum aliàs ex vi muneris non niſi per vices ſuas ſervire tenerentur. *In lege veteri fuit Perſonarum conſecratio ad Dei cultum.*

Eſt & aliud momentum in ſuperioribus relatum ex Num. 6. v. 2. *Vir, ſive mulier cum fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Deo conſecrare &c.* Hoc pariter ſpecialem aliquam Perſonarum conſecrationem innuit, &
D erat Nazaræorum, quæ quandoque perpetua, quandoque erat temporaria. Videantur Abulenſis *ibid. q. 2.*, & Lorinus *in Act. Apoſt. cap. 18. n. 10.* Unde meritò dicebat Torniellus Annaliſta *ad annum* 2545. *n.* 13. -- Scire ergo
„ oportet plura fuiſſe Perſonarum genera,
„ quæ divinum cultum in populo Iſraelitico
„ tanquam ex officio procurare, adjuvareve
„ ſatagebant, inter quæ primum locum te-
„ nebant Sacerdotes -- *& n.* 14. -- Verum
„ enim verò ex hiſce omnibus Perſonis Di-
„ vino cultui ſpeciatim, ut dictum eſt,
„ mancipatis, quidam dicebantur, erantque
„ Prophetæ -- Porro hæc ſpecialis traditio
E non importat nudum aliquod propoſitum, aut etiam votum Deo ſerviendi, ſed ſui donationem involvit, qua ſub alterius Dominio ſe conſtituat.

Plura adverſus prædicta congerit Galianus 3. *p. diſſ.* 2. *§.* 7. *per totum*, ut Salmanticenſes impugnet, ſed immeritò, & abs re, & procul a mente laudatorum Salmanticenſium, qui *Tract.* 20. *diſp.* 3. *dub.* 5. inquirentes, num fuerit in dicta lege aliqua Perſonarum conſecratio, expreſſiſſime fatentur ibi non loqui de hac, vel illa conſecratione, ſed indefinite, quique clariſſime concedunt,

ut

ut prorſus indubium, ea in lege non adfuiſſe perfectiſſimam conſecrationem, eaque propter, nec cum ea ſolemnitate, qua nunc Religioſi conſecrantur; ipſe vero ex Fagnano enumerat, quæ nunc ſunt requiſita ad perfectiſſimam Religioſorum conſecrationem, & dicit tunc temporis ea requiſita non adfuiſſe, adeoque nec verum ſtatum Religioſum fuiſſe, quod ad mentem Salmanticenſium nullo modo eſt: inſerit etiam quod vota ſimplicia Societatis non minuunt perfectionem traditionis, quod tamen eſt falſum; traditio enim abſoluta, & omnino irrevocabilis ex utraque parte dantis, & acceptantis abſque dubio eſt perfectior. Addit quod Inſtitutum Societatis ſuam habet immobilitatem, cum habeat etiam vota ſolemnia: ſed quorſum hæc dicat, neſcimus; cum Salmanticenſes nec verbum hac de re habeant, nec ſomniaverunt huic veritati contradicere. Miſcet quod Inſtitutum Societatis aliquando placet Salmanticenſibus, quia ad inſtar illius ſuum Elianum Inſtitutum defendit; ſed quod non placet Jeſuitis, quod dicatur S. Ignatium ſuſcitaſſe Inſtitutum Elianum, quod Diſcalceati deſeruerunt; verùm cur hæc referat, libenter ſciremus, cum Noſtri Patres de hoc altum habeant ſilentium; utuntur quidem exemplo votorum ſimplicium Societatis ad explicandos varios modos ſe Deo tradendi, ſed nuſquam apud ipſos legere eſt S. Ignatium ſuſcitaſſe formam Religionis Elianæ: Diſcalceati nullum deſeruerunt ſtatum Religioſum, ſed ſemper unum profeſſi ſunt ad perfectionem, & conſummationem propriam legis novæ pertinentem. Addit, quod cum nulla fuerit inſtitutio publica alicujus ſtatus legis gratiæ, nec reperiatur in illo Teſtamento publica revelatio legis ſpecialis conſtitutiva veri cultus Dei ſecundùm cultum Chriſtianorum, hinc manifeſtum fit, quod nullus ſe Deo tradit juxta cultum legis gratiæ: ſed ad quid hoc contra Salmant., qui eo loci de iſta ſpeciali determinata traditione ſemota loqui fatentur rotundis verbis? nec umquam ſomniaverunt docere id, quod in hoc Adverſarii diſcurſu continetur; hic enim deſcribit ſtatum Religioſum in ſua perfectione ſtatus gratiæ, quam millies negant PP. Salmant. legi veteri. Ad ſuum dictum probandum repetit, quod lex vetus erat ſervitutis, cui jam abunde fecimus ſatis alibi: concludit differre ſtatum Religioſum veteris, & novi Teſtamenti, quia Religioſi novi Teſtamenti non ſubduntur Regibus, cum in ea lege ſervitutis Sacerdotes ipſis ſubderentur, quia lex promittebat terrena ex D. Th. *Opuſc. de regimine Principum lib.* 1. *cap.* 14., quod utique concedimus, quia hæc differentia conſummatam perfectionem tangit, non ſubſtantiam tantum; ceterum non eſt certum apud Doctores, quod in veteri lege Sacerdotes ſubderentur Regibus, & plures oppoſitum propugnant.

Poſito quod in lege veteri data ſit aliqua Perſonarum traditio, indefinitè loquendo, urget difficultas, an talis fuerit, quæ pervenerit ad eſſentialem Religioſæ Profeſſionis ſtatum, ſicut modo proportionaliter contingit per tria vota ſimplicia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quibus ſe quis in Dei obſequium, & dominium tradit; eſſentialem diximus, quia non contendimus illis excelluiſſe perfectionibus, & privilegiis, quibus gaudet in lege nova. Wiclefus, ut Religioſa Clauſtra funditùs everteret, conſtans in eo fuit, quod nuſquam datus ſit alius ſtatus a communi Religione diſcretus, ideſt ab Eccleſia omnibus prædicata per ſuorum Seculorum circulos, ſicut videre eſt apud noſtrum Waldenſem *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4.

58 Dicendum eſt tamen in lege veteri datum fuiſſe ſtatum quoad eſſentiam Religioſum.

Ante omnes probationes præmitto eam, quæ deſumitur ab auctoritate D. Thomæ eo ductus conſilio, ut appareat, candidè veritatem inquirentibus, tantum Doctorem nobis non adverſari, ſicut alte inclamat Galianus *loco citato*, *& ſequenti* 3. *p. diſc.* 4. §. 2., ubi quaſdam ponit periodos Capiſucci, quas inſerit Præfationi ad Lectorem, quibus declarat illas ſpeciales Controverſias ad examen revocare, ut S. Thomam contra quoſdam Thomiſtas defenderet, qui ad lunam ipſum legerunt Angelicum, ac proinde vertiginoſa quadam licentia opinandi a D. Thoma declinant, aliena docentes, & velut ipſius ſequaces Antithomiſtæ efficiuntur, cumque inter eas Capiſuccus Controverſias, hanc recenſeat de ſtatu Religioſo pro lege veteri, & improbet, ſtatim concludit, nos adverſari Angelico Doctori, aliaque miſcet contra Salmanticenſes circa hanc fidelitatem erga D. Thomam. Ceterum nec Capiſuccus in his Controverſiis aſſequitur mentem D. Thomæ, cum in aliquibus oppoſitum teneant clarioris nominis Thomiſtæ, ut clarè ex ſola lectione patet, nec ex profeſſo iſtam examinavit, nec examinatam candidè contulit cum omnibus S. Doctoris principiis, nec Galianus nobis eſt extimeſcendus.

59 PROB. ergo I. Ab prima Chriſti ætate ad trigeſimum uſque annum lex vetus vigebat, & nova non obligabat; ſed intra illud tempus Doctor Angelicus admittit ſtatum Religioſum; ergo vigente lege veteri agnovit ſtatum Religioſum. In majori non video difficultatem apud Theologos, nec apud D. Thomam videndum 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 2., 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 2. *ad* 2., 4. *Sent. diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 4., *q.* 3., *& alibi*. Min. dabat nobis S. Doctor *Quodlib.* 5. *art.* 21. *ad* 1., ubi explicat illud axioma: *Nemo repentè fit ſummus*: his -- Dicendum quod
„ ſummum in vita humana poteſt accipi du-
„ pliciter; uno modo ſecundùm comparatio-
„ nem ſtatus ad ſtatum; ſecundùm quod in
„ humana vita unus ſtatus eſt major altero,
„ & aliquis eſt ſummus; & ſic nihil prohi-
„ bet aliquem fieri repente ſummum, &
„ hoc apparet tam in ſpirituali, quam in
„ ſeculari vita; inveniuntur enim aliqui ſta-
„ tim a pueritia ad ſtatum Religionis, qui
„ eſt perfectiſſimus, convolaſſe, vel proprio
„ arbitrio, ſicut Beatus Joannes Baptiſta, &
„ B. Benedictus, vel etiam devotione pa-
„ rentum ſicut illi, qui Monaſteriis tradun-
„ tur a parentibus; ſic non oportet, ut ali-
„ quis in ſeculari vita exerceatur antequam

Præcurſor a teneris factus Religioſus.

„ ad Religionem tranſeat -- Niſi velimus voluntariè obcæcari, in aperto eſt S. Thomam ſentire, quod S. Joannes Baptiſta a pueritia ſtatum amplexus eſt Religionis propriè dictam ſaltem quoad ſubſtantiam, & non præciſè quoad ſimilitudinem aliquam in ſolitudine, aut pœnitentia; nam de eo ſtatu loquitur, qui dicitur ſummus comparativè ad alios, ſed hoc non convenit, niſi ſaltem ſecundùm eſſentialia ſit ſtatus Religioſus, & non ſolùm ſimilitudinarie, ut evidens eſt; patet etiam ex illa propoſitione -- Inveniun-„ tur enim aliqui ſtatim a pueritia ad ſta-„ tum Religionis, qui eſt perfectiſſimus, „ convolaſſe -- Et inter hos enumerat Sanctum Joannem Baptiſtam; idem demum evincitur ea comparatione cum S. Benedicto, qui fuit ſubſtantialiter Religioſus; cumque Angelicus ſuo marte hæc non finxerit de D. Joanne, ſupponere pro certo debemus, quod deſumpſerit ab Antiquioribus, qui id aſſeruerunt; ſed illi ponunt, ut infra videbimus, eum inter veros Religioſos; ergo. Porro advertas velim ad ea, quæ ait: *Vel proprio arbitrio, ſicut B. Joannes Baptiſta*, quibus indicat ſuppoſitam jam inſtitutionem ſtatus Religioſi, licet præcitati, vel eandem, quam adoptaverunt, reſtauraverint, ut de Joanne dicit S. Bernardus infra laudandus, vel novam inſtituerint Religionem, habitâ notitiâ alterius jam inſtitutæ, ut fortè de D. Benedicto dici poteſt; ceterum ſive brevi tempore, ſive longo præceſſerit legem Evangelicam ſtatus Religioſus, ſufficit ad verificandam hanc indefinitam propoſitionem, nempè: in lege veteri fuit ſtatus Religioſus; cumque brevitas, aut temporis diuturnitas materiale importet diſcrimen, compertum plane fit haud quaquam implicare, quod centum, aut mille annis præceſſerit Religioſus ſtatus. Non inficias imus Præcurſorem ſpeciali Spiritus Sancti afflatu prædictam vivendi rationem elegiſſe, immo idipſum ultro concedimus relate ad antiquiores Monachos, atque Religioſæ vitæ Inſtitutores.

60 Galianus 3. *p. diſc.* 4. §. 4. inſurgit adverſus Salmanticenſes, atque aperte proclamat, prædicta nec argumenti formam habere, pluraque ſupponere falſa, immo adverſari celeberrimis D. Thomæ Commentatoribus, qui oppoſitum propugnant. Tria tamen potiſſimum objicit I. Teſte Angelico 3. *p. quæſt.* 38. *art.* 1. *ad* 2. Joannes fuit terminus veteris legis, novæque initium; ea propter erat Aurora diei. II. Lex gratiæ ſtatum habuit ante Chriſti prædicationem; quia lex ſtatum habuit perfectum, antequam prædicaretur. III. Tempus novæ legis perfecte a Chriſti Incarnatione cœpit: hinc ſtatus Deiparæ perfectiſſimus, Apoſtolorum, & Magorum vocatio, ſicut etiam perfectio Præcurſoris effectus fuere ſpiritus legis gratiæ, atque ad ipſum ordinabantur. Addit quod ea mente Angelici ab Incarnationis tempore lex, & Evangelium ſimul currebant, & quod S. Joannes ex Chriſti, Deiparæque conſortio Conſiliorum obſervantiam didicit; demum quod non venit Joannes in ſpiritu Eliæ.

Meum non eſt omnia, quæ congerit Galianus, diſſolvere; non enim tanti valent, ut in eorundem ſolutione tempus impendamus; brevibus ea referam, quæ Galiano præludentes ſibi objecerunt, ſolveruntque Salmanticenſes. Illud tamen placet advertere, aſſerere Adverſarium interpretationem, quam damus auctoritati S. Thomæ, adverſari celeberrimis Thomiſtis; ceterum nullum profert, nec fortè inveniet, qui ipſi in terminis patrocinetur interpretando laudatum textum; verùm & ſi qui ſint, ſunt & alii, qui nobis adhærent, quoſque dabimus infra; id tamen indubium eſt, hoc anno, in Hiſpania publice noſtram Concluſionem a PP. Dominicanis fuiſſe propugnatam; cum enim Hiſpalenſe Inquiſitionis Tribunal, ut rumores evitaret, noluerit hanc Theſim approbare, ad Matritenſe Tribunal confugerunt, quam ulteo conceſſu defendi, utpote a Generali Hiſpaniarum Inquiſitione olim approbata.

Hinc deveniendo ad rem noſtram, Quod Joannes fuerit terminus legis veteris, initiumque novæ, ipſimet PP. Salmanticenſes ſibi objiciendo concedunt, ſed id explicant duo diſcriminando tempora, nempe primum ab infantia uſque ad tempus, quo exivit ad Chriſtum enunciandum, & tunc Joannes ad legem pertinebat, eratque ſervus legis, eamque obſervabat, tempus alterum a prædicatione deſumitur uſque ad mortem, & tunc finis fuit, ſeu terminus veteris legis, & novæ initium, cum & Chriſtum prædicaret, & ad eum ſuo Baptiſmo diſponeret. Porro S. Thomas affirmat S. Joannem a pueritia convolaſſe ad Religionem, proindeque tempore quo lex vetus vigebat, eam vivendi rationem adoptavit.

Præcurſor ad veterem, novamq. legem ſpectabat.

Nec urget ſecundum, videlicet, quod lex gratiæ ſtatum habuerit perfectum ante promulgationem, ſeu Chriſti prædicationem, ea quo, ut ait Adverſarius -- Pro-„ mulgatio ſupponit legem factam, & in-„ ſtitutam, & ſtatum illius -- Non urget, inquam; plerique Doctores volunt promulgationem pertinere ad rationem formalem conſtitutivam legis, ut in Tractatu de Legibus videre eſt; qui verò tenent promulgationem non eſſe rationem formalem, propugnant eſſe intrinſecam, & eſſentialem conditionem ad hoc ut lex actu obliget: non habet autem lex perfectionem, & ſtatum, niſi vim habeat obligandi; unde apte dicebat Angelicus 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. -- Unde „ promulgatio ipſa eſt neceſſaria ad hoc, ut „ lex habeat ſuam virtutem -- Quare falsò dicitur ante promulgationem legem fuiſſe perfectam.

Ante promulgationem lex non eſt perfecta.

Ad tertium meritò negabunt Theologi legem gratiæ perfecte exordium habuiſſe a Chriſti Incarnatione. Concedent utique Chriſtum fuiſſe in ſe ipſo legem vivam, tempus Legislatoris adveniſſe, ſecus tempus legis perfectæ incœpiſſe; legis namque perfecta inceptio non in eo præciſe conſiſtit, quod Legislator advenerit legem præcontinens poſt annos 30. evulgandam. Perperam dicetur a Regis inauguratione tempus belli cœpiſſe, ex quo coronatus in Regem ab eo tem-

A Chriſti incarnatione Lex gratiæ non fuit perfecta.

tempore decreverit, immo ad hoc fuerit in Regem electus, ut poſt annos 30. caſtra moveret adverſus inimicum. Verùm quidquid ſit de modo loquendi, indubium eſt, quod tunc non advenerat formaliter tempus novæ legis, & ad mentem Adverſarii, quæ alia ſane non eſt, niſi quod Chriſtus prædicaverit Conſilia Evangelica, in Apoſtolis eorundem obſervantiam conſtituerit, aliaque, quæ indiſpenſabiliter Chriſti prædicationem ſupponunt. Ultro concedimus enumerata dona fuiſſe effectus ſpiritus legis gratiæ, ſed etiam omnis virtutis exercitium, quod fuit in lege veteri, fuit effectus legis gratiæ, ad quam lex vetus ordinabatur; eaque propter Sancti illi ad novum ſpectaſſe Teſtamentum ſuperiùs probatum eſt.

Primum quod additur ex S. Thoma falſum eſt; non enim ipſe dicit ab Incarnatione Legem inſimul, & Evangelium cucurriſſe, ſed a prædicatione 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 2. -- Et ideo ante paſſionem Chri-
„ ſti, Chriſto prædicante, & miracula fa-
„ ciente, currebant ſimul Lex, & Evan-
„ gelium -- *&* 3. *p. quæſt.* 37. *art.* 1. *ad* 2. --
„ Et ideo veritas hujus figuræ non fuit ple-
„ ne impleta in Chriſti nativitate, ſed in
„ ejus paſſione, ante quam circumciſio ſuam
„ virtutem, & ſtatum habebat; & ideo
„ decuit Chriſtum ante ſuam paſſionem tan-
„ quam filium Abrahæ circumcidi --

Cur Chriſtus voluit circũcidi.

Nec quod additur, quidquam evincit. Non enim a Chriſto, & Deipara potuit didiciſſe Conſiliorum obſervantiam: Etenim Deipara poſt purificationem fugit in Ægyptum, ibique aliquibus annis permanſit: porro eo tempore -- Joannes ætatis ſupergreſſus
„ infantiam, & nobilioris generis genero-
„ ſitatem oblitus, ſoli vacabat divinitati,
„ factus forma vitæ, Monachorum propoſi-
„ tum &c. -- ſic Bernardus *Ser. de Privilegiis Baptiſtæ*, & S. Thomas dicit a pueritia convolaſſe ad Religioſum ſtatum, eaque propter antequam una cum Chriſto ejuſque Sanctiſſima Mater communicaret.

Joannes a pueritia Monachus.

Falſum dein eſt, quod Joannes fuerit elevatus -- Non in ſpiritu Eliæ, in quo ve-
„ nit, ſed Chriſti, ad quem venit -- ut ait Galianus. Nam ut habet Angelicus *lect.* 12. *in cap.* 1. *Joannis* -- Non fuit ergo Elias
„ in perſona, ſed in ſpiritu & virtute; quia
„ ſcilicet ſimilitudinem Eliæ in ſuis operibus
„ oſtendebat. Poteſt autem attendi ſimilitudo
„ quantum ad tria, primò quantum ad offi-
„ cium, ſecundò quantum ad vivendi modum;
„ quia Elias in deſertis morabatur, parco ute-
„ batur cibo, & duris veſtibus operiebatur, ut
„ dicitur 3. 19., & 4. Reg. 1., & Joannes
„ in deſertis erat, cibus ejus locuſtæ, & mel
„ ſilveſtre, & zona ejus de pilis Camelorum --
Dicitur etiam veniſſe in ſpiritu Chriſti, ſicut venit & ipſe Elias, quatenus Chriſtum habuerunt ut exemplar, a quo vim habuerunt exercendi actus virtutis.

Cur Joannes ſimilis Eliæ.

61 PROB. II. Ex D. Th. 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 8., ubi inquirit, an Presbyteri, Curati, & Archidiaconi ſint majoris perfectionis, quam Religioſi, & reſolvens quæſtionem pro parte negativa, ſibi objicit -- Vi-
„ detur quod etiam Presbyteri, Curati, &
„ Archidiaconi ſint majoris perfectionis,
„ quam Religioſi: dicit enim Chryſoſto-
„ mus in ſuo Dialogo: ſi talem mihi ali-
„ quem adducas Monachum qualem, ut ſe-
„ cundum exagerationem dicam, Elias fuit,
„ non tamen illi comparandus eſt, qui tra-
„ ditus populis, & multorum peccata ferre
„ compulſus immobilis perſeverat, & fortis;
„ ergo videtur quod Sacerdotes habentes cu-
„ ram Animarum ſint perfectiores Religio-
„ ſis -- cui facit ſatis -- Dicendum, quod
„ ad illas auctoritates Chryſoſtomi breviter
„ reſponderi poſſet, quod non loquitur de
„ Sacerdote Curato minoris Ordinis, ſed de
„ Epiſcopo, qui dicitur ſummus Sacerdos,
„ & hoc convenit intentioni illius libri, in
„ quo conſolatur ſe, & Baſilium de hoc,
„ quod erant in Epiſcopos electi -- In hac reſponſione niſi velimus nos voluntariè decipere, neceſſe eſt affirmare, quod S. Th. cum D. Chryſoſtomo ſupponat Eliam vere fuiſſe Religioſum, nam apertè concludit, quod ſtatus Religioſus non eſt perfectior Epiſcopali, ſed Presbyterali, nulla facta diſtinctione in antecedenti, in quo Elias ut Monachus aſſumitur, qui, ſi vere talis non ſupponeretur, potuiſſet dicere facillime Chryſoſtomum id aſſerere de Sacerdote comparato cum non vero Religioſo, ſicut fuit Elias: porro hoc non facit, ſed recurrit ad aliam partem, & diſtinguit inter Sacerdotem minorem, & majorem, itaut comparatio fiat inter Sacerdotem majorem, & Monachum, cujus ſtatui prætulit Epiſcopum in Articulis antecedentibus.

62 Reſpondet Galianus 1. *p. diſc.* 2. §. 3. *a num.* 116. *ad* 121. de infidelitate criminando Salmanticenſes, qui primam ſolutionem adoptant, ſecundà nullimode inſpectâ, ex qua dilucide apparet Angelicum nequaquam comparare ſtatum cum ſtatu, ſed difficultatem cum difficultate, quod ſimiliter facit *Quodlib.* 3. *art.* 17. eandem reaſſumens auctoritatem, & etiam Cajetanus ibi advertit non fieri comparationem ſtatus ad ſtatum, ſed generis ad genus, ita ut ſenſus ſit opus exercitum a Monacho extra pericula conſtituto non tantæ fore virtutis, ſicut exercitum a Clerico inter pericula verſante: unde comparat, vel ſupponit Eliam ſolitarium, ſecus verum Religioſum votis adſtrictum.

Verùm male detorquetur ſenſus Angelici. Semper enim ibidem S. Thomas ſupponit pro vero Monacho, votiſque ligato, quod textum perpendendo clareſcet. Omiſſis, quæ ex contextu afferri poſſent, eo loci in corpore Articuli diſtinguens bonitatem a difficultate palam docet majorem excellentiam Religioſi ſtatus ſupra ſtatum Presbyteri, ex quo Religioſus totum ſe Deo conſecrat: dein attendendo difficultatem in opere ejus, qui hunc ſtatum elegit, cum difficultate in opere ejus, qui Presbyteris accenſentur, hunc illi præfert: hinc in ipſamet ſecunda ſolutione, poſtquam dixit opus Presbyteri majoris eſſe perfectionis ob majora pericula, ſubdit -- Sed hoc etiam ad magnitudinem
„ virtutis pertinet, quod aliquis vitet peri-
„ cula Religionem intrando -- Porro Religionem ingredi non aliud eſt, quam verum

Quo pacto major virtus in Presbyteris.

ſtatum Religioſum ſuſcipere. Adhuc clariùs loquitur Angelicus *in citato Quodlib.* In corpore articuli loquitur de Monacho, qui totam vitam Deo devovit, quique juxta Dionyſii verba profeſſionem fecit, hinc in ſolutione ejuſdem argumenti habet -- Sic ergo „ ex præmiſſis verbis nihil aliud oſtendi poteſt, niſi quod periculoſior eſt ſtatus habentis curam animarum, quam Monachi -- Item -- Unde major virtus requiritur ad hoc, „ quod aliquis conſervet ſe immunem a peccato inter populos, quam in Religione ... „ Sed majoris virtutis eſt vitare pericula Religionem intrando -- Phraſes hujuſmodi appellant ſupra conditionem veri Religioſi, adeoque pro eo ſemper ſupponit Angelicus, proindeque Elias veros inter Monachos computat.

Perperam dein dicit Infideles Salmanticenſes, ex quo primam adoptent S. Thomæ ſolutionem; non enim jure dicitur a D. Thoma recedere, qui ejuſdem probabili ſententiæ adhæret, alterâ prætermiſsâ. Cum ergo primam illam ſolutionem primò ponat tam in Summa, quam in Quodlibetis, nec reprobet, non eſt a tanto Doctore alienus, qui illam adoptat.

63 PROB. III. D. Th. 2. 2. *quæſt.* 187. *art.* 2. inquirens, an liceat Religinſis tractare negotia ſecularia *in reſp. ad* 3. habet -- „ Dicendum quod frequentare palatia Regum propter delitias, vel gloriam, vel cupiditatem non competit Religioſis, ſed „ ea adire propter pias cauſas eis competit; „ unde dicitur 4. Reg. 4., quod Eliſeus dixit ad mulierem; nunquid habes negotium, & vis, ut loquar Regi, vel Principi militiæ? Similiter etiam convenit „ Religioſis adire Regum palatia ad eos arguendos, & dirigendos, ſicut Joan. Bapt. „ arguebat Herodem, ut dicitur Matth. 14. --

Hic D. Th., ut apparet ex tota illa quæſt. loquitur de Religioſis propriè dictis, qua de re non eſt dubium; ſed ex iſtis fuiſſe Eliſeum ſupponit; ergo. Minor explicatur. Niſi ſupponeret Eliſeum verum Religioſum, perperam ejus exemplo evinceret veris Religioſis licere ingredi Palatia, ſicut non probaretur licere veris Religioſis vendere, & emere poſſeſſiones, quia id licet viro ſolitario, ſed non habenti votum paupertatis; nec potuit paritatem inſtituere ab Eliſeo, qua Sancto; nam cum manifeſtum ſit Sanctis licere Palatia ingredi ad bonos fines, non recte argueret pro Religioſis, cum quibus comparatio fit, non qua Sanctis, ſed qua habentibus talem ſtatum, de quo eſt ratio peculiaris, an hæc liceant, nec ne, ac proinde niſi in exemplo illa eadem ſit ratio peculiaris, vel alia fortior, ab exemplo nihil probabitur.

64 Galianus 1. *p. diſc.* 2. *a n.* 121. *ad* 123. plura tumultuarie congerit, quæ brevibus complectar. Dicit itaque I. Patres ſæpenumero ex his, quæ Aaronicis Sacerdotibus licebant, vel non licebant, affirmant noſtris licere, vel non licere; ſed ex hoc non ſequitur Sacerdotes illos fuiſſe in ſtatu Sacerdotali novæ legis; ergo.

II. Valet S. Thomæ illatio, quia a figura ad figuratum procedit in his, quæ in lege gratiæ nullam ſubierunt mutationem. Procedere autem a veritate legis gratiæ ad eandem probandam veritatem in veteri lege periculoſum eſt.

III. Medius terminus, quem aſſumit Angelicus, ſtatui Religioſo, & non Religioſo accomodatur; unde haud licet inferri identitas ſtatus in præcitato exemplo; deberet ergo eſſe intrinſecus Religioſo ſtatui. Res clareſcat ſequenti Syllogiſmo: qui licite rebus ut propriis utitur, non habet votum paupertatis; ſed Eliſeus licite uſus eſt rebus, mactando boves; ergo non habebat votum paupertatis; quod autem medius terminus ſit communis, in aperto eſt: aſſumit enim præceptum charitatis, quod indubie commune eſt, & ſuperius ad quemlibet ſtatum.

IV. Si argumentum evinceret, probaret Eliſeum fuiſſe in ſacris conſtitutum, ſiquidem Angelicus eodem exemplo demonſtrat, Clericos adire poſſe Regum Palatia.

Vim illationis refugit Galianus, ne veritatem fateri cogatur. Etenim quoties ratio liciti, vel illiciti, vel dubium de licito, & illicito fundatur formaliter ſupra ſpecialem conditionem ſtatus, vel Perſonæ, reſolutio ab exemplo nihil valet, niſi in exemplo habeatur illius conditionis identitas; aliàs ſemper erit diſparata conditio, & abs re; porro in noſtro caſu datur hæc ſpecialis conditio in puncto quæſtionis, ea propter reperiri debet in exemplo.

Hinc ad primum. Quoties Patres ab eo quod Aaronicis Sacerdotibus licet, vel non licet, probant licere, vel non licere noſtratibus, ſemper inſtituunt argumentum a minori ad majus: v. g. Non licebat illis, qui erant in ſtatu minoris ſanctitatis; ergo noſtris non licet, qui ſunt in ſtatu majoris ſanctitatis. Similiter. Licita illis erant acta poteſtativa, quamvis minoris forent auctoritatis; ergo noſtris licent majorem habentibus auctoritatem. Ceterum pro re nata haud argumentum poteſt efformari a minori ad majus: non enim quidquam probaret, ſi diceretur: Eliſeus, qui non erat Religioſus, nec in altiori perfectionis gradu. Regis Palatia ingreſſus eſt; ergo Religioſis, qui in ſtatu ſunt perfectionis, idem licebit. Deinde. Quamvis non liceat inferre Aaronicos Sacerdotes fore in gradu Sacerdotali legis gratiæ, attamen bene infertur veros fuiſſe Sacerdotes; ergo quamvis non poſſit inferri Eliſeum perfectum fuiſſe Religioſum in ſtatu legis, tamen licebit inferre ipſum verum fuiſſe Religioſum quoad eſſentiam; cumque vota, atque utriuſque legis virtutes ejuſdem ſint rationis quoad eſſentiam, jam plane fit, quod in utroque ſtatu ſervari poſſit identitas eſſentiæ Religionis.

Eadem eſſentia Religionis in utroque ſtatu.

Ad ſecundum. Negamus Angelicum arguere hac in re a figura ad figuratum, niſi ſervet ſubſtantialem identitatem ſtatus in exemplo; eſſet namque arguere a non habente conditionem ad eam habentem, quod proportione ſervata idem foret, ac velle probare novæ legis Sacramenta eſſe active productiva gratiæ, aſſumendo exemplum Sacramentorum veteris legis, quæ vacua erant;

Argumentum a figura ad figuratum quando urgeat.

nun-

nunquam ideo periculoſum eſt arguere a figura ad figuratum, quoties habetur ſubſtantialis identitas in his, quæ per virtutes conſtituuntur in eſſe eſſentiali.

Ad tertium. Falſum eſt Angelicum arguere per medium communem, atque ſuperiorem ad hunc, vel illum ſtatum. Licet exercitia charitatis, & pietatis ſecundùm ſe, & abſtractive ſumpta tranſcendant, tamen ſæpe ſub prohibitione cadunt penes præſuppoſitas conditiones ſive in ſubjecto, ſive tempore, ſive loco, quo fieri debent; & tunc qui contendit probare licere quidquam alicui quibuſdam circumſtantiis adſtricto, medius terminus eſt illa cauſa ſub illis conditionibus, qui non jam communis, ſed intrinſecus meritò dicendus eſt. Ingredi Regum Palatia ex ſe nullum involvit inconveniens; Regem pro indigentibus exorare, ex ſe bonum eſt; ſed eadem præſtare a Perſona ex Inſtituto Deo ſacra, a populi frequentia elongata; ſuæque ſalutis tantummodo ſollicita novam induit difficultatem; ſi ergo quia partem affirmantem propugnet per alterius Perſonæ exemplum, debet hæc dubio-procul iiſdem adſtringi conditionibus; aliter perperam argumentaretur. Ita eſt impræſentiarum, quia S. Thomas difficultatem verſat ob ſtatum Religioſi, ob ejuſdem conditiones, atque obligationes, viſque argumenti in hiſce fundatur conditionibus.

Argumentum ab exemplo quale eſſe debet.

Syllogiſmus ille, quem de Eliſeo efformat, claudicat, & primò quidem, nam cum Patres aſſerunt Prophetam paupertatis votum Deo nuncupaſſe, cum *relictis bobus cucurrit poſt Eliam*, aſſumunt totam illam actionem completive, nempe uſque ad celebratum convivium, ut ex contextu compertum fit; ideoque Hugo Cardinalis *in cap. 9. Lucæ* dicebat: *Coxit carnes, ideſt, Religionis votum emiſit*. Secundò, quia Eliſeus diſceſſit ad valedicendum parentibus, expetitâ ab Elia facultate, ut apte perpendit Abulenſis *ibid. quæſt.* 24., *&* 26., & Salianus *ad annum* 3127. *n.* 26. ſcribit — Poſtulatio autem „ ſignificat injectam a Deo novo Prophetæ „ neceſſitatem ſequendi Eliam; nam ſi id „ ſibi liberum putaret, non peteret ab Elia, „ quaſi a Magiſtro, & Domino ſuo veniam „ ſalutandi parentes, nec Elias ita eam da„ ret, ut ſimul reverti juberet — proindeque illud convivium, quod cum amicis habuit, ex venia ejuſdem Eliæ celebravit, concedentibus rerum uſum parentibus.

Ultimum inane prorſus eſt. Licet enim S. Thomas in corpore articuli nonnulla habeat de Clericis, in ſolutione tamen ſolummodo de Religioſis loquitur, pro quibus exemplo utitur Eliſei; quare non urget Galiani illatio.

65 Superiùs aliam expendimus auctoritatem Angelici *in cap.* 11. *ad Heb. lect.* 8., & itidem refutavimus ex contextu Adverſarii ſolutionem, quam deſumit ex ſenſu figurato, quamque firmat auctoritate Jacobi Perez de Valentia *ad Pſalt. Clav.* 10., qui aſſerere non dubitavit totam Scripturam eſſe allegoricam — Ideo proceſſus, & diſcurſus, quem „ facit intellectus fidelis, & catholicus a „ Teſtamento veteri in novum, tanquam a „ figura ad figuratum procedit diſcurſu alle„ gorico — Ex ſolutione enim data ibidem, clare patet componi poſſe ſtatum figurativum cum identitate in ſubſtantia, & exempla præſto ſunt in fide, ſpe, & charitate, in juſtitia, martyrio, & hujuſmodi.

Nec momenti eſt, quod dicit, ea nempe pertinere ad neceſſaria ſalutis: etenim hoc eſt ab argumento declinare: ſiquidem non inveſtigamus in præſenti, num ſtatus Religioſus ſit de neceſſitate ſalutis; ſed an componatur, quod cum ratione figuræ ſtet indentitas ſubſtantiæ rerum, quod invicte probavimus ex prælaudatis exemplis: martyrium v. g. in lege veteri fuit figura martyrii in lege gratiæ, & tamen nemo unus inficias ibit illud vere tale non fuiſſe.

Concludit tandem Galianus, quod ſi recitata exempla ex D. Thoma pro veritate Religioſi ſtatus evincerent, probarent inſimul pro identitate ſtatus omnino perfecti; quia Angelicus de Religioſis ſermonem habet pro ſtatu novæ legis, qui dubio-procul perfectus eſt.

Verùm male concludit Adverſarius: ex quo enim in veteri Teſtamento eſſet ſubſtantialis identitas Eccleſiæ, fidei, charitatis, & martyrii, non bene infertur identitas in perfectione. In caſu res indubia eſt; ſiquidem ad intentum D. Thomæ ſat eſt ſola veritas ſubſtantialis ſtatus Religioſi in veteri Teſtamento, ut ſingula perpendenti compertum erit. In primo enim textu probat poſſe aliquem repente fieri ſummum per tranſitum ad Religionem, quæ ſummum ſtatum dicit; ſed ſtatus Religioſus eſt ſummus per ſua ſubſtantialia conſtitutiva; ergo. In ſecundo probat majoris eſſe perfectionis Religioſum ſtatum relate ad ſtatum Sacerdotalem; ſed major hujuſmodi perfectio habetur per ipſam eſſentialem veritatem ſtatus; ergo. In tertio demum probat fas eſſe Religioſis adire Regum Palatia ob pias cauſas, difficultatem enervando ortam a ſtatu; ſed difficultas hæc habetur per ipſam ſtatus ſubſtantiam, quæ in ipſa conſecratione per modum holocauſti, quæ per vota habetur, ſita eſt; ergo.

ARGUMENTA EX D. THOMA EXCERPTA DISSOLVUNTUR.

GAlianus 3. *p. diſc.* 4. §. 2. totus eſt, ut palam faciat Angelicum ita nobis adverſari, ut nil evidentius haberi poſſit; verùm antequam provinciam hanc ſuſcipiat percurrendam, præfatiunculam præmittit, ineptam ſane pro exquirenda veritate. Obſtrepit quidem, ſed nullum textum D. Thomæ producit, quo verum Monachatum in veteri lege deneget; generalia profert, quæ in eodem Sancto Doctore exceptionem habent, facilemque juxta ejuſdem principia ſolutionem, ut ex dicendis in aperto erit.

66 OBIJC. I. Nequit componi cum doctrina D. Thomæ exiſtentia ſtatus Religioſi in veteri Teſtamento, ſi S. Doctor Chriſtum velit auctorem Religioſi ſtatus; ſed hoc docet 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 4. *ad.* 3., *& ibid.* *q.* 186.

Digitized by Google

q. 186. *art.* 6. *ad* 1.; ergo ex mente Angelici non fuit in veteri lege Monachatus.

A

Contra hocce argumentum ſic inſtatur. Compari nequaquam poteſt cum doctrina D. Thomæ exiſtentia veræ Eccleſiæ in veteri lege, ſi Angelicus aſſerat Chriſtum ejuſdem auctorem; ſed Chriſtum auctorem Eccleſiæ Angelicus ſæpenumero docet, & manifeſtum eſt; ergo in veteri lege non fuit Eccleſia; quæ conſequentia erronea eſt. Stat ergo quod Chriſtus auctor ſit Religioſi ſtatus, & hic potuerit præexiſtere, ut ſuperiùs probatum eſt: ſiquidem gratia ad hujuſcemodi effectus dabatur per Chriſti fidem. Hæc porro ipſum reſpicit futurum, præſentemque, proindeque potuit Chriſtus in veterem, novamque Eccleſiam influere. Hoc egregie explicat S. Ambroſius *lib.* 3. *in cap.* 3. *Lucæ* -- „ Gratiæ typus manum ante præmiſit, quia „ gratiæ actus ante præceſſit, qui fuit in Job, „ Melchiſedech, Abraham, Iſaac, & Jacob, „ qui per fidem ſine lege vivebant .... & „ conſimili nobis Evangelii gratiâ refulſe„ runt -- Alludit S. Doctor ad duos filios Thamar, nempe Pharem, & Zaram, qui ambo contendebant prius ab utero egredi, ſed Zara prior manum præmiſit, Phares toto corpore eſt prior egreſſus. In Phare lex vetus intelligitur, quæ prior corporaliter extitit, in manu verò Zaræ intelligitur fides Chriſti, quæ veteri legi vires præſtabat, eamque dirigebat; ea propter viri illi ad novum pertinebant Teſtamentum, quod tradit Auguſtinus *lib.* 15. *contra Fauſtum cap.* 2. -- In „ illo primo populo Sancti Patriarchæ, & „ Prophetæ, qui intelligebant, quod age„ bant, vel quod per eos agebatur, in no„ vo Teſtamento habebant iſtam ſpem ſalutis „ æternæ; ad illud enim pertinebant, quod „ intelligebant, & diligebant -- *& Epiſt.* 89. *ad Hilarium* -- Commendat unum, & „ unum, ideſt, Adam, & Chriſtum, illum „ ad condemnationem, hunc ad juſtifica„ tionem, cum tantò poſt Adam venerit „ Chriſtus in carne, ut ſciamus etiam anti„ quos juſtos, quicunque eſſe potuerunt, „ non niſi per eandem fidem liberatos, per „ quam liberamur & nos, fidem ſcilicet In„ carnationis Chriſti, quæ illis prænuncia„ batur, ſicut a nobis facta annunciatur -- Demum *Epiſt.* 157. *ad Optatum* -- Cujus „ hominis, ejuſdemque Dei ſaluberrima fide, „ etiam illi juſti ſalvi facti ſunt, qui prius „ quam veniret in carne, crediderunt in „ carne venturum. Eadem namque fides eſt „ & noſtra, & illorum &c. -- En quomodo fuit Chriſtus auctor Eccleſiæ veteris Teſtamenti, quin actu exiſteret; cur igitur non poterant viri illi ſanctioris diſciplinæ cultores opera virtutum exercere ex Chriſti gratia.

Influxus gratiæ Chriſti in veterem, & novã legem.

B

C

D

E

DICES. Haud intelligi poteſt Chriſtum eſſe executive Religioſi ſtatus inſtitutorem, illumque realiter non præceſſiſſe; ſed ex D. Thomæ Doctrina Chriſtus exercite Religioſum ſtatum inſtituit; ergo illum actu præceſſit.

RESP. Inſtando. D. Thomas aperte aſſerit Chriſtum exercite auctorem Eccleſiæ juxta illud Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; ergo ante Chriſtum non fuit Eccleſia. Hanc conſequentiam quis niſi Hæreticus admittet? ergo ſtabit itidem Chriſtum exercite Religioſum ſtatum inſtituiſſe, & ſtatum hunc præceſſiſſe Chriſtum. Ratio utrobique eadem eſt: Eccleſia namque conſiderari valet ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm perfectionis ſtatum; juxta primam intelligentiam importat fidem, quæ eſt forma Eccleſiæ, juxta ſecundam quaſdam connotat proprietates ipſam condecorantes, ampliorem fidem circa plura myſteria, copioſiorem gratiæ influxum, efficaciorem Sacramentorem vim, ſacrificium excellentius, nobilius Sacerdotium, cœlum patefactum, & hujuſmodi; primo modo ſi conſideretur Eccleſia Chriſtum præceſſit, fuitque in lege naturæ, & ſcripta, una ſiquidem quovis tempore fuit fides; ſecundo modo ad Chriſtum ſubſecuta eſt, quia, ut habemus ex Apoſtolo, unâ hoſtiâ conſummavit omnia. Ita ſtatus Religioſus ſecundùm ſuam ſubſtantiam conſiderari poteſt, nempe prout aliqualem dicit traditionem ad Dei cultum per tria vota ſimplicia caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ; ſicque Chriſtum tempore præceſſit, ipſum tamen reſpiciendo tanquam finem, cauſam moralem, atque exemplarem totius ſuæ perfectionis; ſi autem ſpectetur ſecundùm ſtatum omnimode perfectum, ſive quem habent virtutes in lege gratiæ, ſive qui ipſi congruit ratione ſolemnitatis profeſſionis, perpetuæ traditionis, & hujuſmodi, quibus præfulget, tunc ad Chriſtum ſubſequitur, ipſumque inſtitutorem recognoſcit.

Eccleſia conſideratur ſecundum ſubſtantiam, & ſecundũ perfectionem, ſimiliter ſtatus Religioſus.

INSTABIS. Ita D. Thomas affirmat Chriſtum Religioſi ſtatus auctorem, ut ejuſdem Diſcipulos primos velit Religioſos: *Opuſc.* 17. *cap.* 4. -- Conſtat Chriſti Diſci„ pulos ſtatim in ſua converſione ad fidem „ eſſe aſſumptos ad Chriſti collegium, in „ quo primum exemplar conſiliorum perfe„ ctionis apparuit, & abſque dubio cujuſ„ cunque Religionis ſtatum exceſſit -- Sed hoc non verificaretur, ſi alii præceſſerint Religioſi; ergo.

RESP. Iterum inſtando. Per eundem Angelicum Doctorem 4. *ſent. diſt.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1., idem Apoſtoli baſes fuerunt Eccleſiæ, primi ejuſdem miniſtri, fuerunt primitiæ fidei, & ſpiritus, ut tradit Apoſtolus; ergo prævie ad Apoſtolos non fuit Eccleſia, nec vera fides? Hæretica conſequentia. S. Doctor in *Pſal.* 44. *littera H.* docet Eccleſiam eſſe filiam David, quatenus ex ipſa natus eſt Chriſtus, & filiam Apoſtolorum, quatenus ipſi per Evangelium nos genuerunt; ita ſtatus Religioſus ſecundùm proprietates omnimodæ perfectionis cultores habuit Apoſtolos, & eorundem filius eſt, quatenus ab ipſis fuit enunciatus: ceterum ſecundùm ſubſtantiam in veteri lege præceſſit, ea proportione, qua fides, ſpes, charitas, & ipſa Eccleſia præceſſerunt. Ab hac paritate haud facile ſeſe extricabit Adverſarius. Eodem plane modo loquuntur Patres, & Doctores, quoties docent Apoſtolos primos fuiſſe inter Religioſos; quod luculentiùs apparet, dum Eccleſia in collecta ſolemnitatis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli habet

Status Religioſus omnimode perfectus in lege gratiæ.

bet -- Da Eccleſiæ tuæ, eorum in omni-
„ bus ſequi præceptum, per quos Religio-
„ nis ſumpſit exordium -- Ubi Religionis
nomine venit Eccleſia, Deique cultus, &
tamen indubie Eccleſia, atque Dei cultus
præceſſerant. Faciliori modo diſſolvetur ar-
gumentum, ſi dicatur Apoſtolos primos fuiſſe
Monachos, ſed inter Chriſtianos, ad quod
alludere videtur Bellarminus *lib. de Monachis*
cap. 5., ubi poſtquam probavit antiquitatem
Religioſi ſtatus addit -- Sexto probatur ex
„ Apoſtolorum exemplo, qui fuerunt primi
„ Monachi Chriſtiani --

Hæc licet clariſſima ſint, nihilominus
Adverſarius, ut ea obnubilet, ad involucra
verborum confugit 3. *p. diſc.* 2. §. 5., & co-
natur exemplum Eccleſiæ evertere: *n.* 136. di-
cit, Eccleſiam accipi primò, ut dicit fide-
les omnes ab initio mundi uſque ad finem
diſcretos per fidem, ſecundò accipi Eccle-
ſiam -- Quæ Chriſti nomine per Baptiſmum
„ cogitur, qui fidei Sacramentum eſt, & pro-
„ priæ Eccleſiæ membra, parteſque facit, &
„ Chriſti Eccleſiam a Synagoga diſtinguit --
Hæc non fuit in veteri Teſtamento, quia
eſt libera, & ſponſa, illa verò ancilla: dein-
de concludit -- Ergo Eccleſia in veteri, &
„ novo Teſtamento licet una fide ſit, in
„ aliis, quæ propria ſunt legis gratiæ, eſſen-
„ tialiter, & ſubſtantialiter diſtinguitur, & ſe-
„ cernitur -- *&* *n.* 137. proſequitur -- Quod
„ patet, quia Eccleſia in veteri Teſtamento
„ non erat Evangelica, nec Apoſtolica, ſed
„ figurativa, & Prophetica, & in novo eſ-
„ ſentialiter, & ſubſtantialiter eſt Apoſtoli-
„ ca, & Evangelica; ergo illa, quæ ſunt
„ propria legis gratiæ, non potuerunt con-
„ venire, nec dici de Eccleſia in ſtatu ſer-
„ vitutis veteris legis eſſentialiter, & ſub-
„ ſtantialiter, ut manifeſtum eſt; quia licet
„ Petrus in ſtatu ſervitutis, & libertatis
„ idem homo ſit quoad eſſentiam, & ſub-
„ ſtantiam, illa, quæ conveniunt Petro in
„ ſtatu libertatis ratione ſtatus, non poſſunt
„ convenire eidem Petro in ſtatu ſervitutis,
„ quia, cui repugnat ſtatus, etiam repu-
„ gnant illa, quæ eſſentialiter dependent in
„ eſſe, & conſervari a ſtatu, cum verò ſta-
„ tus Religioſus verus quoad ſubſtantiam,
„ & eſſentiam Evangelicus, eſſentialiter de-
„ pendeat a ſtatu legis gratiæ, quia aliàs
„ non eſſet ſubſtantialiter Evangelicus, nec
„ Evangelicæ perfectionis, omnino repugnat
„ cum ſtatu imperfecto ſervitutis Eccleſiæ
„ veteris legis; ergo exemplum Salmant. de
„ unitate Eccleſiæ quoad ſubſtantiam, & eſ-
„ ſentiam, Eccleſiam Chriſti, & Synago-
„ gam confundit -- *n.* 139. impugnans re-
petitam doctrinam de Eccleſia datam a Sal-
manticenſibus, idem in re iterum dicit, ſo-
lum paulò plus explicat qualitates, & perfe-
ctiones novæ legis: *n.* 140. diſſimulans vim
reſponſionis noſtrorum Patrum inculcantium
eamdem paritatem pro diſparitate aſſignat --
„ Quia ſtatus Religioſus eſt ſpecialis ſtatus
„ perfectivus ſtatus perfecti Eccleſiæ ſecun-
„ dùm ſuam ſubſtantiam, ac per conſequens
„ reperiri non poterit ante legem Evangeli-
„ cam, qua conſtituitur hic ſtatus perfectus
„ Eccleſiæ -- Dein confugit ad ſtatum um-

braticum, addendo, quod abſque Evange-
A lica lege -- Et ſine illa nullus ſtatus poteſt
„ conſiderari abſolute perfectus, virtute, &
„ perfectione Evangelica; ergo hic ſtatus, ut
„ conſideratur a Salmanticenſibus quoad eſ-
„ ſentiam, & ſubſtantiam Evangelicus, im-
„ poſſibilis eſt --

Si candide legantur Salmanticenſes,
compertum erit Galianum ubique æquivo-
cando diſcurrere, atque affingere Salmanti-
cenſibus, quod ab ipſis alterum eſt. Verùm
ne tempus teramus, operæ pretium erit pa-
lam facere Salmanticenſium ſenſa, & aper-
tam arguentis fallaciam innuere. Itaque
terminus iſte differre, vel non differre *eſſen-*
B *tialiter*, *&* *ſubſtantialiter*, ſicut, & alter
quoad eſſentiam, *&* *quoad ſubſtantiam* appel-
lare poteſt ſupra rem a modis ipſam afficien-
tibus præciſam, & ſupra eandem ut iiſdem
modis affectam. Sit exemplum a Scripturis
adoptatum ad *Galat.* 4. Homo accipi poteſt,
ut dicit eſſe rationale animal, ab eo præ-
ſcindendo, quod ſit in juvenili, aut ſenili
ætate; idem homo ut adoleſcens ſpectari
valet præſcindendo a ſtatu conjugii, aut cœ-
libatus: in primo caſu ſpectatur vera homi-
nis ſubſtantia a modis ipſam afficientibus ab-
ſtracta, in ſecundo verò accipitur adole-
ſcentia ejuſdem a modis itidem illius ſejun-
C cta; ſi autem ipſe intelligatur ut uxoratus
relate ad ſeipſum ut cœlibem, tunc conſi-
deratur ut ſuis affectus modificationibus.
Hinc fit, quod ex diverſis comparationibus
diverſimode accipiatur terminus ille ſubſtan-
tialiter: ſi accipiatur homo proprie quoad
ſubſtantiam ſemper idem eſt ſive in juven-
tute, ſive in ſenectute, ſub cœlibatu, &
ſub conjugio, ſed ſi accipiatur, prout re-
duplicat adoleſcentiam, differt a ſeipſo,
prout reduplicat ſenectutem, & quidem
differentia eſſentiali, & ſubſtantiali: ſiqui-
dem adoleſcentia ut talis differt eſſentialiter
a ſenio: nunc ad rem noſtram: quando
D Salmanticenſes dicunt Eccleſiam, fidem,
ſpem, & charitatem, caſtitatem, & ſimilia
fore eadem eſſentialiter, ea aſſumunt ſecun-
dùm eſſentialia conſtitutiva, quo ſenſu nul-
limode negari poteſt eadem eſſe in utraque
lege, ſicut eadem eſt charitas Patriæ, &
viæ; ſi verò ea intelligantur ſub modo ve-
teris, vel novæ legis, eadem utique non
ſunt, ſed diverſa, quo pacto charitas ſum-
pta ut importat libertatem, & meritum,
differt a ſeipſa, ut dicit neceſſitatem, &
fruitionem; porro in hoc ſenſu loquitur Ad-
verſarius, ut palam fit ex reduplicationibus,
quibus utitur v. g. ſtatus Evangelicus quoad
E ſubſtantiam, Evangelicus eſt eſſentialiter &c.
& ſecundum hanc intelligentiam nuſquam
Salmanticenſes dicunt Eccleſiam præceſſiſſe
in lege veteri, immo oppoſitum clare propu-
gnant, dum docent ante Evangelium ſub
Moſaycis fuiſſe imperfectionibus, & eodem
modo loquuntur de ſtatu Religioſo.

Eccleſia præceſſit in veteri lege ſub imperfectionibus.

Doctrinam hanc nemo unus inficias
ibit, cum Patres unanimi conſenſu illam
adoptent. Sufficiat auctoritas D. Auguſtini,
& S. Thomæ. Ille in Pſal. 36. illud *Junior*
fui; etenim ſenui explicans in perſona Eccle-
ſiæ, poſtquam declaravit Chriſtum omnium
juſto-

juſtorum , qui ante nos , & ab initio fuere , caput fuiſſe , habet -- Illum enim venturum ,, eſſe crediderunt , quem nos veniſſe jam credimus -- Hinc ſubdit -- Corpus autem ,, Chriſti , quod eſt Eccleſia , tanquam unus ,, quidam homo primò juvenis fuit , & ecce ,, jam in fine ſeculi eſt in ſenecta pingui , ,, quoniam de illa dictum eſt : adhuc mul- ,, tiplicabitur in ſenecta pingui . Multipli- ,, cata eſt ſuper omnes gentes , & ipſius vox ,, eſt attendentis , quaſi unius hominis pri- ,, mam ætatem ſuam , & iſtam noviſſimam ,, reſpicientis per omnia ; quia omnes ætates ,, notas habet per Scripturas -- En qualiter una eſt Eccleſia ab initio ad noſtra uſque tempora . Audiamus nunc Angelicum conſone ad Auguſtinum loquentem 3. *p. quaſt.* 8. *art.* 3. *ad* 3., in quo ſibi objiciebat veteres fideles non fuiſſe Eccleſiæ membra , quia ſtatus ille erat figurativus . Reſpondet itaque -- Ad ,, tertium dicendum , quod Sancti Patres in- ,, ſiſtebant Sacramentis legalibus tamquam ,, quibuſdam rebus , ſed ſicut imaginibus , ,, & umbris futurorum ; idem autem eſt mo- ,, tus in imaginem , in quantum eſt imago , ,, & in rem , ut patet per Philoſophum in ,, lib. de mem. , & reminiſcentia , & ideo ,, antiqui Patres ſervando legalia Sacramenta ,, ferebantur in Chriſtum per fidem , & di- ,, lectionem eamdem , qua & nos in Chri- ,, ſtum ferimur : & ideo Patres antiqui per- ,, tinebant ad idem corpus Eccleſiæ , ad ,, quod nos pertinemus -- In hoc teſtimonio habemus quidquid deſiderare poſſumus , & ſolutum , quidquid objicit Adverſarius . Fatetur D. Thomas , quod Veteres umbris inſerviebant , & figuris , & tamen affirmat pertinere ad idem corpus Chriſti , quo nos , & per eamdem fidem , & charitatem , qua nos : habemus ergo ex D. Th. ſtare optimè cum identitate rerum figuræ naturam .

Veteres Patres Eccleſiæ membra .

Alterâ doctrinâ D. Th. explicatur noſtra veritas 2. 2. *q.* 4. *art.* 4. *ad* 1. inquirit : an fides informis poſſit fieri formata , & reſolvit affirmativè , quia idem eſt habitus fidei informis , & formatæ : ſibi objicit illud 1. ad Corinth. 13. , quod cum venerit perfectum evacuabitur quod ex parte eſt ; fides verò informis imperfecta eſt , adeoque evacuatur , cui reſpondet -- Dicendum , quod ,, verbum Apoſtoli eſt intelligendum , quan- ,, do imperfectio eſt de ratione imperfecti , ,, tunc enim oportet , quod adveniente per- ,, fectione , imperfectum excludatur : ſicut ,, adveniente aperta viſione excluditur fides , ,, de cujus ratione eſt , ut ſit non apparen- ,, tium , ſed quando imperfectio non eſt de ,, ratione rei imperfectæ , tunc illud numero ,, idem , quod erat imperfectum , fit perfe- ,, ctum ; ſicut pueritia non eſt de ratione ,, hominis , & ideo idem numero , qui erat ,, puer , fit vir ; informitas autem fidei non ,, eſt de ratione rei perfectæ , ſed per acci- ,, dens ſe habet ad ipſam , ut dictum eſt ; ,, unde ipſamet fides informis fit formata -- In hac D. Th. auctoritate duo habemus conſideranda ; primum paritatem illam de homine puero , & viro , ſecundum eſt , quod fides informis fit formata , & ex utroque doctrina noſtra roboratur ; ex primo , nam cum Apo-

A ſtolo *ad Galat.* 4. comparat Angelicus legem veterem puero , & novam viro , adeoque ſentit , quod licet ſtatus pueritiæ evacuetur , adveniente virilitate , tamen eadem ſemper eſſentia hominis , ſeu eadem identitas Eccleſiæ perſeverat , tranſeundo ab uno ſtatu ad alium . Ex ſecundo , quia eadem fides perſeverans ſtatum mutat ab informi ad formatam : unde etſi fides antiquorum Patrum ſtatum mutaverit , non inde dici poteſt , quod eadem non fuerit quoad ſubſtantiam : ſicut tamen hæc propoſitio falſa eſt : fides quoad ſubſtantiam formata eſt eadem cum fide informi ; quia ly *quoad ſubſtantiam* non afficitur modo , ratione cujus a ſeipſa differt ut

B accepta ſub modo altero , ita quoties Adverſarius veteri legi unit terminum Evangelicum , licet addat *quoad ſubſtantiam* , falſam reddit propoſitionem ; quia accipit ſubſtantiam ut modificatam .

Proſequitur Galianus *n.* 142. iis reſpondere , quæ dixerunt Salmanticenſes probando , quod Apoſtoli fuerunt primi Religioſi non abſolute , ſed ſecundùm ſtatum novæ legis , triaque dicit , & primò quod Salmanticenſes , ut vim argumenti effugiant , concedunt votorum ſolemnitatem juris eſſe divini , quod in eodem *Tract.* 20. *dub.* 4. §. 3. *n.* 54. negaverunt , relicta communi Tho-

C miſtarum ſententia . Secundò quod -- Quot- ,, quot ſcripſerunt de origine ſtatus Religioſi ,, ex Sanctis Patribus antiquis , ab Apoſtolis ,, exordium ſumere -- Tertiò quod imponunt Bordono male intellexiſſe terminum Religionis , ab Eccleſia in Collecta SS. Apoſtolorum appoſitum , dum illum explicuit non de Eccleſia , ſed de Religioſis . Addit quod ſi ſtatus Religioſus ab Apoſtolis non ſumpſiſſet exordium , jam aliquis cultus quoad ſubſtantiam Evangelicus -- Eſſet in ,, Chriſti Eccleſia ſecundùm Chriſtianam ,, Religionem , cujus exordium non eſſet ab ,, Apoſtolis , ſed ab Elia --

D Cum argumentum non premat Salmanticenſes , non eſt , cur vim illius effugiant . Porro falſum eſt ipſos concedere impræſentiarum ſolemnitatem juris fore divini , quam aſſeruerunt eo loci humani juris ; ejuſdem namque labii ſunt utrobique ; hic loquuntur de ea ſolemnitate , qua conſtituitur intrinſeca eſſentialis irrevocabilitas , & ibi de eadem ſermonem habent . Ibi ſiquidem diſcriminantur voti ſolemnitatem ab eſſentia voti ſolemnis , quæ conſiſtit in ea donatione Deo facta , abſoluta , & perpetua , quam dicunt juris divini , & per hanc volunt vota ſolemnia a ſimplicibus diſcreta . Addas ve-

Eſſentia voti ſolemnis diſtinguitur a ſolemnitate .

E lim ibidem admittere ut probabilem opinionem aſſerentium in Religioſa Profeſſione duplicem intervenire ſolemnitatem , accidentalem unam , eſſentialem alteram , illam juris Eccleſiaſtici , hanc divini juris ; cumque hic indefinite loquantur , eligere quamlibet poſſunt . Ceterum quod conſtanter vetent ſolemnitatem intrinſecam , ortam ab eſſentia voti ſolemnis juris fore divini , indubie apparet ex his , quæ tradunt inquirentes , num Papa diſpenſare poſſit in votis ſolemnibus : Quod vero ſententia , quam propugnant , aliena ſit a Thomiſtarum ſchola ,

de

de mendacio revincitur ea reſolutione prædictæ difficultatis ,'& ea recitatis D. Thomæ teatibus .

Falsò dicit ſecundò Patres ad unum omnes velle Monachorum originem ab Apoſtolis : ſiquidem Chryſoſtomus *hom.* 1. *in Marcum* habet -- Sicut Sacerdotum Princi-„ pes ſunt Apoſtoli , ſic Monachorum Prin-„ ceps Joannes Baptiſta eſt -- S. Hieronymus ad Euſtochium de ſervanda Virginitate de Eremitis diſſerens inquit -- Hujus vitæ „ auctor Paulus , illuſtrator Antonius , & „ ut ad ſuperiora conſcendam , Princeps „ Joannes Baptiſta -- Non igitur omnes antiqui Patres ſtatus Religioſi exordium ab Apoſtolis ſumpſere . Cum verò quidam ex illis Apoſtolos dicunt prædicti ſtatus auctores, loquuntur de famoſiori , qui eſt perfectus , & conſummatus ; eodem ſiquidem modo loquuntur de Eccleſia , fide, ſpe , & charitate , & hæc tribuunt Apoſtolis tanquam primis , & fundatoribus , quod dubio-procul non intelligunt præciſe quoad ſubſtantiam , ſed quoad conſummationem . Primi igitur Religioſi fuerunt Apoſtoli , ſed Chriſtiani .

Status Religioſus perfectus ab Apoſtolis.

Ad tertium . Non ſatis percipi valet , qualiter velit Bordonum non intellexiſſe verbum illud *Religionis* de ſtatu Religioſo , cum ipſemet Adverſarius concedat Bordonum ex eo loco probare ſtatum Religioſum ab Apoſtolis cœpiſſe . Illatio deinde , quam facit , ſuetâ laborat æquivocatione . Nuſquam dictum eſt in veteri lege datum fuiſſe aliquem cultum ſecundum ſubſtantiam Evangelicum , quia hic terminus eſt modus ſubſtantiam afficiens . Diximus quidem , nec abs re , quod aliquis cultus quoad ſubſtantiam idem fuit ſub veteri , & nova lege . Nullus itidem huc uſque ſomniavit eſſe in Chriſti Eccleſia aliquid ſecundùm Chriſtianam Religionem , quod exordium ab Apoſtolis non habeat; quia ly *ſecundùm Chriſtianam Religionem* expreſſe appellat ſupra modum conſummatæ perfectionis , qui nequaquam fuit in Eccleſia ſub veteri lege .

Quidam cultus fuit idem in utraque lege .

67 OBJIC. II. Galianus 3. *p. diſc.* 4. *§.* 2., *&* 1. *p. diſc.* 2. *§.* 2., *& alibi* . S. Thomas aſſerit ſæpenumero conſilia fore propria ſtatus gratiæ ; unde *in cap.* 19. *Matthæi* ad illa verba : *Si vis perfectus eſſe &c.* habet -- „ Poſtquam Dominus tradidit doctrinam „ communis ſalutis , hic tradit doctrinam „ perfectionis -- Non potuerunt ergo eſſe ante legem novam ; quod enim unius legis proprium eſt , alteri legi convenire neutiquam poteſt .

Sæpe Adverſarius aſſerit ex D. Thoma conſilium obſervari poſſe ſive ex voto , ſive abſque illo , & revera Chriſtus , & Apoſtolus perfectionis opera conſuluerunt , indefinite exercenda ſive ex voto , ſive ſine voto ; ſed Angelicus ſupralaudatus expreſſe docet Eliam , & Jeremiam fuiſſe Virgines ; ergo propugnat Conſilia Evangelica in veteri lege obſervata fuiſſe . Rurſus 4. *Sent. diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 1., *quæſt.* 4. *ad* 2. aſſerit , ſupererogationis opera , quæ undequaque ſpectata non ſunt ad ſalutem neceſſaria , cadere nequaquam poſſe ſub præcepto , ſed ad conſilia ſpectare , id declarans in Virginibus ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 7. , atqui non inficias ibi Angelicus plura ex hiſce operibus ſupererogationis fuiſſe quandoque in veteri lege exercita , puta Viduitatem Judith a Scripturis commendatam , quadragenarium Eliæ jejunium nequaquam a lege Moyſis præceptum , ut docet 4. *Sent. diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 2. ; ergo . Utique Conſilia ſunt propria legis novæ ; quia per os Chriſti , & Apoſtolorum poſitive promulgata , atque enunciata ut pars Evangelicæ legis , quia connaturalem ſtatum ſortiuntur , ex quo petunt adimpleri motivo dilectionis divinæ , quæ novi Teſtamenti character eſt ; ſed quia viri prioris legis ad novam ſpectabant , ideo per Chriſti gratiam ea obſervare potuere .

Conſilium obſervari poteſt ſive ex voto , ſive ſine illo .

DICES . Juxta D. Thomam conſilia ita propria ſunt legis gratiæ , ut addita fuerint ut in eo , in quo deficiebat , lex vetus perficeretur ; ſed cum hoc non componitur eorundem obſervantia pro eo tempore ; ergo . Major traditur ab Angelico 1. 2. *quæſt.* 107. *art.* 2. , ubi poſtquam varios explicuit modos , quibus veterem legem Chriſtus perfecit , habet -- Tertio adimple-„ vit Dominus præcepta legis ſuperaddendo „ quædam perfectionis conſilia , ut patet „ Matth. 19. , ubi dicenti ſe obſervaſſe „ præcepta veteris legis ; dicit : unum tibi „ deeſt : ſi vis perfectus eſſe , vade , & „ vende omnia , quæ habes -- His abunde declarat conſilia eſſe propria legis gratiæ , & nullimodè veteri convenire .

RESP. Conſilia dicuntur ab Angelico veteri legi ſuperaddita , quia nunc directe , magiſque dilucide fuerunt promulgata , & declarata ; Lex ſiquidem illa nec poſitive ea innuebat , nec virtutem dabat ad ea obſervanda . S. Thomas *ibid. art.* 3. , inquirit , an lex nova in veteri contineretur , & reſolvit affirmative , loquendo tamen de continentia virtutis , dicens -- Eſt lex nova in „ veteri , ſicut fructus in ſpica -- Et *ad* 1. docet omnia , quæ credenda traduntur in novo Teſtamento explicite , & aperte , tradebantur in veteri implicite , & in figura , affirmans hoc modo novam in veteri lege contineri . *Ad* 2. doctrinam refert S. Auguſtini *lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 28. , aſſerentis pene omnia , quæ monuit , vel præcepit Dominus in antiquis libris haberi . *Ad* 3. ſolvens argumentum , quod ſi in lege continebatur , jam ſuperfluebat lex nova , reſpondet -- Dicendum , quod illud quod „ implicite datum eſt , oportet explicari , & „ ideo poſt veterem legem latam , oportuit „ legem novam dari -- Cum autem Angelicus in ſuperiori argumento relatus doceat pios viros antiquæ legis , non inhæſiſſe figuris ut quibuſdam rebus , ſed ut imaginibus , jam fit , quod per eundem motum ferebantur in figuratum ; atque ex inter , quæ nobis explicite credenda traduntur , ſunt conſilia ; ergo meritò in iſta ferri poterant . Itaque in veteri lege erant in figuris , & exemplaribus , in nova ſunt velut in luce , & in cauſa efficienti .

Lex nova virtualiter in veteri præcontenta .

REPLICABIS . Per D. Thomam aliter Dominus veterem legem complevit quoad

præcepta, aliter quoad conſilia; ſed quoad illa ſolummodo complevit quantùm ad majorem explicationem, ut in littera videre eſt, & quoad illa quoad ſuperadditionem; ergo male detorquetur Angelici doctrina.

Præcepta in lege propoſita, ſecus conſilia.

RESP. Præcepta, de quibus Angelicus, fuerant in illa lege effective, poſitive, & directe per Moyſem propoſita, ſaltem quoad ſubſtantiam, & ſufficienter erant etiam explicata, quamvis Phariſæorum Gloſſis vitiata, quas Dominus legitima interpretatione emendavit; conſilia verò directe, poſitive, & effective per Moſaycam legem non fuerant promulgata, ſed per legem fidei exemplariter propoſita conoſcebantur.

URGEBIS. Exemplaris Conſiliorum præexiſtentia aliena eſt a mente D. Thomæ, qui docet nullimode illa extitiſſe in lege veteri, ut videre eſt 1. 2. *quæſt.* 108. *art.* 4. *in Corpore* -- Et ideo convenienter in lege no- „ va, quæ eſt lex libertatis, ſupra præcepta „ ſunt addita conſilia, non autem in veteri „ lege, quæ erat lex ſervitutis -- *Et Opuſc.* 17. *cap.* 7. *circa medium* -- Non enim conſi- „ lia fuerunt data in veteri lege, ſed in no- „ va, quia nihil ad perfectum adduxit lex, „ & hoc patet per Gloſſam, quæ quinque „ panes dicit eſſe legalia præcepta, ſeptem „ autem panes Evangelicam perfectionem -- Ubi notanda eſt particula negativa, quæ omne genus eſſendi excludit.

Ab Adverſario ſolvi debet inſtantia. Catholici ad unum omnes docent ita datum fuiſſe Chriſtum in lege gratiæ, ut non fuerit in veteri, & tamen concedunt cum Angelico extitiſſe in exemplaribus, & in hoc genere in legem influxiſſe. S. Doctor 3. *p. quæſt.* 1. *art.* 5. declarat haud conveniens fuiſſe Deum ab initio incarnari, & ea inter momenta, quæ affert, duo potiora videntur; ordo promotionis ad bonum, videlicet ab imperfecto ad perfectum, & dignitas ipſiuſmet Chriſti; duo hæc itidem exigunt, ut Chriſtus in figuris, atque in exemplari cauſa præcederet, ut in aperto eſt; *& ad* 3. docet perfectum dupliciter poſſe imperfectum præcedere, natura, & tempore; ſecundo modo congruum non erat Verbi unionem præcedere imperfectum, benè verò primo modo nempe cauſalitate, & exemplari influxu; ſimiliter diſcurrit de Conſilis, quia perfecta executive, & effective a lege non fuerunt, & hoc, quia lex erat ſervitutis: & aliàs verba illa S. Thomæ *addita*, *data* ſonant genus cauſæ effectivæ, & executivæ, & quia particula negativa negat omnia, quæ poſt ſe invenit, ſed ſecundùm exigentiam copulæ, & prædicati, vel ſubjecti appellationem, ideo ſolam excludit exiſtentiam in genere effectivo, non autem in genere cauſæ exemplaris; immò iſtam infert ex natura perfecti; hæc autem exiſtentia ſufficit, ut potuerint aliqui ea imitari, dicente S. Th. *lect.* 1. *ad cap.* 8. *Hebræorum* ad illa verba: *Qui exemplari, & umbra deſerviunt cæleſtium &c.* -- Quantùm ad cogni- „ tionem, cum dicit *exemplari*, quia in „ veteri lege, quaſi quodam exemplari po- „ terat legi id, ad quod noſtra cognitio de- „ bet ferri -- Cur verò conveniens fuerit dari effective in lege nova, ſecus in veteri, optime dilucidat ibidem D. Th., quia A præceptum imponit neceſſitatem, ſecus conſilium, ac per conſequens conſonat legi libertatis, hoc eſt, amoris, qui ad opera voluntaria impellit.

SUBSUMES. Non potuit admitti exiſtentia exemplaris, ubi natura ſtatus impediebat imitationem; ſed natura ſtatus impediebat imitari exemplata conſilia, ut docet D. Th.; ergo non potuit dari illa exiſtentia. Min. habetur *lect.* 2. *ad cap.* 8. *Hebræor.* -- In „ novo autem adduntur conſilia illis præce- „ ptis, quæ dantur perfectis, qui ſunt capa- „ ces ſpiritualium -- Ecce qualiter imperfectio ſtatus impediebat imitari conſilia, utB pote ſpiritualium, non autem carnalium.

Negatur minor, quam non evincit illa auctoritas, quæ non cadit ſupra genus cauſæ exemplaris, ſed effectivæ, & executivæ, ut verba ſignificant. Status legis ex ſuo non ſpiritualis non exigebat promulgationem, & effectivam collationem Conſiliorum perfectorum, ſed differenda erat ad legem ex ſuo ſpiritualem, quod *lect.* 2. *cap.* 9. *ad Hebr.* indicat Angelicus his -- Ita in veteri lege, „ ea, quæ ſpectant ad imperfectionem, „ inſtituta fuerunt, ſed quando venit tem- „ pus perfectum, tunc debuerunt inſtitui „ illa, quæ ducunt ad perfectionem -- Cum C hoc tamen ſtat, quod potuerint aliqui inhærentes exemplaribus per fidem, & gratiam Chriſti futuri conſilia exequi, & perfectionem aſſequi. Audiatur S. Doctor paulò ante citata verba -- Sed nunquid in vete- „ ri lege fuerunt multi perfecti, & vide- „ tur, quod ſic; dictum eſt enim Abrahæ „ Geneſ. 17. Ambula coram, & eſto per- „ fectus; Moyſes etiam, & multi alii val- „ de ſancti, & perfecti fuerunt. Reſpon- „ deo. Dicendum eſt, quod licet tunc „ multi perfecti, & ſancti fuerint, hoc ta- „ men non fuit ex operibus legis ſupra 7. „ Nihil ad perfectum adduxit lex: ſed hoc D „ fuit per fidem Chriſti: Gen. 15. Credidit „ Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad „ juſtitiam. Hoc ergo non erat virtute ce- „ remoniarum, aut legalium; unde fre- „ quenter ibi dicitur: orabit pro eo Sacer- „ dos, & dimittetur illi. Levit. 5. Et in „ multis aliis locis: quod ergo mundaret, „ hoc erat ex fide -- His ſatis bene conſtat qualiter Viri pii poterant conſequi perfectionem eſſentialem, & accidentalem, & qualiter lex vetus non adducebat ad perfectum; non negabat imitationem conſiliorum, ſed negabat vim habere ex vi legis.

ADDES. Non ſtat cum D. Thomæ do- E ctrina exemplaris conſiliorum exiſtentia in veteri lege imitata, ſi inceptio, & inchoatio Conſiliorum fuerit in Chriſto, & Deipara; ſed ita fuiſſe docet Angelicus 3. *p. quæſt.* 28. *art.* 4. *ad* 2. -- Dicendum, quod „ ſicut gratiæ plenitudo perfecte quidem fuit „ in Chriſto, & tamen aliqua ejus inchoa- „ tio præceſſit in Matre; ita etiam obſerva- „ tio conſiliorum, quæ per gratiam Dei fit, „ perfecte quidem incœpit in Chriſto, ſed „ aliquo modo fuit inchoata in Virgine Ma- „ tre ejus -- Idem docuerat 4. *Sent. diſt.* 30. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2.

Hac

Hac auctoritate non jam infirmatur, ſed validiùs propugnatur veritas, ut compertum ſit textum perpendendo: eodem modo loquitur S. Doctor de inchoatione conſiliorum in Matre, ac de inchoatione gratiæ; ſed gratiæ inchoatio non ita fuit in Deipara, ut non præceſſerit in veteri lege; ergo ſtat inchoatio conſiliorum in Virgine, etſi alii in veteri Teſtamento illa obſervaverint: ea propter fas eſt dicere D. Thomam non loqui abſolute, ſed ſub aliqua determinata limitatione, & revera ſuam propoſitionem modificat dicendo: *Aliquo modo fuit inchoata*, itaut ſenſus ſit de inchoatione perfectionis legis gratiæ, & non ſolùm quoad ſubſtantiam. Hoc conſtat ex paritate gratiæ, quam aſſumit; & quidem non loquitur de qualicunque gratia, ſed de plenitudine; porro plenitudo non ſolam ſubſtantiam, ſed ſtatum dicit perfectionis.

Quomodo conſilia inchoata in Deipara.

DICES. Si S. Thomas in eam deveniſſet ſententiam, quod in lege veteri fuiſſet conſiliorum imitatio per reſpectum ad exemplarem exiſtentiam, nequaquam aſſereret Chriſtum Apoſtolos paulatim docuiſſe circa eorundem obſervantiam; imperfecti namque erant, nec ſublimem adeo doctrinam percipere poterant; etenim jam extitiſſet notitia conſiliorum in lege veteri; ſed hoc docuit; ergo.

Nimis probat inſtantia; Apoſtoli ſiquidem non ſolùm paulatim eruditi fuerunt quoad doctrinam Conſiliorum, ſed etiam circa fidem, & præcepta, & tamen non inde colligitur negatio fidei in veteri lege. Stat ergo Apoſtolos potuiſſe paulatim erudiri circa perfectionem, etiamſi in dicta lege præceſſerit in aliquibus obſervatio conſiliorum quoad ſubſtantiam.

Apoſtoli eruditi de perfectione conſiliorum.

88 OBJIC. III. ex Galiano 3. *p. diſc.* 3. §. 4 *n.* 248., *&* 1. *p. diſc.* 1. §. 3. *per totum*. Non eſt e mente D. Thomæ veritas ſtatus Monachalis in veteri lege, ſi ipſe doceat tunc non fuiſſe promiſſa præmia cœleſtia, ſed hoc docet unà cum Patribus; ergo. Major aperte conſtat; ut enim conſilia verum conſtituerent Religioſum ſtatum, debuiſſent vota emitti propter Regnum Cœlorum. Minor quantum ad D. Thomam clare habetur *lib.* 1. *de Regimine Principum cap.* 14., *ad Heb. cap.* 10. *lect.* 1., *& alibi*; ſufficiat auctoritas *ex* 3. *Sent. diſt.* 40. *art.* 4. *ad* 1., ubi ſequentibus ſolvit argumentum de promiſſionibus Abrahæ factis -- Dicendum, quod ubicumque promittuntur æterna in veteri lege, hoc eſt, ſub quadam figura, & ſimilitudine, & ſecundùm hoc etiam Deus ſe mercedem Abrahæ conſtituit ad litteram quaſi remuneratorem in multiplicatione ſeminis, & in terræ promiſſæ collatione; vel dicendum, quod hoc intelligitur de promiſſione communiter omnibus facta in veteri lege, non autem de illa, quæ fiebar ſpecialiter ad aliquos perfectos viros, qui ad legem novam pertinebant -- Quantum ad Patres habetur auctoritas D. Joann. Chryſoſtomi *hom.* 23. *in Joan. cap.* 3. in ea verba: *Niſi quis renatus fuerit*: ubi de Nicomedo loquens ait -- Duo ei dubitationem faciebant, & generatio talis, & Regnum; A neque enim Regni nomen auditum erat Judæis unquam, neque hujuſmodi generatio -- Error fuit Fauſti Manichæi, & Pelagi hæreticorum docentium Judæis in lege veteri fuiſſe revelatum Regnum Cœlorum, & promiſſa æterna, quos redarguit Hieronymus contra Pelagianos *lib.* 1. -- Addis præterea Regnum Cœlorum etiam in teſtamento veteri repromitti, poniſque teſtimonia de Apocryphis: cum perſpicuum ſit Regnum Cœlorum primum in Evangelio prædicari per Joan. Baptiſtam, & Dominum Salvatorem, & Apoſtolos -- Eundem errorem detulit Auguſtinus *ad Innocentium Epiſt.* 95. -- Quæ duo præcepta erant B omnibus divinitùs data, an æternum præmium juſtitiæ promiſſum nondum erat? hoc ipſe (*Pelagianus*) non dicit, qui in ſuis litteris poſuit etiam in veteri Teſtamento Regum Cœlorum eſſe promiſſum. ſi ergo ad faciendam, perficiendamque juſtitiam jam erat naturæ poſſibilitas per liberum arbitrium, jam erat legis Dei Sanctum, & juſtum, bonumque mandatum jam erat promiſſum præmium ſempiternum; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt -- Idem habet *de Baptiſmo Parvulorum*, *ſeu de merito*, *& remiſſione*, ubi dicit tunc occultatum fuiſſe, ut revelaretur in novo: gratis C ergo veniſſet Chriſtus, ſi ex gratia ejuſdem venturi datus fuiſſet ſtatus Religioſus, vota emittens propter præmia æterna, ut infert D. Auguſtinus, dataque fuiſſent illi ſtatui media neceſſaria ad conſequendam perfectionem. Item ſtatus ille tolleret rationem figuræ, quia manifeſtaret figuratum, videlicet æterna præmia, eſſetque directe contrarius ſtatui legis ſcriptæ; nam lex vetus Regnum Cœlorum, quod præfigurabat, terrenis promiſſionibus operuit, D. Auguſtino *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 76. docente -- Unde & vetus Teſtamentum ſecretum Regni Cœlorum tempore opportuno aperiendum pro- D miſſionibus terrenis operuit, & quodammodo umbroſus opacavit. Ubi autem venit plenitudo temporis, ut novum Teſtamentum revelaretur, quod figuris veteris velabatur, evidenti teſtificatione jam demonſtrandum erat, eſſe aliam vitam, pro qua debet hæc vita contemni, & aliud Regnum, pro quo oportet omnium terrenorum adverſitatem ſapientiſſimè ſuſtineri -- Quid luculentius? Doctrinam iſtam ſæpe repetit Adverſarius in toto libro.

Error Manichæorum.

Verum ubi dicit *num.* 248. 3. *p.* quod -- D. Thomas pluribus in locis expreſſe, & aperte docet, quod in veteri lege non E fuerunt promiſſa bona ſpiritualia cœleſtia, ſed terrena -- manifeſtam injuriam facit tanto Doctori, qui, ut patet ex claris, variiſque textibus in præcedentibus allegatis, hæc tria conſtanter tradit: primum quod lex vetus ad juſtificationem ordinabatur, quam tamen gratia Chriſti venturi perficiebat: alterum, quod legis veteris, & novæ idem ſit finis ultimus; legis verò novæ finis ultimus eſt omnino ſupernaturalis: tertium quod terrena promittebat illis, & dabat, ut tamquam imperfectos per ea ad ſpiritualia, & æterna manuduceret, & alia inter loca

Judæis æterna promiſſa.

unum dedimus ex eodem textu citato contra nos ab Adverſario in hac objectione: quomodo poſſunt hæc ſtare, ſi ſpiritualia, ſi cœleſtia neutiquam promiſſi? Quantum ad Auguſtinum, aliis omiſſis, legatur *lib.19. contra Fauſtum cap.* 31., ubi -- Denique quod „ non temere dixerim, neſcio utrum quiſ„ quam in illis libris invenit nomen Regni „ Cœlorum, quod tam crebro nominat „ Dominus. Dicitur quidem ibi. Diligite „ ſapientiam, ut in æternum regnetis. Et „ ipſa vita æterna ſi non illic in manifeſto „ prædicaretur, non diceret Dominus etiam „ malis Judæis: ſcrutamini ſcripturas, in „ quibus putatis vos vitam æternam habere, „ ipſæ teſtimonium perhibent de me: quo „ enim niſi ad hoc pertinet, quod ibi ſcri„ ptum eſt: non moriar, ſed vivam, & „ narrabo opera Domini: & illumina ocu„ los meos, ne unquam obdormiam in morte? „ & juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & „ non tanget illos tormentum? & paulo „ poſt: illi autem ſunt in pace, & ſi coram „ hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illo„ rum immortalitate plena eſt, & in paucis „ vexati, in multis benè diſponentur; & in „ alio loco: juſti autem in perpetuum vi„ vent, & apud Dominum eſt merces eo„ rum, & cogitatio eorum apud Altiſſi„ mum, ideò accipient Regnum decoris, „ & Diadema ſpeciei de manu Domini. „ Hæc, & alia multa ſive apertiſſima, ſive „ ſubobſcura inveniuntur ibi teſtimonia vitæ „ æternæ: & de ipſa corporum reſurrectio„ ne non tacuerunt Prophetæ &c. Proinde „ teſtimoniis vitæ æternæ, & reſurrectionis „ mortuorum abundat illa ſcriptura -- Quomodo autem cum aperta adeo, & tot Scripturis confirmata doctrina ſtat, quod cœleſtia Judæis non fuerint revelata, non fuerint promiſſa? difficultatem movent Patres, & Auguſtinus ibidem quoad nomen Regni Cœlorum, quod non reperitur in Scriptura veteris Teſtamenti; & ratio eſt, quia Regni Cœlorum nomine venit gratia Chriſti conſummata, per quam de præſenti ſolvitur Chirographum peccati Adæ, & aperitur de præſenti Cœli janua, & de præſenti traditur poſſeſſio Beatitudinis; in lege veteri lex non dabat gratiam, ſed pretium exhibebatur ex theſauro in futurum effundendo; clauſum erat Regnum, & nulli dabatur æternæ ſalutis poſſeſſio. Lege ſequentia apud D. Auguſtinum uſque ad finem capitis. Lege apud eumdem *in Epiſt. 95. ad Innocentium* immediate ad verba in objectione relata, & ſenſum percipe directum, & planum -- Ergo „ neque per legem juſtitia, neque per naturæ „ poſſibilitatem, ſed ex fide, & dono Dei „ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, „ unum mediatorem Dei, & hominum, „ qui niſi in plenitudine temporis mortuus „ eſſet propter delicta noſtra, & reſurre„ xiſſet propter juſtificationem noſtram, „ profectò, & antiquorum fides evacuare„ tur, & noſtra -- Lege D. Hieron. *loco cit.* -- Aliud eſt damnare legem, quod Ma„ nichæus facit, aliud legi præferre Evan„ gelium, quæ Apoſtolica doctrina eſt; in „ illa enim ſervi, in hoc præſens Dominus „ loquitur; ibi promittitur, hic impletur; „ ibi initia, hic perfectio eſt; in illa ope„ rum fundamenta jaciuntur, hic fidei, & „ gratiæ culmen imponitur --

Error ergo Pelagianorum erat, quod natura daret poſſibilitatem adimplendi præcepta; quod juſtitia legis daret gratiam, quod Regnum Cœlorum erat revelatum; idest apertum pro eo ſtatu, quibus vere exiſtentibus certe gratis mortuus eſſet Chriſtus: at viri illi Sancti, & Monachi neutrum ex his docebant; in viribus fidei, non naturæ agnoſcebant poſſibilitatem ſtatus Monachalis; non in operibus legis juſtitiam, & juſtitiæ perfectionem, ſed in meritis Chriſti futuri conſtituebant; adeoque toto Cœlo diſtat doctrina noſtra ab errore Pelagianorum: non negamus factas fuiſſe terrenorum promiſſiones, velut præmia quædam allicientia ad majora, & de præſenti elargienda, ne totum pondus promiſſionis inniteretur ſpei futurorum, quæ non niſi tempore legis gratiæ erant donanda; quod optimè advertit S. Th. 3. *Diſt.* 40. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 1. *in corpore* -- Tertiò, quia „ bona æterna nondum ſtatim eis poterant „ exhiberi nondum ſoluto pretio, unde „ dilatio promiſſionum inefficacem faceret „ apud infirmos promiſſionem -- Duplex ergo præmium erat illis promiſſum: Cœleſte, quod non poterant aſſequi, niſi poſt Chriſti mortem; terrenum, quod aſſequebantur de præſenti: & per hoc perfectis non accenſebantur amicis, quia non communicabatur illis poſſeſſivè ſummum bonum. Accipe Doctrinam Magiſtri Soti ab Adverſario laudati 4. *Diſt.* 2. *p.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. *circa finem* -- Illa ergo hic prætermiſſa, „ quod gratia illorum ſeculorum ad com„ pletum, abſolutum, perfectumque gra„ dum gratiæ non pertigerit, argumentum „ eſt, quod amici illi quidem ſunt, quibus „ ea omnia ſunt communia, in quibus jus „ amicitiæ fundatur; ea verò, in quibus „ amicitia inter Deum, & homines funda„ mentum habet, ſunt illa cœleſtia ſempi„ ternæ vitæ, illa autem ante Chriſtum „ paſſum nemini Deus conceſſit; ergo ho„ mines illorum temporum non erant in „ gratia abſoluta, & conſummata -- Rem explicat exemplo criminoſi, bonis omnibus a Rege expoliati, qui etſi veniam obtineret criminis, ſi tamen bonis frui non liceret, neutiquam diceretur ad perfectam aſſumptus amicitiam; ecce in quo conſiſtat ſtatus perfectæ amicitiæ, in communicatione bonorum æternorum poſſeſſive: quare hac Soti auctoritate manifeſte abutitur Adverſarius, dum eam adoptat *p.* 3. *Diſt.* 3. *§.* 6. *n.* 208., ut a ſtatu legis veteris conſilia rejiciat, quia ſunt perfectorum, & amicorum: viri juſti in veteri Teſtamento amici Dei erant, item conſiliorum cultores, non autem in perfecto, & abſoluto amicitiæ ſtatu; quia non poterant ſtatim ab obitu conſequi hereditatem, fuitque eis expectanda redemptio per Chriſtum.

Duplex præmium Judæis promiſſum.

Diſtinguenda itidem ſunt duo ſcripturarum genera in lege: primum dicitur legale, & illud eſt, in quo Moyſes præcepta deiu-

detulit populo, ſapientiale aliud, & Propheticale, ubi moralia magis dilucidantur: in ſapientialibus ſæpe æternorum bonorum nudis phraſibus mentio fit, in Moyſaicis magis ſub figuris, & umbris: verum ad edificenda illa arcana fidei bonus uſus ſufficiebat; ejus enim lumine viri Dei honeſtatem conſiliorum præfiguratorum detegere poterant, & per gratiam Chriſti futuri adimplere: ad hujus confirmationem ſufficit auctoritas Patris Suarez *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 11., ubi -- Bona conſiliorum non ideo talia ſunt, quia Chriſtus illa tradidit, ſed potius e converſo, ideo Chriſtus illa tradidit, quia talia ſunt, ideſt optima, & aptiſſima ad perfectionem charitatis obtinendam. Unde quidquid ſit de pura natura, tamen de natura illuminata per fidem non videtur dubium, quin potuerit conſiliorum honeſtatem, & utilitatem ſpiritualem cognoſcere: inter hæc autem conſilia unum eſt conſilium Religionis; ergo idem de illo ſentiendum eſt; ergo non fuit neceſſarium aliter inſtitui a Chriſto, quam per doctrinam, & approbationem naturalis juris; atque hoc etiam ſentiunt qui putant ſtatum hunc fuiſſe in uſu ante Chriſti adventum, licet paucioribus eſſet cognitus -- Et ſane figuræ non debuerunt eſſe adeo obſcuræ, ut ſpiritualis earundem ſenſus omnino lateret, aliàs inutiles eſſent, & Divinæ providentiæ haud congruerent; unde ſaltem excellentioribus earum ſenſus debuit innoteſcere, qui aliis deinde clarius tradebant. Ad rem noſtram deſervit doctrina Patris Natalis ab Alexandro *Tom.* 2. *Hiſt. veteris Teſtamenti differt.* 4. *art.* 3. *propoſitione unica*, ubi inquirit, quis nam fuerit auctor Cabbalæ, & reſpondet, quod ſi nomine Cabbalæ veniat ſenſus myſticus in litterali fundatus, atque a Spiritu Sancto intentus, Cabbalæ auctores fuere Moyſes, & Eſdra, idque probat, quia apud Judæos debuit eſſe juxta Divinæ Providentiæ leges intelligentia non ſolum ſenſus litteralis, ſed etiam myſtici figurarum ad hoc, ut ea, quæ ad Chriſtum ſpectabant, poſſent a Doctoribus populo explicari; proſequitur deinde oſtendere, quomodo per traditionem a Moyſe ad Joſue, & a ſenioribus ad alios Magiſtros Iſrael, & maxime Prophetas devenerit, declaratque Eſdram, ubi *lib.* 2. *cap.* 8. per plures dies interpretabatur legem, myſticum ſenſum reſeraſſe circa Chriſtum, & alia ad ipſum ſpectantia, ut fidem excitaret in populo erga Meſſiam, ſine qua nemo juſtificabatur, & defeciſſet in neceſſariis Divina Providentia, niſi hanc intelligentiam tradidiſſet: ad quod evincendum fuſam Origenis *Tom.* 6. *in Joan.* auctoritatem profert, & Hilarii *Enarrat. in Pſalmum* 2., ex quibus patet, qualiter in lege poterat dari, & dabatur cognitio conſiliorum, ac per conſequens qualiter potuerunt viri pii, gratiæ viribus, conari ad ea implenda; non enim erat neceſſe miraculum, ſed ſat erat, quod fortitèr, & ferventèr gratià uterentur; hæc enim ad excellentiora mire deſervit.

In libris Sapientialibus mentio æternorum.

Conſilia cognita in lege veteri.

Adverſarius *p.* 3. *diſc.* 3. *n.* 205. clamat -- Intolerabile eſt novum Salmanticenſium aſſertum in ſolutione argumenti, ſcilicet, quod fides communis illius legis fuit ſufficiens, ut in illa lege vota emitterentur in vero ſtatu Religioſo ſubſtantialiter Evangelico -- Et ſubdit, pauca fuiſſe revelata in lege veteri, quæ humanam excederent inquiſitionem. Repetit Pelagianum eſſe aſſerere revelatum fuiſſe ex communi fide ſtatum juſtitiæ, perfectionis, filiationis, Regnum Cœlorum cum promiſſionibus æternis, & hanc revelationem defendunt Salmanticenſes, inquit ille. Denique remittit Lectorem ad ea, quæ dixit 1. *p. diſt.* 1. §. 4. *de fide legis veteris*.

Non eſt immorandum in hac reſponſione; dicta enim abunde ſufficiunt: placet tamen nonnulla perpendere. Et primum eſt, quod Salmanticenſes circa fidei ſufficientiam nihil de ſuo promunt, ſed loquuntur ad mentem Patris Suarez *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 11. *tom.* 3., cujus verba afferunt; & tamen de Patre Suarez non ea aſſerit, quæ contra Salmanticenſes producit. Si ergo unum reveretur, cur non reveretur & alios? Secundum eſt; quod Salmanticenſes non uſurpant illum terminum *fides communis*, ſed *fides*: terminus namque *communis* ex vi modi loquendi appellat ſupra vulgarem myſteriorum cognitionem, quæ erat in pluribus, & apud quemcumque de populo, quo ſenſu nequaquam Suarez, & Salmanticenſes loquuntur: fides verò abſolute accepta, vel cum modificatione illius legis, vel in illa lege aliud ſonat; indubium quippe eſt, quod bene librata, atque examinata mentem quoad plura, quæ plebs non expendebat, illuminabat: ut videre eſt in lege gratiæ, ubi fides illuminat circa plura myſteria, ſi ſeriò a viris piis, & ſapientibus perpendatur, quod lumen communiter in fidelibus deſideratur, & tamen dubio-procul fides hujus ſtatus ſufficit pro qualibet cognitione revelatorum, agendorumque habendà; addas quod ſaltem eorum, quæ præcipua ſunt in lege gratiæ, præceſſerunt figuræ in veteri lege: porro fides per ſe reſpiciebat myſticum illarum figurarum ſenſum, qui debuit eſſe cognitus Magiſtris, & per ipſos explicari populo: inter præcipua autem legis gratiæ ſunt conſilia. Tertium. Illa propoſitio non eſt Salmanticenſium -- Ut emitterentur vota in vero ſtatu Religioſo ſubſtantialiter Evangelico -- Hiſce locutionibus numquam Patres utuntur, quas ad nauſeam uſque recoquit Adverſarius, & quarum ſubdolas jam deteximus phraſes. Quod de Pelagianiſmo inſerit, manifeſte exploſum eſt ex Auguſtino, Scripturis loquente. Quæ demum remiſſive innuit de fide illius legis, non ipſi, ſed nobis adſtipulantur: etenim D. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 7. *in argumento*: *ſed contra* docet juxta incrementa temporum creviſſe ſcientiam, *& in corpore articuli*: quædam explicite cognita fuiſſe affirmat a poſterioribus, quæ ſolum implicitè fuerunt cognita a prioribus, *& ad* 3. -- Tantum dabatur Patribus . . . de cognitione fidei, quantum oportebat pro tempore illo populo tradi vel nude, vel in figura -- & ad cap. 3. Epheſ. ad illa: *Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam &c.* Ubi Ange-

Angelicus *lect.* 1. -- Licet enim myſteria „ fidei Prophetis, & Patriarchis fuerint re„ velata, non tamen ita clare, ſicut Apo„ ſtolis; nam Prophetis, & Patriarchis fue„ runt revelata in quadam generalitate, ſed „ Apoſtolis manifeſtata ſunt quantum ad ſin„ gulas, & determinatas circumſtantias -- Prudentes autem videant, an hæc Doctrina D. Thomæ concludat fidem tunc temporis non ſatis honeſtatem conſiliorum, æternaque bona manifeſtaſſe: non negant hæc Catholici; fatentur Salmanticenſes cum Angelico prædicta, & ex eiſdem bene deducimus præceſſiſſe cognitionem conſiliorum, & obſervantiam in ſua generalitate, & quoad ſubſtantiam, ſecus quoad omnem determinationem perfectionis; cognita fuiſſe explicitè a Sapientioribus ſubſtantialiter accepta, ſecus quoad omnes circumſtantias. Certum eſt ea, quæ Chriſtum reſpiciebant, illi populo neceſſaria fuiſſe, adeoque vel nude, vel in figura fuiſſe revelata; ergo Chriſti geſta, atque doctrina ſaltem ſecundum ſubſtantialiora, & principaliora; inter quæ ſunt conſiliorum exempla, præceſſerant.

Denique, dato quod nec per litteram legis, nec per traditionem Magiſtrorum eſſet explicatum myſterium de bonis æternis, negare nequit Adverſarius, quod perfectis quibuſdam id fuerit revelatum, ut habet D. Th. *loco ipſo allegato ab Arguente in objectione*, & ex Auguſtino *Pſal.* 72. -- Ipſum novum Te„ ſtamentum, quod in Chriſto eſt, priori„ bus illis temporibus occultum erat, ſolis „ Prophetis cognitum, & pauciſſimis piis, „ non ex manifeſtatione præſentium, ſed ex „ revelatione futurorum -- quod infra iterum repetit: *& lib. de cathechizandis rudibus cap.* 22. -- Itaque novum Teſtamentum he„ reditatis ſempiternæ manifeſtans, in quo „ renovatus homo per gratiam Dei ageret „ novam vitam, hoc eſt vitam ſpiritualem, „ ut vetus oſtenderent primum, in quo car„ nalis homo agens, hominem veterem, ex„ ceptis paucis intelligentibus Patriarchis, „ & Prophetis, & nonnullis latentibus San„ ctis, carnaliter vivens carnalia præmia „ deſiderabat a Domino Deo -- Idem docuerat *cap.* 19. -- Erat enim ibi multitudo „ carnalis, quæ propter viſibilia beneficia „ colebat Dominum; erant autem ibi pauci „ futuram requiem cogitantes, & cœleſtem „ patriam requirentes, quibus prophetando „ revelabatur futura humilitas Dei Regis, „ & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut per eam „ fidem ab omni ſuperbia, & tumore ſana„ rentur. Horum Sanctorum, qui præceſſe„ runt tempore Nativitatem Domini, non „ ſolum ſermo, ſed etiam vita, & conju„ gia, & filii, & facta Prophetia fuit hu„ jus temporis, quo per fidem paſſionis „ Chriſti ex gentibus congregatur Eccleſia -- Similia poſſemus afferre ex aliis Patribus. Porro hi Dei viri has ſpeciales illuſtrationes non ſibi tantummodo creditas volebant, ſed aliis commendabant, maximè Prophetæ, & Patriarchæ, qui ex inſtituto Magiſtri erant veritatis: & Zelotypi ſalutis animarum, ea propter optimè potuerunt aliqui illuſtrati ſequi conſilia, & eorum honeſtatem aliis ſequendam proponere.

Perfectis in veteri lege æterna revelata.

A

His auctoritatibus abutitur Adverſarius, nunquam tamen nova promens, ſed antiqua refricans. Igitur *p.* 3. *diſc.* 4. §. 5. ſequentia brevibus complexa habet; & primò quidem dicit S. Auguſtinum eo loci velle, quod fides, obedientia, paupertas ante Chriſti nativitatem fuerint figurativa; quod per fidem paſſionis Chriſti verus conſtituatur ſtatus Evangelicus, ac proinde dato quod aliqui vixerint ex voto pauperes &c. ſtatum ſolummodo conſtituebant Propheticum.

Secundò, quod Prophetæ illi viſibilia, quæ exoptabant, beneficia populo conferebant, quod cum publico voluntariæ paupertatis ſtatu cum voto in illa lege compati haud poſſe videtur.

B

Tertiò, quod pauci, immo pauciſſimi fuerunt, qui Regni cœleſtis præmium intelligerent, quod ſane non congruit ſententiæ Salmanticenſium dicentium neceſſariam non fuiſſe ſpecialem revelationem, ſed ad inſtituendum Religioſum ſtatum ſubſtantialiter Evangelicum fidem communem deſervire potuiſſe.

Quartò, quod ex illis pauciſſimis aliqui Prophetæ habuerunt Uxores, quod Monaſteriis Religioſorum, & Monialium veteris legis adverſari in aperto eſt.

C

Quintò, 1. *p. diſc.* 1. §. 3. *n.* 41. *pagina mihi* 23., quod peculiaris non ſufficiebat revelatio, ſed debebat eſſe per legem publicam, atque omnibus volentibus ſtatum Religioſum profiteri compertam, adeoque revelatio Regni Cœleſtis fuiſſet omnibus nota; cum in Monaſteriis propter Regnum Cœlorum fieret promiſſio: hoc autem renuunt Patres, & præcipuè D. Auguſtinus, qui *Pſal.* 72. affirmat, Synagogam accepiſſe a Domino abundantiam terrenorum, & neſciviſſe quid lateret in rebus figuratis, & putaſſe Deum non habere melius, quod daret diligentibus ſe.

D

Sextò ibidem, quod illis paucis revelata fuere myſteria cœleſtia per internam inſpirationem, non autem externe, ſeu in ſtatu; nam ad ſtatum requiritur lex proponens, vel conſulens revelata. Pelagii dogma fuit Regnum Cœlorum fuiſſe revelatum veteribus in ſtatu ex lege, hoc autem tenentur ſuſtinere Defenſores Monachatus ex inſtitutione ſtatus cum votis; quia per ipſos erat publicus in lege illa, tacite approbatus ut perfectior communi vivendi modo; unde non paucis, ſed omnibus fuit revelatum Regnum Cœlorum in ſtatu.

E

Septimò ibidem, quod licet Pelagius perfectam diceret legem, non tamen adeo illam elevavit, ut dixerit Evangelica fuiſſe revelata Conſilia in ſtatu, ſicut Defendentes Monachatum aſſerunt, docentes non ſolùm revelatum fuiſſe Regnum Cœlorum in ſtatu vero Religioſo, ejuſdem rationis cum Chriſtiano, ſed etiam Judæis revelata Conſilia Evangelica, ut faciliùs perfectionem legis acquirere poſſent.

Vis tota argumenti paucis abſolvitur; qui tamen artificioſa verborum involucra vellet perlegere, adeat Galianum *cit. locis*. Hucuſque dicta pro evertendis Adverſarii ſophi-

phiſmatibus ſufficerent; breviter tameu reſpondemus, & ad primum ultro concedimus, virtutes illas ſuiſſe propheticas, & figurativas, ſtatumque Religioſum conſtituiſſe figurativum; verùm quid inde? Num per hoc fas eſt dicere, fidem ſubſtantialiter acceptam, obedientiam, paupertatem, votum, & hujuſmodi veras non fore virtutes? Nequaquam ſane, nec Catholicus Doctor inficias ibit; ergo pariter verum Monachatum ſubſtantialiter poterant conſtituere. Adde quod in veteri lege non ſemper figuræ ſenſum innuunt allegoricum, ſed quandoque exemplum, ut apte declarat Cornelius a Lapide *in Comment. 1. ad Corinth. 7. v. 11.* Et S. Ambroſius *lib. de S. Joſeph.* plures, eaſque præcellentes virtutes a Sanctis Patriarchis adoptatas enumerat, quæ nobis ſunt in exemplum: aliàs non omnia, quæ in veteri lege habemus, aliquid figuratum in novo Teſtamento ſignabant, ut teſtatur Auguſtinus *lib. 17. de Civit. Dei cap.* 3. -- Mihi ſicut „ multum videntur errare, qui nullas res „ geſtas in eo genere litterarum aliquid „ aliud præter id, quod eo modo geſtæ „ ſunt, ſignificare arbitrantur, ita multum „ audere, qui prorſus ibi omnia ſignifica„ tionibus involuta eſſe contendunt --

Plures antiquorum virtutes nobis in exemplum.

Nec renuimus admittere Prophetas viſibilia populo miniſtraſſe beneficia, ſed eo plane modo quo a Deo erant ordinata, videlicet, tanquam media allicientia ad æterna. Ut vidimus namque ex Angelico temporalia largiebantur, ut imperfecti manuducerentur ad cœleſtia. Verùm, cum his apte cohæret, quod ferventiùs viventes ad normam fidei, non ita terrenis afficerentur, ut immediatiùs æterna non proſpicerent; proindeque tunc temporis Monachalis ſtatus Deo ſerviens in abdicatione terrenorum, atque ſub obedientiæ jugo non repugnabat, quæ peculiaris vivendi ratio publica dici poterat publicitate facti, quatenus plerique noverant viros illos ſanctiorem ducere vitam.

Terrena ad æterna ordinata.

Quoad tertium manum damus: pauci utique, immo pauciſſimi, ſi multitudo ſpectetur, quæ carnaliter vivebat, ad cœleſtia practice adſpirabant. Ceterum plures erant, qui ſincere Deo famulabantur; ſæpenumero in Scripturis habemus paucos Deo ſervire, atque ſalvari, ſed hujuſcemodi locutiones comparative intelliguntur, ut compertum eſt; ea propter jure optimo aſſeruerunt Salmanticenſes, & quod ex ſpeciali revelatione primi, qui Religioſam vitam adoptarunt, conſiliorum honeſtatem didicerint, eamque tanquam Magiſtri aliis tradiderint, & quod ſeriò fidei lumine perpenſo illam noverint, fueritque amplexati, aliiſque propoſuerint ſequendam. Utramque viam ponunt Salmanticenſes; quia utraque bona, nec Adverſantium argumentis urgeri poteſt.

Locutiones Scripturæ quandoque comparativæ.

Quod quarto loco dicit, verum fatemur, nempe ex illis paucis aliquos ex Prophetis habuiſſe uxores. Ut facta recta ſit ſententia noſtra, ſat eſt aliquos ſine uxore fuiſſe, itaut Religioſum cœtum potuerint congregare: non enim e re noſtra eſt aſſerere omnes Prophetas fuiſſe Monachos, ſicut non propugnamus omnes ſpeciali revelatione illuſtratos, ſed quoſdam, quorum ſtudio, atque magiſterio alii inſtructi ſanctiora æmularentur chariſmata.

Non omnes Prophetæ Religioſi.

Negamus quintum, videlicet, peculiarem illam revelationem ad intentum parem non eſſe, ſed omnibus per publicam legem innoteſcere debuiſſe. Dubio-procul ſat erat illa notitia ex facto, atque per magiſterium evulgata eos inter, qui propinquius hanc vivendi rationem poterant demirari. Quis uſquam dicet publicam legem fore neceſſariam, ut comperta fiat Camaldulenſium, aut Carthuſianorum ſolitudo? A vicinioribus ad remotiora rerum ſingularium fama percurrit. Porro innotuiſſe Judæis peculiarem vitam filiorum Prophetarum ſatis evidens occurrit momentum *ex 4. Reg. cap. 9.* Cum enim, mandante Eliſeo, veniſſet ad Jehu unus ex ejuſdem Diſcipulis, eum ſocii Jehu videntes dixerunt: *Quid venit inſanus iſte ad te?* & Princeps reſpondit: *Noſtis hominem?* Hiſce locutionibus manifeſtè indicatur, quod diſtinguebantur, & cognoſcebantur Monachi ab aliis diſcreti. Audiamus Lyranum in hunc locum -- Reputabantur autem Prophetæ in„ ſani, eo quod contemnebant bona hujus „ mundi, & quia loquebantur frequenter ta„ lia, quæ videbantur aliis aliena. *Noſtis &c.* „ Erant enim Diſcipuli Prophetarum Reli„ gioſi, ut dictum eſt ſupra 2. capite, & „ ideo diſtinguebantur ab aliis in habitu per „ quem cognoſcebantur eſſe Diſcipuli Pro„ phetarum, & proptec hoc dixit: *Noſtis?* „ Scilicet quod ſit de Prophetis -- Audiamus Cajetanum *ibid.* -- Inſanus iſte: verifica„ tur ſcriptum in ſapientia, nos inſenſati vi„ tam illorum æſtimabamus inſaniam, nam „ inſanum appellant Diſcipulum Propheta„ rum, eo quod profiterentur Prophetarum „ filii futuræ vitæ ſtudium vacando Divinis „ laudibus -- Audiamus demum Cornelium a Lapide *ibid.* -- Vide hic ut Principes Ido„ lolatræ, hominesque Militares Prophetam „ rideant, vocentque inſanum, & fanaticum; „ vita enim Prophetarum aſpera, veſtitus „ horridus, ſermo propheticus eis videbatur „ eſſe inſania -- Habemus ergo, quod nota erat Prophetarum vita, & ideo a turba deridebatur, quod nunc quoque evenit in lege gratiæ: propoſitio D. Auguſtini cum hac veritate optime componitur; dicit univerſaliter Synagogam temporalia deſideraſſe; quia multitudo terrenis adhærebat, ſicut dicit Apoſtolus: *Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Dixit autem neſciviſſe, quid in figuratis lateret, & putaſſe Deum melius dare non poſſe diligentibus, quod verum ſane eſt practice loquendo, ſi carnalis multitudo ſpectetur; hujuſcemodi locutiones in lege gratiæ ſolemnes ſunt apud Patres, atque Concionatores, Turbam ſecularia, & terrena inhiantem redarguentes.

Ut res innoteſcat, non requiritur lex publica.

In ſexto plura miſcet, ut veritatem obnubilet. Falſum eſt quibuſdam non fuiſſe revelata ſpecialiter cœleſtia myſteria, ut alios erudirent; verum eſto quod illis non fuerint revelata externe; interna tamen illuſtratio, qua viri Dei moti conſilia ſub tali forma cœperunt colere, ſat fuit, ad peculiarem ſtatum Monachatus conſtituendum;

quo

quo pacto v. g. S. Benedictus a Deo ſpecialiter illuſtratus determinatam vivendi rationem, imitandamque volentibus obtulit.

Pelagii dogma alienum a noſtra ſententia.

Perperam dein affert ut Pelagii dogma; *quod in veteri lege fuerit omnibus revelatum in ſtatu Regnum cælorum.* Hoc ſiquidem apud Patres non eſt invenire. Dogma ſiquidem Pelagii erat, quod ad juſtitiam faciendam natura daret poſſibilitatem, quod Regnum ut conſequendum pro illo ſtatu eſſet promiſſum, ut explicat S. Auguſtinus *Epiſt.* 95. concludens -- Si ergo ad faciendam, perficiendamque juſtitiam jam erat „ naturæ poſſibilitas per liberum arbitrium, „ jam erat legis Dei ſanctum, juſtum, bonumque mandatum, jam erat promiſſum „ præmium ſempiternum; ergo Chriſtus „ gratis mortuus eſt? ergo neque per legem juſtitia, neque per naturæ poſſibilitatem, ſed ex fide, & dono Dei per „ Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum -- Nemo unus autem ſomniavit naturam dare poſſibilitatem ad profitendum Monachatum, aut hunc dare juſtitiam, aut ejuſdem obſervantiam actu ad Beatitudinis conſecutionem perducere; proindeque toto cœlo Doctrina noſtra a dogmate Pelagii diſtare in aperto eſt. Erat quidem ſtatus ille publicus iis in locis, ubi vigebat, publicitate facti, taciteque approbatus, eodemque modo omnibus manifeſta erat revelatio Regni Cœlorum, ſi tamen per hoc intelligatur præmium æterno ſuo tempore conſequendum. In hoc porro nullum eſt invenire abſurdum. In ſolutione præcedentis inſtantiæ viſum eſt ex Auguſtino revelatam abunde per Scripturas æternam felicitatem, ſicut etiam per traditionem. Illud quidem indubium eſt, carnales viros hæc practice non ſpectaſſe, adeoque irridebant perfectiora ſectantes, ut etiam videre eſt non raro in lege nova; quia animalis homo non percipit, quæ Dei ſunt, & corpus quod corrumpitur, aggravat animam multa cogitantem.

Addit Adverſarius 3. *p. diſc.* 3. §. 6. *n.* 206., quod Salmanticenſes primum principium ſuæ ſententiæ ignorant, quia dixerunt talis neceſſariæ revelationis exiſtentiam probari per effectum, ideſt, per ſtatum Religioſum, qui extitiſſe evincitur ex tot momentis, quæ promuntur; quod in revelatione Religioſi ſtatus trepidant; quod dubitant, an ſpecialis revelatio fuerit nec neceſſaria; quod Religioſum ſtatum per revelationem propugnant, & revelationem per ſtatum Religioſum; quod dictæ revelationis fundamentum in Scripturis deſideratur; demum quod prædictus ſtatus quoad eſſentiam Evangelicus recens eſt, & præterito Seculo mundo apparuit.

Galianus a veritate alienus.

Quam male Salmanticenſium doctrinam attingit Galianus. Æquus veritatis amator aperte profiteretur laudatos Patres nihil deſideratum relinquere in propugnanda ſententiæ ſuæ veritate. Primò namque dicunt ſpecialem revelationem haud fore neceſſariam; quia ex fidei lumine attente ſpectato, honeſtas Religioſi ſtatus ſatis percipi poterat. Secundò ajunt, quod, data neceſſitate hujuſce ſpecialis revelationis, hæc ſub implicitis terminis habebatur in Scripturis. Tertiò ex quadam redundantia aſſerunt, quod, etſi nulla hujus revelationis haberetur in Scripturis cognitio, adhuc ſufficienter deprehendi potuiſſet per tot teſtium traditionem. Nunc judicent alii, num hoc ſit ignorare doctrinæ ſuæ principium? num ſit dubitare, aut trepidare? Num ſit probare revelationem per ſtatum, & ex adverſo? Verùm quamvis hocce argumenti genus adoptaſſent, quo jure criminandi forent? Novumne eſt in ſcholis rem comprobare in diverſo genere cauſæ, a priori, ut ajunt, & a poſteriori? eodem inani ſophiſmate impugnabat Calvinus illud noſtræ fidei principium, Eccleſiam nempe eſſe definitivum Tribunal credendorum; quatenus catholice ſentiendo dicimus ex Scripturis compertum fieri Eccleſiam eſſe fidei Tribunal, & legitimum Scripturæ ſenſum conſtare ex Eccleſia: bene ne ergo inſtabat Calvinus? Nequaquam ſane. Nuſquam demum, qui ſtatum quæſtionis novit, atque momenta expenderit Salmanticenſium, dicere audebit, ipſos velle Monachatum veteris legis præterito Seculo apparuiſſe. Si prædicti Patres *Dub. IX. de ſtatu Religioſo* invicte probant ſtatum Religioſum in veteri Teſtamento inchoatum perſeveraſſe uſque ad legem gratiæ, atque modo continuati in Eccleſia, quo pacto dicere audebit Galianus, ex ſententia Salmanticenſium prædictum ſtatum præterito Seculo apparuiſſe?

Quoad ſeptimum legitimi deſiderantur contextus Salmanticenſium, ut arguenti credamus. Cuilibet legenti compertum erit Salmanticenſes iis verborum ambagibus nuſquam uti. Quo ſenſu Pelagius veterem legem elevaverit, notum eſt; quod Patres Salmant. dixerint conſilia in illa lege fuiſſe revelata in ſtatu, falſum plane eſt: etenim duo hæc, nempe fuiſſe ſtatum Religioſum quoad eſſentiam, & revelata fuiſſe Evangelica Conſilia in ſtatu, longe diſcriminantur; qua ratione aliud eſt fuiſſe juſtificationem, & fidem quoad eſſentiam, & utrumque fuiſſe in ſtatu: falſum itidem eſt aſſeruiſſe Regnum Cœlorum in ſtatu fuiſſe Judæis revelatum; Religioſum ſtatum in veteri lege ejuſdem fuiſſe rationis cum noſtro verum eſt, ſi tamen hoc intelligatur quoad ſubſtantiam, ſecus quoad ſtatum perfectionis Evangelicæ; dixiſſe Salmanticenſes Judæis Evangelica Conſilia revelata, ut perfectionem legis faciliùs poſſent acquirere apud eoſdem non eſt invenire: legitur quidem a multis fuiſſe opera conſiliorum obſervata, fuiſſe ab aliquibus tria vota Deo nuncupata, ſive quia fidei lumine eorum honeſtas cognita fuerit, ſive ex ſpeciali revelatione. Fuerunt in exemplaribus propoſita, non autem per Moſaycam legem expreſſe, & executive enunciata, potiſſimum quoad ſtatum, proindeque non eo modo quo in lege nova. Ex dictis clara ſunt omnia, & ex dicendis clarior eluceſcet veritas.

Plura falſa affinguntur Salmanticenſibus.

* * *

NO-

NOVIS ROBORATUR MOMENTIS NOSTRA CONCLUSIO .

89 I. Ad conſtituendam eſſentlam ſtarus Religioſt requiritur, & iuſſicit ſui ipſius tradirio per votivam obligationem ſervandl conſilia obedientiæ , paupertatis , & caſtitaiia ; atqui in veteri lege ſuere viri , qui ſeſe Dei culiui devoverunt per obligatlonem votivam tria ſupradicta obſervandi conſilia ; ergo in prædicta lege data eſt Religioſi ſtatus eſſentia . Major a Doctoribns adoptari videtur , eâqne a P. Suarea aduiſsâ , probat hinc *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 2. Chriſtum quoad ſubitantialia Religioſum ſtatum Inſtituiſſe . Minor propoſitio in ſuperiuribus abunde probata fuit ; quibus compertum ſit nonnullos , puta Eſſenos , atque Prophetarum ſilios ea voto caſtitatem , paopertatem , atque obedientiam obſervaſſe . Eſt ſane dubio-procul perſectior eſt unio ea virtutibus fidei , ſpei , & eharitatis , quam unio ex votis caſtitatis , obedientiæ , & paupertatis ; illa enim virtutes complectitur Theoingales , hæc vero morales ; prima reddit hominem eſſentialiter ſanctum , & juſtum , ſecus altera , atque unio illa in veteri lege dabatur in pluribus ; ergo & ſecunda .

Religioſi ſtatus eſſentia.

Docet Angelicus 1. 2. *quæſt.* 99. *art.* 5., qnod in lege dabantur aliqua conducentia ad præceptorum obſervantiam -- Dicendum „ quod in lege ponnntur aliqua tanquam „ præcepta , aliqua verò tanquam ad præce„ ptorum impletionem ordinata -- Iterum in fine -- Aiia verò non habent rationem „ præceptorum , ſed ordinantur ad præce„ ptorum impletionem , nt dictum eſt -- Porro hæ ſunt conſilia , & potiſſime illa tria proprie dicta ; ſiquidem propria voluntas , cupiditas terrenorum , affectus carnalium præcipua ſunt , qoæ homines illaqueant , retrabuntque a mandatorum obſervatione , ac proinde eirca hæc e Divina fuit Providentia opportuna ſtatuere media ; aliàs in illa lege ſolemnis erat votorum frequentia ; ea propter ea nullo capite repugnat Imperfectioni legis veteris exiſtentia Religioſi ſtatus , ſeu votiva conſiliorum illorum obſervantia .

Res elareſcat . Nemo unus inficias ibit in veteri lege extitiſſe figuras , atqne præcipuorum Myſteriorum , & graduum , qui in lege nova adinveniuntur , exempla ; unde Orthoduai fere in omnibus illius legis teſtimonia depromunt ; ſed inter præcipuos gradus ſtatus novæ legis eſt Monaehatus ; ergo præceſſit exemplum . Et revera ſtatus Epiſcoporum in ſtatu præceſſit Summorum Pontificum , qui utique erant in ſtatu perfectionis , cum alios perficere illis datum foret , tenerenturque excellentiora peragere ; ea videlicet , quæ erga ſalutem gregis exigit Paſtoralis ſollicitudo , atque jure potirentur judicandi de fide , ut ſuo apte loco probant Controverſiſtæ ; ſi ergo ſtatus dabatur perficientium ; licet non in omni ſtatus perfectione , cur repugnaſſe dicendum eſt inferiorem ſtatum perfectibilium . His conſonat doctrina Thomæ Waldenſis *Tom.* 1. *lib.* 3. *art.* 1. *cap.* 4. , ubi advertit *in Cantico apud* A *Danielem cap.* 3. *v.* 90. alios inter gradus Creaturarum , Sanctorum Sacerdotum Deum laudantium gradum etiam Monachatus appoſuiſſe . *Benedicite omnes Religioſi Domino Deo Deorum , laudate , & confitemini illi .* Hinc ſubdit -- Quos bene hortatur in fine „ hymni , ut per hoc quod propoſuit Sacer„ dotes , & Iſrael , ideſt populum , & Ana„ niam , Azariam , & Miſaelem , & deinde „ ſubjunxit Religioſos , daretur intelligi , ta„ les quoſdam Sanctos alios fuiſſe a Saeer„ dotibus Templi , & a vita , & converſa„ tione populi ſegregatos , qui quamvis ab „ antiquo fuerint inſtituti , nunquam tamen B „ fuerunt uſque ad Eliam publice , & regu„ lariter congregati , qualiter a D. Hiero„ nymo ſupra dictum eſt -- Ibidem quoque refert auctoritatem Magiſtri Hiſtoriarum aſſerentis Samuelem occaſione reditus in urbem Saulis uncti In Regem inſtituiſſe Religioſorum conventum jugiter laudantium Dominum 1. *Reg.* 10. -- Cum ingreſſus fueris „ Urbem , ibi obviam habebis gregem Pro„ phetarum deſcendentium de excelſo , & „ ante eos pſalterium , & tympanum , & „ tibiam , & cytharam , ipſoſque prophe„ tantes --

Samuelem Religioſorum Conventum inſtituit .

Compertum cuique erit Dei cultum a C lege naturæ ad legem uſque gratiæ , velut per gradus ab imperfecto ad perfectius proceſſiſſe . In lege naturæ cultus generalis erat Imperfectior , perfectior in ſcripta , perfectiſſimus in nova : In lege naturæ dati ſunt , qui ſpecialiori modo ſupra communem eeterorum fidelium Deum coluerunt , ut videre eſt ex cap. 4. Gen. v. 26. *Iſte cœpit invocare nomen Domini* ; ubi pleriqne Interpretum contendunt Enos peculiarem modum colendi Deum inſtituiſſe . Certum namqne eſt ante ipſum reliquos ex Adam progenitos Dominum invocare ſueviſſe , & quidem publice , ut conſtat ex ſacrificio Abel .

Cultus Dei habuit incrementum .

D Cum ergo In lege gratiæ detur ſtatus perfectiſſimus colendi Deum particulari Monachorum cultu , cur non eſt admittendus ſtatus medius , ideſt ſtatus Monachalis quoad ſubſtantiam in ſtatu medio inter legem naturæ , & gratiæ ?

Hine ad factum Eliſei relatum 3. *Reg.* 19. Gaſpar Sanches habet -- Hæc duo vi„ deri poſſunt novo Prophetæ , & Monacho „ contigiſſe ; iniit enim nuptias felieiſſimas „ cum Deo , quem ex omnibus Sponſum „ elegit , atque ideo exhibere voluit aliis „ nuptiale , & vere geniale convivium -- *Sponſum elegit Deum ex omnibus* , non aliter E niſi per vota , quibus Monachus ſpiritualia contrahit ſponſalia : Cornelius a Lapide *in* 3. *Regum cap.* 18. *v.* 42. habet -- Porro Abu„ lenſis hinc colligit Eliam ab hoc tempore , „ qno in monte Carmelo cœlitus ignem de„ voravit , eoque Baalitas proſtravit , habi„ tationem ſuam in eodem monte ad me„ moriam tanti beneficii , & miraculi dein„ ceps fixiſſe , atque eo confluxiſſe ad ipſum „ plures viros Religioſos , qui ſe totos Deo , „ orationi , & divinis rebus , laudibuſque „ tradebant -- Salianus *anno Mundi* 3127. *n.* 23. habet -- Hinc autem non levum ac-

S ſ „ cipit

„ cipit probabilitatem , quod ſcribit Hiero-
„ ſolymitanus Patriarcha Joannes poſt redi-
„ tum Eliæ de monte Oreb , & aſſumptum
„ Eliſeum in Diſcipulum , ac ſucceſſorem ,
„ cum Deo viſum eſſet ipſum hinc abducere,
„ etiam alios Diſcipulos in montem Carmeli
„ collegiſſe , eoſque ad vitam religiosè tra-
„ ducendam , nominatimque ad laudes Deo
„ jugiter decantandas (unde & prophetare
„ dicebantur) inſtituiſſe , habitu a profanis
„ hominibus , cultu , converſationeque di-
„ ſtincta -- *& anno* 3139. -- Hic eſt (*Elias*)
„ qui per medios iniquitatis torrentes , le-
„ ctos Prophetarum , & Religioſorum in
„ Carmelo , totaque Chananitide manipu-
„ pulos , ſui æmulos , atque imitatores In-
„ ſtituti ad cœleſtem vitam , mundo igno-
„ tam , atque contemptam traducendam ad-
„ duxit -- *Anno* 3204. *n.* 18. de Eliſeo --
„ Hic eſt , qui Patri matrique valedicens ,
„ omnia in proluſionem Evangelicæ pauper-
„ tatis abdicavit a ſe , atque contempſit .
„ Hic eſt , qui Religioſæ paupertatis the-
„ ſauro dives &c. -- *An.* 3139. *n.* 14. indu-
cens Eliam Diſcipulos alloquentem -- Stu-
„ dium voluntariæ paupertatis , illibatæ con-
„ tinentiæ , & obedientiæ ſponte ſuſceptæ ,
„ quod per Meſſiam mirabilia accipiet in-
„ crementa -- *& n.* 12. ex ore ejuſdem Eliæ--
„ Habetis Eliſeum diſciplinæ Religioſæ præ-
„ poſitum , ac Magiſtrum , cui ſecundùm
„ Deum obtemperabitis quicumque in Car-
„ melo . . . ceteriſque locis Divinæ militiæ,
„ & Religioſæ profeſſioni nomen dediſtis :
„ hunc tanquam e Moyſi Cathedra loquen-
„ tem audietis , in ejus manibus vota veſtra
„ offeretis Deo ; ergo quam cœpiſtis caſte ,
„ ac religioſe vitam agere , eodem Ductore
„ conſtanter ad mortem uſque ducere perſe-
„ verabitis -- Non eſt neceſſe expendere ho-
rum efficaciam; rem enim noſtram ita aper-
te demonſtrant, ut clariores phraſes expetere
inane ſit , Ad comprobandum Benedictum ,
& Baſilium inſtituiſſe verum Religioſum ſta-
tum clarioribus non utuntur dictis Hiſtorio-
graphi .

Galianus 3. *p. diſc.* 3. *§.* 7. , ut vim
argumenti eludat ad conſuetos confugit ca-
villos , videlicet , ſtatum illum umbraticum
fuiſſe , non dediſſe perfectionem, eaque pro-
pter incapacem hujus conſtituti . Verùm
cum nihil novi afferat , ad ſuperiora ipſum
remittimus .

90 II. Illud, quod exhibetur ut exem-
plar alicujus diſciplinæ , vel virtutis debet
in ſe diſciplinam illam , vel virtutem , ſeu
perfectionem præcontinere; ſed in veteri lege
datum fuit exemplar perfectionis ſtatus ſub-
ſtantialis Religioſi ; ergo tunc temporis fuit
ſtatus Religionis quoad ſubſtantiam . Major
in aperto eſt ; ſiquidem exemplar alicujus
perfectionis proponitur alteri imitandum ,
nec imitari poteſt, niſi in exemplari expreſſio
perfectionis illius habeatur ; hinc quando
Eleazarus 2. Machab. 6. v. 28. porcinam no-
lens carnem edere inquit : *Adoleſcentibus au-
tem exemplum forte relinquam*, innuit , quod
ſicut ipſe mortem potius oppetebat , quam
legem violare , ita Adoleſcentes ipſum imi-
tantes ſupplicia potius ſuſtinerent , quam

A contra fas legis aliquid perpetrare . Minor
autem ſic evincitur . Elias apud Patres , & *Elias exemplar vitæ Regularis.*
Doctores dicitur poſt Chriſtum exemplar ,
ſeu præbens exemplum Religioſæ vitæ ; ea
plane ratione qua Abraham obedientiæ , &
Joſeph caſtitatis exemplaria proponuntur .
Rem paucis comprobetur . S. Athanaſius *in
vita S. Antonii* , habet -- Igitur Antonius
„ ſecum reputans oportere Dei famulum ex
„ inſtituto magni Eliæ exemplum capere ,
„ & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere
„ componere &c. --

S. Baſilius *hom.* 19. agens de S. Gor-
diano ex milite Monacho ait -- Eliæ Pro-
B „ phetæ ſecutus exemplum relictis honori-
„ bus, relictis omnis generis facultatibus . . .
„ ad vaſta deſerta , & hominibus invia con-
„ ceſſit --

Nyſſenus *Orat. de laudibus S. Baſilii* ha-
bet -- An etiam audebimus ad ſublimem
„ Eliam ſermone aſcendere , & oſtendere
„ noſtrum Doctorem ſuæ vitæ Inſtituto illius
„ gratiæ aſſimilari -- S. Iſidorus *lib.* 7. *Ety-
mol. cap.* 14. ſcribit -- Anachoretæ Eliam ,
„ & Joannem , Cœnobitæ Apoſtolos imitati
„ ſunt --

Metaphraſtes *in vita S. Pacomii apud Su-
rium* ait -- Erat ei revera præſtantiſſimi exer-
„ citatoris Patris noſtri Antonii vita ad imi-
C „ tationem Magni Eliæ , Eliſei , & Joan.
„ Baptiſtæ --

Euſtachius *in vita S. Eutichii apud Surium
6. Aprilis , & apud Jodochum de vita Mona-
ſtica* -- Se totum ſolitariæ vitæ tradidit , Mo-
„ nachi veſtem induens , & re , atque ha-
„ bitu , & ſermone Philoſophiam illam am-
„ plectens , quam ex utero Matris adama-
„ verat , imitatus eſt Eliam , & Joannem
„ Baptiſtam --

Macarius *apud Suarium tom.* 3. *de Relig.
lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 1. *in Serm. qui incipit Fratres
chariſſimi* ait -- Eliam , & Eliſeum , ac filios
„ Prophetarum , quos conſtat veraciter veteris
D „ Teſtamenti Monachos , imitari curate --
& infra aſſerit etiam Paulum , & Antonium
hos fore ſecutos .

S. Petrus Damianus *Opuſc.* 15. *cap.* 2. --
„ Hujus utique vitæ normam , ut anteriora
„ prætercam , in veteri Teſtamento Elias
„ cœpit , quam ſecutus eſt Eliſeus , quam-
„ que S. Antonius , & ejus Diſcipuli imitati
„ ſunt in lege gratiæ -- Alios omitto viden-
dos apud Lezanam *in apparatu ad Annales
Carmelitarum* .

Momentoſo huic argumento Galianus
3. *p. diſc.* 3. *§.* 8. plura dicit , carpendo
Salmanticenſes , & primò quod ſimulate
E agant contra S. Inquiſitionis Hiſpanæ decre-
tum , quo declaravit , prohibuitque aſſerere
Monachatum veteris legis fuiſſe perfectum ,
docens perfectionem omnem fuiſſe a Chri-
ſto , Salmanticenſes verò Monachatum in
utraque lege æqualem fingunt , cum affir-
ment exemplar in eo quod eſt exemplar, de-
bere eſſe ad minus æqualis perfectionis cum
exemplato .

Secundò ait caute eſſe legendos Salman-
ticenſes eo quod nullum ex teſtimoniis Pa-
trum dicat exemplar , ſed exemplum , ſub-
ditque diſcrimen intercedere inter exemplar
phi-

philoſophice acceptum, & exemplum Rethoricum; de primo verificatur, quod referunt ex D. Thoma, ad ſecundum autem quædam ſat eſt analogia in iis, in quibus ſit comparatio, quam ſæpe fieri videmus a ſtatu diverſo ad alium.

Tertiò. Cum dicant Salmanticenſes in teſtimoniis facti ſtandum eſſe ſinceræ vocum ſignificationi, nec locum ſubeſſe modificationibus locutionum per terminos *proprie*, *vel improprie*, *abſolute*, *aut ſecundùm quid*, argumentum retorquet, dicens doctrinam hanc ipſos ferire; cum nequeant propugnare, quæ de veteri Monaſtico ſtatu promunt, niſi ad ſimiles confugiendo diſtinctiunculas.

Verùm male legit, qui non vult intelligere. Diſcurſus Salmanticenſium apprime efficax eſt, cujus vim non enervant objecta. Ad primum igitur Lector ingenuus videat, an laudati Patres decreto S. Inquiſitionis adverſentur, cum perpetui ſint in aſſerendo veteris legis Monachatum ſolummodo quoad ſubſtantiam æqualem fore Monachatui legis gratiæ; ſi ſæpenumero affirmant illum fuiſſe conſtitutum per vota ſimplicia; ſi palam docent Evangelicâ caruiſſe perfectione. Hoc vel invitus novit ipſemet Galianus, dum Salmanticenſibus inſultans dicit eos non poſſe doctrinam ſuam propugnare, niſi confugiendo ad diſtinctiunculas, quæ aliæ non ſunt, niſi illæ, quæ perfectionem ſtatus Monachalis novæ, & veteris legis diſcriminantur. Quid plura? Quomodo dici poteſt Salmanticenſes pugnare adverſus decretum illud, ſi ex profeſſo per unum paragraphum ex decreto ejuſdem Tribunalis ſuam probant ſententiam. Et ſane argumentum ex auctoritate tanti Judicis jure, meritoque invictum cenſendum eſt; prohibet quidem dicere Monachatum veteris legis omnem habuiſſe perfectionem legis gratiæ; rotundis tamen verbis affirmat datum in lege veteri verum Monachatum, ſequenteſque propoſitiones ſuſtinet, & tanquam veras adoptat, videlicet.

Diſcrimen inter ſtatum, & ſtatum.

„ In lege ſcripta fuit votum caſtitatis, „ & virginitatis perpetuæ.

„ Mulieres fecerunt votum virginitatis „ perpetuæ in lege ſcripta.

„ In lege ſcripta fuit votum obedientiæ „ perpetuæ.

„ In lege ſcripta fuit votum paupertatis voluntariæ.

„ In lege ſcripta fuit verus Monachatus, & Religio.

Harum propoſitionum approbativum decretum editum fuit an. 1639. die 9. Decembris poſt rigidiſſimum examen per plures annos. Fuerat enim accuſata hæc doctrina ut depreſſiva perfectionis Evangelicæ Chriſti, & Apoſtolorum. Poſt iteratas diſceptationes, expenſis hinc inde momentis, prædicta fuit approbata doctrina. Cum autem Adverſarii poſt aliquod temporis iterum ad arma vocaſſent, poſt plurium annorum examen, ſub novis cenſoribus, ac Judicibus aliud emanatum fuit decretum ſub die 6. Martii 1673., quo denuo approbatæ fuerunt præcitatæ propoſitiones. Si aliud exoptetur momentum, illud ſit laudatum Inquiſitionis Tribunal, hoc anno, Galiani A librum prohibuiſſe.

Ad ſecundum. Quam ſint ingenui Salmanticenſes, palam facit contextus. Si Patrum ſenſa perpendamur, ad unum omnes intelligent pro eodem uſurpare exemplum, & exemplar, & qualitas relati exempli eorundem mentem manifeſtat: unde non verba, ſed verborum contextus attenditur in locutionibus, aliàs plura fidei myſteria nutarent, cum a Patribus, aut a Scripturis phraſibus illis, quæ apud nos ſolemnes ſunt, non referantur. Et ſane verba illa: *Exemplum*, *&* *ſpeculum*, *Doctor noſter*, *Inſtitutum Eliæ*, *Philoſophia Eliæ*, *forma*, *& norma* B *vivendi Eliæ* nonne ipſum fuiſſe exemplar apertiſſime ſignificant? Quod ſi deſiderentur Auctores, qui ad mentem Galiani loquantur; citant Salmanticenſes D. Athanaſium relatum a Baronio *anno* 328. *n.* 32. ſic de Monachis loquentem -- Habemus pro exemplari Eliſeum, & conſcii quid Elias egerit -- Citant Patrem Suarez, Adverſario noſtro acceptiſſimum, *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 4., qui ait -- Patres aperte „ ponunt Eliam exemplar Monachorum -- Ea propter non ibi Rethoricum venit exemplum, in quo a ſtatu ad diverſum ſtatum, & a diſparatis comparatio fiat; quod com- C pertum ſit advertendo Patres loqui in eadem materia, videlicet, Monachatus.

Verborum contextus ſpectandus.

Et ſane Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 27., ut evincat S. Hieronymum Religioſum fuiſſe, habet -- Nemo autem, „ credo, negabit ſtatum Hieronymi fuiſſe, „ vere, ac proprie Religioſum, cum ipſe „ multis aliis locis, præſertim verò Epiſt. „ 13. ad Paulinum inquit: Nos autem ha- „ bemus propoſiti noſtri Principes Paulos, „ & Antonios -- ergo ex ſententia Suarez Hieronymus fuit vere Monachus, quia ipſemet dicit habuiſſe Principes Paulum, & Antonium, qui vere Monachi fuere; ſed D idem Hieronymus fatetur habuiſſe ex veteri Teſtamento Principes Eliam, Eliſeum, filioſque Prophetarum, ſicut ex novo Paulum, & Antonium; ergo etiam Elias, & Eliſeus vere Monachi fuere. Min. habetur ex præcitata Epiſtola ad Paulinum, ubi de Monachis agens, habet -- Nos autem habea- „ mus propoſiti noſtri Principes Paulos, „ Antonios, Julianos, Hilariones, Maca- „ rios, & ut ad Scripturarum authorita- „ tem redeamus, noſter Princeps Elias, „ præpoſitus noſter Eliſeus, noſtri Duces „ Filii Prophetarum --

Galianus Syllogiſmum hunc inſulſum E vocat; verùm ſi Suarez idem inſtituit argumentum, cur in illum tanquam inſulſum non animadvertit. Crediderim indubie nuſquam dicturum S. Hieronymum in laudata auctoritate inſulſe diſcurrere, & tamen hoc deberet aſſerere, ſi non intelligat Eliam, & Eliſeum vere Monachos fuiſſe. Sic enim in ſuo argumento procedit S. Doctor -- Habet unumquodque propo- „ ſitum Principes ſuos. Romani Duces imi- „ tentur Camillos, Fabricios &c. Philoſo- „ phi proponant ſibi Pytagoram, Ariſtote- „ lem &c. Poetæ æmulentur Homerum,

Elias vere Monachus.

„ Virgilium &c., & ut ad noſtra veniamus, Epiſcopi, & Presbyteri habeant ad „ exemplum Apoſtolos -- Sed Camillus, & Fabricius fuerunt vere Romanorum Duces, Pythagoras, & Ariſtoteles vere Philoſophi, Homerus, & Virgilius vere Poetæ, Apoſtoli vere Sacerdotes, & Epiſcopi; ergo, ut recte concludat, Paulus, & Antonius in novo Teſtamento, Elias, & Eliſeus in veteri vere Monachi fuerunt; aliàs falsò aſſeruiſſet, tantummodo de Monachis loquendo, habere unumquodque propoſitum Principes ſuos. Patres, & Doctores plurimi, hique ſapientiſſimi in hanc confluunt ſententiam, ut apud laudatos Salmanticenſes videre eſt.

Ad tertium. Male retorquet argumentum Salmanticenſium quoad diſtinctiones; omnes namque ad unam reducuntur, nempe ad Monachatum quoad ſubſtantiam, & Monachatum quoad perfectionem: hæc porro diſtinctio eſt materiæ omnino intrinſeca; notum ſiquidem eſt, quod in lege veteri nulla virtus habebat perfectionem per Chriſtum conſummatam, ſicut certum eſt, quod in Synagoga deſiderabatur perfectio legis gratiæ, quamvis daretur vera perfectio ſubſtantialis Eccleſiæ, fidei, ſpei, charitatis, caſtitatis, voti, juramenti &c., proindeque hujuſcemodi diſtinctio nec tollit, minuitve candidum, planumque ſenſum locutionis etiam hiſtorialis, ſecus aliæ formulæ a Salmanticenſibus relatæ. Hæc quippe perinde ſe habent ad ſubſtantiam, ac ad accidentalem perfectionem, & aptæ ſunt utrumque deſtruere; eaque propter ab Hiſtorialibus, niſi evidens ſequatur inconveniens, amandandæ. Aliàs poſſemus eludere martyrium Machabæorum, Eliæ jejunium, caſtitatem Joſeph, Moyſis manſuetudinem, excellentiores virtutes, quas David cum ceteris Patriarchis exercuit, dicendo, hæc fore intelligenda improprie, ſecundùm quid, quia ſtatus erat figurativus &c., quo ſane nil abſurdius.

Quæ diſtinctiones rejiciendæ.

91 III. Joannes Baptiſta fuit verus Monachus; ſed ejuſdem fuit inſtituti, ac Elias; ergo Elias fuit verus Monachus. Major pluribus auctoritatibus Patrum, Hiſtoricorum, atque Theologorum poſſet evinci, ſed ex primis eligimus S. Bernardum *Ser. de Privilegiis Baptiſtæ* -- Joannes ætatis „ ſupergreſſus infantiam, & nobilioris ge„ neris generoſitatem oblitus, ſoli vacabat „ divinitati, factus forma vitæ, Monacho„ rum propoſitum, Anachoretarum princi„ pium -- Ea ſecundis habemus Baronium *ad annum Chriſti* 31. adverſus Magdeburgenſes inſurgentem -- Eo devenerunt ſtultitiæ, „ vel potius meræ iniquitatis, ut malint „ corrumpere verbum Dei, & Joannem vitæ „ odioſæ, & delitioſæ infamare, quam Mo„ naſticam ab eodem Joanne dimanantem „ vitam in Eccleſia altiſſimis defixam radici„ bus Evangelica atteſtatione, ut ſubripi, „ aut evelli unquam poſſit, adſtipulari, vel „ profiteri velle -- Ex Theologis pariter plures adduci poſſent; ſed quia Pater Suarez Galiano arridet, ceteris omiſſis, Ipſum audiamus *Tom. 2. in 3. p. diſp. 24. ſect. 6.*, ubi probat Joannem voviſſe Virginitatem, quia Patres docent fuiſſe Eremitam -- Ergo vero„ ſimile eſt hoc ſuum propoſitum voto fir„ maſſe, ut & immobilis eſſet Deo gratior; „ neque id omnino intactum Patres reliqne„ runt, ſed indicant potius, cum dicunt „ Joannem Monaſticam vitam egiſſe, ac Mo„ nachorum Principem fuiſſe, ſicut antea „ retulimus -- ideſt *lect.* 3., ubi redarguit erroris contradicentes Magdeburgenſes; inſeritque rationem ea D. Th. poſitam 2. 2. *quæſt. 186. art. 6. ad* 2., ubi -- Non aliter „ homo poteſt totam vitam ſuam Deo exhi„ bere niſi per voti obligationem -- Joannes autem vitam ſuam exhibuit Deo in ſpiritu paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis.

Joannes Baptiſta Monachus ut Elias

Minor luculenter probari poſſet ſive ex Patribus, qui eundem ſpiritum in Elia, & Joanne deprædicant, ſive ex illis, qui affirmant Joannem adhæſiſſe profeſſioni Eliæ, ſive quia Eſſenis accenſetur, ſive quia utrumque Eremiticam vitam adoptaſſe fatentur, verùm ut brevitati conſulamus, cum aliàs erudite hanc provinciam ſuſceperint illuſtrandam Salmanticenſes, aliique plures, ideo damus Bellarminum *lib. de Monachis cap.* 39. -- Ve„ teres Patres Eliam, & Joannem Eremi„ tas, & Principes Eremitarum faciunt, ut „ Baſilius ad Chilonem, Nazianzenus in „ Apologia, poſtquam e fuga rediiſſet, „ Chryſoſtomus hom. 69. in Matth. Hiero„ nymus partim in Epiſt. ad Paulinum de „ Inſtituto Monachi, partim in Epiſt. ad „ Euſtochium de Virginit. Caſſianus Collat. „ 18. cap. 6. Sozomenus lib. 1. Hiſt. cap. 12. „ Theophylactus in cap. 1. Luc. Iſidorus lib. „ 2. cap. 15. de Officiis divinis --

Invictum hocce argumentum cum ſolvere nequeat Galianus, illud tentat eludere 3. *p. diſc.* 3. §. 8. negans primò Joannem Baptiſtam verum fuiſſe Monachum, quia Scipio Langelotus Advocatus Conſiſtorialis coram Sanctiſſimo, & Sacro Collegio, occaſione litis Benedictinorum cum Canonicis Lateranenſibus circa præeminentiam Monachatus ad Clericalem, negavit Eliam, & Joannem Baptiſtam vere Monachos fuiſſe votis adſtrictos, ſed ſimplices dixit Eremitas; cui ſuppetias fert Gloſſa *Can. Scripſit* 27. *q.* 2. dicens -- „ Quod Eremita non eſt perſona Religioſa, „ niſi ſpecialiter ſe voveat alicui Religioni -- Item *Can. Perlatum* 19. *q.* 3. *de S. Macario.*

Contra impetum fluminis, caſſo labore, conatur Galianus. Quamplurimi Patres, Hiſtorici, Theologi Joannem Monachum dicunt: porro Monachus abſolute ſtat pro famoſiori, ideſt, pro eo qui ſe Deo nuncupavit per vota. Jam adnotavimus cum Suario primis Eccleſiæ Seculis Monachos dilucidis, quibus nos utimur, phraſibus nequaquam fuiſſe nominatos, ſed aliis æquipollentibus, quæ veram Religioſam Profeſſionem innuebant, quod in Scripturis ſolemne eſt. Non enim in Scripturis invenire eſt Sacramenta producere gratiam *ex opere operato*, in Euchariſtia fieri tranſubſtantiationem, & hujuſmodi, quas voces adoptarunt Theologi ſive ad tollendas fraudes, quas Hæreticorum pravitas ſuperinducebat, vel cavilloſa ſpeculatio admiſcebat. Et ſane eo ſenſu Eliam, & Joannem Monachos dixerunt Patres, Docto-

Elias, & Joannes vere Monachi.

ctoreſque nobilioris notæ, quo ævo ſuo Monachatus uſurpabatur; hinc eorundem exemplo Monachos erudiebant, atque ad perfectiora excitabant; ſed ea tempeſtate, puta ſub temporibus Baſilii, Bernardi, Damiani, aliorumque, Monachatus erat votis ſacratus; ergo & Monachatus Eliæ. Addas velim Eliæ, & Joannis Monachatum aſſumi a Doctoribus, ut urgeant Hæreticos, puta Magdeburgenſes Religioſam vivendi rationem impugnantes; ſed hi noſtrum Religioſum ſtatum, utique ſub votis conſtitutum, impugnant, tanquam a primis Seculis inauditum; ea propter, ſi non ſupponerent Eliam, & Joannem votis adſtrictos, aerem verberarent, atque inanis prorſus evaderet labor omnis.

Nec adverſus hæc prævalere poteſt auctoritas Langeloti Clericorum jura propugnantis. Auctor namque particularis non eſt tanti faciendus, quanti tot Doctores, totque momenta, quæ dedimus. Ceterum nec ipſe abſolute negavit eos fuiſſe Monachos, ſed locutus eſt juxta Controverſiæ ſtatum, nempe perfectos, ſicut perfecti erant Monachi Benedictini, hoc eſt, ſub votis ſolemnibus, ceterum admittebat in illis vota ſimplicia, quæ veri Eremitæ Deo ſacrabant; porro tunc temporis quorundam erat opinio hujuſmodi vota non conſtituere Religioſum ſtatum. Si Benedictini Apoſtolorum exemplum retuliſſent, juxta prædictam intelligentiam negaſſet Advocatus veros fuiſſe Monachos, & tamen quis inficias ibit Apoſtolos votis fuiſſe adſtrictos, cum in hanc conveniant ſententiam Patres ea verba interpretantes: *Ecce nos reliquimus omnia*, proindeque Religioſos fuiſſe, antequam Presbyteri, & Epiſcopi eſſent inaugurati? Potuit igitur ad ſuam propugnandam ſententiam aſſerere Eliam, & Joannem veros non fuiſſe Monachos modo, quo erant Benedictini tempore Controverſiæ, licet iiſdem concederet vota ſimplicia. Negatio itaque Langeloti cadebat ſupra vota in ſubjecta materia uſurpata, ſecus ſuper eadem abſolute inſpecta. Errabat quidem Advocatus in cauſali, nempe, quia erant ſimplices Eremitæ, male exponens Canonem, de quo mox dicetur. Non itaque urget auctoritas Gloſſæ *in cit. Canone Scripſit*, & *in Can. Perlatum eſt*. Immo favet, ſiquidem non loquitur in propria ſententia: habet enim -- Di„ cunt tamen quidam, quod vita Eremiti„ ca &c. -- ſubdens etiam ſententiam oppoſite ſentientium -- Alii dicunt, quod eſt per„ ſona Religioſa, & talis Religio habet vo„ tum continentiæ annexum -- & in opinionem hanc potius inclinare videtur, ut ex ſequentibus colligitur. Duplex igitur Eremitarum genus diſtinguendum occurrit, alii ita ſejunctim vitam agunt, ut non communicent, aut ordinem dicant ad aliquod myſticum Communitatis corpus, vivunt quidem alii ita ſegregati, ut tamen ſub quadam vivendi ratione ad aliquem cœtum referantur: prima opinio relata a Gloſſa non hos, ſed illos a Religioſo ſtatu excludit; atqui Elias, & Joannes ut ſecundi generis Eremitæ deſcribuntur a Patribus, ideo aliorum Principes, & Duces nuncupantur, referuntur eorum Sectatores, & Diſcipuli; ergo

Duplex Eremitarum genus.

meritò iis accenſentur; de quibus in ſecunda parte loquitur Gloſſa. Deinde. Cauſalis incluſa in prima opinione, ſcilicet, quia *Eremita habet proprium 10. q. 3. §. Econtra* non evincit. Etenim optime ſtat vera profeſſio cum aliqua proprietate, ut apud Doctores videre eſt. Religioſa namque paupertas quoſdam velut gradus habere ad unum omnes fateantur oportet. Primus eorum eſt, qui nec in particulari, nec in communi dominium habent; alter eſt illorum, qui dominium habent in communi, ſecus in particulari; tertius illorum, qui non ſunt ex voto incapaces dominii, ſed nulla re uti poſſunt velut propria, ut ſunt Religioſi Scholares approbati in Societate; quartus gradus non importat dominium in particulari, ſed permittit peculium ad uſum habitualem, ut pleræque Religiones ex Apoſtolicæ Sedis indulto habent. Ultimus tandem eorum eſt, qui ex voto non fiunt abſolute incapaces dominii, & uſus, ſed ſolummodo ſeſe obligant ad temporalia bona non quærenda ultra certam menſuram, ad congruam ſuſtentationem ſufficientem. Hoc votum eſt juxta prudentiæ regulas, atque ad æternam felicitatem valde conducens; nam adimit ſollicitudinem illam, quæ perfectioni adverſatur, quæque oritur ab appetitu terrenorum, quorum amor, & affluentia animum illaqueant, atque elationis, ac ſuperbiæ occaſionem præſtant. Intra hunc ordinem videntur illi, de quibus Auguſtinus *lib. de Operibus Monachorum* exponens textum Matth. 6. v. 25. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, & corpori veſtro quid induamini*: ubi eos commendat, qui ab hominum frequentia ſeparati, viliora quædam ad multos dies ad ſuſtentationem ſibi reſervant, ut orationi inſiſtant.

Paupertatis plures gradus.

Antiquitus igitur Monachi Eremitæ abſque voti paupertatis detrimento rerum quarundem dominium habere potuerunt ad frugalem vitæ ſuſtentationem, cum ab hominum frequentia diſcreti viverent. Hinc S. Hieronymus *in vita S. Hilarionis* recenſet hortulum a S. Antonio conſtructum, ad quem Hilarion cum Monachis ſuis quandoque divertebat, innuens loca, ubi Magnus Antonius pſallebat, orabat, feſſus ſedebat, & hujuſmodi.

Veriùs tamen eſt etiam veteres Eremitæ nullum habuiſſe dominium, ſed rerum uſum cum dependentia. Et ſane, ſi de illis, qui ſub uno capite vivebant, ſermo inſtituatur, nulla occurrit dubitandi ratio; ſicut enim eidem obedientiam præſtabant, ita ad ejus nutum rebus utebantur neceſſariis; ſi verò de his loquamur, qui ita ſolitarie vitam traducebant, ut ad nullum Monaſticum caput ſubordinarentur, ſubdebantur Epiſcopo, ex cujus ſaltem habituali voluntate pendebant.

Eremitarum dependentia in rerum uſu.

Alia pro re nata ſupereſſet probatio ex Rom. Pontificum Bullis, & ex quibuſdam Sanctorum Officiis deſumpta, in quibus de Monachatu in veteri lege fit mentio relate ad Eliam; ne tamen digreſſio videatur a communi cauſa ad peculiarem, de qua ſive in Bullis, ſive in Officiis inſtituitur ſermo, ſatius

ſatius duai hocce argumentnm prætermittere. Operæ pretium tamen erit effugium eludere Adverſarii aſſerentis -- Nuila Bulla „ oſtenditur vera, & ſine ſuſpicione falſitatis, in qua Summus Pontifea declaret, & „ affirmet in parte diſpoſitiva . . . licet in „ aliquibus in narrativa inveniatur a ſupplicante relatum -- quod ſane ad intentum non ſufficit. Quod ad officia ſubdit ex Melchiore Cano *de Locis Communibus lib.* 12. *cap.* 5. *in reſp. ad* 14. -- in maaimo illi errore verſantur, qui rerum geſtarum memorias tanquam Eccleſiæ Oracula accipiunt, ſi eas in Epiſtolis, & Decretis ſuis „ Pontifices aliquando uſurparint. Non eſt „ idem, mihi crede, hiſtoriæ approbatio, „ & uſurpatio -- Subdens quod Pontifex quandoque utitur opinionibus, & relatis, ſed non ſtatim approbat quæcunque in uſum aſſumit.

Hujuſmodi reſponſio compendioſam involvit viam pleraque abnegandi Privilegia ab Apoſtolica Sede Regularium Ordinibus conceſſa, atque quamplurima evertendi rerum ſacrarum monumenta, quæ cunſimiliter recenſita ut venerabilia adopiantur. Invidus quilibet facilè dicere poterit talia in narrativa a ſupplicante relatâ haberi, non autem approbari. Hac ſuper re judicent ingenui veritatis amatores, nobis ſat eſt referre decretom, quod legitur apud Sylveiram *Opuſc.* 3. *reſ.* 3. *q.* 1. *n.* 4. a Sacra Congreg. Cardinalium emanatum ſub die 14. Junii an. 1618. -- Hiſtoriæ, quæ in Breviario per Sanctam „ Sedem Apoſtolicam approbatu recitantur, „ ut maxime veræ ab Eccleſia veneraotur --

Fides narrationibus præſtanda.

DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

92 OBJIC. I. Si in veteri lege ſubſtantialis veritas Monachatus extitiſſet, Indubie ab aliquo Canonico libro innueretur; atqui de eo altum eſt in Scripturis ſilentium; ergo perperam dicitur ea in lege extitiſſe Monachatum.

Verùm inane eſt argumentum. Sciſcitantur Magdeburgenſes, quonam in libro Canonico novi Teſtamenti expreſſe commendatum habeatur perpetuæ caſtitatis votum? ubi nam Chriſtus palam docuerit, inſtitueritve Monachatum quoad tria Evangelicorum Conſiliorum vota? quonam ſcripturali Canone declaretur Apoſtolos fuiſſe Religioſos, tribus votis adſtrictos? Quoniam verò nullibi hæc ſub expreſſis terminis reperiuntur, inclamant perpetuæ Virginitatis votum doctrinam eſſe Dæmoniorum, & Monaſticum ſtatum novitiam hominum ſuperſtitionem. Huic Novatorum inſtantiæ, quæ alia ſane non eſt ab illa arguentis, ipſe reſpondeat. Peſſimam teneretur Magdeburgenſium concedere illationem. Agnoſcat ergo fas eſt illegitimum ſuum fore diſcurſum adverſus nos. Plurima namque myſteria non habentur ſub expreſſis verbis, bene verò ſub æquipollentibus: utique non dixit Chriſtus, qui perpetuam voverit Virginitatem, cœleſtia poſſidebit, ſed ait: *Sunt Eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum Cælorum*: phraſis hujuſmodi æquivalet primæ. Dubio-procul in Scripturis ſunt ſenſus æquipollentes, atque impliciti, quos Patres, Sacrique Interpretes explicant. Pro Monachatu Aaronicæ legis plures jam dedimus Scripturas, atque interpretationes Doctorum, quas impræſentiarum non vacat iterum expendere.

Veritas vel ſive explicitis, ſive implicitis verbis tradatur.

Juvat tamen Novatorum argumentum adverſus Catholicos animadvertere. Sciſcitantur a nobis, ubinam Chriſtus aquæ benedictæ uſum, in collatione Baptiſmatis exorciſmos, ſignum Crucis in fronte, aliaque ſimilia docuerit, quæ, cum in Canonicis monumentis non reperiantur, tanquam arbitraria, vanaque execrantur? Nos tamen inſtantiam evertimus non quidem verbo Dei ſcripto, ſed tradito, quo invicte palam facimus laudabiles hujuſmodi conſuetudines ab Apoſtolis deſcendere, eaque propter in Chriſtum revocari. Præter verbum Dei ſcriptum vigebat in veteri lege traditio, ut ex Evangelio ſatis apparet, ubi Phariſæi abutentes traditionibus contra Domini mandata redarguuntur. Licet itaque Scripturis non innoteſceret antiquæ legis Monachatus, abunde ejuſdem notitia ſufficeret ex teaditione. Hujuſce traditionis momenta habemus ex Patribus ſuperius enunciatis. Nec quidquam urget quod apud quoſdam ſive ex Patribus, ſive ex Hiſtoricis de veteri Monachatu altum habeatur ſilentium, aliàs innumera eſſent expungenda in lege nova, cum de illis non omnes Doctores, aut Annaliſtæ ſermonem habeant. Ad rei veritatem abunde ſufficit, nonnullos ea de re teſtimonium perhibere, etſi apud aliquos nulla ſit mentio.

Traditio in veteri lege.

DICES. Si ex implicito Scripturæ ſenſu congrue argueretur Monachatus in veteri lege, etiam admittendus eſſet in lege naturæ: hoc porro fictitium eſſe facile quiſquam conjicere poſſet, cum totus Orbis tunc propagationi incumberet, nullumque occurrat fundamentum, cum ea tempeſtate Dei cultus via notus haberetur. Sequela probatur: ſicut in lege ſcriptâ quædam leguntur, quæ peculiarem Dei cultum innuere videntur, ita & in lege naturæ, ut Gen. 4. v. 26., ubi de Enos: *Iſte cœpit invocare nomen Domini*, & quidem peculiari quadam veneratione, ut ſcribunt Interpretes, & 1. Reg. 19. *Viderunt cuneum Prophetarum, & Samuelem ſtantem ſuper eos*, quibus genus quoddam Monachalis cœtus deſcriptum apte videtur.

Ex hoc argumento ſuperius doctrinam noſtram confirmavimus; non enim deſiderantur, qui aſſerant in prædicta lege ſpeciem quandam extitiſſe Monachalis Inſtituti: Henoch tranſlatum eſſe a communi hominum conſortio ad locum quendam remotum Indicat illud Eccleſiaſt. 44. v. 16. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*, ſeu ut legit verſio Græca *exemplum pænitentiæ generationibus*. Tranſlatio hæc in Paradiſum ſignificare tropologice vitam, quam Religioſi imitantur, advertit Cornelius a Lapide, qui ad probationem affert exemplum Bonoſi, de quo Sanctus Hieronymus *in Epiſt.* 41. *ad Ruſinum* -- „ Quaſi quidam novus Paradiſi Colonus in„ cedit:

„ cedit : nullus ibi agricolarum , nullus Mo„ nachorum . . . . adhæret lateri comes : ſo„ lus ibi , immò jam Chriſto comitante „ non ſolus videt gloriam Dei , quam etiam „ Apoſtoli niſi in deſerto non viderant -- Illud de Enos affert Bellarminus *lib. de Monachis cap. 5. contra Magdeburgenſes pro defenſanda antiquitate Monaſtici Inſtituti* -- Ex „ quo loco colligunt auctores hunc Enos in„ ſtituiſſe peculiarem aliquem cultum , & „ ſublimiorem , quam eſſet Religio vulgi ; „ nam ante Enos certe etiam Adam , Abel , „ & Seth Deum invocaverunt , & tamen „ dicitur iſte primus cœpiſſe invocare nomen „ Domini -- In lege naturæ certum eſt extitiſſe Viros ſanctitate præcellentes : puta , Noe , Abraham , Iſaac &c. , quàre non potuit præluſiſſe aliquod Religioſæ vitæ exemplum ? In præcedentibus dedimus D. Th. dicentem ſemper extitiſſe cum præcepto carnalis propagationis præceptum etiam propagationis ſpiritualis .

Sed data minori , negatur ſequela : nam In ſcripta lege crevit cultus Dei , & Religio plura habuit , quæ non erant ſub lege naturæ ; non erat propterea incongruus modus aliquis ſpecialis obſequendi Deo : tendebat proximiùs ad Chriſtum , ſpecialiùs operabatur , & prælucebat ejuſdem gratia , in ea majores numero , & cognitione dati ſunt Prophetæ , quam in lege naturæ , qui clariùs divina cognoſcebant ; ea propter aptius legi ſcriptæ , quam legi naturæ congruebat Monaſtici Inſtituti notio . His adde Patrum traditionem . Quare ſicut non valeret argumentùm in lege naturæ non fuit martyrium ; ergo neque in lege ſcripta , ita non valet in illa lege non fuit Monachatus ; ergo neque in iſta .

INSTABIS . Subſtantia Monachalis Inſtituti exigit indubie onus obediendi Superiori ; ſed in lege veteri , qui hunc ſtatum adoptaſſe dicuntur , liberi erant ab hoc onere : legimus enim ſoli Deo præſtaſſe obedientiam : ut de Elia legitur 3. Reg. 17. v. 34. *Ego ſervus tuus juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc* . Frequenter recipiebat a Domino mandata , & exequebatur . Ibid. v. 3. *Vade , & abſcondere in Torrente Carith* , v. 9. *Vade in Sarephta Sidoniorum* , cap. 18. v. 1. *Vade oſtende te Achab* . . . Et alibi ſimilia . Nullibi autem habemus obedientiam alieni hominum præſtaſſe : quod conſimiliter habemus de aliis viris Prophetis ; ergo ea in lege non eſt admittenda Monachalis profeſſio.

Verùm & hæc inſtantia ſuo pondere corruit . Solvenda enim eſt a Catholico Arguente in Sancto Antonio , Sancto Paulo Eremitis , qui a Patribus veris Monachis accenſentur , & tamen nullum habebant ſuperiorem ejuſdem Inſtituti Prælatum , cui obtemperarent . Quod ſi quis a Monachorum Catalogo Antonium deleat , & Paulum , quid dicet de Sancto Benedicto , de Sancto Baſilio , de Sancto Rumualdo , & aliis , qui vere Monachi fuerunt , & quidem duo primi fuere veri Monachorum Patres ſub illis temporibus , quibus Regulares Ordines non erant ab Apoſtolica Sede eo modo , & cæremoniis , quibus nunc fit , approbati , & erant

A in exemplum virtutis , & quam citiſſime ad perfectionem evolabant , poſt ſe in odorem divinorum unguentorum multitudinem Gentium trahentes .

Igitur ad ſubſtantialem Monachalis obedientiæ veritatem ſufficit promittere Deo obedientiam præſtaturum Superiori legitimè præcipienti ; quod ſi non habere Superiorem contingat , per accidens eſt , nec officit ſtatui Religioſo . Quandoque ergo ſufficit animi promptitudo : audiamus S. Th. 2. 2. *q.* 188. *art.* 8. , ubi de Eremitis agens ſibi objicit tertio -- Inter alia Religionis vota , votum „ obedientiæ excellentius eſt , & humilitas „ eſt Deo maximè accepta ; ſed obedientia , B „ & humilitas magis obſervantur in conver„ ſatione , quam in ſolitudine -- cui reſpondet -- Dicendum quod actu obedire eſt ne„ ceſſarium his , qui indigent exerceri ſe„ cundùm directionem aliorum ad perfe„ ctionem capiendam . Sed illi , qui jam „ perfecti ſunt , ſpiritu Dei ſufficienter „ aguntur , ut non indigeant actu aliis obe„ dire . Habent tamen obedientiam in præ„ paratione animi -- Doctrina hæc illis accommodanda eſt , qui a Sanctis Patribus in veteri Teſtamento Monachalis Inſtituti exemplaria nuncupantur , nullum habentes ejuſdem Inſtituti Superiores .

Cui competit actu obedire .

C URGEBIS . Ad ſubſtantiam Monachalis Inſtituti requiritur votorum emiſſio coram Superiore ; debet enim palam fieri Eccleſiæ , quæ de occultis non dijudicat ; ea propter vota ſolummodo coram Deo emiſſa verum non conſtituunt Religioſum , niſi ad ſummum coram Deo ; ſed in illis , qui veteris Teſtamenti Monachi dictitantur , hoc non eſt invenire ; ergo .

Hæc inſtantia eadem lance vult omnia metiri . Si quis ſic inſtitueret argumentum ; de eſſentia conjugii eſt mutuus conſenſus in facie Eccleſiæ ; ſed hujuſmodi non eſt , niſi ſit coram Parocho , & duobus teſtibus ; ergo D conjugia abſque his antiquitus celebrata non ſunt legitima : male ſane argueret ; eâdem laborabant æquivocatione illi , qui olim propugnabant Propoſitionem 18. ab Alexandro VIII. proſcriptam , quod nempe conſuetudo moderna adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ ſit abuſus , eo quia pœnitentiæ non injungantur , ſicut antea fiebat . Non enim quæ ad diſciplinam ſpectant , variationem ſubire detrectant . Et ſane in quorum manibus ſua vota emiſerunt Paulus , & Antonius ?

Quæ ſunt diſciplinæ variari poſſunt.

Aliæ igitur impræſentiarum ſunt Eccleſiaſticæ Conſtitutiones , aliæ primis rei Chri- E ſtianæ Seculis : ante Chalcedonenſe , & Agatenſe Concilium quicunque divino actus flamine novam inſtituere poterat Religionem , novamque vivendi formam ſub tribus votis tradere ſine facultate ſive Epiſcopi , ſive Apoſtolicæ Sedis ; ab eo autem tempore , ut plura evitarentur inconvenientia , requiſita fuit dependentia ab Antiſtite , ut habetur 18. *q.* 2. *Can. Quidam* , & *Can. Cellulas* . Deinde a Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. ſancitum fuit , ut nova Religio imposterum non inſtituatur ; quod ſi quis alio novo Religioſorum Ordine Eccleſiam condeco-

Ante Chalcedonenſe Concilium quilibet Religionem poterat inſtituere .

decorare voluerit, non aliter fieri permittatur, niſi Reguiam ex jam approbatis adoptando. Ita legitur *cap. Ne nimia, de Religioſis domibus ex cap. 13. laudati Concilii* -- Firmiter „ prohibemus, ne quis de cetero novam „ Religionem inveniat, ſed quicunque ad „ Religionem converti voluerit, unam de „ approbatis aſſumat . . . Similiter qui voluerit Religioſam domum de novo fundare, regulam, & inſtitutionem recipiat „ de approbatis -- Ad eſſentiam itaque legitimæ profeſſionis haud opus eſt, vota emittere (legem, & Eccleſiæ conſtitutionem excipias) in manu alterius.

Quod ſi ſub Eccleſiæ primordiis quidam, afflante divino Numine, novum vivendi genus abſque poſitiva Epiſcopi dependentia eligere potuerunt, jure optimo dicere poſſumus illos, qui juxta Patrum teſtimonia in veteri lege Religioſi ſtatus Inſtitutores dignoſcuntur, ſpecialem vitæ rationem, Deo adſpirante, proſecutos fuiſſe. Dictum eſt *abſque poſitiva Epiſcopi dependentia*; etenim habitualis, ſeu in animi præparatione præſupponebatur, eratque eſſentialis, cum Epiſcopus ſit ovium ſuarum Paſtor, veram habeat auctoritatem diſcernendi paſcua, atque pabula, quibus pecora ſua veſcuntur, examinandi; ea propter S. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus jure poterat ad examen revocare vivendi modum S. Pauli Eremitæ, atque inquirere, num aliquid adverſus Catholicam fidem propugnaret, cui reſpondere Paulus adſtringebatur.

Ultro fateor hoc modo ſubditos Summo Pontifici veteris legis fuiſſe Monachos. Ad primum Hierarcham ſpectabat authenticum rerum fidei, morumque examen; ea propter ſi popoſciſſet, ut de ſua vivendi forma rationem redderent, adſtricti fuiſſent ad reſpondendum, ſicut & eidem obtemperare, ſi quid præcepiſſet, reprobaſſetve; quoniam verò miraculorum gratiâ, atque Prophetiæ dono primi illi Monaſtici Inſtituti auctores præcellebant, ideo publicum vitæ teſtimonium præſeferebant, quod idem in lege gratiæ contigiſſe compertum habemus in primis Religioſorum Ordinum inſtitutoribus.

Nec inde inferri licet nequaquam innotuiſſe Eccleſiæ: ad hoc namque abunde ſufficiebat notitia, quæ ſive ex effectibus, ſive ex actionibus habebatur, quod ſignum dedit Dominus, dum ait: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Eorum vita nota erat;
Monachi veteris legis noti.
ab aliis namque diſcreti erant in habitu, in peculiari ritu colendi Deum, in jejuniis, in ſolitudine, aliiſve ſimilibus, per quæ ſufficientiſſime eorundem inſtitutum innoteſcebat. Poteſt hoc illuſtrari doctrina Tridentini tacitam Religioſorum profeſſionem approbantis, dummodo poſt annum decimum ſextum fiat, elapſoque probationis anno. Tacita profeſſio ea eſt, quæ non conſtat Eccleſiæ per publicam votorum emiſſionem, ſed ſolummodo per effectus, videlicet, per Regulares obſervantias illi ſtatui accommodatas, per delationem habitus, aliaque opera, & ſigna illius Inſtituti propria. Hujuſcemodi doctrina indubia eſt apud Canoniſtas, atque Theologos, quamvis Religiones nonnullæ privilegio tacitæ profeſſionis abrenunciaverint; quare abſolute quoad Monachalis profeſſionis ſubſtantiam haud neceſſaria cenſenda eſt votorum emiſſio apud Superiorem, licet in præſenti ſtatu ex Sanctiooibus Conciliorum, Romanorumque Pontificum aliæ deſiderentur conditiones.

REPLICABIS. Ex quo Epiſcopi, eorumque Vicarii dirigant, inſtruantque Sanctimoniales ut Superiores, non inde colligere fas eſt veros eſſe Monachos niſi quâdam extrinſeca præeminentiâ; ergo ex quo Samuel, Elias, & Eliſeus fuerint veluti aliorum directores, perperam dicetur veros fuiſſe Monachos.

Inſtantia in Adverſarios regeritur: Sanctus Benedictus, Sanctus Baſilius, aliique ſuos ſpirituales filios ad excelſa perfectionis direxerunt, & tamen indubie veri fuerunt
Ratio Magiſterii componitur cũ Monachatu.
Religioſi; ergo ratio Magiſterii non pugnat cum eſſentia Monachatus. Itaque quando, qui dirigunt, ſunt iiſdem ligati votis, Regulis, & Conſtitutionibus, modoque vivendi, quibus ligantur Subditi, tunc ipſi Superiores ſunt Religioſi proprie dicti. Hujuſmodi ſunt illi, quos ex Patrum ſententia agnoſcimus Superiores, aliorumque Magiſtros in lege veteri. Epiſcopi porro, de quibus agit objectio, eadem non habent ligamina, quibus obligantur Sanctimoniales, adeoque non eſt eadem ratio. Nec ex hoc, quod Superiores dirigant alios, carent obedientiæ merito; nam præter animi promptitudinem obediunt Deo volenti, quod illud exerceant miniſterium, obediunt regulis, & legibus, quas profitentur: frequenter propriam voluntatem abnegent oportet, ut recte alios inſtruant; neceſſe eſt enim, ut qui major eſt inter fratres, fiat ſicut minor, ut docebat Chriſtus, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, quamvis omnibus præeſſet.

93 OBJIC. II. Si in proprietate loqui velimus, S. Joannes Baptiſta primus fuit inter Monachos, ut dilucide habet Chryſoſtomus *Hom. 1. in Marcum* -- Sicut Sacerdotum „ Principes ſunt Apoſtoli, ſic Monachorum „ Princeps Joannes Baptiſta eſt -- *& hom. de S. Joanne Baptiſta* -- Conſiderate Monachi „ dignitatem veſtram: Joannes Princeps eſt „ veſtri dogmatis, ipſe Monachus -- uti concinit S. Bernardus *Ser. de Privilegiis Baptiſtæ*, qui ipſum vocat Propoſitum, & Anachoretarum principium &c.

Argumentum nobis fert ſuppetias, cum ſuperiùs probaverimus Joannem deceſſorem habuiſſe in Monachatu Eliam, alioſque ex Prophetis. Ceterum S. Iſidorus *lib. 2. de Orig. Officior. cap. 15.* rem apte declarat. Inquirens enim unde nam Religioſæ vitæ origo deſumenda ſit, ait -- Quantum pertinet ad „ auctoritatem veterum Scripturarum, hujus „ propoſiti Princeps Elias, & Diſcipulus ejus „ Eliſeus fuerunt, ſicut alii Prophetæ, qui „ habitabant in ſolitudine, urbibuſque relictis faciebant ſibi caſulas prope fluenta
Elias Monachorum Princeps in veteri lege, Joannes in nova.
„ Jordanis. Hujus deinde propoſiti in Evangelio Joannes author extitit, qui eremus „ ſolus incoluit, locuſtâ tantum, & agreſti „ melle nutritus. Jam deinde progeniti ſunt „ con-

Digitized by Google

„ converſationis hujus nobiliſſimi Principes „ Paulus , Antonius, Hilarion &c. — Elias Igitur Monachorum Princeps in lege veteri , Joannes Princeps Monachorum in Evangelio ; unde Chryſoſtomus ad ſtatum legis novæ alludit , ſecus ad illum veteris Teſtamenti , dum Præcurſorem Principem dicit Monachorum .

DICES . Ita Chryſoſtomus appellat Joannem Monachorum Principem , ſicut Apoſtolos Principes Sacerdotum Apoſtolicorum ; ſed ita Apoſtoli fuerunt Principes , ut ante ipſos nullus fuerit Apoſtolicus Sacerdos ; ergo Joannes ita eſt Monachorum Princeps , ut ante ipſum nullus fuerit Monachus .

RESP. Sicut in lege veteri præceſſerunt Sacerdotes , quibus datum erat judicare de cauſis ſpiritualibus , docere populum , offerre Sacrificia , licet non forent Apoſtolici , ideſt ſub ſtatu , & perfectione Apoſtolatus , ita præceſſiſſe dicendum eſt Monachos , non quidem Evangelicos , ideſt ſub ſtatu , & perfectione Evangelii , ſub qua cœpit apparere Joannes , qui licet conſummatum non viderit ſtatum gratiæ , tamen ſub diluculo conſpexit , & jam exortum Divinum Solem digito oſtendit. Porro nemo unus ex Catholicis voluit Monachatum veteris legis , ſtatum , & perfectionem Evangelicæ ſortitum fuiſſe , quamvis omnia , quæ exercebant juſti , forent ex gratia meritorum Chriſti venturi .

Veteris legis Monachatus imperfectus .

INSTABIS. Ita plane loquendum eſt de Monachatu Sancti Joannis , ac de illius baptiſmo ; ſed ejus baptiſmus ita proprius eſt ipſius , ut nullus alius baptiſmus præceſſerit ; ergo ejuſdem Monachatus eſt ita proprius , ut nullus alius præceſſerit : declaratur , & probatur : Joannes fuit Præcurſor Domini , ejuſque legis , non ſolum quantum ad ea , quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem , ſed etiam quoad ea , quæ ſunt perfectionis ; quoad ea , quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, Præcurſor fuit prædicando baptiſmum pœnitentiæ , ſine qua ſalus non habetur ; quoad ea , quæ ſunt perfectionis , Præcurſor fuit inſtitutione Monachatus ; unde ſicut ipſius baptiſmum nullus alius baptiſmus præceſſit , ita ejus Monachatum nullus alius Monachatus præceſſit .

Inaniter ſpeculatur Adverſarius : etenim Joannes quoad Monachatum non fuit Præcurſor , ſed reſtaurator , quatenus ſub primordiis novæ legis Inſtitutum , quod jam in aliquibus Prophetis præceſſerat , in ſolitudine reſtauravit . Fuit enim Joannes terminus veteris , & initium novæ legis ; ea propter quæ ad virtutum exercitia in illa lege ſpectabant, debuit ſervare , addereque perfectionem ; quæ verò ad ritus pertinebant , peragere non debuit , ſed verbo , inſimul & operæ magis ad Chriſti legem præparare , quam ad antiquæ legis obſervantiam inducere ; hinc apte, convenienterque, prætermiſſis antiquis, novum Baptiſmatis ritum inſtituit . Monachatus in quarundem virtutum exercitio conſiſtit ; porro virtutes quantum ad eſſentialem ſuam ſpeciem in omni lege eædem ſunt , totumque earundem diſcrimen majorem inter , minoremve perfectionem verſatur , quam ſub uno , aliove ſtatu habere poſſunt ; quare ſi Monachatus eſſentia ſpectetur , novum nequaquam induxit virtutis genus , ſicut novum ritum induxit Baptiſmatis , Argumento , ut ajunt , a poſteriori hocce dilucidatur . Joannis Monachatus poſt Chriſtum perſeveravit , tanquam Monachorum exemplar ; Baptiſmus autem Joannis poſt Chriſti Baptiſmum nullimode perſeveravit ; adeoque non eſt de utroque par ratio .

URGEBIS . Quia character Apoſtoli convenit novæ legi , ideo in veteri non præceſſit ; ſed ratio Monachatus eſt proprius legis gratiæ character ; etenim juxta communem intelligentiam Monachalis inſtitutio eſt peculiaris vivendi modus Chriſtianæ legis ; ergo in veteri Teſtamento non præceſſit .

RESP. Ratio Apoſtolatus tam quoad ſubſtantiam , quam quoad modum convenit novæ legi ; eſt namque ſpeciale miniſterium a Chriſto inſtitutum , atque Apoſtolis commendatum ; eſſe verò Apoſtolicum eſt illa perfectio , quæ redundat in fidem , ceteraſque virtutes , & Sacramenta ex præſentia Chriſti , ejus paſſione , & Evangelica prædicatione . Monachale Inſtitutum habet eſſentiam , quæ conſiſtit in praxi quarundam virtutum ſub ligamine votorum , modalem habet perfectionem , quæ ſita eſt in dotibus , quæ acceſſerunt per Chriſti adventum , & in excellentiis , quas attulit lex gratiæ : ſi accipiatur ſecundùm ſubſtantiam , non eſt character proprius legis gratiæ , ſicut votorum ſubſtantia non eſt propria legis Chriſti ; ſi verò accipiatur ſub peculiaribus prærogativis legis novæ , tunc denominat inſtitutum particulare legis Chriſtianæ : eadem ſpecie eſt fides , quam Abraham habuit , ut vidimus ex D. Thoma , ac ea quam habuit Paulus , & tamen Abrahamum non denominavit Chriſtianum , ſecus Paulum : & hæc diverſitas oritur ex modalibus dotibus , quas habet in Paulo exiſtente ſub perfectione legis gratiæ , quæ in Abrahami fide deſiderabantur .

REPLICABIS . Subſtantia Monachalis Inſtituti conſiſtit in tribus votis caſtitatis , paupertatis , & obedientiæ ; hæc autem ſunt de re valde difficili , adeoque non videtur credibile eorum exercitium extitiſſe , niſi media revelatione impellente ; atqui non conſtat de hac revelatione ; ergo .

Reſponſum eſt in ſuperioribus huic inſtantiæ , cui addi poteſt expectari a nobis , ut arguens probet hanc non eſſe datam revelationem ; dedimus namque Scripturas , quas Patres , & interpretes pro re nata explicaverunt : cum ergo ſimus in poſſeſſione , e munere Adverſarii eſt evincere nullam adfuiſſe revelationem : ceterum hæc revelatio non eſt neceſſaria , ſed ſufficit inſpiratio Dei , ejuſque motio applicans ad rectam Scripturarum intelligentiam , ad meditationem virtutum , ad penetrationem luminis fidei : hæc autem extiterunt in aliquibus viris perfectis veteris Teſtamenti ; ad unum omnes fateantur oportet arduam nimis fuiſſe obedientiam , quam Deus Abrahæ indixit de filio immolando , & tamen jubenti obtemperavit Sanctus Patriarcha . Valde difficile fuit

Joſeph caſtitatem ſervare in manu amantis fœminæ, & tamen fugiendo triumphavit. Quis non miretur David Saulem non occidentem in ſpelunca, dum actu quærebatur ad mortem, & tamen laudabiliter pepercit; hæc, aliaque id generis potuerunt ex bono uſu gratiæ per merita Chriſti futuri collatæ, itidem ex bono uſu ejuſdem gratiæ potuerunt viri fortes Monachale Inſtitutum quoad ſuam ſubſtantiam obſervare.

Mediâ gratiâ ardua peraguntur.

94 OBJIC. III. Ad rationem Religioſi ſtatus eſſentialiter exigitur immobilitas; ſed in veteri lege hæc adeſſe nequivit: pendet namque ex ſolemnitate, quam ſola Eccleſiæ auctoritas facit, aliàs in illa lege nulla Eccleſiaſtica ſolemnitas adinvenitur, proptereaque abs re dicetur Monachale Inſtitutum, quod proprium novæ legis eſt, ea tempeſtate floruiſſe.

RESP. Argumentum nequaquam urget. Etenim in lege nova, quæ eſt perfectionis, vere datur ſtatus Religioſus abſque ſolemnitate votorum, quod Pontificiis Oraculis declaratum fuit pro Scholaribus Societatis, cujus præclari Auctores abunde, atque erudite probant ſolemnitatem haud eſſe conditionem eſſentialem, atque omnia evertunt argumenta, quæ in oppoſitum intentantur, immo variis monumentis oſtendunt ſub primis Eccleſiæ temporibus veros extitiſſe Monachos, qui tamen amandari poterant: ſi ergo abſque ſolemnitate verificatur in nova lege, quæ perfectam importat conſummationem, ratio veri Monachatus, quomodo dicetur neceſſaria pro illa lege? Immo cum conditione Synagogæ congruenter componitur Monachatus abſque votis ſolemnibus; non enim ipſa erat conſummata in perfectione, ſed ad eam ordinabatur. Porro pro re noſtra ſat eſt tunc temporis fuiſſe Monachatum ſub quocunque perfectionis gradu ſpectatum.

Solemnitas profeſſionis nõ dicitur eſſentialis.

Et ſane ad ſubſtantiam Monachalis Inſtituti ſufficiens jure, meritoque cenſentur ſtabilitas, atque remotio impedimentorum, quæ Dei obſequio adverſantur; porro per verba etſi ſine ſolemnitate utrumque ſufficienter habetur: etenim ea ſtabilitas ſufficit, quæ ad ſtatum ex ſe perpetuum conſtituendum neceſſaria creditur; ad hoc autem non deſideratur niſi moralis ſtabilitas, ut infra videbimus, ſeu neceſſe eſt, ut quantum eſt ex ſe, quis immobiliter teneatur in tali ſtatu ſervire, ſeu vivere, quod claro compertum fit exemplo. Status ſervitutis eſt immobilis, & tamen haud neceſſe eſt, Dominum non poſſe Servum dimittere, ſed ſufficit Servum ita fore adſtrictum, ut ſeſe liberare non valeat, ſeu nequeat Dominum derelinquere; Monachale Inſtitutum ad ſtatum pertinet ſervitutis, exoptabilis quidem; ſervire namque Deo regnare eſt. Qui Monaſticum ſtatum adoptat ſe Numini donat in Religione; non eſt autem in quocunque eventu omnimoda æqualitas ex parte donantis, & ex parte acceptantis; ſiquidem quantum ad acceptantem quandoque apponitur conditio, quæ non rarò perutilis, immo neceſſaria eſt; quod maxime contingit, cum donatio cedit in bonum ipſius donantis, vel in gravamen acceptantis, aut alterius. In caſu Religioſa donatio eſt in bonum donantis, aliàs bonum Religionis, utpote bonum commune, majus eſt; propterea jure optimo dari poteſt conditio ex parte acceptantis, quâlibet rejectâ ex parte donantis: non enim verificaretur velle Deum æternùm famulari. Stat igitur ſtabilitas ad Monachatum eſſentialis, licet vinculum non ſit indiſſolubile tum ex parte acceptantis, tum ex parte donantis.

Ad Monachale Inſtitutum requiritur ſtabilitas.

Habetur itidem impedimentorum remotio. Illa quippe ſunt terrenorum ſollicitudo, atque occaſio ſeſe implicandi negotiis, curiſque ſeculi, qui autem ſeculo abrenunciat, ſeque votis ligat, hæc indubie tulit impedimenta; ad quod ſane parum deſervit ſolemnitas: niſi enim vota ſerventur, non removentur impedimenta; illa autem æque ſervari poſſunt ſive ſolemniter, ſive privatim nuncupata ſint Deo; ſolemnitas namque nil aliud præſtat, niſi majorem inducere incapacitatem in vovente; ſed hoc non variat rerum ſubſtantiam.

Relata itaque immobilitas, impedimentorumque remotio bene congruit ſtatui veteris legis, in qua præceptum aderat excitandi ſemen fratris ſui, atque expreſſior temporalium promiſſio; ea propter huic ſtatui mire convenit, quod Monachale inſtitutum non eſſet omnimode firmum, ſed aliqualem involveret conditionem ex parte acceptantis.

DICES. Immobilitas abſoluta, & univerſalis requiritur ad Monachatum: etenim S. Thomas propugnat Religioſum ſtatum per Eccleſiæ auctoritatem fore omnino indiſſolubilem; non poteſt autem ſermonem inſtituere de illius ſolemnitate; ſiquidem cum hæc Eccleſiaſtici ſit juris, per ipſam Eccleſiam eſt ſolubilis; atqui pro veteri lege votorum ſolemnitatem negamus; ergo neceſſe eſt, quod ex vi eſſentialis conſtitutivi eſſet in Monachatu firmitas abſoluta; ergo cum iſta negetur, neganda pariter eſt eſſentia Monachatus.

RESP. S. Thomas ſermonem habet de Religioſo ſtatu per ſolemnia vota firmato, & in hoc ſenſu a Thomiſtis intelligitur: agnoſcit namque in ſolemnibus votis rationem perfectæ conſecrationis Perſonæ, quæ ſe Deo dicavit. Porro indiſſolubilitatis, de qua Angelicus, non jam formaliter, ſed præſuppoſitive, vel concomitanter provenit ex ipſa ſolemnitate, quæ ſita eſt in conditionibus, quas prærequirit Eccleſia ad veram, atque adæquatam traditionem, mutuam ex parte donantis, & acceptantis, quibus poſitis habetur perfecta conſecratio Deo, atque hæc indiſſolubilitatem facit. Hac ſuper re præſto eſt exemplum in Matrimonio. Quaſdam exigit Eccleſia conditiones, ut validum ſit matrimonium, quæ contractum reddant publicum; his poſitis mutuus conſenſus eſt legitimus, & ex hoc immediate oritur indiſſolubilitas conjugalis, non verò ab illa ſolemnitate ab Eccleſia requiſita.

Indiſſolubilitas quomodo ex votorum ſolemnitate.

INSTABIS. Etiam prævie ad ſolemnitatem ab Eccleſia requiſitam ſtabat conjugii indiſſolubilitas; cum ex ſua eſſentia ſtatum dicat perpetuum; ergo etiam ſine ſolem-

lemnitate Eccleſiæ ſtabit indiſſolubilitas Monachatus, cum & Ipſe perpetuum ſtatum Involvat; ſed in lege veteri non erat hæc indiſſolubilitas; ergo neque ſubſtantia Monachatus.

RESP. Ideo matrimonium adhuc prævie ad conſtitutionem Tridentini erat indiſſolubile, quia complebatur per mutuum conſenſum, perfectum, exteriùs ſenſibilem, ideſt per mutuam, æqualem traditionem, ex utraque parte irrevocabilem, & hoc exigit hujuſce contractus natura, qui duas inter perſonas ſingulares verſatur, in materia uni perinde utili, ac alteri, aliàs ex inæqualitate contractus commune bonum periclitaretur, cum damno tertii, prolis videlicet, quæ rite educari non poſſet, ideoque meritò perpetuitatem exigit, ſecus accidit in Monachatu, qui In indiviſibili aliqua forma non conſiſtit, cum in votorum obſervantia detur diſcrimen perfectionis. Aliàs contractus verſatur inter peculiarem perſonam, & Communitatem, cujus bonum eſt excellentius, eaque propter rationabile adeſt momentum, ob quod inæqualitas quædam inter contrahentes interſit, per quam acceptans conditionem aliquam poteſt apponere.

Diſcrimen Conjugium inter, & Monachatum.

URGEBIS. Monachatus eſt ſtatus perfectionis, ſed ſtatus perfectionis non ſtat ſubſtantialiter ſine votis ſolemnibus; ergo cum hæc non fuerint in lege veteri, ſequitur, quod neque fuerit Monachatus. Minor eſt D. Thomæ 2. 2. *q.* 184. *art.* 5. -- Di„cendum, quod ſicut dictum eſt, ad ſtatum „perfectionis requiritur obligatio perpetua „ad ea quæ ſunt perfectionis cum aliqua „ſolemnitate -- & *quaſt.* 189. *art.* 2. *ad* 1. -- „Duplex eſt Religionis votum: unum ſo„lemne, quod hominem facit Monachum, „vel alterius Religionis Fratrem, quod vo„catur profeſſio, & tale votum debet præ„cedere annus approbationis, ut probat „objectio -- & *alibi ſæpe*.

RESP. Scriptores Societatis, apud quam dantur veri Religioſi abſque votis ſolemnibus, non putant habere contrarium D. Thomam, nec alium ex Patribus, quia D. Th. loquitur de ſtatu perfectionis, prout regulariter ſolet evenire; & quia communiùs a longo tempore Monachatus non approbatur ab Eccleſia niſi ſub votis ſolemnibus, Ideo adhærendo uſui tunc exiſtenti taliter loquitur Angelicus: cæterum compertum ipſi erat, Religiones Antonii, Pauli, Baſilii &c. non fuiſſe inſtitutas ſub omnibus illis conditionibus, quæ ſuo tempore exquirebantur propter Eccleſiæ præcepta ſucceſſivis emanata temporibus, eratque D. Thomæ notum, quod ad ſtatum perpetuum non eſt neceſſaria omnimoda immobilitas, ut patet de ſervitute. Deinde S. Doctor non abſolute loqui videtur particulam apponens *cum aliqua ſolemnitate*, ideſt medio aliquo actu extrinſeco, per quem fit ſenſibilis oblatio ſui, & nota Religioni; unde ſub illa indefinita locutione comprehendit propriam ſimul, & Impropriam locutionem. Adducta *ex quaſt.* 189. non urgent; agit enim de ſolemni voto per ordinem ad votum ſimplex, quod aliquis emittit de ingredienda Religione -- Aliud „autem eſt votum ſimplex, ex quo aliquis „non fit Monachus, vel Religioſus, ſed „ſolùm obligatur ad Religionis ingreſſum, „& ante tale votum non oportet præcedere „probationis annus --

95 OBJIC. IV. Ad ſubſtantiam Monachatus requiritur Eccleſiæ approbatio; ſed in veteri lege hujuſmodi approbatio non adfuit; ergo nec ſtatus Monachalis. Major in aperto eſt. Cum enim Monachatus ſit ſtatus perfectionis fas eſt Eccleſiam recognoſcere paſcua, an apta ſint ad perfectionem acquirendam; contingere namque poteſt, ut ſub perfectionis velamine damnoſæ contegantur novitates.

RESP. Major admitti nequit, niſi de negativa approbatione intelligatur; ideſt, ſat eſt, quod ab Eccleſia non fuerit prohibitus Monachatus. Conſtat namque pacta quælibet obligare, ſi ſemel lex poſitive non reſiſtat, ut in civilibus contractibus videre eſt. Vovere cuique liberum eſt, licitumque, & votum per ſe obligat, proindeque promittere ea ſervandi, quæ ſunt perfectionis, nulla lege vetatur; nec Eccleſiæ approbatio votis, virtutibuſque honeſtatem largitur, ſed tantummodo innuit hanc vivendi rationem, utpote ab errore immunem, adoptari poſſe. Exemplum occurrit in antiquo legis novæ Monachatu, qui ſine poſitiva Eccleſiæ approbatione inſtitutus per multa Secula laudabiliter floruit. Quoniam verò inimicus homo ſuperſeminavit zizania, errores quandoque immiſcendo, ideo rite, ſapienterque Eccleſia ſancivit nullam admittendam Religionem ſine poſitiva approbatione. Hocce habemus *cap. ultimo de Relig. Domibus* ex Innocentio III. -- Ne nimia Religionum diverſi„tas gravem in Eccleſia confuſionem indu„cat, firmiter prohibemus, ne quis de ce„tero novam Religionem inveniat, ſed qui„cunque ad Religionem converti voluerit, „unam de approbatis aſſumat --

Olim negativa ſat erat approbatio Monachatus.

Dicta tamen ſunt intelligenda de Religione quoad ſubſtantiam: etenim ſi loquamur de Religione ſecundùm omnem perfectionem, & prærogativas, juriſdictionem nempe ſpiritualem, poteſtatem clavium, privilegium Canonis, & fori, aliaque hujuſmodi, ad hanc dubio-procul poſitiva Eccleſiæ approbatio prærequiritur. Igitur ad ſubſtantiam Monachatus ſufficit ipſa promiſſio, & profeſſio votis firmata; & revera ex Evangelio, ex quo colligunt Patres inſtitutionem Monachatus novæ legis, nihil aliud evincitur niſi ſpiritualis evitatio, abnegatio ſui, atque temporalium abdicatio. Scientes ergo Chriſtifideles hæc tria a Chriſto fuiſſe commendata, tanquam ad perfectionem utilia, ſi apponatur conditio tribuens firmitatem, vota ſcilicet, eo ipſo ſtatus conſtituitur perfectionis.

DICES. Profeſſio Monachalis ſubſtantialiter accepta donationem importat Deo factam, & ab eo acceptatam, cumque Deus niſi per Miniſtros viſibiliter regat Eccleſiam, neceſſe eſt, quod detur aliquis ipſius nomine acceptans; ſed nemo Dei vices gerit niſi per diſpoſitionem Eccleſiæ; ergo non datur ſubſtantia Monachatus abſque poſitiva Eccle-

Tt 2 ſiæ

ſitæ approbatione. Totum habetur ex D. Thoma 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. dicens: ad Religioſum ſtatum neceſſarium eſſe -- Ut „ traditio ejus fiat in manu ejus, qui debeat „ recipere, ſervatis circumſtantiis, quæ jura „ determinant, quia aliàs non fieret ſub eorum poteſtate, qui Religioni præſunt --

RESP. Vel loquimur de Monachatu Eremitico, & tunc non eſt neceſſaria illa poſitiva acceptatio per unum viſibile caput gerens vices Dei, ut patet in antiquis Eremitis ſub regulis peculiaribus vitam gerentibus, vel loquimur de Monachatu Cœnobitico, & tunc, excepto fortè Inſtitutore, emittitur profeſſio in manu alicujus gerentis vices Dei, ſed non eſt neceſſe, quod per poſitivam Eccleſiæ poteſtatem deſignetur, ſufficit ſola negativa, & quod non prohibeatur, ut in aperto eſt de primis Cœnobitis. D. Thomas loquitur de ſtatu Religioſo accepto ſub Canonicis diſpoſitionibus, quæ temporis decurſu acceſſerunt, ſecus ſecundùm ſe. Quo pacto teſtamentum jure gentium tenet apud omnes, ſed non ſemper eodem modo conſtitutum; impræſentiarum non ſubſiſtit, niſi conditum ſub illis conditionibus, quas lex præſcripſit; antequam jura accederent, obligabat juxta id, quod dictat æquitas, viſque legis naturalis. Ita in noſtro caſu Monachatus, præſcindendo a ritibus ab Eccleſia præceptis, ſubſiſtit per vota.

Diſcrimen Eremitas inter, & Cænobitas.

96 OBJIC. V. Minoris efficaciæ erat votorum emiſſio in lege veteri, quam eorumdem emiſſio in manu Sacerdotis in nova; quia Sacerdos Confeſſarius habet poteſtatem clavium, & eſt verus Dei Miniſter; ſed vota in manu Confeſſarii emiſſa non conſtituunt ſtatum Religioſum; ergo multo minus in lege veteri.

Semper in idem recidimus, & a diſparatis arguitur. I. Major eſt falſa abſolutè accepta; nam in lege veteri vota emittebantur ſaltem ab aliquibus in manibus proprii Prælati, quæ conditio proximiùs pertinet ad conſtitutivum Monachatus, quam ſi emitterentur in manibus alicujus particularis non Prælati ejuſdem profeſſionis. II. Falſa eſt minor; nam ſecundùm ſe vota emiſſa in manu Confeſſarii aliàs verum conſtituebant Religioſum, & antiquitus plures Monachi Eremitæ private profeſſionem faciebant; nunc autem ſtatum Religioſum non conſtituunt, quia Eccleſia poſitive reſiſtit. Mutuus duorum conſenſus de præſenti aliàs verum conſtituebat Sacramentum matrimonii, nunc etiam conſtituit, ubi Tridentinum non eſt receptum; tamen ubi eſt receptum, non ſufficit. Teſtamentum abſque numero ſeptenario teſtium valebat ante conſtitutionem juris civilis, nunc non valet. Profeſſio Religioſa in approbatis Regularium Ordinibus valebat ante ætatem annorum ſexdecim, ſecus in præſenti, aliter diſponente Eccleſia. Hujuſmodi porro Sanctiones non aderant primis Eccleſiæ Seculis, & potiſſimum in veteri lege; ea propter nihil evincitur; aliàs etiam pro tali ſtatu votorum obligatio erat firma, atque a Deo exigita executio; nec aliter ſane adverſus Novatores probantur Religioſa vota ſubſiſtere, nec eſſe violanda, quam ex Scripturis veteris Teſtamenti.

A Quoniam verò quidam perfracte contendunt in veteri lege, immo & in nova verum non adeſſe Monachatum, ex quo non ſerventur Eccleſiæ Sanctiones, itaut nimis audentes negent Scholares, & Coadjutores Societatis eſſe ab intrinſeco veros Religioſos, ſed ſolummodo tales denominari, quia Pontifex ſic ſtatuit, quatenus volunt ſolemnitatem fore eſſentialem, addere placet duplicem in Regularium votis adinveniri ſolemnitatem; una eſt velut intrinſeca, extrinſeca altera: prima eſt ſpecies quædam conſecrationis, quæ in eſſentialibus ineſt conſtitutivis illius formæ, qua quis in perpetuum Dei obſequium B ſe devovet; hæc porro conſecratio non afficit vota ſimplicia, quæ ſtatum non conſtituunt. Rem declarant Nazaræorum vota, quæ in lege veteri diſtinctionem perſonæ ſacræ faciebant; hæc ſanctificationem quandam referre innuit Scriptura. Legimus enim Num. 6. v. 2., & ſeq. *Vir, ſive mulier, cum fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerit Domino conſecrare . . . Cunctis diebus quibus ex voto Domino conſecrantur . . . Uſque ad completum diem, quo Domino conſecrantur . . . Quia conſecratio Dei ſui ſuper caput ejus eſt*. His palam fit in hoc vovendi modo aliquam conſecrationem involvi juris C quaſi divini: *Quia conſecratio Dei ſui ſuper caput ejus eſt*. Solemnitas extrinſeca ea eſt, quæ per ceremonias miniſterio Sacerdotum adhibitas intervenit, ut videre eſt in votis Nazaræorum Num. 6., ubi ritus deſcribuntur. Prima ſolemnitas ſufficiens eſt ad ſubſtantiam Religioſæ profeſſionis, præſcindendo a peculiaribus Eccleſiæ Sanctionibus, altera ad complementum ſpectat, & utraque data eſt in veteris legis Monachatu; de prima nullum occurrit dubium; cum intrinſeca ſit formæ, qua ſtatus perpetuus ſub votis eſſentialibus profitetur, ſecunda certa itidem videtur, cum in prædicta lege ſacra per ex- D trinſecas ceremonias peragerentur.

Solemnitas intrinſeca, & extrinſeca.

PECULIARIA GALIANI MOMENTA REFELLUNTUR.

EX quo PP. Salmanticenſes ex præjactis principiis probabilem dixerint doctrinam aſſerentem in veteri lege datum fuiſſe verum Monachatum quoad ſubſtantiam, ſecus quoad alias perfectiones, propriaſque novæ legis ſolemnitates, inſurgit Adverſarius, conaturque oſtendere non eſſe proba- E bilem, multòque minus probabiliorem doctrinam hujuſmodi. Ceterum nil novi depromit, ſed ea in unum congerit, quæ diſperſa protulerat; nihilominus cum artificioſe procedat, brevi calamo ea innuere, ac ſolvere operæ pretium erit.

97 OBJIC. I. Nullimode probabilis cenſenda eſt ſententia Salmanticenſium, ex quo Patres, & Doctores in quibuſdam Prophetis Monachatum veteris legis commendent: etenim ſi quis ex Rabbinis, ut propugnaret verum fuiſſe illius legis Sacerdotium, cum virtute, perfectione, & veritate legis

legis gratiæ, concervaret Patrum teſtimonia, quibus Aaronicum Sacerdotium laudatur, nemo unus ex Catholicis ut probabilem hujuſcemodi ſententiam adoptaret; ergo ex Patrum, Doctorumque commendatione haud probabile dici poteſt, quod Monachatus ille fuerit verus Evangelica veritate, & in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus. Ratio primi eſt, quia Patres juxta temporum, legumque differentiam intelligendi ſunt, ergo idem dicendum eſt pro noſtro caſu.

Verùm inane argumentum ſic retorquetur primò: ſi quis Manichæus contenderet obedientiam Abrahæ, patientiam Job, Joſeph caſtimoniam, Davidis manſuetudinem haud veras fore virtutes a nobis imitandas, Patrumque commendationes intelligendas eſſe juxta temporum, legumque differentiam, nullus ex Catholicis probabile diceret Manichæi deliramentum, ſed illas ut veras virtutes, eaſdemque quoad ſpeciem cum noſtris affirmaret, idipſum propugnans de obligatione votorum, & juramentorum, de natura peccatorum &c.; ergo jam palam fit argumentum Galiani claudicare; ideo egregie dicebat S. Gregorius *lib. 2. Moral. cap. 1.*, cujus ſenſa adoptat Eccleſia *in Nocturno II. Dominicæ I. Septembris* -- Scriptura Sacra „ mentis oculis quaſi quoddam ſpeculum „ opponitur, ut interna noſtra facies in ipſa „ videatur: ibi etenim fœda, ibi pulchra „ noſtra cognoſcimus, ibi ſentimus, quan„ tùm proficimus, ibi a profectu quam lon„ ge diſtamus. Narrat autem geſta Sancto„ rum, & ad imitationem corda provocat „ infirmorum, dumque illorum victricia „ facta commemorat, contra vitiorum præ„ lia debilia noſtra confirmat -- Hæc porro inepte dicerentur, ſi illæ veræ non fuiſſent virtutes.

Ex Scripturis validiùs deſumitur argumentum.

Secundò. Catholicorum adverſus Hæreticos alia inter argumenta, quibus oſtendunt ad Sacerdotes, Eccleſiaſticaſque perſonas ſpectare judicium quoad fidei controverſias, illud eſt, quia id erat e munere Sacerdotum veteris legis: ſi autem Patres, Doctoreſque hoc aſſerentes juxta temporum, legumque differentiam, adeoque diverſo modo eſſent intelligendi, ſequeretur Sacerdotes illos revera non habuiſſe auctoritatem docendi populum, atque de rebus fidei ferre judicium, quod indubie Scripturæ adverſatur. Argumentum idem inſtitui poſſet de ſanctitate, quam in illis Sacris Miniſtris volebat Deus, quæ vera erat ſanctitas, idem de gratia, quæ juſtificabat &c.

Advertendum itaque eſt artificium Arguentis. Sæpe repetit, illaſque reduplicat phraſes *Monachatus verus Evangelica veritate, in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus*, quæ non reſpiciunt rei ſubſtantiam ſecundùm ſe, ſed cum propriis prærogativis legis gratiæ. Nuſquam dixerunt Salmanticenſes hujuſmodi Monachatum in veteri lege extitiſſe, ſed tantummodo quoad ſubſtantiam, quatenus trium votorum obligationem involvit. Rem comprobant exemplo de Eccleſia juxta doctrinam D. Auguſtini explicantis illud Pſal. 36. *Junior fui, nunc ſenui*, quod intelligit de Eccleſia, quæ velut in ſua infantia erat in lege Moyſis; & eadem in adoleſcentia ſub Chriſto, & oſtendit quod Eccleſia vetus, & nova non differunt, niſi ſicut puer, & adoleſcens: unde ſicut male argueret non dari ſubſtantialia hominis in puero, quia in eo non illud datur robur, aliæque perfectiones, quæ ſunt in adoleſcente; ita male arguit eandem non eſſe veterem Eccleſiam quoad ſubſtantialia, ac novam; quia in veteri non erant eæ perfectiones, quæ ſunt in nova, & e contra in nova non ſunt imperfectiones, quæ erant in veteri: ſub eadem proportione diſcurrunt noſtri Patres de Monachatu, quem ſubſtantialiter ponunt eundem, ſecus autem quoad perfectiones, & prærogativas, & nuſquam aſſerunt fuiſſe in ea lege in veritate, & perfectione Evangelica; dicunt quidem opera virtutum, & ipſorum votorum adimpletionem fuiſſe meritoria ex vi meritorum Chriſti; & auxilia gratiæ, quibus viri illi corroborabantur, fuiſſe iidem ex Chriſti futuri meritis; ſed quis Catholicus de hoc dubitat?

Nunc ad argumentum. Ideo non evincitur eadem ſubſtantialis identitas Aaronici Sacerdotii, & Chriſtiani, quia eſſentia Sacerdotis non conſtituitur per exercitium alicujus actus virtutis, ſed in rebus, ritibus, & poteſtate; eumque ritus conſecrativus, character, & poteſtas Chriſtiani Sacerdotii ſit omnino diverſa, in aperto eſt, quod eadem non ſervatur ſubſtantialis identitas inter utriuſque legis Sacerdotium: Monachatus autem conſtituitur per exercitium virtutum; nihil enim aliud erat, quam profeſſio trium votorum ad cultum Dei: vota porro, ſi ſecundum ſe conſiderentur, in utraque lege ejuſdem ſunt obligationis; ſic per fidem, qui erant de populo Dei, fideles dicebantur, & credentes, quomodo dicuntur ii, qui ad præſentem Chriſti Eccleſiam pertinent; ſubſtantialiter namque fides eadem eſt, ut bene notat Angelicus *2. 2. quæſt. 4. art. 6. ad 2.* -- Differentia præteriti, & futuri „ non contingit ex aliqua diverſitate rei cre„ ditæ, ſed ex diverſa habitudine credentium ad unam rem creditam -- Illi tamen non dicebantur Chriſtiani, quia hujuſmodi perfectio provenit a fide explicita Chriſti exiſtentis.

In lege veteri cur fideles non dicebantur Chriſtiani.

98 OBJIC. II. -- Non ſit probabilis „ ſententia Salmanticenſium ex eo, quod „ ille Monachatus veteris legis tantum eſſen„ tialem, & ſubſtantialem perfectionem Mo„ nachatus legis gratiæ habuiſſe dicatur, non „ verò conſummatam perfectionem; nam ſi „ aliquis Pſeudo-Apoſtolorum ſectæ adhæ„ rens diceret: quod lex vetus perfecta erat, „ bonaque ejus mandata, ſacrificiaque ejus „ vera, ſed meliora eſſe ſacrificia legis gra„ tiæ, & ipſa lex gratiæ conſummate per„ fecta; quia illa vetera ſacrificia, & lex „ ſpiritum, & veritatem Evangelii conti„ nebant eſſentialem, & ſubſtantialem ex „ meritis Chriſti futuri: hâc novâ doctrinâ „ non fieret probabile, quod lex vetus fuit „ abſolutè, & ſubſtantialiter perfecta, bo„ naque ejus mandata, bonitate Evangelica, „ & ſacrificia illa vera ex meritis Chriſti fu„ turi; quia merita Chriſti futuri non per„ ficie-

„ ficiebant legem, nec ſacrificia per fidem
„ fideliúm, ſed eorum animas, nec ſtatus
„ illius populi erant Evangelicus ea fide in
„ Chriſtum futurum, ſed ſervitutis; ergo
„ ſtatus Religioſus vere Evangelicus ſubſtan-
„ tialiter ex meritis Chriſti futuri per fidem
„ non fit probabilis in ſpiritu legis gratiæ in
„ veteri lege inſtitutus eſſentialiter perfe-
„ ctus, licet non conſummate perfectus ejuſ-
„ dem rationis cum Chriſtiano -- Hæc ille.

Hoc argumentum non eſt niſi verborum involucrum. Verùm Salmanticenſes non ferit, qui his ambagibus non utuntur. Eorum doctrina, quam pluries dedimus, hæc eſt: Monachatus veteris legis quoad ſubſtantiam ejuſdem erat rationis cum noſtro, eo quia verſabatur in obſervantia trium votorum, & ex meritis Chriſti venturi dabatur vis ad ea obſervanda, & ea iiſdem meritis, qui ea obſervabant, merebantur, creſcebant in ſanctitate, Deum colebant utiliter; carebat tamen perfectione, & conſummatione, quam Chriſti adventus attulit, aliiſque etiam prærogativis, quæ advenerunt in ſtatu gratiæ. Suam mentem dilucidant exemplo Eccleſiæ, fidei, ſpei, charitatis, juſtificationis, quæ indubie ſecundùm ſubſtantiam ejuſdem ſunt rationis in veteri, ac nova lege, ſed in ipſis deſiderabatur conſummatio, aliæque prærogativæ, quæ ex Chriſti adventu, ac paſſione obvenerunt: hinc S. Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum cap.* 14. egregie dicebat -- Tunc
„ ergo & occulta erat fides; nam eadem
„ credebant, eademque ſperabant omnes
„ juſti, & Sancti etiam temporum illorum,
„ & promiſſiva erant illa omnia Sacramenta,
„ omniſque ritus ille ſacrorum; nunc autem
„ revelata eſt fides, in qua concluſus erat
„ populus, quando ſub lege cuſtodiebatur,
„ & quod fidelibus promittitur in judicio,
„ jam completum eſt in exemplo per eum,
„ qui legem, & Prophetas non venit ſol-
„ vere, ſed adimplere -- Quid aptius deſiderari poteſt?

Illæ itaque phraſes frequenter adeo ab Adverſario recoctæ, nempe, *in ſpiritu Evangelii*, *in veritate Evangelica*, *in perfectione legis gratia*, addito etiam verbo *ſubſtantialiter*, *vel eſſentialiter*, nequam a Salmanticenſibus uſurpantur; quia reduplicativæ ſunt, & ſic male audiunt: ſignificant enim eſſentiam Monachatus legis veteris eſſe Evangelicam; eſſentialem ejuſdem perfectionem fore legis gratiæ, eſſe in ſpiritu legis novæ, ideſt, eſſe ſub ſtatu dictæ legis, non quidem conſummate, ſed eſſentialiter, qui loquendi modus ſenſum immutat, atque a veritate aberrat. Inſipienter quis de infante diceret, eſſentia infantis, vel infans quoad eſſentiam eſt virilis, ſeu in virili ſpiritu, perfectionem habet virilem, ſiquidem phraſes hujuſmodi ſunt propriæ virilis ſtatus, atque eſſentiæ non ubicunque, nec ſecundùm ſua eſſentialia conveniunt, ſed formaliſſime ſub virili ſtatu: ſimilis inordinatio non intelligeretur, ſi quis diceret: hominis eſſentia perinde eſt in infante, ſeu ſub ſtatu infantiæ, ac in viro, ſeu ſub ſtatu viri; Infans, quoad ſubſtantialia hominis idem eſt ſub ſtatu viri, vel cum viro.

Abs re dein adducit Pſeudo-Apoſtolos, falsò ſupponens ipſos dixiſſe, vel dicere voluiſſe, veterem legem bonam eſſe, atque perfectam eſſentiali Evangelica perfectione. Studioſe apud Controverſiſtas eorundem errores inveſtigavi, nullibi tamen errorem hunc, vel ſub hoc modo expreſſum adinvenire potui. Propugnant quidem legem Moyſis eſſe ſervandam, quia a Deo eſt, a quo non niſi bonum, quia ſempiternum fœdus nuncupatur, adeoque ſemper debere perdurare videtur, quia demum Chriſtus non jam venit ſolvere, ſed adimplere; quibus egregie pluribus in locis reſpondet Auguſtinus, & potiſſimum *lib. 19. contra Fauſtum* per plura capita, non negando legis veritatem, aut veritatem Sacramentorum; ſed meritò concedit legem fuiſſe bonam, vera fuiſſe Sacramenta, ut probat contra Manichæos, ſed addit legem illam, ejuſque Sacramenta fuiſſe figurativa Chriſti, proindeque ipſo adveniente debuiſſe ceſſare *cap.* 13. -- Proinde prima Sacramenta, quæ
„ obſervabantur, & celebrabantur ea lege,
„ prænunciativa erant Chriſti venturi, quæ,
„ cum ſuo adventu Chriſtus impleviſſet,
„ ablata ſunt, & ideo ablata, quia imple-
„ ta: non enim venit ſolvere legem, ſed
„ adimplere -- Si ergo ex falſa ſuppoſitione argumentum inſtituit, quid mirum ſi male concludat?

Perpetuò itidem negaverunt Salmanticenſes ſtatum legis fuiſſe Evangelicum, ipſum ſemper dixerunt ſervitutis, ſemper cum Catholicis propugnaverunt fuiſſe figurativum. Dixerunt quidem ſub illo ſtatu figurativo veram datam fuiſſe Eccleſiam, veram juſtificationem, veram charitatem, veram continentiam, & verum pariter Monachatum; etenim ratio figuræ veritatem rei non aufert; Galianus autem hac perpetua laborat æquivocatione, contendens, quod ſtatus legis, ex quo eſſet figurativus, non poſſet habere verum Monachatum. Placet, omiſſa auctoritate D. Auguſtini, & D. Thomæ, adducere Bellarminum, ubi agendo contra Hæreticos oſtendit pluribus cum ratione figuræ ſtare veritatem, ut tandem æquivocatio evaneſcat. *De Sacramentis in Genere lib.* 1. *cap.* 12. *ſub tertia propoſitione* habet -- Nulla eſſe poteſt
„ Religio ſine Sacramentis, ut S. Auguſt.
„ docet lib. 19. contra Fauſtum cap. 11.,
„ ſed in Teſtamento veteri erat vera Eccle-
„ ſia, vera Religio, verum Sacrificium; cur
„ igitur non etiam vera Sacramenta? Neque
„ obſtat, quod omnia contingebant Judæis
„ in figura 1. Corinth. 10., ac proinde Sa-
„ crificia, Sacramenta, ritus omnes, typi
„ quidam erant noſtri Sacrificii, noſtrorum
„ Sacramentorum, ac rituum; unde vide-
„ tur colligi non fuiſſe illa Sacrificia, &
„ Sacramenta, niſi per analogiam ad noſtra.
„ Hoc, inquam, non obſtat; ſiquidem Sa-
„ cramenta Judaica erant quidem figura Sa- *Idem eſſe poteſt res, & figura.*
„ cramentorum noſtrorum, ſed non ſolùm
„ figuræ, verùm etiam res per ſe. Itaque
„ circumciſio non ſolùm erat figura Baptiſ-
„ mi, ſed etiam erat per ſe ceremonia in-
„ ſtituta ad initiandos homines illius tem-
„ poris, & adjungendos populo Dei; quare

„ erat

„ erat imperfectius Sacramentum, quam ſit
„ Baptiſmus, tamen abſolute, & pnpric
„ Sacramentum erat. Nam etiam bos eſt
„ animal imperſectius, quam ſit bomo, &
„ tamen bos abſolutè, & propriè animal
„ eſt: ſic etiam ordinatio Aaronica non ſo-
„ lum figura erat ordinationis noſtræ, ſed
„ etiam per ſe ceremonia conſecrans homi-
„ nes ad Sacrificia offerenda. Et ipſa quo-
„ que Sacrificia non ſolùm figura erant Sa-
„ crificii noſtri, ſed etiam per ſe Sacrificia,
„ Inſtituta ad cultum Deo exhibendum, ut
„ ſummo rerum omnium principio, & fini:
„ denique ipſe etiam populus Judaicus figu-
„ ra erat populi Chriſtiani, 1. Corinth. 10.,
„ & tamen quis ambigere poteſt, an non
„ fuerit etiam per ſe verus quidam populus?
„ Itaque non debent conferri res Judaicæ
„ cum noſtris, ut imago picta cum homine
„ vivo, ubi nihil eſt imago, niſi res alte-
„ rius, ſed ut filii parvuli conſetuotue cum
„ viris perfectis, ut facit Apoſtolos Gal. 4.
„ Eſt enim filius imago Patris, & tamen
„ etiam per ſe homo; & ut comparantur
„ certamina, atque exercitationes puериles
„ cum certaminibus, & exercitationibus vi-
„ rorum: ſunt enim certamina puerilia ima-
„ gines quædam majorum certaminum, ta-
„ men habent etiam ſuam oblectationem,
„ & utilitatem illi tempori congruentem --
Hæc Bellarminus, quem ob præclaram
hanc doctrinam nemo ſapiens dicet ad er-
rorem Pſeudo-Apoſtolorum accedere. Qua-
re ergo cum ſtatu figurativo non ſtabit ve-
rus Monachatus, qui ſit figura inſimul, &
res?

99 OBJIC. III. Ex ſanctitate, juſti-
tia, & perfectione juſtorum veteris legis non
evincitur probabilis ſententia Salmanticen-
ſium; hoc quippe argumento utuntur Rab-
bini ad probandam veterem legem fuiſſe per-
fectam; ſic Galianus 2. *p. diſc.* 5. §. 7., ubi
refert diſputationem S. Gregentii Archiepi-
ſcopi Tephrenſis cum Herbano Judæo appri-
me docto & legitur in Bibliotheca Veterum
Patrum editionis Pariſienſis anno 1644. In
hac porro, ut perfectionem legis Moſaicæ
comprobaret ſic argumentabatur Rabbinus --
„ Moyſes, & Elias non per hanc imperfe-
„ ctam legem noſtram viſi ſunt perfecti,
„ Deo legis præclare, & bene placentes?
„ Quam igitur ob cauſam legem imperfe-
„ ctam dixiſti? Ille quidem videtur os ad
„ os cum Deo collocutus eſſe, quemadmo-
„ dum quidam amicus cum amico dilecto
„ ſuo, atque Ægyptum, ut Deus Pharao-
„ nem, flagellavit ſeptem plagis, & alia
„ fortaſſe ipſe ſcis. Elias verò non ignem e
„ cælo eduxit, & pluviæ interclusit diſtri-
„ butiones, ut non plueret annis tribus, &
„ ſex menſibus? Non etiam quadraginta dies
„ jejunus ıtee fecit? Non in Horeb, in ſub-
„ tiliſſima aura perambulans, vidit Deum
„ legis, & inter vivos vivet ad hunc uſque
„ diem? Quomodo igitur legem ipſe affir-
„ mas parvulam, & inefficacem? -- Lo-
quens deinde de Noſtratibus ſubdit -- Si pro-
„ baret perfectionem ſtatus Religioſi Evan-
„ gelici in veteri lege, Judæus concluderet
„ perfectionem ejuſdem legis -- & proſequi-

tur rem declarare, ſed illos ſemper impli-
A cando terminos in ſpiritu legis gratiæ, in
ſpiritu Evangelico &c.

Quamvis hæc ſuperiùs fuerint enervata,
nihilotamenminus aliqua placet ſubdere, ad-
vertendo ad illam repetitionem ubique in-
culcatam de ſpiritu Evangelico in ſenſu re-
duplicativo, intendens noſtros Salmanticen-
ſes velle in veteri lege fuiſſe Monachatum,
non jam ſub ſtatu figurativo, neque ſervitu-
tis, ſed ſub ſtatu diei, lucisque meridianæ,
ut compertum ſit ex præcitato ejuſdem di-
ſcurſu. Hanc autem doctrinam nunquam
ſomniaverunt Patres noſtri, qui apte propu-
gnant Monachatum fuiſſe figurativum, &
B ſub ſtatu figurativo, non minus ac fuit Ec-
cleſia, Sacramenta, Sacrificia, Martyria &c.,
immo quia lex ipſa erat ſtatus figurativus,
concluſimus in ſuperioribus congruentiam
pro ſtatu Monachali figurativo noſtri ſtatus
Monachalis perfectiſſimi, quia fere omnium
earum rerum, quæ ſunt excellentiæ in lege
nova, præceſſerunt figuræ in lege veteri;
negamus quidem, quod eſſe figurativum, ſal-
tem in omnibus ſit idem, ac eſſe umbratile,
fictum non includens rei veritatem, quia
bene ſtat, quod aliquid ſit res vera, & al-
terius ſit figura, unde etiam ipſum Altaris
Sacramentum à Patribus vocatur typus tum
C Sacrificii incruenti Chriſti Domini, tum fu-
turæ gloriæ, & tamen eſt verum Sacrificium.

Veniamus nunc ad Rabbinum. Bonam
non fuiſſe veterem legem nuſquam Catholici
dixerunt, immo adverſus Manichæos, alioſ-
que ejuſdem furfuris hæreticos errorem hunc
adoptantes nervis omnibus pugnaverunt,
ſcientes ſcriptum eſſe ad Rom. 7. v. 12. *Ita-
que lex ſancta, & mandatum juſtum*. 1. ad
Timoth. 1. v. 8. *Scimus autem, quia bona eſt
lex; ſi quis ea legitime utatur*. Ad Heb. 9.
v. 20. *Hic ſanguis Teſtamenti, quod manda-
vit ad vos Deus*, atque cum Tridentino
Seſſ. 4. venerantur -- Omnes libros tam ve-
D „ teris, quam novi Teſtamenti: cum utriuſ-
„ que unus Deus ſit auctor --

Ultro concedunt Rabbinis in dicta lege
plurimos fuiſſe juſtos, ſicut etiam ſub lege
non ſcripta, quos Scriptura commendat Gen.
6. v. 9. *Noe vir juſtus, atque perfectus fuit in
generationibus ſuis cum Deo ambulavit*. Job 1.
v. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Job, &
erat vir ſimplex, ac timens Deum, & rece-
dens a malo*. Eccleſi. 44. v. 16. *Henoch pla-
cuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut
det gentibus pænitentiam*; & uſque ad cap. 51.
alios recenſet: Apoſtolus ad Heb. 11. Cata-
logum texit, cui præmittit fidei definitionem.
E *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum,
argumentum non apparentium; in hac enim
teſtimonium conſecuti ſunt ſenes*; quia quoad
ſubſtantiam eadem eſt fides antiquorum, ac
noſtrorum Patrum: unde Auguſt. *lib. 2. de
Peccato Originali contra Pelagium cap.* 25. ait
-- Eâdem quippe & ipſi fide mundabantur,
„ qua & nos; unde & Apoſtolus dicit: Ha-
„ bentes autem eundem ſpiritum fidei --
Epiſt. 89. ad Hilarium -- Hæc ergo fides etiam
„ antiquorum juſtorum fuit. Unde & Apo-
„ ſtolus dicit: Habentes autem eundem ſpi-
„ ritum fidei, propter quod ſcriptum eſt:
„ Cre-

Digitized by Google

„ Credidi &c. Non diceret eundem ſpiritum, niſi admonens etiam antiquos juſtos habuiſſe ipſum ſpiritum -- D. Th. 2. 2. *quaſt.* 1. *art.* 7. habet -- Quantum ad ſubſtantiam articulorum non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem, quia quæcumque poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicite --

Diſcrimen itaque Catholicos inter, & Rabbinos illud eſt, quo hi contendunt legem in ſe habere vim juſtificativam, & ex ſe, non autem ex alienis, videlicet ex futuris Chriſti meritis, ut inde colligant legem illam ſemper fore duraturam, & non cogerentur Chriſtum ſuſcipere. Catholici e contra negant ex ſe, & ex ſuis legem Moyſis fuiſſe perfectivam, & ſanctificativam, ſed advenire illi ex Chriſti meritis futuris: hæc eſt plana, & germana Chriſtianorum doctrina, & de hac lis erat in præcitata diſputatione coram Rabbi Herbani, & ideo reſpondit D. Gregentius -- Moyſes, & Elias nihil ad „ generis humani ſalutem perficere potuerunt, niſi unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus -- Hoc eſt ex propriis illius legis nihil proficere potuerunt, ſed ex illis, quæ ex Jeſu Chriſti meritis futuris accedebat: Auguſt. *lib.* 2. *de Peccato Original. contra Pelagium cap.* 25. rem ſequentibus dilucidat -- Quamvis enim nec lex „ per Moyſen data potuerit a quoquam homine Regnum mortis auferre, erant tamen & legis tempore homines Dei non ſub lege terrente, convincente, puniente, ſed ſub gratia delectante, ſanante, liberante -- *& lib.* 3. *contra duas Epiſt. Pelag. cap.* 4. poſt plura pro re nata habet -- „ Eligamus igitur, utrum antiquos juſtos ancillæ filios dicamus, an liberæ? Abſit autem ut ancillæ; ergo filii liberæ ad novum pertinent Teſtamentum in Spiritu Sancto, quem vivificantem occidenti litteræ opponit Apoſtolus -- Idem alibi ſæpe: Auguſtino concinit Angelicus 1. 2. *quaſt.* 107. *art.* 1. *ad* 3. -- Illi qui in veteri Teſtamento „ Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundum hoc ad novum Teſtamentum pertinebant: non enim juſtificabantur, niſi per fidem, qui eſt auctor novi Teſtamenti -- *&* 1. 2. *quaſt.* 98. *art.* 2. *ad* 4. -- Dicendum quod „ quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines, tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus ſimul cum lege, propter quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur --

Juſti legis veteris ad novum ſpectabant.

Itaque quæ a Patribus dicuntur de juſtis veteris Teſtamenti, eadem plane de Monachatu intelliguntur, videlicet, quod ex propriis non erat perfectivus, non erat ſanctificativus, ſed ex auxilio meritorum Chriſti; non a lege, non ab inſtitutione ſub illa lege, ſed ex Chriſti meritis paupertas, caſtitas, obedientia, jejunium, cæteraque divini cultus ad ſpiritualem profectum promovebant, atque æternæ gloriæ meritum fundabant, conferendæ tamen per conſummatam Mediatoris redemptionem. Concedimus ultro, quæ ex Angelico admiſcet Adverſarius, aliquos, ſcilicet, eſſe in ſtatu perfectionis, & haud eſſe perfectos, & e contra quoſdam eſſe perfectos extra perfectionis ſtatum; non enim ſtatus ſanctificat perſonas, ſed practica profeſſio virtutum: ſtatus media præſcribit ad ſanctitatem; non igitur amandandus eſt a lege veteri Monachatus, quia poterant aliqui extra illum eſſe Sancti, alii verò eſſe poterant mali etiam in illo; aliàs rejiciendus eſſet Monachatus novæ legis, cum aliqui ejuſdem profeſſores damnentur.

Perfectio antiqui Monachatus ex Chriſti meritis.

100 OBJIC. IV. -- Non ſit probabilis ſententia Salmanticenſium ex eo quod „ exemplaritas Chriſti fuerit revelata Monachis in inſtitutione illius ſtatus, & virginitas futuræ Deiparæ ex voto, & in hac exemplaritate cognoverunt vitam Chriſti, ſpiritum legis gratiæ, & myſteria Redemptionis, & Regnum Cœlorum, ut vota emitterent ex fide communi in Chriſtum venturum, quia hoc argumento utebantur Manichæus, Fauſtus, Pelagius dicentes, quod Chriſtus futurus explicite fuit revelatus Judæis ex fide communi illius legis, myſteria Eccleſiæ, ſenſus ſpiritualis apertus, & Regnum Cœlorum promiſſum per fidem in Chriſtum futurum, & ex meritis illius; ergo.

Si Lector ingenuus argumentum hocce conferat cum doctrina Salmanticenſium, compertum habebit eo dirigi, ut eos inviſos, atque Pelagianiſmo infectos reddat. Interim placet advertere Adverſarium velle doctrinam, quam pluribus ipſe involvit, a Salmanticenſibus adoptari veluti ſuæ Theſis fundamentum, cum eam, recto tamen ſenſu, curſim referant in ſolutione dubii, qualiter potuerit in lege veteri cognoſci perfectio Evangelicorum conſiliorum. Id enim dupliciter explicant, primò ex privata revelatione primis Profeſſoribus facta, qui ſive verbo, ſive exemplo rem poſteris commendarunt; ſicut alia plura fuere Prophetis revelata, a quibus notitia ad alios deſcendit: erat enim apud Hebræos ſua Traditio: ſecundò ex myſteriorum ſeria conſideratione, accedente fidei lumine eo tempore congruo. Fides proponebat ſacrificia, præcepta, proponebat Prophetias, in quibus Chriſti, & ejuſdem legis arcana involvebantur; eaque propter in figura illis contingebant. Audiamus Angelicum 1. 2. *quaſt.* 101. *art.* 2. -- In veteri lege „ neque ipſa divina veritas in ſe ipſa manifeſtata erat, neque etiam adhuc propalata erat via ad hoc perveniendi, ſicut Apoſtolus dicit ad Heb. 7. Et ideo oportebat exteriorem cultum veteris legis non ſolum eſſe figurativum futuræ veritatis, manifeſtandæ in patria, ſed etiam eſſe figurativum Chriſti, qui eſt via ducens ad illam patriæ veritatem --

Quaſt. 102. *art.* 2. *in corpore* -- Rationes præceptorum ceremonialium veteris legis dupliciter accipi poſſunt, uno modo ex ratione cultus divini, qui erat pro tempore illo obſervandus; & rationes illæ ſunt litterales, ſive pertinent ad vitandum Idololatriæ cultum, ſive ad rememoranda aliqua Dei beneficia, ſive ad inſinuan-

„ ſinuan-

„ ſignandam excellentiam divinam, vel etiam
„ ad deſignandam diſpoſitionem mentis, quæ
„ tunc requirebatur in colentibus Deum; alio
„ modo poſſunt eorum rationes aſſignari ſe-
„ cundum quod ordinabantur ad ſignifican-
„ dum Chriſtum , & ſic habent rationes
„ figurales, & myſticas , ſive accipiantur ex
„ ipſo Chriſto , & Eccleſia , quod pertinet
„ ad allegoriam, ſive ad mores populi Chri-
„ ſtiani, quod pertinet ad moralitatem, ſive
„ ad ſtatum futuræ gloriæ , prout in eam
„ introducimur per Chriſtum , quod perti-
„ net ad anagogiam -- & proſequitur expli-
care præcepta illa ſecundùm iſtam regulam .

Porro Viri Dei , qui attente , & ſedulò Divinam meditabantur Scripturam , Deo mentem illuſtrante , perveniebant ad cognitionem aliquorum myſteriorum ; non enim iis , qui ſeriò ad cognitionem arcanorum pervenire ſatagebant , denegabat Deus ſufficiens auxilium ; e divina namque erat providentia , ut aliqui eſſent , qui in divinorum cognitione aliis præcellerent . Chriſtus Dominus remiſit Judæos ad contemplationem Scripturarum , ut in eis ipſum agnoſcerent : Joan. 5, v. 38. *Scrutamini ſcripturas*: veteris ſcilicet Teſtamenti ait D. Tho. --
„ Nam fides Chriſti in veteri Teſtamento
„ continebatur , ſed non in ſuperficie , quia
„ in profundo obumbrata figura latebat -- &
ideo ſignanter dixit : *Scrutamini* : quaſi in profundum quærite : hoc exoptabat David , adeoque Deum exorabat Pſal. 118. v. 34. *Da mihi intellectum , & ſcrutabor legem tuam* . Admonet Scriptura Sacra , quod ſi ſapientiam quæremus ſollicitè , ea obviabit nobis Proverb. 2. 24. *Si quæſieris eam quaſi pecuniam , & ſicut theſauros effoderis illam* . Eunucho Candacis Reginæ Iſaiam attentè legenti miſit Dominus Philippum , qui Scripturas explicaret ; ſic mittit lumen ſuum ſincerè ſcrutanti divina eloquia .

Hinc D. Auguſtinus *lib. de catechizandis rudibus cap.* 19. loquens de Patribus veteris legis , habet -- Neque tunc ſane defue-
„ runt juſti , qui Dominum pie quærerent ,
„ & ſuperbiam Diaboli vincerent : Cives il-
„ lius ſanctæ civitatis , quos Regis ſui Chri-
„ ſti ventura humilitas per ſpiritum revelata
„ ſanavit , ex quibus Abraham pius , & fide-
„ lis Dei Servus electus eſt , cui demonſtra-
„ retur Sacramentum filii Dei -- Per ſpiri-
tum revelata , ideſt media contemplatione . D. Hieronymus *ad Gal. cap.* 2. admonendum dicit -- Sanctos , qui antiquitùs fuerint , ex
„ fide Chriſti juſtificatos ; ſiquidem Abra-
„ ham vidit diem Chriſti , & lætatus eſt ,
„ & Moyſes majores divitias æſtimavit the-
„ ſauro Ægyptiorum improperium Chriſti ;
„ aſpiciebat enim in remunerationem --
S. Th. 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 3. *ad* 1. ponit triplicem modum contemplandi res divinas inquiens -- Dicendum , quod mens humana
„ divinitùs rapitur ad contemplandam veri-
„ tatem divinam tripliciter : uno modo , ut
„ contempletur eam per ſimilitudines quaſ-
„ dam imaginarias , & talis fuit exceſſus
„ mentis , qui cecidit ſupra Petrum : alio
„ modo , ut contempletur veritatem divi-
„ nam per intelligibiles effectus ; ſicut fuit
„ exceſſus David dicentis : ego dixi in ex-
„ ceſſu meo : omnis homo mendax : tertio
„ modo , ut contempletur eam in ſua eſſen-
„ tia , & talis fuit raptus Pauli , & etiam
„ Moyſis -- Cognitæ ergo veritati in figuris
incluſæ Sancti Patres adhærebant : ut docet Angelicus 3. *p. quæſt.* 8. *art.* 3. *ad* 3. præclaro illo effato ſuperius recenſito -- Sancti Patres
„ non inſiſtebant Sacramentis legalibus tam-
„ quam quibuſdam rebus , ſed ſicut imagi-
„ nibus , & umbris futurorum ; idem autem
„ eſt motus in imaginem , in quantum eſt
„ imago , & in rem , ut patet per Philoſo-
„ phum in lib. de memoria , & reminiſcen-
„ tia , & ideo antiqui Patres ſervando lega-
„ lia Sacramenta ferebantur in Chriſtum per
„ fidem , & dilectionem eandem , qua &
„ nos in ipſum ferimur , & ita Patres anti-
„ qui pertinebant ad idem corpus Eccleſiæ ,
„ ad quod nos pertinemus --

Quare Chriſtus in lege veteri proponebatur communiter implicitè in figuris, quas ſanctiores, & illuminatiores penetrantes clariùs arcana detegebant , nunc autem Chriſtus omnibus proponitur credendus explicite , non ſub velaminibus figurarum , ſed aperta luce ; quia Deus locutus eſt noviſſimis diebus in filio , qui olim loquebatur in Prophetis : audiamus iterum D. Th. elucidantem veteris legis ſtatum , 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 7. -- Poſt peccatum , ſcilicet Adæ, fuit
„ explicite creditum myſterium Incarnatio-
„ nis Chriſti non ſolùm quantùm ad incar-
„ nationem , ſed etiam quantum ad paſſio-
„ nem , & reſurrectionem , quibus huma-
„ num genus a peccato , & morte liberatur ;
„ aliter enim non præfiguraſſent Chriſti paſ-
„ ſionem quibuſdam ſacrificiis , & ante le-
„ gem , & ſub lege , quorum quidem ſacri-
„ ficiorum ſignificatum explicite majores co-
„ gnoſcebant , minores autem ſub velamine
„ illorum ſacrificiorum credentes ea divi-
„ nitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo ,
„ quodammodo velatam habebant cognitio-
„ nem -- Hæc D. Th. Hæc Salmantic.

Quænam autem hæreſis Pelagii fuerit docet nos Aug. *lib.* 2. *de Peccato Originali contra Pelag. cap.* 26. -- Hæc diſputantes (*ſci-*
„ *licet Pelagius , & Cœleſtius*) a gratia
„ mediatoris excludere conantur antiquos ,
„ tamquam Dei , & illorum hominum non
„ fuerit homo mediator Chriſtus Jeſus , qui
„ nondum ex utero Virginis , carne ſuſce-
„ pta , homo nondum fuit , quando illi juſti
„ fuerunt ; quod ſi ita eſſet , nequaquam
„ Apoſtolus diceret. Per hominem mors , &
„ per hominem reſurrectio mortuorum . Si-
„ cut enim in Adam omnes moriuntur , ſic
„ in Chriſto omnes vivificabuntur -- & alibi,
quem conſtanter ſequitur D. Thomas , cujus jam dedimus ſenſa .

Illi , quod forte minus caute aliquoties repetit arguens , Hebræis nempe non fuiſſe promiſſum Regnum Cœlorum , in ſuperioribus abunde Scripturis , & Patribus fecimus ſatis , nunc addo aliquas Doctorum auctoritates , Patet Suarez *lib.* 9. *de legibus cap.* 3. *n.* 3. -- Dico ergo primò : finis ulti-
„ mus per illam legem principaliter inten-
„ tus fuit ſpiritualis , & ſupernaturalis feli-

„ citas illius populi -- *& ibid. cap. 6. n. 20.* -- „ Non videtur poſſe negari, quin antiqui „ obſervatores legis Moyſis vitam æternam „ per eam ſperarent -- Pater Vaſquez 1. 2. *quæſt. 99. ad art. 6. in notationibus* -- Cete- „ rum ob id concedi non poteſt Patres vete- „ ris Teſtamenti ante Chriſti adventum „ ignoraſſe animæ immortalitatem, & pro- „ miſſiones æternorum bonorum -- Abulenſis *in cap. 15. Geneſ.* -- Sicut Deus non ſolùm pro- „ miſit hic Abrahæ bona temporalia in ſemi- „ nis multiplicatione, ſed etiam vitam æter- „ nam, ita Abraham intellexit bona æterna „ eſſe ſibi, & ſemini ſuo promiſſa. Quod ma- „ nifeſtat Chriſtus Joan. 8. Abraham Pater „ veſter exultavit, quomodo videret diem „ meum; vidit, & gaviſus eſt..... Eccleſia „ univerſaliter ſequens hunc ſenſum cantat „ in officiis mortuorum: ſed Signifer Sanctus „ Michael repræſentet eas in lucem ſan- „ ctam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & „ ſemini ejus..... Senſus litteralis hujus „ propoſitionis erit principaliter bonorum „ æternorum promiſſio, & ſecundario pro- „ miſſio bonorum terrenorum --

Lorca *in Tractat. de legibus diſp.* 30. plura erudite habet ad rem -- Quod attinet ad „ fidem, & ſpem æternorum, immortalita- „ tis animæ, ultimi judicii æternæ Beatitu- „ dinis, & altioris præmii, ac gravioris „ ſupplicii, quam in hac vita ſperari poſſit; „ perſpicua, & vulgata notitia in illo po- „ pulo fuit, quod multis ſcripturæ teſtimo- „ niis facile oſtendi poteſt -- aliquas probationes ſubdit, & poſt alia habet -- Ex hoc „ verò non inferat aliquis non fuiſſe in Te- „ ſtamento veteri promiſſionem vitæ æter- „ næ, & bonorum ſpiritualium, eſt enim „ maximus error, & qui maximè adverſa- „ tur noſtræ fidei: demonſtratur hoc eſſe „ verum &c. -- & alibi ſatis bene idem propugnat. Alios prætermitto videndos *in Tractat. de legibus*. Solummodo placet addere momentum ex D. Th. 2. 2. *quæſt. 2. art. 8. ad* 1., ubi loquens de duobus fidei articulis Pauli ad Heb. 11. nempe: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit*, habet -- Illa „ duo explicitè credere de Deo omni tem- „ pore, & quoad omnes neceſſarium fuit -- & eadem explicans 3. *diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 4. ad* 1., habet -- Dicendum, quod „ Apoſtolus poſuit illa, quæ oportuit credi „ explicitè a quolibet homine in quocum- „ que ſtatu -- *In Commentariis autem ad Heb.* 11. exponens articulum ſecundum, habet -- „ Et inquirentibus ſe remunerator ſit. Iſai. „ 40. Ecce Dominus veniet, ecce merces „ ejus cum eo; merces autem eſt illud, quod „ homo quærit in labore. Matth. 20. Voca „ operarios, & redde illis mercedem; quæ „ merces nihil aliud eſt, quam Deus, quia „ nihil extra ipſum debet homo quærere. „ Geneſ. 15. Ego protector tuus ſum, & „ merces tua magna nimis; Deus enim ni- „ hil dat niſi ſeipſum. Pſal. 15. Dominus „ pars hæreditatis meæ, & calicis mei. „ Thren. 3. Pars mea Dominus dixit anima „ mea &c. Et ideo dicit; remunerator eſt „ inquirentibus eum, non aliud. Pſal. 104. „ Quærite Dominum, & confirmamini. „ Quærite faciem ejus ſemper --

Hic placet advertere modum arguendi D. Pauli eo loci. Ut probet Henoch fuiſſe translatum, prævie innuit Deo placuiſſe, proindeque fidem habuiſſe, ſine qua eidem placere haud poſſibile jure cenſetur: exponit hinc qualitatem objecti credendi, nempe, *quia Deus eſt, & inquirentibus remunerator eſt*. Fides autem, per quam Deo placuit, erat ſupernaturalis: per naturalem enim non habetur juſtificatio, adeoque etiam remuneratio, quæ eſt objectum creditum, ad ſupernaturalem ordinem ſpectare debet, ut conſona habeatur proportio. Remuneratio, de qua Apoſtolus, ad finem ultimum pertinet: porro principium, & ultimus finis ſibi correſpondent: ſi ergo fides, quæ eſt principium, eſt ſupernaturalis, ejuſdem ſimiliter ordinis eſſe debet finis ultimus: proximus finis promiſſionum in veteri lege bona erant temporalia, in nova verò uterque finis promiſſionum eſt ſpiritualis, atque ſupernaturalis. Per accidens temporalia promittuntur, & ut ad æterna conducunt. In hac lege ſupernaturalium, atque æternorum promiſſio eſt magis manifeſtata, quam in veteri; ex propter optime potuere Monaſtici Inſtituti Sectatores excitari ad bene agendum illecti ſpe æternæ felicitatis, non quidem pro eo ſtatu conferendæ, ſed poſt Chriſti adventum.

Fides ſupernaturalis bonum reſpicit ſupernaturale.

101 OBJIC. V. -- Non fit probabilis „ ſententia Salmanticenſium illo argumento „ ex cognitione virtutis, & excellentiæ voti: „ patet in lege gratiæ, in qua luce pleniore „ fidei cognoſcuntur virtutes, & votorum „ excellentia, & multi virtutes ſervant in „ gradu heroico ſine voto. Favet etiam „ Deus ſanctis propoſitis, & ad obſervan- „ tiam virtutum, conſiliorum etiam ſine „ voto adjuvat -- Sic Adverſarius.

Verùm enim verò quid hæc contra Salmanticenſes? Ultro concedimus abſque voto ſervari poſſe conſilia, virtuteſque exerceri, & quidem excellenter. Indubium tamen illud eſt eorundem obſervantiam, deficiente voto, Religioſum nequaquam conſtituere ſtatum, atque rerum naturâ ſpectatâ, non tanti valere, quanti eadem valent cum voto exercita. Equidem contingere poteſt, opus ſine voto magis fore meritorium ratione intenſioris gratiæ, atque fervoris, verùm de hoc non recurrit quæſtio. Ceterum ut argumentum urgeret, deberet Adverſarius oſtendere veteres ſanctitatis Sectatores, quos nos Monachos nuncupamus, ſine voto egregia exercuiſſe virtutum opera.

Sine voto virtutes poſſunt exerceri.

RELIQUA GALIANI ARGUMENTA EX MONUMENTIS BREVIARII DESUMPTA REFELLUNTUR.

IN ſecundo paragrapho collegit Galianus ex Eccleſiaſticis Officiis, quæ in Breviario recenſentur, quædam momenta, quibus contendit palam facere Monachatum veteris legis nequaquam cohærere cum Eccleſiæ doctrina.

ctrina. Equidem nihil his ſuperaddir, quæ in hujuſce Diſputationis decurſu retulimus, unde nuva non indigent ſolutione. Referuntur tamen, ut nonnulla, eruditionis cauſâ, addantur.

102 OBJICIT ergo I. Salmanticenſes ſupponunt data fuiſſe in veteri lege Evangelica Conſilia; atqui hoc eſt falſum, ut evincitur ex his, quæ habentur in Officio Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam, ubi *in homilia S. Auguſtini lect. III.* legitur -- Servaſti „ vinum bonum uſque adhuc; bonum enim „ vinum Chriſtus ſervavit uſque adhuc, ideſt „ Evangelium ſuum -- ea propter ante Evangelium in nullo fuit ſpiritus Evangelii.

II. De B. Andrea Apoſtolo, quem Monachum dicunt, utpote Præcurſoris Diſcipulum, *in ſecundo reſponſorio Nocturni I.*, & *ex homil. S. Gregorii* proprium habuiſſe dicitur: nam relictis retibus ſecutus eſt Chriſtum.

III. Ex Officio S. Barnabæ *ex homil. Sancti Joannis Chryſoſtomi* habetur novum, & inſolitum præliandi modum in paupertate ſumpſiſſe in Apoſtolis exordium: hoc porro non componitur cum voto paupertatis in veteri lege.

IV. In homilia, quæ legitur *in Noct. III. in ſolemnitate S. Caciliæ lect. I.* aperte declaratur Virginitatem cultum non habuiſſe in lege prædicta.

V. In lectionibus Noct. III., quæ in Communi Virginum ſecundo loco ponuntur, *ex homil. Chryſoſtomi lect. I.* -- legitur expreſſe „ quod conſilium Virginitatis non fuerit re„ velatum in veteri lege -- atque Chriſtum Judæos latentet ad eligendam Virginitatem induxiſſe, dum eam virtutem eſſe poſſibilem aſtruebat,

VI. In eodem Officio, quod primò ponitur, ſermo habetur *in Noct. II. S. Ambroſii* aſſerentis Virginitatem non facilè inveniri in terris: niſi poſtquam Deus carnem aſſumpſit ex Virgine.

VII. Ex Officio Conceptionis B. V. die XV. Decembris *in homil. S. Joann. Chryſoſtomi lect. III.* ſequentia referuntur -- Noluit „ Evangeliſta, recenti adhuc tempore novi „ illius, admirandique partus, Judæis eſſe „ manifeſtum, quod Chriſtus natus fuiſ„ ſet ex Virgine. Neque proprius noſter „ hic ſermo eſt, ſed a nobis de Patrum, „ atque inſignium Virorum traditione ſu„ ſceptus -- Hoc clare probat, quod tot Monachi non fuere Virgines.

VIII. idem Chryſoſtomus *in homil.*, *quæ legitur in feſto S. Jacobi Majoris lect. I.* habet -- Quod igitur nihil ſpiritale petebant, „ nec de cœleſti Regno quidquam cogita„ bant, perſpicuum eſt -- Ecce Apoſtoli, nondum conſummato Crucis Myſterio, de Cœlorum Regno non cogitabant, & hoc quia adhuc imperfecti erant: quomodo ergo audent Salmanticenſes ponere in veteri lege Monachos, qui ſpiritualia peterent? Quomodo volunt B. Andream ut Monachum omnia reliquiſſe, ſi Eccleſia Apoſtolos vocat imperfectos? In eadem Homilia de Apoſtolis legitur non cognoviſſe Myſterium Crucis, quomodo igitur Crux in veteri Teſtamento cognita erat, & revelata? Et clariùs in Officio Dominicæ Quinquageſimæ, ubi *in Evangelio S. Luca cap. 18.* Chriſto prædicente paſſionem, ſuamque mortem, Diſcipuli verbum hoc non intellexerunt; quia myſterium eis erat abſconditum, ubi Gregorius *in hom. lect. I.* -- Sed quia carnales adhuc diſcipuli „ nullo modo valebant capere verba myſte„ rii, venitur ad miraculum -- Si Apoſtoli erant carnales etiam dum cum Chriſto converſabantur, quomodo Monachi veteris legis ſpirituales dicentur? Hæc momenta veluti maximi ponderis urget, utpote quæ Patrum doctrinam univerſæ Eccleſiæ propoſitam præcontinent.

Si quis ſuperiora recolat, compertum habebit hiſce omnibus factum fuiſſe ſatis. Ceterum ad primum reſpondendo, ſi argumentum urgeret, jam aſſerendum eſſet a veteri lege ablegatam eſſe conjugalem caſtitatem: ſic enim ibidem diſcurrit Auguſtinus -- „ Venit ad nuptias, ut conjugalis caſtitas „ firmaretur, & oſtenderetur Sacramentum „ Nuptiarum: quia & illarum Nuptiarum „ Sponſus perſonam Domini figurabat, cui „ dictum eſt: ſervaſti vinum bonum uſque „ adhuc -- His plane fit conjugalem caſtitatem ad bonum vinum, ideſt, ad Evangelium ſpectare: eodem modo Auguſtinus ſermonem inſtituit de Virginitate, quæ itidem ex nuptiis Chriſti cum Eccleſia ad conſummatæ, ideſt, Evangelicæ gratiæ perfectionem elevata eſt -- Nam & ipſæ, *ſupple Virgines*, „ pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, „ in quibus nuptiis Sponſus eſt Chriſtus -- Ex quo habemus haſce virtutes in veteri lege ſolummodo caruiſſe propria legis gratiæ perfectione.

Virtutes ex Chriſti adventu perfectæ.

Ad II. Cum Adverſarius argumentum deſumat a Reſponſorio, ex eodem reſponſum damus. Ibi dicitur -- Mox ut vocem „ prædicantis audivit B. Andreas, relictis „ retibus, quorum uſu, actuque vivebat &c. -- In his nulla occurrit mentio dominii, ſed tantummodo uſus: male igitur infert Galianus ex recitatis verbis, *relictis retibus* proprium habuiſſe: potuit enim, ut perfectiora ſectaretur, etiam retium uſum abrenunciare; verùm Chriſtus oſtendit ejuſdem ſequelæ piſcatoriam artem haud officere. Et ſane non bene inſtitueret argumentum, ſi quis, ut evinceret Petrum egiſſe contra profeſſionem ſummæ paupertatis (omnia quippe reliquerat Luc. 19.) diceret poſt Chriſti paſſionem uſum fuiſſe navi, & retibus ad piſcandum; ergo ſimiliter non bene arguit B. Andream aliquid proprium habuiſſe, dum Præcurſoris diſcipulus erat, quia ad Chriſti vocem retia dicitur reliquiſſe.

Rerum uſus non adverſatur paupertati.

Ad III. Audiamus ibidem S. Doctorem, ut ejuſdem ſenſa percipiamus. habet igitur -- „ Jam verò ut intelligant novum hoc eſſe „ belli genus, & inſolitum præliandi mo„ rem, cum illos nudos mitteret, unicâ „ indutos tunicâ, ſine calceis, abſque vir„ ga, & abſque zona, & pera, & ab ex„ cipientibus ali juberet -- Deſcribit hic Chryſoſtomus arctiſſimum paupertatis genus aſſumptum, tanquam medium ad enunciandum Evangelium, ad idololatriam profligandam,

dum, ad univerſum, qua late patet, orbem Chriſto ſubjiciendum: porro nemo unus in- A ficias ibit hoc proprium fuiſſe Apoſtolorum, atque ab his cœpiſſe. Equidem nulla Religio, niſi Chriſtiana hoc modo fuit propagata; ſed hinc perperam dicetur, non aliud, licet inferius, paupertatis genus fuiſſe: eſt enim illatio a diſſimilibus, & diſparatis. *Vide ſuperius n.* 54.

A diſſimilibus non bene arguitur.

Ad IV. Chryſoſtomus dum ibidem habet -- Quia neque in veteri Teſtamento a „ priſcis illis, ſanctiſque viris culta fuit -- loquitur de Abraham, Iſaac, Jacob, & ſimilibus, loquitur de cultu ex vi legis, loquitur in communi, & ex generali profeſſione, ſicut dicitur -- B *Omnis caro corruperat viam ſuam. Non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Omnis homo mendax*; verba hujuſmodi innuunt multitudinem a recto virtutis tramite deficere, ſeens ſingulos homines ſure malos. Indubium ſane eſt in veteri lege Virginitatem non habuiſſe, quem nunc habet, cultum; nam, ut dicebat Auguſtinus, verba Salvatoris repleverunt deſerta Anachoretis, immo & Urbes Monaſteriis Virginum; & de facto laudatus Chryſoſtomus aliquos Virgines in veteri lege agnovit *lib. de Virginit. cap.* 79. ad illa verba: *Neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei* -- C Qua enim quæſo re ab Angelis „ differebant Elias, Eliſeus, Joannes, ger„ mani hi Virginitatis amatores? Nulla; „ niſi quod mortali natura erant obſtricti -- Hinc proſequitur explicare eorundem egregias animi dotes, quas ipſis ex Virginitate obveniſſe confirmat -- Virginitatem autem „ fuiſſe, quæ tales eos reddiderit, ex eo per„ ſpicuum eſt: nam ſi uxores habuiſſent, & „ liberos, haud facile adducti eſſent, ut in „ ſolitudine viverent, & ſuas familias con„ temnerent, & cetera, quæ neceſſaria ſunt „ ad vitam, non compararent -- Ex quibus evincitur Monachus inſimul fuiſſe, & Virgines. D Non ergo in relata Chryſoſtomi auctoritate abſolute, ſed ſolummodo quoad univerſalitatem excluditur Virginitatis, & Monachatus exercitium.

Bona plurima ex Virginitate.

Ad V. In meo Codice nullum occurrit verbum, unde colligatur, quod arguens ore patulo aſſerit, nempe -- Legitur expreſſe, „ quod conſilium Virginitatis non fuit re„ velatum in lege veteri -- Quæ ſubdit, abs re aſſeruntur. Tantummodo enim innuere vult Chryſoſtomus Virginitatis conſilium durum fore, & grave carni, videlicet quærenti, quæ ſua ſunt, atque voluptatibus inhianti; ea propter Chriſtus blande, ſuaviterque oſtendebat Virginitatis cultum eſſe E poſſibilem, atque præmii promiſſione ad eam amplectendam alliciebat. Præluſiſſe apud Hebræos aliquam Virginitatis notionem abunde in ſuperioribus probatum eſt.

Chriſtus promiſſionibus ad Virginitatem alliciebat.

Ad VI. Audiamus S. Doctorem -- Quis „ igitur neget hanc vitam fluxiſſe de Cœlo, „ quam non facile invenimus in terris, niſi „ poſtquam Deus in hæc terreni corporis „ membra deſcendit -- His plane fit abſolute non negare ante Chriſti adventum Virginitatem, ſed facilitatem, atque frequentiam; quod ultro conceditur: multitudo namque corporali incumbebat propagationi; A nunc autem Eccleſia ſpiritualibus maxime ſtudet; hinc ut magis, magiſque cœlibatus efforeſceret, Eccleſiaſtico Ordini Virginitatis præceptum adjecit, atque diverſa Ordinum genera conſecravit. Aliàs mens S. Doctoris in aperto eſt: ſtatim enim exemplum ponit in Virginitate Eliæ. *Vide ſuperius n.* 27.

Studium Virginitatis alias rarum.

Ad VII. Illatio arguentis ex Chryſoſtomo non eſt directa: etenim ex quo Chriſti nativitatem noluerit ſub initio enunciare Evangeliſta, non ſequitur neminem ante Chriſtum Virginem fuiſſe, aut myſterium hoc antiquis non fuiſſe revelatum. Certum eſt enim Chriſtum ex Virgine naſciturum a B Prophetis fuiſſe manifeſtatum, ut evincunt Catholici adverſus Hebræos, & ſapientiores ex Rabbinis faſſi ſunt. Sub Eccleſiæ primordiis, divina dirigente Providentia, factum eſt, ut difficiliora myſteria prudenter traderentur. Prædicabat enim Eccleſia Judæis, atque Gentibus Evangelium, quibus Chriſtus erat ſcandalum, & ſtultitia. Ceterum conſtans Eccleſiæ Traditio eſt, Apoſtolos exordientes prædicationem, Chriſtum ex Virgine natum enunciaſſe, atque in Symbolo inter fidei articulos enumeraſſe. *Vide ſuperius n.* 35.

Chriſtum ex Virgine naſciturũ Prophetæ dixerunt.

Ad VIII. Arguens, ni fallor, majori C diſtinctione loqui deberet, ne injurius videatur Apoſtolis. Chryſoſtomus, cum dicit ipſos nihil ſpiritale petiiſſe, nec de Cœleſti Regno quidquam cogitaſſe, loquitur determinate, & dilucide de petitione filiorum Zebedæi, qui ad dexteram, ſiniſtramque in Regno Dei ſedere exquirebant, arguens verò dictum illud univerſaliter aſſumere videtur, nempe, quod ad illud uſque tempus Apoſtoli de Cœlorum Regno nihil cogitaverint, nihilque ſpiritale petierint, quæ extenſio ſane exorbitat. Erant quidem adhuc imperfecti, erant aliqualiter carnales, verùm non ita ut de ſpiritualibus nihil ſaperent. Toties D enim de cœleſtibus diſſerentem Magiſtrum ſuum audierant; toties ab ipſo exquiſierant Parabolarum, quas non percipiebant, explicationem: aliàs nonne Petrus omnium Apoſtolorum nomine dixit Joan. 6. v. 69. *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes?* Nonne Matth. 5. ſermonem de Beatitudinibus audierant? Unde Auguſtinus *Ser. 1. de verbis Domini*, habet -- Et accedunt ad eum „ Diſcipuli ejus, ut audiendis illius verbis hi „ eſſent etiam corpore viciniores, qui præ„ ceptis adimplendis etiam animo appropin„ quabant -- Quoniam verò exemplum adoptat B. Andreæ, legat, quæ in laudato re- E ſponſorio habentur -- Relictis retibus, quo„ rum uſu, actuque vivebat, æternæ vitæ „ ſecutus eſt præmia largientem -- Quod ſi a ruditate, ut ſic dicamus, & carnalitate, quam Apoſtolis affingit Galianus, valeret illatio, nemo unus in veteri lege ſpiritualia cogitaſſet, nullus perfectionem, nullus ſalutis ſtatum fuiſſet conſecutus, quod utique a veritate aberrare ad unum omnes fateantur neceſſe eſt.

Apoſtoli quovis tempore ad cœleſtia aſpirabant.

Nullum ergo momentum ab Adverſario excogitatum improbabilem reddit Patrum Salmanticenſium aſſertionem, aut enervare

poteſt

poteſt tot Patrum, Doctorum, ſacrorum Interpretum, Hiſtoricorum auctoritates, quibus laudati Patres ſententiam ſuam propugnant: ea propter jure optimo dicere potuit Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 1. -- „ Multorum ſententia eſt ſtatum Religioſum „ antiquiorem eſſe ſtatu legis gratiæ --

Patrum auctoritas veneranda. Provinciam hanc fuſiori fortaſſis calamo ſuſcepi defendendam; verùm tria ad hoc me adegerunt; Sanctorum Patrum reverentia id primum fuit; aperte quidem novi Sanctos Patres ad propugnanda pleraque Catholicæ Eccleſiæ dogmata, atque ad veteres revincendos Hæreticos ad ſtatum veteris legis confugiſſe. Ut firmarent laudabilem jejuniorum uſum, ſolitudinem, Virginitatem, Monaſtica vota, & hujuſmodi alia ad antiqua Sanctorum exempla reſpexiſſe compertum eſt. Hoc adoptarunt Controverſiſtæ, qui toto niſu inſurrexerunt adverſus Hæreticos, everſores Monachatus, Viginitatis, cœlibatus &c., ut videre eſt in Bellarmino, Coccio, Pigio, Cœfeteau, aliiſque, qui de hiſce dogmatibus ſcripſere; cumque hoc argumenti genus apud ipſos ſolemne ſit, eorundem inſiſtens veſtigiis illud adoptare neceſſarium mihi viſum fuit, & quanti valeat pro viribus adverſus eos oſtendere, qui ipſum ob privata quædam ſtudia infirmare conantur. Cauſa communis, nempe Catholica Fides, ceteris præferenda eſt, ſemperque mihi perſuaſum fuit non eſſe diruenda, aut debilitanda principia, quæ Patres contra Fidei hoſtes protulere, ut noſtras opiniones in Theologicis ad fidem, vel ad mores nequaquam neceſſarias tueamur, ſed potius e re Catholica eſſe debet illa principia corroborare, quamvis vel tantum probabilia ſint, vel etiam ſine illis fidei dogmata defendi poſſint.

A Aliud eſt utilitas: etenim occaſione hujuſce diſputationis plura retulimus, quæ mire deſerviunt, ut recte dignoſcatur, atque ſtatus legis veteris diſcriminetur a ſtatu novæ legis adverſus Rabbinorum, atque Heterodoxorum errores.

Tertium demum eſt debita erga Magiſtros reverentia. Cum enim Salmanticenſes doctrinam hanc propugnaverint, atque a nonnullis perperam fuerint intellecti, neceſſe fuit ad complementum doctrinæ de ſtatu Religioſo, qui potiſſimum ad Evangelica Conſilia ſpectat, eos defendere.

B Quoniam verò quoſdam animadverti timide admittere in veteri lege Monachatum licet figurativum, ex quo in nova lege dari deberet Religio, quæ illi ſuccederet, ſicut dantur impræſentiarum Sacramenta, quæ veteribus ſucceſſoria ſunt. His dicere juvat, quod illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Siquidem nulla intercedit connexio in eo; quod fuerit in veteri lege apud aliquos Monachatus, & quod ille idem debuerit ſine interruptione perdurare: neque enim hoc accidit in nova lege, ubi Ordines quidam fuere, qui deſierunt, aliàs plures ex laudatis Doctoribus Monachatum

C in veteri lege agnoſcunt, & tamen ſucceſſionem in aliqua determinata familia negant: hoc ſiquidem neque directe, neque indirecte fidei ſummam attingit: ob hoc nuſquam in animo fuit hac ſuper re quidquam aſſerere, & opportune quidem; etenim hoc anno, quo hæc dictavi, publiciſque Theſibus propugnavi, exiit Decretum ab Apoſtolica Sede ſilentium indicens circa quæſtionem de ſucceſſione Monachatus in aliqua determinata familia, quod reverenter ſuſcipiendum, ſervandumque eſſe ex animo profiteor.

DUPLEX POLEMICA ADDITIO.

INfirma jure, meritoque videri poterit Salmanticenſium Defenſio, cum fidei hoſtes carpent, & damnent ſtatum veteris legis. Quare ut validiùs illatæ ſuperiùs concluſiones ſubſiſtant, operæ pretium erit prima principia a ſuperinductis tenebris dilucidare.

ADDITIO PRIMA.

AN LEX VETUS FUERIT BONA.

103 *Lex vetus a Deo.* DIcendum eſt legem veterem fuiſſe bonam.

PROB. I. Lex eſſe nequit mala, aut vana, quæ a Deo tradita eſt; ſed lex vetus eſt hujuſmodi; ergò. Major prob. Ceteri Legiſlatores a Deo habent, unde rectas leges condant, Prov. 8. v. 15. *Per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt*; & Job 36. v. 22. *Ecce Deus Excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei*

D *ſimilis in Legiſlatoribus*; & ſane, cum Deus ſit ſumme prudens & ſciens, ſumme bonus & perfectus, repugnant quidquam mali, aut vani inſtituere. Minor habetur Exod. 20., ubi enim populo præcepta traduntur, ſic legitur: *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me &c.*, & v. 22. iterum dicitur: *Dixit præterea Dominus ad Moyſem: Hæc dices filiis Iſrael.* Cap. 21. traduntur præcepta judicialia: *Hæc ſunt judicia, quæ propones eis.* Cap. 25. v. 12.

E quoad præcepta ceremonialia habetur. *Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens. Loquere filiis Iſrael, ut tollant mihi primitias.* Idem legere eſt Matth. 15. v. 3. *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Quibus Chriſtus Judæos redarguens parvipendentes legis obſervantiam, eam vocat Dei mandatum, quia a Deo traditam.

104 PROB. II. Cum verum ſit Chriſti teſtimonium, nequit lex illa mala eſſe, quam ipſemet approbavit; ſed veterem legem approbavit Chriſtus: Luc. 2. v. 24. *Et ut darent hoſtiam, ſecundùm quod dictum eſt in*

in lege Domini par turturum &c. Matth. 5. v. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas, non veni ſolvere, ſed adimplere*. Cap. 8. v. 4. *Offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis*; & cap. 23. v. 2. *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite*: quem locum verſans Auguſtinus *lib. 2. contra litteras Petiliani cap.* 51. habet -- Nonne illam Cathedram „ Moyſis commendavit, & illos, ſervato Ca„ thedræ honore, redarguit -- Si ergo lex illa mala, vel inanis fuiſſet, non mandaſſet Dominus ejus obſervantiam, nec ſuâ doctrinâ confirmaſſet.

Lex vetus a Chriſto commendata.

105 PROB. III. Lex, cujus obſervantia juſtificat, bona eſt; ſed lex vetus juſtificabat: nam plurimi leguntur juſti, qui legem ſervabant, puta Moyſes, Samuel, David, Elia, aliique quos enumerat Paulus ad Heb. 11., qui etiam docet ad Rom. 9. v. 4. Iſraelitas fuiſſe a Deo adoptatos. *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & Teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa*. Porro adoptio in filios Dei nequaquam haberi poteſt, niſi lex habeat apta ad juſtificationem media.

Obſervantia veteris legis juſtificabat.

106 PROB. IV. Lex bonum finem reſpiciens, atque ad illum diſponens indubie bona cenſeri debet; malum nanque per ſe non reſpicit, nec ad bonum finem conducit; atqui lex vetus reſpiciebat, diſponebatque ad finem bonum: ſiquidem Chriſtus tanquam finis a veteri lege inſpiciebatur, atque inſimul ad eum præparabat; ſed hunc eſſe finem bonum nemo unus inficias ibit; ergo. Major ſæpenumero habetur in Scripturis. Luc. 24. v. 44. *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt de me in lege, in Pſalmis, & in Prophetis*. Ad Gal. 3. v. 23. *Prius autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto*. Ad Heb. 10. v. 1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum*. 1. ad Corinth. 10. v. 11. *Omnia in figura contingebant illis*. 2. ad Corinth. 1. v. 20. *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt*. Ad Rom. 10. v. 4. *Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*. Demum Apoc. 3. Chriſtus dicitur agnus occiſus ab origine mundi; quia præceſſit figuratus in omnibus legis ſacrificiis. Negari autem nequit, quod maximum ſit bonum cognitio Chriſti, præparatio ad Chriſtum, novæ legis figura; ea propter lex vetus nonniſi bona eſſe potuit.

Chriſtus a veteri lege inſpiciebatur.

Aliæ itidem utilitates obvenerunt Judæis ex veteri lege, videlicet cognitio peccati, & deſiderium adventus Chriſti ad illud ſanandum: etenim ſub naturæ lege ob peccatorum multitudinem ita erant obcæcati homines, ut vix delicta cognoſcerent, atque diſtinguerent; ideoque dicebat Apoſtolus ad Rom. 1. v. 21. *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*. Adveniente autem lege ſcripta depulſa eſt tenebrarum caligo, atque peccati cognitio excitata. Ibid. 3. v. 20. *Per legem enim cognitio peccati*; & cap. 7. v. 7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem*. Quoniam verò fructus iſte bonus eſt, licet peccatum occaſione legis commiſſum ſit malum, ideo v. 12. dicitur: *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, juſtum, & bonum*. Ex hac cognitione oriebatur deſiderium illud Meſſiæ pluribus Scripturis indicatum Pſal. 143. v. 5. *Domine inclina cælos tuos, & deſcende*. Iſaiæ 46. v. 1. *Utinam diſrumperes cælos, & deſcenderes*; & cap. 43. v.8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum*. Cant. 1. v. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*; eo quod Meſſiam venturum eſſe ad delenda peccata compertum erat. Deſerviebat itidem lex vetus ad retrahendum a peccato, quapropter frequentèr pœnas contra tranſgreſſores comminatur, ut eos in officio contineat juxta illud Deut. 19. v. 20. *Ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere*. Hinc Hieronymus ad Galat. 3. -- Pædagogus parvulis „ aſſignatur, ut laſciviens refrænetur ætas, „ & prona in vitia corda teneantur, dum „ tenera ſtudiis eruditur infantia, & ad ma„ jores Philoſophiæ, ac regendæ Reipublicæ „ diſciplinas, metu pœnæ coercita prepara„ tur; itaque & Moyſi lex Populo laſcivienti „ adinſtar Pædagogi ſeverioris oppoſita eſt, „ ut cuſtodiret eos, & futuræ fidei præpa„ raret --

Plura bona ex lege ſcripta.

107 PROB. V. Neceſſe eſt, quod bona ſit lex, quæ rationi conſona præcipit, & diſſona prohibet; ſed hujuſmodi erat lex vetus; ergo bona erat. Min. fusè declarat D. Th. 1. 2. *a quæſt. 99. uſque ad* 105., ubi perſpicue omnia ordinata in lege rationi conſonare declarat. Tria erant genera mandatorum, quibus tota lex comprehendebatur: moralium, ceremonialium, & judicialium juxta illud Deut. 6. v. 1. *Hæc ſunt præcepta, ceremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos*. Moralia ſunt illa, quæ expreſsè in Decalogo continentur, & quæ ab illis naturali quâdam deducuntur ſequelâ: puta Levit. 19. v. 32. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis*, v. 16. *Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui*. Deut. 23. v. 19. *Non fæneraberis fratri tuo ad uſuram*, & cap. 25. v. 13. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera*, & ſimilia. Certum autem eſt omnia, quæ ad Decalogum antecedenter, concomitanter, & conſequenter ſpectant dictari a lumine rationis ſive ut præceptiva, ſive ut prohibitiva.

In lege veteri omnia rationi conſona.

Ceremonialia externum ordinabant Dei cultum, erantque in quadruplici differentia: prima præſcribebant Sacrificia: ſecunda inſtrumenta, quibus exercebatur cultus divinus: tertia Sacramenta, quibus habebatur juſtificatio: quarta ſigna, & ritus quoſdam, quibus diſtinguebatur Hebræorum gens ab aliis. Porro recta ratio dictat, quod ordinate peragatur Dei cultus, & fidelis a non fideli diſcriminetur populo: inſuper in omnibus hiſce ceremoniis Majeſtas quædam elucebat, quæ ad divinæ dignitatis venerationem excitabat, atque congruam involvebant ſignificationem tum in ordine ad Deum; in cujus honorem dirigebantur, tum in ordine ad Eccleſiam, & Chriſtum, utpotequæ utrumque præfigurabant, tum demum in ordine ad effectus, quos

quos actu in gentis illius utilitatem producebant.

Judicialia eo tendebant, ut externam ſocietatem ipſos inter Iſraelitas dirigerent, regulas præſcribendo ſervandi legalem juſtitiam, diſtributivam, & commutativam, ſicut etiam pacem, & concordiam. Compertum autem eſt apud barbaras gentes congruere dictamini rationis aptam pro juſtitia, & pace ſervanda diſciplinam; ob hoc ſuevere leges quaſdam ferre, ut finem hunc in Republica conſequerentur.

His plane fit bonam fuiſſe, utilemque veterem legem; unde bene dicitur Deut. 4. v. 8. *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem*. Pſal. 18. v. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas. Teſtimonium Dei fidele, ſapientiam præſtans parvulis*. Ad Rom. 3. v. 1. *Quid ergo amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita ſunt illi eloquia Dei*, & cap. 7. v. 22. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem*, & v. 16. *Conſentio legi, quia bona eſt*. Veritatem hanc Patres ad unum omnes propugnant, quos inter præeminet Auguſtinus contra Fauſtum, & Adimantum, & contra Adverſarium legis, & Prophetarum: utque omnis ambigendi locus tolleretur Tridentinum *Seſſ.* 4. definivit, Deum utriuſque Teſtamenti auctorem eſſe.

Lex vetus a Scripturis commendata.

HÆRETICORUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

Plurima congerunt Hæretici, quæ ſuperexcellenti doctrina ſolvit Auguſtinus *in libris contra Adimantum, & Fauſtum Manichæos, in libris contra Adverſarium Legis, & Prophetarum, de ſpiritu, & littera*, ubi quidquid excogitari poteſt, reponit, atque mire refellit, itaut inane videri poſſit ea referre; ne tamen jejuni ſimus in tanta rerum copia, nonnulla tranſcribam argumenta.

108 OBJIC. I. Lex vetus contrariatur novæ; ſed nova eſt bona; ergo vetus mala cenſenda eſt. Major explicatur. In veteri legitur Deum omnia creaſſe: Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, in nova verò dicitur Verbum creaſſe omnia: Joan. 1. *Et mundus per ipſum factus eſt*; lex vetus dicit Deum die ſeptima requieviſſe ab omni opere: Gen. 2. *Requievit die ſeptima ab univerſo opere, quod patrarat*, dicit nova Deum nunc quoque operari: Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur*; illa dicit hominem factum ad imaginem Dei: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* Gen. 1.; hæc verò factum affirmat ad ſimilitudinem Diaboli: Joan. 8. *Vos ex patre Diabolo eſtis*; prima aſſerit virum debere Patrem relinquere propter uxorem; Gen. 3. *Relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*; ſecunda verò relinquendam vult etiam uxorem: Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem &c.* Una Deum audiviſſe loquentem propugnat, negat altera: Joan. 5. *Nec vocem ejus aliquando audiſtis*. Similia proſequitur Auguſtinus contra Adimantum; ergo.

A RESP. Neg. majorem, quam nullimode evincunt momenta a Manichæis relata, quæ mire concordat eo loci adverſus Adimantum Auguſtinus. Et quoad primum, cum Deus unus ſit, & trinus, & Verbum Patris ſit Filius, non ſequitur Patrem excludi, ubi Filius nominatur, aut e contra, quod Scripturis palam facit S. Doctor: unde optime ſtat Patrem omnia creaſſe, & per Filium tanquam per ſuum verbum creaſſe.

Deus omnia creavit per filium.

Ad ſecundum. Duplex eſt Dei opus, unum rerum productivum, aliud earundem B adminiſtrativum, a primo die ſeptima, completa rerum creatione, ceſſavit, a ſecundo nuſquam ceſſat, ſed continuò operatur: hinc optime advertit laudatus Auguſtinus, quod littera Geneſeos terminum addit modificantem; *Requievit ab opere, quod patrarat*. Hunc locum male intellexerunt etiam Judæi, adeoque Sabbatum celebrabant, a quolibet omnino opere quamvis neceſſario abſtinentes, quorum errorem refellit Chriſtus exemplo bovis ſoluti ad adaquandum die Sabbati.

Quovis tempore Deus operatur.

Ad tertium. Tripliciter prò re nata aliquem dicit filium Scriptura, per naturam, ut cum Iſaac filius Abrahæ dicitur, per do- C ctrinam, ut cum Apoſtolus converſos ad fidem, Evangelii prædicatione, filios ſuos nuncupat, per imitationem, quo ſenſu laudatus Apoſtolus Credentes vocat Abrahæ filios; quia illum imitantur in fide. Homines iidem dupliciter dicuntur ad imaginem Dei, per naturam, quatenus analogica quadam proportione Deus in homine repræſentatur, quo ſenſu 1. ad Corinth. 11. dicitur, quod vir non debet velare caput, *quia eſt imago Dei*, dicuntur etiam ad imaginem, quatenus ſunt ſpiritualiter reformati a vetuſtate peccati, quo ſenſu homo vocatur Dei imago ad Coloſſ. 3. Porro homo peccator D eſt Diaboli imago per doctrinam, & imitationem, quia Satanicas admittit ſuggeſtiones, & Dæmonis malitiam in ſuis operibus imitatur.

Homo peccator ex Patre Diabolo.

Ad quartum. Meritò Adverſariorum cæcitatem admiratur Auguſtinus, cum Chriſtus Matth. 19. ſententiam Geneſeos approbet, ſicut & Paulus ad Epheſios 5., qui alibi ſæpe uxoris dilectionem commendat. Itaque ei ita adhærere debet vir, ut alteram non tangat mulierem, & quandoque deſerenda ſit, nempe cum fidei eſt injurioſa cohabitatio, ut habetur 1. ad Corinth. 7.

Quando uxor deſerenda.

Ad quintum. Utique ſæpe Deus locu- E tus eſt Patribus in Prophetis, proindeque verum eſt, quod in veteri lege ipſum audierunt Judæi; quoniam verò in lege gratiæ Filio Evangelizanti non crediderunt, ideo in myſtica ſignificatione dicuntur Chriſtum non audiviſſe. Adeat Auguſtinum laudato loco, qui abundantiora exoptat.

109 OBJIC. II. Bonitas legis a bonitate præceptorum dependet; ſed lex vetus non continebat præcepta bona, juxta illud Ezechielis 20. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*. Vide, qualiter præcepta legis illius non habebant bonita-

nitatem, quæ daret ſalutem; ergo lex non erat bona.

RESP. Neg. minorem, cujus probationem ſolvit Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 98. *art.* 1. *ad* 1. -- Dominus loquitur ibi de præ„ ceptis ceremonialibus, quæ quidem di„ cuntur non bona, quia gratiam non con„ ferebant, per quam homines a peccato „ mundarentur, cum tamen per hujuſmodi „ ſe peccatores oſtenderent, unde ſignanter „ dicitur: & judicia, in quibus non vi„ vent, ideſt per quæ vitam gratiæ obtinere „ non poſſunt -- Juſtinus contra Triphonem vult dici non bona præcepta judicialia, & ceremonialia, quatenus non ſponte a Domino data ſunt, ſed occaſionaliter, ideſt ad refrænandam pronitatem ad Idololatriam. Gregorius *lib.* 28. *Moral. cap.* 17. aſſerit dici non bona comparative ad meliora; doctrinam hanc infra elucidabimus. Alii volunt dici non bona, quatenus pleraque graves comminabantur pœnas, & pœna quoddam mali genus cenſetur.

Quomodo in veteri lege dicantur præcepta non bona.

Verùm litteralis ſolutio ea videtur, quam in hunc locum innuit Hieronymus, videlicet ly *Dedi* accipi permiſſivè, quatenus ob frequens ingrati animi vitium erga divina beneficia, permiſit Deus, ut abominationes ſequerentur Idolorum, & juxta præcepta Idololatrarum, falſis, corruptiſque interpretationibus ſinceritatem legis adulterarent; hunc eſſe legitimum ſenſum clare indicat contextus. Enarrat enim, qualiter fuerit populus eductus ab Ægypto, & peccans miſericordiam obtinuerit; qualiter per deſertum nova beneficia, & præcepta acceperit, & peccans impetraverit indulgentiam; qualiter iterum fuerit beneficiis cumulatus, & ingratus pœnas luerit, v. 23. *Iterum levavi manum meam in eos in ſolitudine, ut diſpergerem illos in nationes, & ventilarem in terras, eo quod judicia mea non feciſſent, & præcepta mea reprobaſſent, & ſabbata mea violaſſent, & poſt Idola Patrum ſuorum fuiſſent oculi eorum; ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent, & pollui eos in muneribus ſuis, cum offerrent omne, quod aperit vulvam*: verba hæc ſenſum habere permiſſivum ex eo itidem compertum fit, quod loquens ibidem de beneficio præceptorum oppoſitum dicit, ut conſtat v. 11. *Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis*: & v. 21. *Et judicia mea non cuſtodierunt, ut facerent ea, quæ, cum fecerit homo, vivet in eis*. Ex his certe videre eſt ſenſum citatæ propoſitionis in objectione non eſſe poſitivum, ſed permiſſivum: ea pari ratione, qua dicitur dediſſe ſpiritum vertiginis, & obduraſſe cor Pharaonis. Solet tamen exprimi permiſſio verbis poſitivis, quia a Domino eſt directe intenta in pœnam.

110 OBJIC. III. Lex, quæ præcipit rationi diſſona, non eſt bona; ſed lex vetus præcipiebat rationi diſſona; ergo non erat bona. Declaratur minor. Odium inimicorum illi adverſatur principio naturalis rectitudinis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; ſed lex vetus præcipiebat odium inimicorum Levit. 19. & Chriſtus

A Matth. 5. hac ſuper re diſſerens ait: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Uſura pariter eſt contra dictamen rationis; ſed hæc quoad alienigenas licita erat Judæis. Deut. 23. *Non fœneraberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno*, cap. 24. permittebat libellum repudii, & cap. 21. uxorum pluralitatem.

RESP. Neg. min. quæ ex præcitatis non probatur; unde falſum eſt licitum fuiſſe inimicos odiſſe; nullibi namque id legere eſt; quin immo laudato Levitici loco v. 18. aperte oppoſitum ſtatuitur. *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Solum-B modo fas erat adverſus publicos Legis hoſtes, puta Amoræos, Hethæos, & hujuſmodi, bellum inſtituere, cum Deus illos delere præcepiſſet. Nec Chriſti ſententia ſupra legem appellat, ſed ſuper datam a Scribis interpretationem; male quippe inferrebant odio proſequendum eſſe inimicum, ex quo directe amici dilectio præcipiebatur.

Odium inimicorum nuſquam permiſſum.

Falſum itidem eſt licitam fuiſſe uſuram; nam nomine alieni non veniunt extranei, cum quibus contractus inirent, ſed publici hoſtes, ita quod ea, quæ ſupra ſortem ex fœnere reportabant, ſpolia cenſebantur inimicis detracta. Vel dicas id fuiſſe permiſ-C ſum in foro externo, ut majora evitarentur mala, quod in pluribus contingit; ceterum abſolute fœnus exercebatur illicite. Inhiabant Judæi temporalibus, ideo aliqua fœneratio fuit permiſſa relate ad extraneos -- Ne ſcil„ cet, *ut ait S. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. „ *ad* 2. a Judæis Deum colentibus uſuras ac„ ciperent propter avaritiam, cui dediti „ erant -- Ceterum abſolute fœnus vetitum erat etiam Judæis. Quoad alia, quæ in objectione referuntur, videantur dicta de Matrimonio.

Uſura quomodo Judæis permiſſa.

111 OBJIC. IV. Nequit bona cenſeri lex inhumana; ſed lex vetus erat hujuſmo-D di: legitur enim Exod. 21. v. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede; aduſtionem pro aduſtione &c.* Porro ſævitiem ſapit oculum ab eo eruere, qui alteri eruit oculum; ea propter Chriſtus legem hanc abrogavit Matth. 5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo*. Hinc Act. 15. declaratur lex vetus ultra vires hominis. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem Diſcipulorum, quod neque vos, neque Patres noſtri portare potuerunt*.

RESP. Perperam dicitur inhumana lex vetus; ſiquidem apprime conſona dictamini rationis præcipiebat, ut in relato exemplo E videre eſt. In ea namque lege judicialis punitionis æqualitas commendatur, quæ per pœnam talionis ſolet explicari; jubebat ergo Judici, ne in publicis vindicandis delictis æquitatem excederet, & jus dabat peculiaribus, ut pro accepta injuria poſſent a Judice pœnam talionis expoſcere. Hanc regulam, modumque illis præſcripſit Deus; erant quippe Judæi feri in iis proſequendis, a quibus injuriam paſſi fuerant: Chriſtus verò in nova lege ſuaſor eſt abſtinere ab infligenda etiam juſtâ pœnâ, & potius eis, qui nos odio habent, benefacere. Hoc tamen intelligas de pri-

Pœna proportio cum delicto.

privatis perſonis , ſecus de Judicibus .

Præcepta legalia gravia.

Textus alter non intendit præcepta legalia fuiſſe impoſſibilia ; plures namque ea obſervavere ; ſed tantummodo innuere vult gravia fuiſſe , quatenus quædam mandabant carnalibus hominibus ardua , graveſque comminabantur pœnas , inſuper ob eorundem multitudinem , quæ adimpletionis difficultatem augebat . Quoniam verò in Concilio Joroſolymitano agebatur de uniendis in fide Chriſti Judæis , & Gentibus , iden S. Petrus cenſuit non eſſe confirmanda legalia , per Chriſtum jam abrogata , ne terror incuteretur Gentibus .

112 OBJIC. V. Lex , quæ peccatum inducit , mala eſt : ſed lex vetus hoc præſtabat , dicente Apoſtolo ad Rom. 7. v. 8. , & ſeq. *Sine lege peccatum mortuum erat . Ego autem vivebam ſine lege aliquando . Sed cum veniſſet mandatum , peccatum revixit . Ego autem mortuus ſum* . En qualiter ex lege peccatum . Item ad Rom. 5. v. 20. *Lex autem ſubintravit , ut abundaret delictum* . Demum 2. ad Corinth. 3. *Littera occidit , ſpiritus autem vivificat* .

RESP. Neg. min. Lex enim nec per ſe habet peccatum , nec per ſe eſt illius cauſa ; quin immo legis obſervantia a peccato elongat ; ea propter dicebat Pſalmiſta Pſal. 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi* . Quoad primos Scripturæ textus, ibi ſermo habetur de præcepto Adamo impoſito , ex cujus tranſgreſſione mors intravit in mundum , per quam nos mortui ſumus , & per eandem , exurgente carne adverſus ſpiritum , ſuperabundavit delictum . Ante præceptum intelligebatur homo vivere abſque lege, non jam naturali , ſed poſitiva , ideoque dicit : *Ego autem vivebam ſine lege aliquando* , & tunc temporis peccatum cenſebatur mortuum ; etenim non erat ; proindeque pomi comeſtio nequaquam lethalis erat . Hunc ſenſum eſſe genuinum innuit contextus , qui comparat mala , quæ obvenerunt ex inobedientia Adæ cum bonis , quæ ex Chriſti obedientia ſuperabundaverunt . Sic ſentit Angelicus verſans præcitatas Pauli auctoritates .

Per Adæ peccatum mortui ſumus.

Quoniam verò fortaſſis Hæretici perfracte contendunt Paulum ibi ſermonem habere de lege ſcripta , propterea dicimus peccatum, quod antea mortuum erat , per legem revixiſſe , quia obtenebratum conſcientiæ lumen non agnoſcebat , ideſt , non perpendebat peccatum ; datâ autem lege , quæ ſeveriùs in illud animadvertebat , cognitio excitata eſt , atque humiliatio exorta ; attendens namque homo ad malitiam , atque ad ſuam infirmitatem , coram Deo ſeſe humiliavit . Superabundavit autem delictum , quia tranſgreſſio ob ingrati animi vitium erga Deum, a quo tot venerant beneficia , gravior facta eſt .

Quomodo per legem cognitio peccati ?

Superabundavit etiam peccatum occaſionaliter (& eſt ſolutio , quam communiùs Patres tradunt tribus prælaudatis textibus) non quod ipſa lex occaſionem præberet ; tunc enim lex ipſa foret mala ; ſed quia ex lege occaſionem ſumpſerunt homines ; quod aperte tradit ipſe Apoſtolus cap. 7. ad Roman. Qualiter autem occaſio fuerit accepta, explicat idem Apoſtolus v. 8. , quia ſub prohibitione A orta eſt concupiſcentia in rem vetitam juxta illud effatum . Nitimur in vetitum . *Occaſione autem accepta , peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam* . Audi Aug. *lib. de ſpiritu , & littera cap.* 4. — „ Lex illa , quamvis bona , auget prohibendo deſiderium malum , ſicut aquæ impetus ... vehementior fit , obice oppoſito ... „ Neſcio quo enim modo hoc ipſum , quod „ concupiſcitur , fit jucundiùs , cum vetatur — Audi Chriſoſtomum *hom. 12. in Epiſt. ad Roman.* — Cum quidpiam concupiſcimus, „ deinde prohibemur , concupiſcentiæ flamma magis attollitur: verùm non id per le- B gem : illa enim prohibuit , ut te ab eo „ abducat; peccatum verò , hoc eſt, ſegnities „ tua , & mala mens , bono in contrarium „ uſa eſt: verum non id Medici crimen, ſed „ ægroti , qui , quod accepit medicamen , „ eo non recte uſus eſt : non enim ob id legem dedit , ut concupiſcentiam accenderet, „ ſed ut reſtingueret — Audi D. Thomam 1. 2. *quæſt.* 58. *art.* 1. *ad* 2. — Tum etiam „ quia concupiſcentia crevit ; magis enim „ concupiſcimus , quod nobis prohibetur — Triplicem rationem aſſignat D. Thomas *ad Rom.* 5. *lect.* 6. Prima , eſt , quod non reputat aliquis magnum , quod ſuæ poteſtati C ſubjacet , quod verò non ſubjacet , apprehendit ut magnum : quod prohibetur extrahitur a poteſtate , ac per conſequens ut magnum apprehenditur , & exardeſcit affectus : altera quia interiores affectiones intus velut incluſæ magis augentur , ſi verò prodeant exterius , vis minuitur , ut patet in dolore , & ira : quando autem aliquid prohibetur ſub pœna , retrahitur actio exterior , & ardor interius fovetur , unde major evadit . Tertia ratio eſt , quia quod non eſt nobis vetitum , apprehenditur ut poſſibile , cum nobis placuerit , unde etiam ſtante opportunitate illud virtuoſe : quando verò eſt prohibitum , D apprehendimus ut non poſſibile nobis , cum placuerit , quare data opportunitate illud habendi abſque timore pœnæ , ocyus amplectimur : cum ergo lex concupiſcentiam prohiberet , ex ea concupiſcentia augebatur , & multiplicabatur peccatum , & littera occaſionaliter occidebat .

Equidem credo , quod textus Apoſtoli ad Corinthios : videlicet : *Littera occidit* intelligatur de externa Scripturæ cognitione ; etenim pernicioſum eſt ſolummodo grammaticalem verborum ſonum ſpectare , quatenus facili negotio hujuſmodi intelligentia in errorem valet inducere . *Spiritus verò vivificat*, E ideſt ſenſus , & ſignificatio Scripturæ mire deſervit ad cognitionem revelatæ veritatis .

113 OBJIC. VI. Inutilis lex , & deficiens haud bona eſt ; Lex vetus ut talis deſcribitur ab Apoſtolo ad Heb. 7. v. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex* : ſi nihil proficiebat , ad nihil ergo valebat , & immediate antea dixerat Paulus : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus , & inutilitatem* . Quid clariùs ? Cap. 8. v. 7. ejuſdem Epiſtolæ alia probatio habetur : *Nam ſi illud prius culpâ vacaſſet , non utique ſecundi locus requireretur* .

RESP. Quæ referuntur ex Apoſtolo, ſicut & cum legem vocavit Pædagogum, habentem infirma, & egena elementa, & hujuſmodi, ſolummodo evincunt veterem legem fuiſſe imperfectam, non quidem abſolute, & poſitive, ſed comparative, & negative, videlicet, relate ad legem novam, quod ſæpenumero dilucidat Angelicus, dum præcitatos Pauli textus exponit: ceterum abſolute non fuiſſe imperfectam oſtendit 1. 2. *quæſt.* 91. *art.* 5. Etenim legis perfectio, aut imperfectio attenditur ſecundùm ordinem ad finem, ſecundùm directionem actuum humanorum, & ſecundùm mandatorum executionem. Lex vetus quaſi directe terrena reſpiciebat bona, nova verò ſpiritualia, & æterna: illa humanos dirigebat exteriores actus ſecundum ordinem juſtitiæ, iſta etiam internos: prima timore pœnæ ad mandatorum obſervantiam excitabat, altera amore juſtitiæ; unde egregie dicebat Auguſtinus *adverſus Adimantum Manichæum cap.* 17. quod brevis eſt differentia legis, & Evangelii, timor, & amor.

Lex vetus imperfecta relate ad legem gratiæ.

Potiſſima autem, & radicalis veteris legis imperfectio comparative ad novam, quæque in prælaudatis textibus involvitur, in eo ſita eſt, quod lex vetus gratiam non conferebat ad devincenda peccata, expiandaque, nec ad æternam perducebat felicitatem, ſicut lex nova, quod evincit Angelicus 1. 2. *quæſt.* 98. *art.* 1. aſſumens illud Joannis 1. v. 17. *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; & declarat exemplo medicinæ, quæ tunc eſt perfecta, quando non tantùm adjuvat ad ſanitatem, ſed etiam confert, imperfecta verò quæ ſolummodo tanquam adjutorium deſervit; ſic lex divina tunc perfecta cenſetur, quando ad beatitudinem perducit; porro lex vetus præparabat quidem, ſed ad eam non perducebat: ea propter comparatur ſpeculo, quod maculas oſtendit, ſed non abſtergit, lex nova aquæ mundæ, quæ & oſtendit maculas, & tergit, & ideo de iſta dicitur Ezech. 3. v. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini.*

Unde imperfectio in lege.

Ne tamen error irrepat, advertas oportet non eſſe intelligendum, in veteri lege non adfuiſſe gratiam adjuvantem pro adimplendis mandatis, aut juſtificantem pro delendis peccatis, aut ſalutarem pro adipiſcenda beatitudine. Plures namque juſti fuere in veteri Teſtamento, ſed ſenſus eſt legem illam ex vi ſua non attuliſſe gratiam, ſed ex meritis Chriſti futuri; ſtatus autem novæ legis ex vi ſua gratia affert, quia præſentia habet Chriſti merita, ejuſdemque virtutem elevantem Sacramenta ad cauſandam gratiam *ex opere operato*.

Diſcriminatur itidem primò quoad perfectionem lex vetus a nova, quod licet utraque Deum auctorem habuerit, illa tamen non fuit immediate a Deo promulgata, bene verò iſta, cum per filium ſuum illam mundo enunciaverit.

In pluribus lex vetus a nova diſcriminatur.

Secundò. Lex vetus erat temporalis, ideſt defectura; quia Chriſtum præfigurabat; unde adveniente veritate ceſſavit umbra; nova verò eſt ſempiterna: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Matth. 28. v. 20.

Tertiò. Lex Moſayca ob præceptorum multitudinem gravabat: ſiquidem præter moralia habebat 365. præcepta affirmativa, & negativa 600., unde meritò Auguſtinus *Ser.* 9. *de verbis Domini* eam nuncupat *ſarcinam innumerabilium præceptorum*, nova tot explicitis non aggravat præceptis, cum Chriſtus pauca tradiderit. Hinc laudatus Auguſtinus *Epiſt.* 118. ſcribit -- Ipſe in Evangelio loquitur, Leni jugo ſuo (Chriſtum) nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ levi; unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit -- Dixi pauca eſſe explicita præcepta, quia ex præceptis generalibus quædam peculiaria deducuntur; levia itidem ſunt, quia licet ex parte objecti graviſſima videantur, ut dilectio inimicorum, auricularis confeſſio, unitas, & indiſſolubilitas conjugii, exercitium interiorum actuum; attamen levia jure cenſentur ex abundanti Spiritus Sancti gratia; ea propter dicitur Iſaiæ 10. v. 27. *Et erit in die illa: Auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computreſcet jugum a facie olei.*

Quartò demum lex vetus quantum ad legalia, & ceremonialia ſolos obligabat Hebræos, nec ad omnes extendebatur, ſicut lex nova. Ex dictis apte colligitur veterem legem imperfectam quidem fuiſſe relate ad legem gratiæ, quod non impedit abſolute fuiſſe bonam.

ADDITIO II.

AN LEX VETUS IN STATU LEGIS NOVÆ VIM HABEAT OBLIGANDI.

114 TRia in veteri lege continebantur præceptorum genera, ut ſuperius innuimus, moralia nempe, legalia, & ceremonialia. De moralibus nulla occurrit difficultas; cum enim ad naturalem legem ſpectent ſive antecedenter, ſive concomitanter, ſive conſequenter, ideo omnes ſub quocunque ſtatu afficiunt. Hinc Chriſtus eadem obſervanda eſſe aperte docuit Matth. 19., ubi ſciſcitanti quid agendum, ut æterna habeatur felicitas, poſtquam reſpondit: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, quæ ſint, declarat, Decalogi præcepta referendo. Quoniam verò pleraque pravis fuerant interpretationibus corrupta, ſaniori doctrina reſtauravit. Putabant Judæi legem vetantem homicidium ſolummodo fore intelligendam de occiſione, Chriſtus verò docuit malam quoque eſſe iram, quæ ad homicidium ſternit viam; docuit etiam ſub prohibitione adulterii internum concupiſcentiæ actum comprehendi: præceptum de juramento male intelligebant, non refugientes frequentiam, aut jusjurandum per nobiliores creaturas interpoſitum: ſub præcepto dilectionis proximi non comprehendebant inimicos, & præceptum juſtæ puni-

Moralia præcepta omnes obligant.

punitionis ad vindictam detorquebant ; horum oppoſitum interpretatus eſt Chriſtus Matth. 5. De his itaque præceptis non occurrit dubitandi ratio ; ea propter egregie dixit Auguſtinus *lib. de ſpiritu , & littera cap.* 14. -- In illis decem præceptis , excepta „ Sabbati obſervatione , dicatur mihi , quid „ non ſit obſervandum a Chriſtiano ? . . . „ Quid horum quiſquam dixerit Chriſtia„ num non debere obſervare ? -- Difficultas igitur verſatur quoad ceremonialia , quibus Dei cultus ordinabatur , in cujus reſolutione compertum fiet , quid de judicialibus ſentiendum .

115 Erraverunt hac in re Cherintus , & Ebion , ut teſtantur Epiphanius *hær.* 28., Auguſtinus *hær.* 8. , & 9. , & Irenæus *lib.* 1. *de hær. cap.* 26. Errant nunc quoque Jacobitæ Abyſſini ab eorum Pſeudomagiſtris decepti : hinc Vartanus *in Monitis ad Armenos cap.* 7. nos Latinos carpit , quod Apoſtolicas non ſervamus Conſtitutiones , ſuiſque plurima veteris legis præcepta tradidit obſervanda , potiſſimum quoad cibos ; ideo ab omni cibo Hebræis vetito abſtinent , exceptâ tamen ſuilla carne , quam a primo ſuo Patriarcha , & ſeductore Gregorio Datavienſi ſibi conceſſam volunt : non comedunt de animalibus reptantibus , & pennullas habentibus , non ruminantibus , vel ſi ruminant , non findunt ungulas , quia ſic præcipitur *Deut.* 14. eoſque , qui hiſce veſcuntur , execrantur . Non comedunt piſces , qui pinnulis , & ſquamvis carent , ſicut & aves , quæ *Levit.* 11. recenſentur , nec quidquam morticinum , aut ſanguinem occiſorum animalium ; nec immundum animal quodcunque tangunt . Si quid immundum in vas decidit oleo , vel vino , vel alio liquore plenum , totum projiciunt juxta legem *Levit.* 11. latam . Servant pariter ceremonias *Levit.* 12. ſancitas pro purificatione parturientium ; offerunt etiam in ſacrificium animalia pro peccatorum expiatione , ut in lege præſcribitur . Novatores contendunt Religioſos quendam ciborum delectum ſervantes judaizare cum Armenis . Brevibus rem abſolvemus ; non enim Controverſia hæc materiæ , quam huc uſque dilucidavimus , intrinſeca videtur .

Armeni plura veteris legis præcepta obſervant.

Dicendum itaque eſt legem veterem vim nullam habere obligandi in ſtatu legis gratiæ .

116 PROB. I. Adveniente nova lege antiquæ oppoſita neceſſe eſt , quod prior deſinat obligare ; ſed Deus Prophetis promiſit daturum populo ſub Chriſto legem antiquæ oppoſitam ; ergo Chriſto adveniente prior deſinit obligare . Min. habetur Jeremiæ 31. poſt illa verba : *Fœmina circumdabit virum* . Subditur v. 31. *Ecce dies venient , dicit Dominus : & feriam domui Iſrael , & domui Juda fœdus novum non ſecundum pactum , quod pepigi cum patribus eorum* , v. 33. *Sed hoc erit pactum , quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos : dabo legem meam in viſceribus eorum , & in corde eorum ſcribam eam* . Novum pactum eſt nova lex : *non ſecundum pactum quod pepigi* . Lex in corde ſcripta ſignificat oppoſitam eſſe veteri , quæ erat ſervitutis , ac proinde ceſſare debuit , quæ eſt conſequentia Apoſtoli ad Heb. 8. v. 13. *Dicendo autem novum , veteravit prius , quod autem antiquatur , & ſeneſcit , prope interitum eſt* , cap.7. v.12.: *Tranſlato enim ſacerdotio , neceſſe eſt , ut & legis tranſlatio fiat* , & v. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus , & inutilitatem ; nihil enim ad perfectum adduxit lex ; introductio vera melioris ſpei , per quam proximamus ad Deum* : cap. 9. plura addit pro re nata .

Lex nova veteri oppoſita.

117 PROB. II. Ceremonialia erant figuræ , & umbra Sacramentorum , rituumque ſtatus gratiæ juxta illud Heb. 10. v. 1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum , non ipſam imaginem* . 1. Corinth. 10. v. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis* . Ad Coloſſ. 2. v. 16. *Nemo vos judicet in cibo , aut potu , aut in parte diei feſti , aut Neomenia , aut Sabbatorum , quæ ſunt umbra futurorum : corpus autem Chriſti* . Sed umbræ ceſſant adveniente luce , & figuræ figurato ; ergo lex ceremonialis ceſſavit , Chriſto apparente , ejuſque promulgatâ doctrinâ . Min. elucidat D. Th. 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. Ceremoniales ritus ad exteriorem ſpectant Dei cultum , qui debet interiori cultui , habito per fidem , ſpem , & charitatem correſpondere . Porro triplex eſt ſtatus interioris cultus : primus in quo habetur fides , & ſpes , tum de bonis cœleſtibus futuris , tum de his , per quæ cœleſtia conſequimur ; & hic eſt legis veteris : ſecundus in quo ſpes habetur , & fides de bonis cœleſtibus futuris , ſed de iis , quibus introducimur in cœleſtia tanquam præſentibus , & hic eſt legis gratiæ : tertius eſt , in quo omnia ſunt præſentia , & poſſeſſa , & hic eſt Beatorum ; ſed adveniente beatitudine evacuantur ea , per quæ in eam velut in abſentem , & futuram tendimus ; ergo adveniente nova lege evacuantur ea omnia , quibus figurabatur in lege veteri , ſic concludit Paulus ad Galat. 3. v. 23. *Priuſquam veniret fides , ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem , quæ revelanda erat . Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto , ut ex fide juſtificemur . At ubi venit fides , jam non ſumus ſub pædagogo* . Ceremonialium obſervantia erat quædam fidei proteſtatio in Chriſtum venturum , ut ſcripturæ docent , & D. Th. explicat 1. 2. *q.*103. *art.* 2. *in corpore* ; ſed Chriſtus nunc eſt præſens ; ergo vera non poteſt per illas fieri proteſtatio , ac proinde qui illis utitur , Chriſtum evacuat , ut ſentit Apoſt. ad Gal. 5. v. 2. *Quoniam ſi circumcidimini , Chriſtus vobis nihil proderit* . D. Bernardus *Ser.* 1. *ſuper Miſſus eſt* hoc apte declarat -- Prodeun„ te fructu flos decidit , quia veritate appa„ rente in carne figura pertranſiit . --

Triplex cultus interior.

118 PROB. III. Neceſſe eſt quod prior deſinat ſtatus , quoties accedit alter naturâ incompoſſibilis ; ſed ſtatus novæ legis eſt naturâ incompoſſibilis cum veteri ; ergo ille ceſſare debuit . Min. explicatur . Lex nova eſſentiali conditione pro univerſo qua late patet , orbe , omnibuſque populis prædicanda eſt Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes* . March. 16. v. 15. *Euntes in* mun-

mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. E contra lex vetus data erat uui populo, nec aliis tradenda. Pſal. 147. v. 20. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Deut. 4. v. 8. *Qua eſt alia gens, ut habeat ceremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem, quam ego ponam hodie ante oculos veſtros?* ad Roman. 9. v. 3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio*. Hinc erat illis prohibitum præcipua ſacrificia exercere in omni loco, ſed in eo, quem Deus elegerat, & habebant templum, ut præſcribitur *Deut.* 12. Sed hæc ſunt incompoſſibilia; ergo ceſſare debuerunt priora pro una gente decreta, & nova inſtitui pro omnibus: hoe perpendit momentum Apoſtolus *ad Epheſ.* 2. *verſ.* 14., ubi docet Chriſtum inimicitias inter populum Gentilem, & Hebraicum ſuſtuliſſe, Idololatriam damnando, & ceremonialia abrogando. *Fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum* (ideſt legalium) *decretis* (ideſt Evangelio) *evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem*.

Ceremonialia abrogata.

119 PROB. IV. Eccleſia ad legem veterem ſe habet, ſicut Uxor ad primum virum fato functum, & alteri nupta, ut optime innuit Apoſt. ad Roman. 7. v. 4. *Itaque Fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti, ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit*; ſed uxor, morte viri, eximitur a lege prioris, & legi ſubditur poſterioris; ergo. Hinc ſubdit Apoſt. v. 6. *Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, itaut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ*, & cap. 8. v. 2. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati, & mortis*. Cap. 6. v. 14. *Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*.

120 PROB. V. Patrum auctoritate, qui unanimi conſenſu veritatem catholicam docuerunt. S. Ignatius Martyr *Epiſt. ad Philadel.* habet -- Si quis in reliquis recte ſen„ tiat, ex cibis autem quoſdam abomina„ biles vocet, talis Draconem Apoſtatam „ inhabitantem habet -- *In Epiſt. ad Heronem* -- Omnis qui dixerit præter illa, quæ „ tradita ſunt, etiam ſi fide dignus ſit, „ etiam ſi jejunet . . ., etiam ſi prophetet, „ etiam ſi ſigna faciat, lupus tibi appareat „ in grege ovium, corruptionem operans -- Juſtinus Martyr *in Dialogo cum Triphone Judæo* -- Lex, quæ in Horebo monte ſanci„ ta eſt, vetus eſt jam lex, & veſtra tan„ tum; hæc autem (*ideſt nova*) plane „ omnium: lata autem legi contraria, & „ contra legem lata ſuperiorem ſuſtulit: te„ ſtamentumque quod poſtea inſtitutum eſt, „ prius ſuſtulit eodem modo -- Athanaſius *Ser.* ad illa verba: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*, habet -- Qua propter, ubi ve„ nerat res, quæ figurâ denotabatur, nota „ ipſa, figuraque intercedit, & conquie„ vit --

Patres veterem legem abrogata volunt.

Cyprianus *lib.* 1. *contra Judæos cap.* 1. -- „ Quod lex prior, quæ per Moyſem data „ eſt, ceſſatura eſſet, habetur apud Iſaiam „ 8. per illud: tunc manifeſti erunt, qui „ ſignant legem, ne diſcant, & dicent: „ expecto Deum, qui avertit faciem ſuam „ a domo Jacob, & fidens ero in illum. „ Item in Evangelio omnes Prophetæ, & „ lex, uſque ad Joannem prophetaverunt --

Auguſtinus *lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 13. -- Prima Sacramenta quæ obſervabantur, „ & celebrabantur ex lege, prænunciativa „ erant Chriſti venturi, quæ, cum ſuo ad„ ventu Chriſtus impleviſſet, ablata ſunt, „ & ideo ablata, quia impleta --

Chryſoſtomus *homil.* 5. *ad Epheſ.* -- „ Quid enim ſi liberati eſſemus a priori „ tranſgreſſione, rurſus autem eam neceſſe „ haberemus ſervare? rurſus idem eſſet. „ Sed eam quoque ſolvit; legem, inquit, „ mandatorum in decretis evacuans, ſeu „ aboleus, & reddens irritam --

Cyrillus Alexand. *Orat.* 5. *lib.* 1. *in Iſaiam cap.* 9., item *lib.* 9. *contra Julianum*, Ambroſ. *in cap.* 6. *Lucæ*, item *in cap.* 1. *epiſt. ad Rom.*, Epiphan. *hær.* 29., Origenes *lib.* 2. *contra Celſum*, Dionyſius *de Eccl. Hierarch. p. part. cap.* 5., & alii, quam veritatem ſuam definitione confirmavit Sancta Florentina Synodus conſentientibus Legatis Armenis, & iiſdem Armenis profitendam traditur in formula fidei juſſu Urbani VIII. edita.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

121 OBJIC. I. Si lex vetus non obligaret, in nova erraſſent Apoſtoli in Jeroſolymitano Concilio permittentes, & conſtituentes, ut Gentiles ad fidem converſi abſtinerent: *A contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine*, quæ erant legaliter Judæis vetita: ſed impium eſt dicere, quod erraverint; cum habeamus illud decretum fuiſſe formatum a Spiritu Sancto. *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis*. Act. 15. v. 20., & 28.

RESP. Ex laudato Concilio aperte catholica veritas definitive confirmata fuit; etenim contendentibus quibuſdam Act. 15. v. 5., qui ad fidem converſi erant. *Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque obſervare legem Moyſi*. Apoſtoli convenientes declaraverunt legem non obligare v. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*, v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos &c.* Illa autem tria, quæ prohibuerunt, haud fuere vetita motivo legis, quod compertum fit, ex quo fornicatio non erat prohibita per legem ſcriptam, ſed per naturalem. Ex altero igitur principio orta eſt illa conſtitutio, videlicet ad præcavendum in Gentibus peccati periculum: ob conſuetudinem namque nihili fere faciebant gra-

Cur quædam legalia in nova lege vetita fuere.

grave fornicationis crimen. Sic Cyprianus, & Tertulianus 15. *Aſt. Hieron. lib. 1. contra Jovin.* Auguſt. *in Speculo cap. de Aſt. Apoſt.* Eſus verò Idolotbyti ſpeciem quandam involvebat cultus Idololotum, ut patet ex 1. ad Corinth. 10. v. 18. *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* & v. 20. *Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorum; non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum; non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* Quare illa comeſtio intrinſece erat mala ob periculum proteſtandi cultum Idololatrarum, vel propter ſcandalum in illis circumſtantiis: ratione autem ſcandali prohibuit hujuſmodi eſum etiam Apoſt. 1. *ad Corinth.* 8. Abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato fuit ob idem periculi motivum ſancita; nam ſpecialiter in immolatitiis occiſorum animalium ſanguis aſſumebatur: ſicut habent Origenes *lib. 8. contra Celſum*, Tertullianus *in Apolog. cap. 9.*, D. Th. 1. 2. *quæſt.* 102. *art. 6. ad* 1. -- Eo„ rum conſuetudo erat, ut circa ſanguinem „ congregatum adunarentur ad comeden„ dum in honorem Idolorum, quibus repu„ tabant ſanguinem acceptiſſimum--Illud inſuper bonum accedebat, quod facilius Judæi cum Gentilibus in fide uniebantur, quatenus & ipſi peculiariter a ſoffocato, & ſanguine abhorrebant: paulatim poſtmodum ſublatum eſt periculum, ſcandalum, & lex.

Hinc nos argumentum retorquemus, Si motivo legis illa fuiſſent ſtatuta, debuiſſent omnia ſimul confirmari præcepta, & ipſimet Hæretici ſingula obſervare deberent mandata juxta illud ad Gal. 5. v. 3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Vis namque legis æqualiter afficiebat præcepta, & tamen Armeni ſingula non cuſtodiunt; comedunt enim carnem ſuillam, quæ præ ceteris cibis erat vetita, abſtinent a circumciſione, & plura alia non obſervant. Nec valet reſponſio, quod circa carnem ſuillam diſpenſationem habuerunt, ſicut circa reliqua: nam non eſt, qui poſſit diſpenſare in præceptis divinis, & ab ipſo Deo immediate, & clare datis, nec ipſi Apoſtoli, utpote inferiores: & ubi diſpenſaverint, deberet innoteſcere. Nec momenti eſt reſponſio altera dicentium, quod ea non obſervant, ut ceremonialibus ligati præceptis, ſed ob conſuetudinem inter ipſos firmatam; nam ſi ob particularem conſuetudinem haſce adoptarent ceremonias, neutiquam deberent, nec poſſent ceteros redarguere, qui eos non imitantur, velut immundos, legiſque fractores; verum nullimode inſiſtendum conſuetudini ab Eccleſia, & Conciliis abrogatæ, & valde periculoſæ, utpote quæ ceremonias involvit proteſtativas Chriſti venturi, & præcipue illa pecudes ſacrificandi in peccatorum expiationem, quod in gravem vergit injuriam ſacrificii Chriſti. Eſſe autem verum ſacrificium in aperto eſt ex Rituali Armenorum relatum a Clemente Rabbano, qui etiam eſt ocularis teſtis de Concordia Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ §. 6. *quæſt.* 2. inter Armenius ritus verba clariſſime verum exprimunt ſacrificium more Hebræorum, quamvis hactenus ſe ſolùm quandam

A facere oblationem dictitent.

122 OBJIC. II. Si legalium obligatio ſub ſtatu legis gratiæ ceſſaret, non potuiſſet Chriſtus eorum obſervantiam aliis injungere, quod fecit, cum Matth. 23. v. 1. ait: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*; qui enim ſedebant ſuper cathedram Moyſis, præcepta docebant Moyſaica: Lucæ 5. v. 14. Leproſo mundato dixit: *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes in teſtimonium illis*; ergo.

B RESP. Neg. antec., & rationem reddit Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 2. -- Dicendum quod myſterium Re„ demptionis humani generis completum „ fuit in paſſione Chriſti, unde tunc di„ xit; Conſummatum eſt, ut habetur „ Joann. 19., & ideo tunc totaliter de„ buerunt ceſſare legalia, quaſi jam veritate „ eorum conſummata, in cujus ſignum in „ paſſione Chriſti velum templi legitur eſſe „ ſciſſum, Matth. 27., & ideo ante paſſio„ nem Chriſti, Chriſto prædicante, & mi„ racula faciente, currebant ſimul lex, & „ Evangelium; quia jam myſterium Chriſti „ erat inchoatum, ſed nondum conſumma„ tum, & propter hoc mandavit Chriſtus „ Dominus ante paſſionem Leproſo, ut le„ gales ceremonias obſervaret -- Dixit autem Phariſæos eſſe audiendos, ut & dignitatem ſuperioritatis, & obedientiam a ſubditis præſtandam oſtenderet, tum ut legem veterem bonam fuiſſe declararet, in qua itidem aliqua erant, videlicet moralia, ſemper bona, ſemperque ſervanda; ideo ſemper audiendos docuit. Sic D. Th. in hunc locum.

Redemptio in paſſione completa.

123 DICES, Si lex vetus ceſſavit, tunc ceſſare debuit, quando lex nova obligavit; ſed hæc obligare cœpit longe prius ad Chriſti paſſionem; ergo & illa debuit ceſſare. Min. declaratur. Lex nova tunc cœpit obligare, quando fuit publicata; ſed publicata a Chriſto fuit in ſua prædicatione; ideo inexcuſabiles declaravit Judæos, & Apoſtolos miſit baptizare; ergo.

RESP. Neg. min. Tunc obligare cœpit lex nova, & ſi a Chriſto promulgata, quando fuit conſummata, & impletæ ſunt omnes figuræ, quod contigit in morte; unde dixit Apoſtolus, quod unâ oblatione perfecta ſunt omnia. A Domini paſſione ſuam habuerunt efficaciam Sacramenta, & per paſſionem nobis promeruit Chriſtus gratiam. In paſſione completæ ſunt omnes figuræ; nam eo tendebant, ut agnum immolandum deſignarent, præcipuè ſacrificia; ſacrificans autem ſeipſum Dominus in Cruce translatum eſt Sacerdotium, ea propter & legis translatio facta eſt, ſicut docet Apoſtolus *ad Heb.* 7. Erant tamen Judæi inexcuſabiles propter evidentia motiva credibilitatis, & veritatis, quæ audiebant a Chriſto, & baptizabant Apoſtoli; quia incœpta erat lex Evangelica.

In paſſione completæ ſunt figuræ.

INSTABIS. Sed etiam poſt Chriſti paſſionem, immo & adventum Sancti Spiritus

Viri

Digitized by Google

Viri Dei uſi ſunt legalibus. Act. 16. *Circumcidit Timotheum Paulus*. Act. 21. v. 26. *Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in Templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*. Pariter 18. cap. habemus, quod totonderit ſibi caput in cenchris; ergo legalia vim non amiſſerunt obligandi.

Hoc argumentum illam continet difficultatem, circa quam Auguſtinum inter, & Hieronymum acriter certatum eſt. Paulum non foviſſe Judaica præcepta ex eo conſtat, quod reſtitit in faciem Cephæ, eo quod paulò familiarius converſans cum Judæis Antiochiæ potius, quam cum Gentilibus Judaicas fovere videbatur ceremonias; quomodo verò abſque crimine ea peregerit, de quibus in objectione, palam facit D. Th. 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 4. *ad* 1., ubi ex Auguſtino tria diſtinguit tempora, unum ante paſſionem, quo legalia nec erant mortifera, nec mortua; alterum poſt Evangelii divulgationem, quo erant tum mortua, tum mortifera; tertium tempus eſt medium, a paſſione ſcilicet ad divulgationem, quo legalia quidem erant mortua; quia neque vim aliquam habebant, neque ea quis obſervare tenebatur, non tamen fuerant mortifera; cum hi, qui converſi fuerant ad Chriſtum ex Judæis, poterant illa licite obſervare, dummodo non ſic ſpem ponerent in eis, quod ea ad ſalutem neceſſaria cenſerent, quaſi ſine legalibus fides Chriſti juſtificare non poſſet.

Lex vetus quando mortua, quando mortifera.

URGEBIS. Non eſt permiſſum Gentilibus converſis ullum ritum Gentilitatis ſervare; ergo neque Judæis; ſi verò ipſis fuit conceſſum, fas eſt dicere, quod vim non amiſſerint.

RESP. Diſparitas in eo verſatur, quod ritus Gentilium erant ab intrinſeco mali, utpote proteſtativi Idololatriæ, ſecus Judaici; ceſſabant namque tanquam per Chriſtum abſoluti.

REPLICABIS. Ita ſe habet ſtatus legis veteris ad novum, ſicut novæ legis ad ſtatum Patriæ; ſed adveniente ſtatu Beatorum evacuatur totaliter ſtatus viæ, ex D. Th. 1. 2. *quæſt.* 106. *art.* 4. *ad* 1.; ergo adveniente ſtatu legis novæ totaliter evacuatur lex vetus, ita quod pro nullo temporis momento ſit uſurpanda.

RESP. Argumentum optime evincit legis abrogationem, & quod non ſint legalia adoptanda velut neceſſaria, vimque habentia vel figurativam, vel juſtificativam. Ceterum non concludit, quod poſſint aliqua, ſecluſo ſcandalo, ob alia motiva aſſumi; illi ſiquidem ritus non ſunt ex ſe mali, adeoque ex recto fine exerceri valent.

124 OBJIC. III. Lex bona, & in æternum data, adveniente Chriſti lege, nequit ceſſare; ſed lex vetus erat bona, & in æternum data; ergo non debuit ſub lege nova ceſſare. Minor habetur Baruch. 5. *Hic eſt liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum*. Geneſ. 17. de Circumciſione habetur: *Erit hoc pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*. Exod. 12. de Agno Paſchali: *Cuſtodietis diem iſtum in generationes*
A *veſtras ritu perpetuo*.

Reſponderi ſolet, quod ly *æternum* quandoque ſignificat ſemper, ſed ad tempus determinatum, non autem pro ſemper, ideſt pro quolibet temporis ſtatu; ea propter dicitur lex duratura in æternum, ideſt toto eo tempore, quod ad Chriſti adventum ſupererat, ut clare ex Scripturis habetur; ſiquidem lex illa eam includebat perpetuitatem, quam in promiſſionibus a Domino acceperat. Regulabatur enim legis qualitas, a qualitate prædictarum promiſſionum; ſed perpetuitas promiſſionum erat ſolius determinatæ diuturnitatis; ergo etiam perpetuitas legis.
B Declaratur: qualitas promiſſionum conſiſtit in poſſeſſione terræ; quæ dicitur Chanaam. Gen. 13. v. 15. *Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo in ſempiternum*, & cap. 17. v. 8. *Dabo tibi, & ſemini tuo . . . omnem terram Chanaam in poſſeſſionem æternam*, & tamen illam non poſſederunt terram, niſi uſque ad legis novæ tempora, quibus facti ſunt ſub tributo, & exterorum imperio, & paulatim ab illa prorſus ejecti; hinc eſt, quod præcepta ceremonialia, & judicialia obligabant Judæos in ſola Judæa, ut Rabbini affirmant, & verba Scripturæ ſatis innuunt.
C Deut. 4. v. 1. *Et nunc Iſrael audi præcepta, & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis*, v. 5. *Sic facietis ea in terra, quam poſſeſſuri eſtis*, & v. 14. *Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos ceremonias, & judicia, quæ facere deberetis in terra, quam poſſeſſuri eſtis*. Igitur ly in æternum non eſt abſolutum, eo vel maxime quod in aliis Scripturæ locis oſtenditur, quod legi huic altera debet ſubrogari. Jer. 23. v. 7., & ſeqq. *Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non dicent ultra: vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti;*
D *ſed: vivit Dominus, qui eduxit, & adduxit ſemen domus Iſrael de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc, & habitabunt in terra ſua*; & ſenſus eſt; quod amplius non celebrabunt Paſcha pro exitu ab Ægypto, ſed pro Redemptione a peccato factâ per Chriſtum pro omni natione, & tunc habitabunt terram ſuam, videlicet ſpirituale ſemen Abrahæ promiſſum: ſimile dedimus ex eodem Propheta cap. 31. v. 31., cui concinit quod legitur cap. 16. v. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos*; hi piſcatores ſunt, quibus Chriſtus Marc. 1. v. 17.
E dixit: *Venite poſt me, faciam vos fieri Piſcatores hominum*, Jſaiæ 43. v. 18. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce ego facio nova, & nunc orientur; utique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam, & in invio flumina*. Locus iſte a Rabbi Salomone dilucidatur -- Non memineritis prio-
„ rum, hoc eſt, miraculorum, quæ feci
„ in Ægypto, quia in tempore Meſſiæ ve-
„ ſtrum exercitium erit totum in laudibus,
„ & confeſſionibus erga Meſſiam Sanctiſſi-
„ mum propter illius multo mirabiliora
„ pro-

Æternum quid ſignificat.

„ prodigia — Ceteræ Scripturæ, quibus promittitur Meſſias, & nova lex, idem referunt, ea quibus compertum ſit, quod *æternum* non accipitor abſolutè, ſed pro toto tempore, quod Meſſiam præceſſit.

DICES. Sicut lex Moyſis coarctatur per promiſſionem terræ Chanaam, ita lex nova per Evangelii prædicationem juxta illud Matth. 24. *Prædicabitur Evangelium hoc in univerſo orbe, & tunc erit conſummatio.* Sed licet prædicatio Evangelii facta ſit in univerſo orbe, tamen lex non ceſſavit, neque ceſſabit, quia dicitur: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; ergo licet poſſeſſio terræ Chanaam fuerit ad tempus, lex tamen erit æterna.

RESP. Argomentum firmat catholicam fidem; nam prædicatio Evangelii ſumpta pro ejoſdem notitia, & evulgatione per orbem, dubio-procul peracta eſt ſub temporibus Apoſtolorum, & verificata eſt Prophetia de conſummatione, videlicet ipſius Jeroſalem, de qua loquitur Chriſtus. Unde non cadit conſummatio ſupra legem, nec ſupra quidquam promiſſum obſervantiæ legis, ſed ſupra deſtroctionem Hebraici Templi, & Sacrificii jam prænunciatam in Scripturis per adventum Meſſiæ complendam; ſi verò conſummatio intelligatur cadere ſupra univerſum orbem, quæ judicii die eveniet, adhuc verificatur textus; nam Evangelium cum pleno fructu, hoc eſt, univerſarum Gentium converſio non fiet, niſi prope illom ultimum diem: ceterum in lege ſcripta datur omnimoda æqualitas inter ipſam legem, & promiſſionem directam illi factam; quare eodem modo intelligendus eſt terminus *in æternum* legi, & poſſeſſioni terræ accommodatus, ac proinde cum huic applicatus non veniat abſolute, ita neque ut applicatus alteri.

INSTABIS. Ita applicatur legi ceremoniali terminus *in æternum*, ſicut applicatur feſto Sabbati, de quo Exodi 31. v. 16. *Cuſtodiant filii Iſrael Sabbatum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſrael, ſignumque perpetuum.* Sed Sabbatum eſt obſervandum pro ſemper ſub quolibet ſtatu uſque ad mundi finem; quià datum eſt in recognitionem beneficii creationis, ut habetur *Exodi* 20. *v.* 11., & creationis beneficium pro ſemper eſt recolendum; ergo & reliqua legis præcepta.

RESP. Sabbati feſtum partim morale eſt, partim ceremoniale; eſt morale, quatenus præcipitur una dies pro Dei cultu ob gratiarum actionem pro beneficio creationis, & ſecundùm hanc rationem traditur Exodi 20. v. 8. *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*: eſt verò ceremoniale, quatenus præcipitur in memoriam liberationis a ſervitute Ægyptiorum, de quo Deut. 5. v. 15. *Memento quod & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento: idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbati*: & inter ceremonialia reponitur etiam Exodi 31. v. 15. *Sex diebus facietis opus, in die ſeptimo Sabbatum eſt requies Sancta Domino: omnis, qui fecerit opus in hac die morietur.* Hæc enim ponuntur ſimul cum præceptis de arca, de altare, de oleo, de unctione Sacerdotum, & aliis, quæ ad ceremonias pertinent. Itaque ut morale perſeverat in ſtatu legis novæ, in qua una Hebdomadis die ut Deu ſacra veneratur, ut ceremoniale perſeverat in ſuo figurato, videlicet in quiete Chriſti poſt labores paſſionis, ideſt, poſt reſurrectionem, de qua dominico die celebratur memoria: quod poſt Meſſiæ adventum deſineret præceptum Sabbati ut ceremoniale, habetur Iſaiæ 1. v. 13. *Neomeniam, & Sabbatum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri*: quia redditi per abrogationem ſacrilegi.

Dies Sabbati cur nunc ſervatur?

URGEBIS. Idem ſignificat perpetuum, & æternom, ubi eſt ſermo de legalibus, ac ubi de ſuppliciis agitur peccatoribus debitis juxta illud Iſaiæ 33. v. 14. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* vel ubi applicatur præmio juſtorum Danielis 12. v. 3. *Fulgebunt . . . quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, & v. præcedenti. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Sed ubi agitur de præmio juſtorum, reproborumve ſupplicio, accipitur abſolutè; ergo pariter quando agitur de ceremoniis legis: non enim rationabilis occurrit ratio, ut in uno loco abſolute, & in alio limitate accipiatur.

RESP. Major non evincitur; ſiquidem ubi terminus ille ceremonialibus aptatur, figuris, quæ hoc ipſo evacuari, & ceſſare debent, ubi figuratum advenit, accomodatur; ubi verò ad præmium refertur, vel ſupplicium, applicatur figurato, & quidem ultimo; ea propter nulla occurrit ratio, per quam coarctari debeat. Et sane non eſt in Scripturis ſolemne ſæpenumero aſſumere ſempiternum limitate, & ad tempus? Legitur Exodi 21. v. 5. *Quod ſi dixerit ſervus: diligo Dominum meum, & uxorem, ac liberos, non egrediar liber; offerret eum Dominus diis, & applicabitur ad oſtium, & poſtes, perforabitque aurem ejus ſubula, & erit ei ſervus in ſeculum*, ubi in ſeculum in idem redit, ac uſque ad tempus Jubilæi, quo libertate donandus erat. Levit. 25. v. 41. *Egredietur liber cum liberis ſuis ad cognationem, & poſſeſſionem patrum ſuorum.* Non inficias imus terminum *æternum*, & *ſempiternum* accipi abſolute, tunc nempe cum nec materia exigit poſitive limitationem, nec alia Scriptura affertur, quæ rem circumſcribat; ea propter terminus ille relate ad ceremonias legis uſurpari debet cum limitatione, cum aliæ occurrant Scripturæ, quibus palam fit, quod lex alia, & quidem nobilior danda erat.

Terminus æternum quando abſolute ſignificat?

125. OBJIC. IV. Niſi lex vetus vim haberet obligandi, impræſentiarum nihili faciendum eſſet Teſtamentum vetus; atqui apud Catholicos maximo eſt in honore; ergo.

RESP. Teſtamentum vetus apud nos jure meritoque in honore eſt, quia ejus auctoritate ſolide confirmatur novi Teſtamenti veri-

veritas, cum in eo hujus præceſſerint figuræ, & per comparationem unius cum alio dilucide compertum ſit Chriſtum fore Meſſiam vere in Scripturis enunciatum, atque promiſſum; ideoque apte dicebat Judæis Chriſtus: Joann. 5. v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit*. Eſt itidem in honore; quia in eo plurima leguntur moralia documenta, ut legere eſt in Sapientialibus, plurima virtutum exempla, quibus ad bene agendum excitamur.

126 DICES. Quandiu perſeverat motivum legis, tandiu durat & lex; ſed in nova lege motivum perſeverat legis veteris, nempe Dei cultus ut finis ultimi; ergo.

Proteſtari nunc Chriſtū venturum erroneum eſt.

RESP. Cultus Dei ut finis ultimi per fidem Chriſti venturi erat motivum veteris legis, & colebatur Deus proteſtatione Chriſti venturi, nunc verò cum jam venerit Meſſias, proteſtari Chriſtum futurum erroneum eſſe in aperto eſt.

His, nulla elegantiæ, ſed tantùm perſpicuitatis habita ratione, rem totam de Conſiliis Evangelicis, atque de ſtatu Religioſo in lege veteri abſolvo: quoniam verò quædam perperam dicta poſſunt occurrere, S. R. E. judicio, quæ ejuſmodi ſunt, emendanda ſubjicio: debent namque, ut ait S. Bernardus *Epiſt.* 124. — ibi potiſſimum „ reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides „ ſentire defectum —

APPENDIX,

Qua Ludovici Antonii Muratorii dicteria in Carmelitarum Ordinem, Sanctiſſimoſque ejuſdem Familiæ Inſtauratores perperam lata ſatis manifeſte injuriæ, ac falſitatis evincuntur.

PRæclare jam Seculo ab hinc ſecundo a clariſſimo Theologo Dominico Soto *in proœmio Voluminis primi Diſputationum in quartum ſententiarum* fuerat pronunciatum, quoddam haud vulgare damnum in litterariam Rempublicam, ex quo ars Typographica in lucem venit, irrepſiſſe; ſcilicet libros prodiiſſe qui moleſtum potius onus, quam utilis fructus jure meritò dici poſſunt: *Quo utique malo*, inquit ipſe, *poſtquam chalcographorum uſus percrebuit, ſcientiarum omnium ſchola plurimum laborant. Nam, ut nihil probatis Authoribus detraham, nonnullos (quod bona venia dixerim) offendas, quos non tam docendi facultas, quam impreſſionum facilitas allexit, ut aliena incompte tranſcribendo, ſuam ſcribendi libidinem traduxerint*. Verum ætate noſtra in immenſum damna ſuccrevere: illudque non ſine indignatione æque, ac lacrymis præcipue dolendum, quod pravo Typographiæ uſu latus pateat campus & ſatiris, & detractionibus, cuicunque dicacis hominis arbitrio explendo, bonorumque hominum famæ dilacerandæ.

Equidem minime cenſeo omnes malitiâ, moroſique animi temeritate ductos jurgia ſua typis conſignaſſe: alios ingenii ſtupiditas, alios nimia animi præfidentia, vel oſcitantia, in hoſce compulit lapſus. Ut ut ſit, ſatis conſtat, quam gravia inde mala emergant; quamque operæ pretium ſit ea diſpellere, ne incauti, ſimplicéſve homines decepti hujuſcemodi dictis (potiſſimum ſi a viris vel fama, vel aſſentatione illuſtribus prolata ſint) tamquam verò proximum apprehendant, quod longiſſime a veritate aberrat. Ea propter occaſione accepta ex Liberiani hujus Operis editione, quo Evangelica propugnantur Conſilia, neceſſarium viſum eſt calumnias nonnullas evertere, quibus ſubinſenſus Scriptor *Ludovicus Antonius Muratorius* univerſum Carmelitarum Ordinem, & quod magis mirandum eſt Sanctiſſimos ejuſdem Familiæ Inſtauratores divexare viſus eſt.

Ne autem fingere hoſtem videar, quem feriam, ipſa Muratorii verba fideliter candido Lectori præ oculis ponam. En igitur quid de Carmelitis ſcripſerit Tomo VIII. Rerum Italicarum pag. 879. edit. Mediolan. 1726., cui titulum præpoſuit: *In Hiſtoriam Ricordani Malaſpinæ Præfatio Ludovici Antonii Muratorii*.

„ Monitos Lectores volo in Ricordani „ Hiſtoria edenda omiſſum fuiſſe unum, „ quod in MSS. Codicibus legebatur de „ morte S. Thomæ Aquinatis. Nempe ſcri„ pſerat ille *Sanctum Virum in Monaſterio „ Foſſæ Novæ defunctum anno 1274. dum Lug„ dunum ſe conferret ad Concilium, ut deſtrue„ ret Ordinem Carmelitarum*. Viſa hæc ſunt „ omnino abſona Editoribus, a moribus ſan„ ctiſſimis, & ſingulari, ac perſpectiſſima „ charitate Thomæ Aquinatis, ac propterea „ ſuis tenebris relicta. Et profecto, ſi quid „ ſuſpicionis aſpergere heic voluit Ricorda„ nus famæ viri illius, cui admirabilis pie„ tas, ac doctrina Angelici titulum meritò „ acquiſivit, his baſilicè fallitur, & meritò „ explodendus eſt; quippe deceptum ſat ma„ nifeſtè oſtendit inculpata Aquinatis vita „ tota, & integer in eo ſemper deprehenſus „ virtutum chorus. Verum fieri potuit etiam „ S. Thomæ id conſilii contra Carmelitas in„ ſediſſe, illudque intacta ſanctitate morum. „ Nam poſteaquam duo, Prædicatorum, & „ Minorum Ordines ſub initium Seculi XIII. „ invaluere, & confirmati ſunt ab Apoſto„ lica Sede, inſurrexerunt non pauci, qui „ novos alios Ordines Religioſos inſtituere, „ aut

„ aut oblivis locorum propagare conati ſunt,
A „ non ſine Præſulum, aut populorum que-
„ rela, immo non ſine moleſtia Romano-
„ rum Pontificum, quorum aures ii quoti-
„ die pulſabant, ut novi hi fœtus probaren-
„ tur, & radices agere poſſent. Sed præci-
„ pue in hoc totis lacertis intendebant Car-
„ melitæ, quorum Religioſa Familia Seculo
„ tantummodo præcedenti levibus initiis in
„ Oriente inchoata, & ſedes vertere a Sa-
„ racenis prævalentibus, præſertim coacta,
„ per Europæ Civitates, novum ſibi nidum
„ ſollicitè quæritabat. Igitur tantis homi-
„ num piorum motibus, ac turbis, modum
„ imponere cupiebat Sanctiſſimus Vir Gre-
B „ gorius Papa X., ac proinde rem in Con-
„ cilio Lugdunenſi anno 1274. agitandam
„ ſtatuit, quo incomparabilem, ac celeber-
„ rimum ſua ætate Virum, Thomam Aqui-
„ natem ipſe advocaverat, ejus conſilio, ac
„ eruditione uſurus ad componendas con-
„ troverſias cum Græcis, aliaque decernen-
„ da in univerſalis Eccleſiæ utilitatem. Eri-
„ puit mors tertis Thumam jam illic profi-
„ ciſcentem. Accipe verò quid in Œcume-
„ nico Concilio Decretum de hau re fuerit.
„ Cap. XIII. *Religionum diverſitatem nimiam*
„ *ne confuſionem induceret, Generale Conci-*
„ *lium* (ſub Innocentio III.) *conſulta pro-*
C „ *hibitione vetuit: ſed quia non ſolum impor-*
„ *tuna petentium inhiatio illarum poſtmodum*
„ *multiplicationem extorſit, verum etiam ali-*
„ *quorum præſumptuoſa temeritas diverſorum*
„ *Ordinum (præcipue Mendicantium, quorum*
„ *nondum approbationis meruere principium)*
„ *effrænatam quaſi multitudinem adinvenit,*
„ *repetita Conſtitutione diſtrictius inhibentes ne*
„ *aliquis de cetero novum Ordinem, ac Reli-*
„ *gionem inveniat, vel habitum novæ Religio-*
„ *nis aſſumat, cunctas affatim Religiones, &*
„ *Ordines Mendicantes, poſt dictum* (Latera-
„ nenſe) *Concilium adinventas &c. perpetuæ*
„ *prohibitioni ſubjicimus*. Tandem exemptis
D „ ab hujuſmodi Conſtitutione Prædicatorum,
„ & Minorum Ordinibus, *quos evidens ex*
„ *eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens*
„ *perhibet approbatos*, hæc de Carmelitis ſta-
„ tuuntur: *ceterum Carmelitarum, & Ere-*
„ *mitarum S. Auguſtini Ordines, quorum inſti-*
„ *tutio dictum Concilium Generale præceſſit in*
„ *ſuo ſtatu manere concedimus donec de ipſis*
„ *fuerit aliter ordinatum &c.* His autem per-
„ ſpectis, quid mirum ſi in ea ſententia
„ fuiſſet S. Thumas, tollendum omnino, ac
„ ſupprimendum Ordinem Carmelitarum,
„ nondum ab Apoſtolica Sede Decreto ap-
„ probatum, quando jam pro Eccleſia mili-
E „ tabant, & ab Eccleſia confirmati fuerant
„ præclariſſimi duo Ordines Prædicatorum,
„ & Minorum? Fortaſſe Viro prudentiſſi-
„ mo, & ſanctiſſimo Carmelitica Familia
„ oneri potius, quam utilitati Chriſtiano-
„ rum Reipublicæ futura videbatur, & po-
„ tiſſimum cum nihil ultra præſtare hæc poſ-
„ ſet, quod a Prædicatoribus, & Minoribus
„ jam antea abunde non præſtaretur. Nihil
„ hujuſmodi ſententia laborat a Sanctitate
„ Aquinatis, uti perſpiciet quicunque re-
„ ctus rerum æſtimator; & certe Gregorius
„ Decimus Papa, cum Generali Concilio
„ non paucos alios Religioſos Ordines jam
„ invectos ea Conſtitutione abjecit, neque
„ ad ipſum Carmelitarum confirmandum ad-
„ duci ſe paſſus eſt, quamquam ſecus viſum
„ fuerit Ricordano noſtro. Num in Grego-
„ rio Decimo, quem in Beatorum Catalogo
„ adſcriptum novimus, atque in univerſis
„ Concilii Patribus æmulationem, atque in-
„ vidiam, idcirco ſuſpicemur? Abſit. Præ-
„ terea cum famæ, & ſanctitati cujuſcun-
„ que Summi Pontificis, vel tantillum non
„ deperiret, ubi aliquem Religioſum Ordi-
„ nem inutilam Eccleſiæ nunc dijiceret,
„ quamvis jamdiu a Papis Prædeceſſoribus
„ confirmatum; quanto magis id facere li-
„ cuit in Ordinem toleratum quidem, ſed
„ nondum Romanæ Sedis, & Eccleſiæ au-
„ thoritate munitum? Atque hæc præfari
„ fas mihi fuerit in Sancti Thumæ Aquina-
„ tis tutelam, ne quis unquam Ricordani
„ verbis abuti in tantum Virum poſſit, au
„ velit —

Hucuſque Muratorius, cujus allucinationes, ut clariùs diſpeſeamus, ad quatuor claſſes reducere fas eſt. I. Oſtendam falſiſſimum eſſe ad tempora uſque B. Gregorii X., ſeu Concilii Lugdunenſis II. anno 1274. coacti Ordinem FF. B. Mariæ a Monte Carmelo non approbatum ab Eccleſia, ſed unicè toleratum fuiſſe. II. Nihil ſubſidii ferre Muratorianæ opinioni Decretum, quod ipſe Concilii Lugdonenſis eſſe autumat, cum tamen nonniſi Gregorii Decimi (Natali Alexandro animadvertente *Sec. XIII.*) dicendum ſit. III. Nullam adhibendam eſſe fidem Jachetto Malaſpinæ, cujus teſtimonium Muratorius Ricordano ejus Patruo appingere videtur. IV. demum imprudenter nimis e Muratorii calamo excidiſſe ea verba: *Fortaſſe Viro prudentiſſimo, & ſanctiſſimo* (Thomæ Aquinati) *Carmelitica Familia oneri potius, quam utilitati Chriſtianorum Reipublicæ futura videbatur.*

Si primum volumen inſpicias Bullarii Carmelitani ab Eliſeo Monſignani Romæ editi, ſtatim occurrent quinquaginta, & amplius diplomata Rumanorum Pontificum, qui Gregorium Decimum præceſſere, quique pluribus beneficiis Carmelitas cumularunt. In iis reperies facultatem concedi Verbum Dei prædicandi, confeſſiones excipiendi, diſpenſandi in irregularitate, abſolvendi ab Eccleſiaſticis cenſuris, atque apoſtaſia, Divina Officia celebrandi tempore generalis Interdicti, liberè, ac licitè Generalia Præpoſiti, ac Provincialis munia exercendi. Hæc, aliaque id genus privilegia Ordini Carmelitarum a Romanis Pontificibus collata, credibile ne eſt, Ordini minime approbato fuiſſe concеſſa? Bullas reperies ad Epiſcopos, & Chriſtifideles datas, quibus hortantur, immo & præcipiunt ut Carmelitas benigne excipiant, a vexatoribus defendant, locum præbeant ubi Cœnobia condere peroptant: vetant, ne quis audeat de ipſorum hortis, ac virgultis decimas ab ipſis exigere, atque extorquere præſumat. Inter cetera verò, Diploma reperies Innocentii IV., quo Elyenſi Epiſcopo injungit, ut Carmelitarum in Anglia inſectatores, Eccleſiaſticis pœnis compeſcat, etiam *appellatione poſtpoſita*. Bone

Deus! Tam ardens ſtudium in Romanæ Sedis Moderatoribus fuit, ut Ordinem unice toleratum, propagarent, communirent, tuerentur?

Qui fieri poterit, ut unice toleratus dicendus ſit Ordo ille, qui ſub immediata Romanæ Sedis protectione militabat, cujuſve Regula a Romano Antiſtite non ſemel approbata fuit? En tibi, ut cetera miſſa faciam, Gregorii IX. verba, in Conſtitutione VI. Aprilis 1229. tradita *Regulam approbatam a bonæ memoriæ Honorio Papa Prædeceſſore noſtro, & ab eo vobis traditam, in remiſſionem peccatorum obſervandam, Apoſtolica authoritate confirmamus, & in eodem loco perpetuis temporibus præcipimus obſervari*. En quod habet idem Gregorius in Conſtitutione altera, cujus authographum in Toloſano Carmelitarum Cœnobio ſervatur. *Religionis veſtræ meretur honeſtas, ut vos in Chriſti viſceribus amplexantes, ſupplicationibus veſtris, quantum cum Domino poſſumus, annuamus. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris precibus inclinati, perſonas veſtras, & locum, in quo divino mancipati eſtis obſequio ſub BB. Petri, & Pauli, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: authoritate vobis præſentium indulgentes, ut cum generale fuerit terræ Interdictum, liceat vobis, clauſis januis (excommunicatis; & interdictis excluſis) Divina Officia celebrare, dummodo cauſam non dederitis Interdicto, nec id vobis contingat ſpecialiter interdici. Nulli ergo hominum &c. Datum Peruſii V. Id. April. Pontificatus noſtri anno tertio*.

Quod ſi quis inſulſus Vitiligator reponere velit hic de Regulæ non de Ordinis ipſius approbatione ſermonem haberi, præſto eſt Conſtitutio Alexandri IV. ad Priorem Generalem, Fratreſque omnes Ordinis B.V. Mariæ a Monte Carm. vigeſima quarta Februarii data, anno 1256. *Nos volentes Ordinem ipſum a Sede approbatum eadem, honeſtate floridum, & virtute fœcundum, privilegio Apoſtolicæ gratiæ attollere ſpeciali, ac veſtris ſupplicationibus inclinati, quidquid ſuper præmiſſis per te Prior, dictoſque prædeceſſores Fratres, & Diffinitores factum, & obſervatum eſt hactenus, ratum habentes, & firmum vobis, authoritate præſentium, indulgemus ut ſucceſſores tui Prior, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquam electi fuerint ſecundum Regulam, & Conſtitutiones Ordinis veſtri. Eo ipſo veri ejuſdem Ordinis effecti Priores, curam animarum Fratrum ipſius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres authoritate propria ligare, & ſolvere valeant*.

Inſurget aliquis in Muratorii defenſionem, minime ipſi innotuiſſe tot Pontificia Diplomata, neque ad manus occurriſſe *Speculum Carmelitarum*; *Annales ipſorum a Lezana deſcriptos*, *Bullarium*, aliaque id genus volumina, quæ tineis, ac blattis corrodenda lubenti animo reliquiſſet. Verum, quid roboris defenſioni hujuſcemodi ineſſe poteſt? Ille ne excuſandus, qui alios inſectari pergit, ipſorum cauſa minime ad examen vocata? Si Muratorio ignota erant monumenta iſthæc, conſilii erat ſilere, non contradicere. Quod ſi ſanum duxerat Scriptores noſtros non conſulere, eccur extraneos ſaltem non adivit? A Thoma a Jeſu, viro pietate non minus quam doctrina conſpicuo, *ſecunda parte Commentariorum in Regulam noſtram dub.* 3. hi recenſentur Scriptores, equidem extranei, qui de Regulæ approbatione, a D. Alberto Jeroſolymorum Patriarcha Carmelitis traditæ, ſermonem habuere. — In primis communis Scriptorum ſententia
„ tenet illam ab Honorio III. fuiſſe confir-
„ matam. Sic docuerunt Antoninus 3. *part.*
„ *Hiſt. tit.* 20. *cap.* 5. Vincentius *in Hiſtoriali*
„ *lib.* 31. *cap.* 123. Philipp. Bergomenſis *in*
„ *Supplem. Hiſtoriar. lib.* 13. in enarratione
„ anni 1200. Tritemius *de laudib. Carmeli-*
„ *tar. cap.* 4. Caſſaneus *in Catalogo gloriæ*
„ *mundi* 4. *par. conſideratione* 70. Paulus Mo-
„ rigia *de Origine Religionum cap.* 30. Immo
„ inter Authores fere non eſt, qui ab hoc
„ diſſentiat.

Non arrident, inquies, Scriptores iſti, & apud graves ſeveroſque homines authoritate carent. Eſto. Cur ſaltem iis non adhæres, qui accuratiori trutina uſi ſunt, atque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ reſtauratores, Parenteſque vocantur? Nonne apud Onuphrium Panvinium *in Cronologia Eccleſiaſtica ad an.* 1226. reperitur Carmelitarum Regulam ab Honorio tertio fuiſſe approbatam? Lege Bellarminum *par. 2. brevis Cronologiæ*, atque hæc reperies. *Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III. an.* 1180., item *ab Innocentio III.* 1199., item *ab Honorio III.* 1216. (melius 1226.) *mitigatur ab Innocentio IV.* 1248. De Regulæ noſtræ approbatione ſub Honorio III. mentionem inſuper faciunt Spondanus *in Contin. Baron. ad an.* 1205. Raynaldus in eadem Continuatione ſub Innocentio IV., Alexandro IV., Honorio IV., atque Natalis Alexander *Seculo XIII. cap. VII. art.* 5., quamvis cæco impetu (pace tanti viri dictum ſit) & ſine ulla prorſus trutina omnia contra nos Papebrochii argumenta ſolida, & inepta, veroſimilia, & ridicula, excripſerit, haud inficiatur tamen ab Honorio III., nec non Innocentio IV. Carmeli Familiam fuiſſe confirmatam. Infinitus eſſem ſi cunctos recenſere vellem, qui de Regulæ noſtræ confirmatione ab Honorio III. facta deque ejuſdem moderatione, ac declaratione ab Innocentio IV. peracta ſermonem habuere. Sufficiat dicere vel ipſum Helyotum Scriptorem Gallum, virum ſupra omnes in Carmelitas mordacem, ac, prope dixerim, fanaticum inficias non iviſſe *Tom. 1. Hiſtor. Ordinum Religioſorum cap.* 41. *pag. mihi* 323., *& ſeq.* Carmeliticam Alberti Regulam ab Honorio III., & ab Innocentio IV. fuiſſe approbatam. Et ſane, a nemine, cui ſanum ſinciput, quique in Eccleſiaſtica Hiſtoria hoſpes non ſit, ac peregrinus, id denegari poſſe video; ſiquidem utrumque, Honorii ſcilicet, & Innocentii Diploma, in Laertii Cherubini Romano Bullario, volumine primo reperitur.

Hæc perquam demonſtratoria ſunt, ac Muratorianam falſitatem aperte jugulant: aſt, ultro concedamus minime nobis præſto eſſe Eccleſiaſtica monumenta, expreſſas Romanorum Antiſtitum Bullas; permittamus forte

ſorte verum non eſſe id quod ex Bellarmino vidimus (quod tamen conſtanti veterum Ordinis Hiſtoricorum affirmatione aſſeritur); nempe ab Alexandro III. Carmelitarum Ordinem anno a parta ſalute MCLXXX. fuiſſe approbatum; anne ſatis non erit Conſtitutio duodecimæ Œcumenicæ Synodi, Lateranenſis quartæ ab Innocentio III. 1215. celebratæ? En quid ibi decretum fuerit cap. 13. *Ne nimia Religioſorum diverſitas gravem in Eccleſia Dei offenſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat, ſed quicunque voluerit ad Religionem converti UNAM DE APPROBATIS SUMAT, Similiter qui voluerit domum de novo fundare, REGULAM, ET INSTITUTIONEM ACCIPIAT DE APPROBATIS*, Pluribus oſtendere nititur *Tomo IV. Annal. Carmel. ad an.* 1215. Ven. P. Jo. Baptiſta Leaana, hoc Decreto, Sacros Concilii Patres, robur, firmitatemque Ordini noſtro adjeciſſe; libet autem ſingula brevitatis ergo omittere, atque unicam argumentationem, quæ mox ſequitur, inſtituere. Concilium Lateranenſe quartum ſtatuit, ut quicunque voluerit ad Religionem converti *unam de approbatis ſumat*: inſuper ut qui voluerit *domum de novo fundare, Regulam, & inſtitutionem accipiat de approbatis*; Carmelitarum Ordinem, nulla interpoſita mora, ab ipſius Concilii Lateranenſis tempore uſque ad B. Gregorium X. quamplurimi amplexati ſunt; multique Carmelitis Monaſteria conſtruxerunt, nullo unquam reclamante ex Romanis Pontificibus, immo ipſis non ſegniter adjuvantibus; ergo vel jam a Concilio Lateranenſi ſupponebatur approbatus, vel mox poſt ipſam Synodum approbationem obtinuit. Seculo Tertiodecimo ante Lugdunenſe ſecundum Concilium Carmelitarum Familiam mirifice in Europa propagatam fuiſſe, certò certius eſt. Sufficiat unicum afferre teſtimonium Guillelmi de Sanvico, qui teſte Guillelmo Cavo *in Hiſtoria Literaria par.* 2. claruit anno 1270. -- Ob-
„ tentis a Summo Pontifice Innocentio Quar-
„ to literis præmiſſis, cœperunt dicti Fratres
„ per Regiones, ad quas pervenerant, ju-
„ vantibus eos Chriſtifidelibus, loca Reli-
„ gioni eorum opportuna in diverſis Civita-
„ tibus, & Villis per incrementa temporum
„ conſtruere, in quibus poſſent Domino Deo,
„ & ejus Matri Virgini, ſicut deſiderabant,
„ ſecure deſervire: qui enim ex eis ad Cy-
„ prum acceſſerant, in quibuſdam Civitati-
„ bus, & locis Cypri, Monaſteria huic Re-
„ ligioni commoda ædificaverunt. Qui verò
„ ad Siciliam pervenerant, non ſolum per
„ Civitates Siciliæ hanc Religionem planta-
„ verunt, ſed inde per Apuliam, & per
„ ceteras Regiones Italiæ ſenſim in diverſis
„ Civitatibus, & locis Religionem auxe-
„ runt. Qui autem ad Provinciam profecti
„ fuerant, nedum per Civitates, & loca
„ illius Regionis, ſed per Narbonenſem Pro-
„ vinciam, & Aquitaniam, atque Hiſpa-
„ niam, in diverſis Civitatibus, & locis
„ Religionem iſtam paulatim multiplicave-
„ runt. Illi verò qui ad Angliam ſeceſſerunt
„ non tantum per Inſulam Angliæ, ſed per
„ Scotiam, & Iberniam in multis Civitati-
„ bus, & Villis, ac locis Religionem iſtam
„ pedetentim dilataverunt -- Hactenus Guillelmus de Sanvico *in Cronic. de multiplic. Ord.*

Reponet quis impudenter tam miram propagationem a Carmelitis illegitime tentatam fuiſſe, ac ſine Romanæ Sedis conſenſione, immo contra expreſſam Lateranenſis Synodi prohibitionem; grataque fortaſſis Muratorio fuiſſet hujuſcemodi reſponſio, qui nulla adducta probatione, poſtquam aſſeruit novos non paucos Ordines Seculo XIII. fuiſſe inſtitutos, qui non ſine Præſulum, ac populorum querela, immo non ſine moleſtia Romanorum Pontificum, ſeſe ubivis locorum propagare geſtiebant, audacter pronunciavit. *Sed præcipue in hoc totis lacertis intendebant Carmelitæ*. Aſt credibile ne eſt tot Sanctiſſimos Viros, qui eo Seculo Carmelitarum Ordinem rexerunt, paſſos fuiſſe, ut ipſorum Familia contra apertam Generalis Synodi prohibitionem propagaretur? Ubinam legis exprobatos fuiſſe, quod Lateranenſis Concilii Decretum violarent? Pientiſſimus Francorum Rex Ludovicus hujus nominis Nonus, auſus ne eſſet Ordinem minime approbatum, tot beneficentiæ ſignificationibus excipere, illique in ipſa Regia Urbe Pariſiorum Monaſterium conſtruere? Quid quod ipſi Romani Pontifices domos noſtratibus ædificabant? ab Innocentio III. Eccleſiam Carmelitis Urbe veteri constructam fuiſſe, ac privilegiis communitam, author eſt Petrus Rodulphius in Hiſtoria Franciſcanorum *lib.* 2. *fol.* 259. Annuente Honorio III. Eccleſia S. Juliani in Montibus Romæ tradita Carmelitis eſt: hinc ipſi in Alma Urbe in publicis ſupplicationibus Sacras Minorum, & Eremitarum S. Auguſtini Familias, antiquioris habitationis titulo, præcedunt. Tot alii Ordines Seculo XIII. inſtituti ſunt, ut Ordo Servorum B. M. V. Ordo nuncupatus *de Mercede, redemptionis captivorum*, Ordo SS. Trinitatis, Congregationes Silveſtrinorum, Vallis Scholarium &c., cur hi Carmeliticæ Familiæ propagationi minime inviderunt; cumque eam cernerent altius radices figere (forte felicius quam ipſi) nunquam oppoſuerunt eam vix toleratam eſſe, ſuffragio approbationis deſtitutam, atque impudenter ab ipſa, ejuſque fautoribus Sacroſanctum Lateranenſis Concilii Canonem violari?

Age verò, quid ſubſidii, ac roboris Muratorianæ allucinationi afferre poterit Beati Gregorii Decimi conſtitutio? Num priora verba: *importuna petentium inhiatio, præſumptuoſa temeritas*? Aſt ea, ut ex ipſis decreti verbis conſtat vel non niſi eos Ordines afficiunt, qui poſt Concilium Lateranenſe adinventi ſunt, vel ſi eos etiam qui præfatum Concilium præceſſerunt, in eos animadvertunt, qui nondum approbationis meruere beneficium; Carmelitæ verò, ut oſtenſum eſt, repetitis vicibus jam confirmati erant a Romanis Præſulibus. Examinanda reſtant inferiora: *Ceterum Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium Generale præceſſit, in ſuo ſtatu manere concedimus, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum*. Cen-

ſuit Ricordanus Malaſpina Carmeli Ordinem fuiſſe a Gregorio X. confirmatum ſiquidem hæc habuit capite 199. Hiſtoriæ Florentinæ. *Vietò l'Ordine de' Frati Mendicanti, ſalvo l'Ordine de' Frati Minori, e de' Predicatori, e confermò quello del CARMINO perchè era molto antico Ordine*. Viderat hæc Moratorius, & reprobavit, ſed immerito. Gregorius Decimus vult Carmelitarum Ordinem *in ſuo ſtatu* permanere; atqui ante Concilium Lugdunenſe confirmatus erat; ergo tantum abeſt, ut Gregorius ad illum approbandum minime adduci potoerit, ut potius illum iteratò confirmaverit. Adde in Libro ſexto Decretalium quem Bonifacius VIII., juſſu ſuo per doctiſſimos viros collectum, qoinque Gregorii Noni anoeauit *l. 3. titulo 17. de Religioſis Domibus, cap. unico*, non legi *in ſuo ſtatu*, ſed *in ſolido ſtatu*: quid amabo innuere poſſunt ea verba, *in ſolido ſtatu*, niſi *in firmo, & ſtabili ſtatu, quem jam obtinuerunt*? In editione Lugduneoſi an. 1556. hanc reperio gioſſam in Lib. VI. Decretal. ad conititutionem præfatam Gregorii, quæ plane rem totam extra controverſiam ponit -- Voluit Papa quod iſta
„ conſtitotio non comprehenderet Prædica-
„ tores, & Minores, Carmelitas, & Au-
„ guſtinenſes; ſed vult Papa qood illi poſ-
„ ſint nova loca acquirere, nam *LONGE*
„ *ANTE ISTAM CONSTITUTIONEM PRÆ-*
„ *DICATORES, MINORES, EREMITÆ, ET*
„ *CARMELITÆ OBTINUERANT CONFIR-*
„ *MATIONES SUARUM RELIGIONUM*: ſed
„ erant alii Mendicantes, qui de novo iove-
„ nerant oovum Ordinem, & nondum ob-
„ tinuerant approbationem a Sede Apoſto-
„ lica, unde iſti, qui erant recepti, non ha-
„ bebant facultatem recipiendi aliquem ad
„ ſepulturam, nec prædicandi publice.

Haud diſſimulanda etiam eſt altera, eaque juſta, in Muratorium objurgatio. Plane cooſtat in Gregorii Canone Carmelitas Eremitis S. Auguſtini conjungi. Porro, cuinam aſſerere licebit Auguſtinianam Familiam tonc temporis fuiſſe ſolùm toleratam? Tantumne in Eccleſiaſtica Hiſtoria cæcutis, ut ignores Alexandrum IV. anoo Domini 1256. multiplices Eremitarum Congregatiooes in unuio redegiſſe corpus, atque, poſt ipſi Ordini præfectum Lanfrancum Mediolanenſem, ipſam unionem Pontificia Cooſtitutione approbaſſe, quæ volumine primo Bullar. Rom. reperitur, mandaſſeqoe unicam ſervari Eremitarum Sancti Auguſtini deoominationem?

Sed ioquies: cur Gregorius X. Auguſtiolanos, & Carmelitas a Prædicatoribus, ac Minoribus ſejunxit, & hos quidem evidenti Eccleſiæ utilitate approbatos aſſerit, de illis verò ſermonem inſtituens, diverſa utitur loquendi formula? Reſpondeo id contigiſſe quia Auguſtinenſes, ac Carmelitæ minus indigebant tali declaratione, Minorum, & Prædicatorum Ordines non niſi eo Seculo inſtituti erant, & primus quidem ab Innocentio III. anno 1215., alter verò ab Honorio III. an. 1218., vel, ut alii ſcribunt 1216. approbati fuere. Gregorius Decimus, ne quis ex ipſius Conſtitutione anſam carperet eos parvipendendi, expreſſam de ipſis mentionem fecit, & expreſſe approbatos declaravit. De Carmelitis verò, atque Eremitis S. Auguſtini minus curavit, utpote qoi minus obnoxii viſi ipſi fuerint obtrectationi, ſiquidem eorum inſtitutio Concilium Lateranenſe præceſſerat.

Ea quæ magis Muratoriom in errorem traduxeruot, ultima Gregoriani Decreti verba fuere: *donec de ipſis fuerit aliter ordinatum*; ex quibus argumentatus eſt Gregorium minime adduci potuiſſe ad Carmelitarum Ordinem approbandum. Verum (ut omittam in VI. Decretalium Bonifacii VIII. ea verba non reperiri, atque inſuper commode intelligi poſſe non de Ordinis abrogatione, ſed de Regolarum, atque Statutorum variatione) toto cœlo aberrat Moratorius; nam ſi quid ejus interpretatio valeret, ſtatuendum eſſet vel ipſum inclytum Ordinem D. Benedicti, Gregorii Decimi tempore, unice toleratum fuiſſe. Id ut clarius Lectoribus pateat, animadvertere fas eſt a Muratorio prætermiſſum fuiſſe id quod immediate ſequitur in Conciliorum editionibus. *Intendimus enim tam de ipſis, quam de reliquis etiam non Mendicantibus providere prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui videbitur expedire*. Vides in Gregorii Conſtitutione & non Mendicantes, & Mendicantes æque comprehendi: non Mendicantibus nihil officit locutio, *donec de ipſis aliter fuerit ordinatum*, cur obeſſe debeat Mendicantibus, & cur potiſſimum Carmelitis, non video.

Seculo jam quartodecimo viderat clauſulam hanc, & futuram Muratorii objectionem penitus diſſolvit inſignis ea Ordine noſtro Scriptor, Cataluoiæ Provincialis, Philippus Ribotti *in lib. de Inſtit., & peculiar. geſtis Carm. cap. 8.*, quem ſupremum diem obiiſſe an. 1391., cujuſve Speculum Carmelitarum cum Anglica ſatis antiqua verſione ſervari MS. in Bibliotheca Lambethana, teſtatur Henricus Wartou *in Append. ad Hiſtoriam literariam Cave*. Riborti verba hæc ſunt --
„ Clauſula illa *donec de ipſis*, quæ videtur
„ in hac materia facere difficultatem, non
„ aufert, nec abſtulit Carmelitis, quin
„ Ordo eorum ſit, & eſſet tunc, & antea
„ approbatus. Quod probo triplici ratione.
„ Primò, quia ſi clauſula *donec de ipſis &c.*
„ aufert Carmelitis approbationem ſui Or-
„ dinis, ſequitur pari ratione, quod auſer-
„ ret aliis non Mendicantibus Religioſis ap-
„ probationem ſui Ordinis, & ita nullus
„ Ordo eorum, qui non mendicant, eſſet
„ a Sede Apoſtolica approbatus, quod eſt
„ notoriè falſum. Conſequentia tamen clare
„ patet, quia ſicut de Carmelitis, ita de
„ aliis non Mendicantibus intendebat, ut
„ dicebat Papa Gregorius, aliter ordinare
„ pro ut ſaluti animarum, & eorum ſtatui
„ videret expedire, qui interim in ſuo ſtatu
„ manebant ſicut Carmelitæ, donec eſſet de
„ ipſis aliter ordinatum. Secundò, qoia ſi
„ clauſula illa *donec de ipſis &c.* auferret
„ Carmelitis approbationem ſui Ordinis, ſe-
„ quitur etiam, quod auferret quibuſcun-
„ que aliis Religioſis approbationem ſui Or-
„ dinis, & ita nullus Ordo eſſet in Eccle-
„ ſia

„ ſia approbatus a Sede Apoſtolica, quod eſt
„ manifeſtè falſum. Conſequentia tamen
„ probatur clare, quia clauſula illa *donec de*
„ *ipſis &c.* eſt ita de natura approbationis,
„ quod nullus Ordo poteſt ſine dicta clau-
„ ſula expreſſa, vel intellecta approbari a
„ Sede Apoſtolica. Nam, non obſtante
„ cujuſcunque Ordinis approbatione, poteſt
„ Sedes Apoſtolica aliter de ipſo ordinare,
„ immo ipſum totaliter prohibere, ut patet
„ in dicto Capitulo *Religionum diverſitatem*
„ §. *Confirmatos*, & Conſtitutione Papæ
„ Joannis XXII., quæ incipit: *Quia quorun-*
„ *dam* §. *Adhuc*. Igitur quantumcunque ali-
„ quis Ordo ſit per Sedem Apoſtolicam ap-
„ probatus, intelligitur in ſuo ſtatu manere,
„ donec aliter de ipſo per eandem Sedem
„ fuerit ordinatum, quia per hoc quod
„ ipſum Sedes Apoſtolica approbaverit, ipſa
„ non aufert ſibi poteſtatem aliter de ipſo
„ ordinandi, vel ipſum deſtruendi, ut pa-
„ tet 63. *d.* §. *Verum*. Sedes enim Apoſto-
„ lica poteſt conſultiùs revocare quod fecit
„ inconſultè, ut dicitur 35. *q.* 9. *cap. ſenten-*
„ *tiam*. Tertiò, quia poſt dictum Concilium
„ Lugdunenſe, cum adhuc in dicto §. *Cete-*
„ *rum* maneret inſerta illa clauſula *donec de*
„ *ipſis &c.*, quæ poſtea fuit per Papam Bo-
„ nifacium VIII. deleta, ſcripſit Nicolaus
„ Papa Quartus anno Domini 1288. Eccle-
„ ſiarum Prælatis, ut in ipſorum Civitati-
„ bus, & Diœceſibus permitterent Carmeli-
„ tas *prout decet viros Religioſos approbati Or-*
„ *dinis*, Divina Officia in ſuis Oratoriis li-
„ bere celebrare. Certum autem eſt, quod
„ Papa Nicolaus non ignorabat dictam clau-
„ ſulam *donec de ipſis &c.* eſſe tunc in jure
„ inſertam, quia Papa cenſetur in ſcrinio
„ ſui pectoris omnia jura habere, ut dici-
„ tur *Extra de Conſtitutionibus cap. licet lib.6.*
„ Si itaque clauſula illa *donec de ipſis &c.*
„ abſtuliſſet Carmelitis quam habebant prius
„ approbationem ſui Ordinis, non dixiſſet
„ tunc Papa Nicolaus Carmelitas eſſe *Viros*
„ *Religioſos approbati Ordinis*, & tamen di-
„ xit eos viros Religioſos approbati Ordinis;
„ ergo clauſula illa non auferebat eis appro-
„ bationem ſui Ordinis. Dico ergo, quod
„ non obſtante dicta clauſula Ordo Carme-
„ litarum approbatur tunc per Lugdunenſe
„ Concilium; nam Ordo iſte per Sedem
„ Apoſtolicam defendebatur tunc a prohibi-
„ tione pro eo quod ejus inſtitutio præceſſe-
„ rat Concilium Generale Lateranenſe, ut
„ ibidem patet. Igitur approbatur tunc a
„ Sede Apoſtolica, quæ illud ſolùm defen-
„ dit, quod eſt approbatum, & irreprehen-
„ ſibile, ut dicitur 24. *d. ſi quis Presbyter*
„ 81. *d. quis ſine* 25. *q.* 1. *Omne*.

Fateor aliquam criminandi anſam ex ipſa Gregorii, perperam intellecta, Conſtitutione arripuiſſe, vel ipſo Seculo tertiodecimo Carmelitarum Oſores; verùm ut illi cavillatores reprehenſi ſunt, ita is baſilice fallitur, qui illis adhærere velit. Immo vel ex ipſa interpretatione, quam inepte excogitarunt olim ad enervandam Carmelitarum Ordinis firmitatem, luce clarius falſitatis evincitur fœda Muratorii ſententia. Enim verò nunquam in mentem ſubiit eorum, qui nos præfato Seculo inſectabantur, Ordinem noſtrum ante Lugdunenſe Concilium fuiſſe ſolùm toleratum: ut certum ſupponebant ab Apoſtolica Sede fuiſſe approbatum; ſed unice contendebant Gregoriano Decreto fuiſſe ſuſpenſum, atque aliquid de priſtina approbatione ei fuiſſe ſubtractum. Id patet ex ſuperiori Philippi Ribotti prolixo teſtimonio; is etenim in obtrectatores arma convertit, non ut oſtendat ante Lugdunenſem Synodum Carmeli Familiam fuiſſe approbatam, ſed ut conficiat nihil ex Gregorii Decreto detrimenti ipſi Familiæ acceſſiſſe. Prætextu ejuſdem Conſtitutionis minus liberales ſeſe exhibebant Chriſtifideles in elargiendis eleemoſynis Carmelitis. Cum hi verò id quod ſupererat in Terræ Sanctæ ſubſidium miniſtrarent, factum eſt ut ex ipſorum inopia, & Paleſtinæ negotia incommodum ſubirent. Hæc perpendentes nonnulli ejuſdem Paleſtinæ Præſules Epiſtolam ad Martinum Quartum R. P. ex Acone dederunt anno Domini 1282. die 23. Septembris, quæ in vetuſto Ordinis Speculo *fol.* 80. reperitur, partimque relata eſt a præſtantiſſimo Theologo Thoma Valdenſi *Tom.* 3. *Doctrinalis Fidei tit.* 9. *cap.* 90. In ea poſt effuſas Ordinis laudes, expoſitamque ſcribendi cauſam, ita ſupplices Romanum Antiſtitem deprecantur. *Gratiam, & ſanctitatis veſtræ miſericordiam humiliter, & inſtanter flagitamus, quatenus obtentu illius, qui Crucifixionis opprobria pro nobis in prædicta Terra patienter toleravit, dictorum Fratrum* (B. Mariæ de Monte Carmeli) *qui relictis omnibus ſequuntur Dominum, & obſequuntur, eorundem inopiam relevantes prædictam Conſtitutionem* (Concilii Lugdunenſis) *ſic dignemini moderari; quod NOTA VACILLATIONIS, QUÆ ADVERSUS DICTUM ORDINEM CONSURGIT, ex ipſa omnino ſublata, IDEM ORDO ROBUR PRIORIS STATUS RESUMAT; & per conſequens prædicti Fratres, ad priſtinam devotionem populi reſtituti, dona uberiùs ſuſcipiant ſolita charitatis, participanda demum more ſolito ſubſidiis memoratis. Communibus enim auxiliis ſunt juvandi, qui publicum intereſſe laudabiliter proſequuntur.* Eodem anno 1282. Petrus de Emiliano Prior Generalis Carmelitarum ſupplicem libellum dedit Eduardo I. Angliæ Regi, qui refertur *Tomo ſecundo Actuum publicorum Angliæ pag.* 221. Inter cetera autem hæc habuit. *Cum Dominus Gregorius Papa Decimus in Concilio Lugdunenſi de Ordine ipſo duxerit ordinandum quod ipſum in ſtatu ſuo manere concedebat, donec de ipſo aliter ordinaret, intendens tam de ipſo Ordine, quam de aliis ordinibus etiam non Mendicantibus ordinare prout ſaluti animarum ipſorum, & ſtatui expedire videret, nihilominus tamen nonnulli Conſtitutionem prædictam INTERPRETARI SATAGUNT GRAVITER, ET EXTORTE, SENSUM IPSIUS DEBITUM, ET INTENTUM, DEI TIMORE POSTPOSITO, pervertentes in prædictorum Prioris, ac totius Ordinis læſionem, gravamen, & præjudicium, ac etiam maximum nocumentum, corda Fidelium per hoc a devotione Fratrum, & Ordinis, retrahentes.... Supplicat quatenus obtentu Dei, & glorioſæ Virginis, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Domino*

Patri

Patri noſtro, *Summo Pontifici preces veſtras dirigere dignemini cum effectu quod Conſtitutionem prædictam ſic declarare*, & *interpretari dignetur*, *quod NOTA VACILLATIONIS*, *quæ adverſus Ordinem conſurgit*, *ex ipſo omnino ſublata*, *ORDO IPSE ROBUR OBTINEAT PRISTINÆ FIRMITATIS*. En error e diametro oppoſitus Muratorii opinioni. Perpendantur ea verba: *nota vacillationis*, *robur prioris ſtatus*, *robur priſtinæ firmitatis obtineat*, atque inde manifeſte patebit neminem tunc temporis judicaſſe Carmelitarum Inſtitutum ante Gregorium Decimum approbationis beneficium non obtinuiſſe; ſed unice nonnullos in eam iviſſe ſententiam, quod Gregoriano Decreto ex approbato ad tolerati ſtatum tranſiverit. Quod ſi *extorta* erat horum interpretatio, & *contra debitum*, & *intentum ipſius Conſtitutionis ſenſum*, anne gratulari debebimus Muratorio, qui novam amplioremque addidit interpretationem, quæ in majus Ordinis noſtri *gravamen*, *præjudicium*, *ac nocumentum* cedit?

Ne mireris autem quod Seculo Tertiodecimo aliqui inſurrexerint, qui Gregorii Decimi ſenſa detorſerint ad Carmelitarum damna. Ut eruitur ex Anecdotis tomo 4. a Martenio vulgatis, atque ex Johanne Dominico Manſi in adnotationibus ad Raynaldum *adn.* 1. *ſub an.* 1274. diu, multumque in Concilio Lugdunenſi II. adniſi ſunt quidam, ut Regularium privilegia vel tollerentur penitus, vel labefactarentur. Voti compotes, qui contendebant, effecti haudquaquam fuere; reſiſtentes etenim Regulares, quorum gratia ſumma erat apud Sanctiſſimum Pontificem, id evicerunt, ut nihil in eorum detrimentum innovaretur. Hac ſpe dejecti ii qui Regularibus Familiis invidebant, vero per quam ſimile eſt alio ſe convertiſſe, atque apparenter ambiguam Gregorii locutionem in Carmelitarum, atque Auguſtinenſium incommodum pro libito ſuo explanaſſe, atque extorſiſſe.

Ad trutinam modo vocemus Jachetti Malaſpinæ teſtimonium, cujus authoritate fretus Muratorius in tam immanem errorem miſerrime prolapſus eſt. Quæ fides adhibenda ipſi ſit, ipſius verba demonſtrent. Accipe, quæ habet *cap.* 223. *Hiſtoria Florentinæ*, quam a Patruo ſuo Ricordano inchoatam, ipſe proſecutus eſt. *Il ſecondo fu S. Ludovico, che ſi fece Frate della povera vita, e mai non entrò, avvegnache l'abbino appropriato a loro, ſiccome i Frati Predicatori Tommaſo d'Aquino, il quale innanzi, che foſſe Frate Predicatore fu Monaco, e quando venne a morte ch' infermò a camino, rimordendo la coſcienza ſi fece portare alla Badia d'onde era ſtato prima Monacho, & Monacho morì, e' Monachi anno il corpo ſuo: e nota che quando egli infermò in queſto camino, egli andava per far diſfare i Frati del Carmino, onde Dio moſtrò queſto miracolo per la via, infermò, e morì: ed un Frate Minore che andava con lui per la detta cagione contro a' detti Frati del Carmino, quando fu innanzi al Papa, ammutolò, & non potè parlare. Il detto Ludovico fu Arciveſcovo di Toloſa, il quale è Santo*. Quæ verba ita latine reddi potuerunt -- Alter eſt S. Ludovicus, qui ſe
„ Ordini Fratrum *pauperis vitæ* nuncupavit,
„ quem tamen Ordinem nunquam ingreſſus
„ eſt, quamvis ipſi Fratres inter ſuos ipſum
„ ſibi vendicent; quemadmodum Fratres
„ Prædicatores Thomam Aquinatem, qui
„ antequam Prædicatorum Ordinem ingrederetur,
„ Monachus fuit, quique etiam,
„ cum in itinere infirmaretur ad mortem,
„ conſcientiæ ſtimulis actus efferri ſe
„ juſſit ad Monachorum cœnobium, ubi
„ aliquando Monaſticam vitam profeſſus fuerat.
„ Monachus mortuus eſt, & Monachi
„ corpus ejus obtinent. Notandum autem
„ eum in morbum incidiſſe, diemque extremam
„ clauſiſſe in itinere, quod arripuerat
„ ad perdendum Ordinem Carmeli:
„ propterea miraculum hoc Deus oſtendit,
„ ut ſcilicet iter agens infirmaretur, ac tandem
„ mortuus ſit. Et quidam itineris ejus
„ ſocius ex Ordine Minorum, qui eodem
„ ac ille adverſo in Carmelitas animo ipſum
„ comitabatur, ut ſtetit coram Pontifice,
„ obmutuit, nec ultra in verba promptam
„ habuit linguam. Prælaudatus Ludovicus
„ Archiepiſcopus fuit Toloſanus, atque
„ Sancti titulo decoratur -- Teſtatur ipſe Muratorius in adnotatione ad relatum Malaſpinæ teſtimonium: *Deſunt hæc in editis, ſed ea ſupplevimus ex codice MS. penes Marchionem Gingni Civem Florentinum*; in præfatione verò, quam initio hujuſce diſſertationis retulimus, fatetur: *Viſa hæc ſunt omnino abſona Editoribus, a moribus ſanctiſſimis, & ſingulari, ac perſpectiſſima caritate Thomæ Aquinatis, ac propterea ſuis tenebris relicta*; & jure quidem meritò, etenim non levi nota integerrimam Divi Thomæ famam commaculant, efficiuntque ut ultrici Omnipotentis dextera morte, pro tentato crimine, mulctatum ſuſpicemur, maxime cum haud multum diſpari ultione Fratrem Minoritam punitum eſſe narretur. Compendioſior, atque ſecurior via erat reſpondere vel fabellas a Jachetto narrari, vel textum aſſutum eſſe, ac minime genuinum: Muratorius verò aliud iniit conſilium, atque ut unius Malaſpinæ propugnaret authoritatem, nil duxit integræ Religioſæ Familiæ per univerſum Orbem diffuſæ detrahere. Abſona ipſi haudquaquam viſa ſunt Malaſpinæ verba? ſed cur? quia aliquid continent, quod Carmelitis valeat opponere. Sed quid ſi aliquis Carmelitarum Patronus inſurgeret, & reponeret ex eodem teſtimonio aliquid quod Angelici Doctoris, & Prædicatoriæ Familiæ ſanctitatem obſcuraret? Nonne vides in quæ diſcrimina te conjicias, Muratori, dum tuo in Carmelitas non bene affecto animo indulges? Ergo conſilii erat totam reprobare, ac reſpuere Malaſpinæ authoritatem: ſic utriuſque Familiæ conſtituiſſes honori, & ſartam tectam ſervaſſes Aquinatis innocentiam, & ſicuti ſublato fundamento ædificium corruat neceſſe eſt, ita ad fabulas amandata Malaſpinæ narratione, qua aſſeritur D. Thomam ad Concilium ſe contuliſſe, ut deſtrueret Ordinem Carmelitarum, evincitur quoque nugatoriam eſſe eam, quæ deſcribitur, cœleſtem ultionem.

Ut autem aperte conſtet a me non ſine maximo rationum pondere Malaſpinæ authoritatem flocci fieri, ad ipſius teſtimonium minutatim expendendum accedo. Ait primò S. Ludovicum Toloſatium Epiſcopum Caroli Secundi Regis Siciliæ filium *Ordini Fratrum pauperis vitæ ſe nuncupaſſe, quem tamen Ordinem nunquam ingreſſus eſt, quamvis tamen ipſi Fratres inter ſuos eum ſibi vendicent*. Poſſem ex ipſo textu potiſſimum italicæ perpenſo antilogiæ Malaſpinam arguere. *Si fece Frate della povera vita, e mai non entrò, avvegnache l'abbino appropriato a loro*. Si ſe Religioſum conſtituit; ergo non immerito ipſum Fratres ſibi adjudicarunt. Placet autem ad alia progredi. Quinam fuerit Ordo ille *Fratrum pauperis vitæ* ſatis obſcurum eſt. Seculo XII. exeunte Eccleſiam turbarunt Waldenſes Hæretici, qui ab Urbe; quam incolebant, atque a paupertate, quam profitebantur, *Pauperes Lugdunenſes*, ſeu *de Lugduno* appellati ſunt; verùm hi S. Ludovici Epiſcopi tempore, qui obiit anno 1297. XIV. Calendas Septembris, annos natus triginta tres, prorſus profligati, immo & extincti erant, ut in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis notum eſt. Ultra quam quod plane temerarium eſſet aſſerere Sanctiſſimum Præſulem voluiſſe Heterodoxis hiſce adhærere. Sub initium Seculi XIII. inſtituta eſt in Hiſpania Congregatio nonnullorum, qui *Pauperes Catholici* nuncupabantur; qua de re inter Innocentii Papæ III. Epiſtolas non unica extat in ipſorum tutelam data: aſt neque his ſe devovere potuit D. Ludovicus; ſiquidem, antequam ipſe naſceretur, anno 1256. ſe ſe Eremitis D. Auguſtini, Pauperes Catholici adjunxerunt, utque cum Juris conſultis loquar, *incorporarunt*, atque Lanfranco Mediolanenſi, Auguſtinenſium Generali Antiſtiti obedientiam profeſſi ſunt. Igitur non leviter erravit Jachettus Malaſpina, ſi cenſuit D. Ludovicum Pauperum Lugdunenſium, aut Pauperum Catholicorum amplexarum eſſe diſciplinam, putavitque Fratres, qui non amplius extabant, potuiſſe Confratrum ſuorum albo ipſum Ludovicum adſcribere. Sed forte alter Ordo per ea verba *Pauperis vitæ* indicatur. In Bullario Romano Conſtitutio tertia Alexandri VI. reperitur data VII. Januar. an. 1496., qua Congregatio quædam, ſeu Societàs *Fratrum Apoſtolorum pauperis vitæ nuncupatorum* Ordini S. Auguſtini, & illius Regulæ ſubjicitur. Congregatio hæc, quæ etiam *S. Barnabæ, & Apoſtolinorum* appellata eſt, unita poſtmodum fuit a Sixto Quinto die 15. Auguſti 1589. Congregationi Fratrum *S. Ambroſii ad Nemus* Mediolani; cumque ultima hæc Congregatio extincta fuerit ab Innocentio X. factum eſt, ut Congregationis etiam Fratrum *pauperis vitæ* nulla extet memoria. Ex Jachetto Malaſpina idem nomen habemus, ſed an vere iidem Fratres ſint, vel an hæc Malaſpinæ hiſtoriæ aſſuta ſit, Deus novit. Papebrochius tomo 1. Act. SS. Junii, Mediolani Seculo XIV. originem habuiſſe arbitratur hoſce Fratres; verùm probabiliſſimum puto vix Seculo inſequenti XV. inſtitutos fuiſſe; meque ad ita opinandum, præter Pauli Morigiæ teſtimonium, qui *lib. de Origine Relig. pag. 167. impreſſ. Ven. 1569.* eorum initium collocat ſub an. 1484., compellit præſata Alexandri VI. Conſtitutio, qua habetur Societatem *Fratrum pauperis vitæ* tunc temporis nonniſi ſimplicibus votis ſe obſtrinxiſſe, & nonniſi ab Innocentio VIII., qui exceſſit an. 1492. præfixam illis fuiſſe habitus formam. Do verba ipſius Alexandri VI. -- Pro parte dilecti filii Johannis de Scarpa Vicarii Generalis Congregationis, ſeu Societatis Fratrum Apoſtolorum pauperis vitæ nuncupatorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in aliquibus Civitatibus, & locis aliis Italiæ ſunt nonnullæ domus VIRORUM LAICORUM EJUSDEM CONGREGATIONIS, qui Mendicantes ſunt, & in communi in eiſdem domibus vivunt, certum, & determinatum habitum Religioſorum eis a felicis recordationis Innocentio Papa VIII. Prædeceſſore noſtro conceſſum deferentes. Qui etiam poſt annum obedientiam, paupertatem, & caſtitatem in manibus unius ex dicta Congregatione ſimpliciter vovent, & promittunt; poteſtque unuſquiſque ex dicta Congregatione quandocunque recedere, & ad alia loca, ſeu lares proprios, habitu prædicto ſuo dimiſſo, pro ſuæ voluntatis libito, ſe transferre. Quo fit ut plures jam multis annis, in dicta Congregatione nutriti, & educati ab eadem libere recedunt -- Hiſce poſitis: qui fieri potuit ut S. Ludovicus Ordinem hunc *Fratrum pauperis vitæ* (ſive Seculo XIV., ſive XV. fuerit inſtitutus) potuerit amplexari? immo qui fieri poteſt ut Jachettus Malaſpina, qui teſte Jacobo Facciolato *in tabula Cronologica Authorum vulgaris linguæ* floruit anno 1286. nominarit Ordinem, cujus initium nonniſi plurimis poſt ipſum annis recenſetur? Dicamus igitur ſpurium eſſe Jachetti teſtimonium, atque aliena manu in codicem Illuſtriſſimi Giugni introductum.

Aliter interpretari poſſumus Malaſpinæ dictum; nempe ſub Ordine *Fratrum pauperis vitæ* Minorum Familiam indicatam fuiſſe, cui a Sanctiſſimo Inſtitutore Franciſco ſumma pauperies, atque opum abjectio indicta eſt: meque ad hujuſcemodi urgent interpretationem ſubſequentia Malaſpinæ verba: *quem tamen Ordinem nunquam ingreſſus eſt; quamvis Fratres ipſum inter ſuos ſibi vendicent*. Obſes, Patris redimendi cauſa, ductus D. Ludovicus in Cataloniam, toto ſeptennio, ſe Fratribus Minoribus, quos ſemper ſui comites habuit, tradidit humanis, ſacriſve literis inſtituendum. Eccleſiaſticum Officium eo quo ſolent Minores ritu, perſolvebat: votum Deo obtulit; ſed diu ab ipſius voti adimpletione cohibitus eſt; ac Toloſanæ Sedi primum præfectus fuit, quam potuerit Minorum diſciplinam profiteri. Id forte in cauſa fuit, cur Malaſpina putaverit ipſum nunquam ipſorum Ordinem ingreſſum fuiſſe. Nihilominus magno in errore verſatus eſt, ſi hujuſcemodi fuit ejuſdem ſententia. Johannis XXII. Diploma, quo Ludovicum inter

ter

ter Sanctos retulit, Jachetti teſtimonium plenè falſitatis redarguit -- „Rediens de Catalonia votum, quod de intrando Ordinem Fratrum Minorum in obſidione fecerat, in Conventu eorundem Fratrum de Monte Peſſulano voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti Regis ipſum Fratres recipere non audebant, votum ipſum ſolemniter iteravit. Et quia voventibus præceptum noverat de reddendo, ſuadenti fel. record. Papæ Bonifacio prædeceſſore noſtro, quod aſſenſum præberet proviſioni de ſe factæ Eccleſiæ Toloſanæ, nullatenus conſenſit, quoad uſque votum dictum, quod fecerat, compleviſſet. Cujus devotioni annuente Prædeceſſore noſtro prædicto, habitum Ordinis prædicti ſuſcipiens, in præſentia bonæ memoriæ Johannis Epiſcopi Portuenſis tunc ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, expreſſam profeſſionem flexis genibus in manibus ſuis fecit: ſicque proviſioni prædictæ ſuum præbendo aſſenſum, mandatis Apoſtolicis obedivit. Et quamquam de juſſu Prædeceſſoris ejuſdem dictum habitum velatum portaverit uſque ad feſtum Beatæ Agathæ tunc vicinum, in dicto tamen Feſto, in præſentia duorum Cardinalium, recepit publicè: ac ſic ex tunc portavit continue, atque ipſo die ad Sanctum Petrum patenter detulit prædicando -- Actenus Bulla Jo. XXII. data Avenione VII. Id. April. an. 1317., quæ habetur apud Surium *Tomo* 4. *ad diem* 19. *Auguſti*, & *Tomo* 1. *Bull. Rom.*

Qui forte Franciſcanis D. Ludovicum Epiſcopum eripuit, manifeſtius D. Thomam Aquinatem Prædicatoribus denegavit, ſed quam falſo, nemo non videt. Non ego is ſum, qui velim longam hic texere diſſertationem ut oſtendam fictitium eſſe prætenſum Angelici Doctoris Monachatum. Satis ſuperque ea de re ſcripſerunt præſtantes viri ex clariſſimo Ordine D. Dominici, inter quos Natalis Alexander, & Jacinthus de Graveſon, uterque in Eccleſiaſtica Hiſtoria Seculi XIII. Quoniam verò ſuperius mentionem feci Johannis XXII. R. P. non infructuoſum erit ex altera ipſius Bulla, qua D. Thomam in Sanctorum Canonem retulit, Malaſpinam confutare. En igitur quod de ipſo Thoma teſtatur prælaudatus Pontifex: *Dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret ipſius Ordinis Prædicatorum habitum ſuſcepit, in eo (invito etiam Patre, qui ejus felicibus actibus invidebat) conſtantius manſit, ac in ipſo tandem regularem profeſſionem emiſit*. Perlegatur tota quanta eſt prolixa Canonizationis Bulla; nullum unquam reperies indicium hujus Monachatus, evidentiſſima verò teſtimonia de ipſius in Ordine Prædicatorio perſeverantia. Prope ipſius diplomatis finem ita exclamat Summus Pontifex. *Lætetur itaque Mater Eccleſia, exultet Italia, Parens Campania jucundetur, Prædicatorum Sacer Ordo jam jubilet, Religioſorum devotio concrepet, Doctorum turba complaudat*. Si D. Thomas Monachus fuit, ſi conſcientiæ ſtimulis excitatus ad Monaſterium redux, Monachus ſupremum diem clauſit, cur ejuſdem Monachatus Profeſſores ad plaudendum non invitantur? cur ſolus Prædicatorum Ordo compellatur, Caſſinenſes verò, vel Ciſtercienſes Monachi ſilentur? Tacenda ne erat a Romano Pontifice extrema Thomæ pœnitentia, ad primævam Monaſticam vitam regreſſus?

Ex ipſius Malaſpinæ dictis, quam inſulſa ſit ipſius authoritas, manifeſte eruimus. Ait enim: *Cum in itinere infirmaretur ad mortem, conſcientiæ ſtimulis actus efferri ſe juſſit ad Monaſterium, ubi aliquando Monaſticam vitam profeſſus fuerat. Monachus mortuus eſt, & Monachi corpus ejus obtinent*. Quæſo ad quodnam Monaſterium deferri juſſit? Sane non niſi ad Monaſterium Foſſæ Novæ, ubi aliquandiu corpus ejus ſervatum eſt. Hoc porro Monaſterium a Ciſtercienſibus Monachis incolebatur. Quis autem Ciſtercienſium aſſeruit D. Thomam ipſorum cucullum induiſſe? Quis unquam ſomniatus eſt D. Thomam in Monaſterio Foſſæ Novæ profeſſionem emiſiſſe, antequam Prædicatorum Ordinem ingrederetur? Si cujus Monaſticæ Familiæ alumnus ſtatuendus eſſet Angelicus Præceptor, non Ciſtercienſi, ſed Caſſinenſi (cui olim viſum eſt, quamvis non ſatis validè, doctiſſimo Mabillonio) adſcribere deberem; quomodo ergo conſcientiæ ſtimulis obedivit? Caſſinenſis Monaſterii profeſſus fuit diſciplinam, & ad Foſſæ Novæ clauſtra properavit? Ita ne ad primævæ Religionis ſinum rediiſſet?

Vides Malaſpinæ teſtimonium quaquaverſum dehiſcere, mendiſque ſcatere; jam ergo ad rem noſtram defenſandam accedamus. Fabuloſum, vel ſaltem non leviter ſuſpectum eſt id quod narrat Malaſpina de S. Ludovico Toloſano Antiſtite: fabuloſum certò eſt, quod adſtruit de D. Thomæ Monachatu; ineptiſſimum quod de Ipſius profeſſione aſſerit in Monaſterio Foſſæ Novæ: rurſus, ipſo conſentiente Muratorio, abſonum prorſus eſt, quod de divina in Ipſum Sanctiſſimum Virum animadverſione ſcriptitavit: eccur verum erit id quod de ejuſdem ad Concilium profectione affirmavit, ut Carmelitarum Ordinem deſtrueret? Undique Malaſpinæ authoritas neniis redundat; fieri ne potuit, ut unica linea vera ſit, quæ in unius Carmeliticæ Familiæ probrum cedit? Æquum ne eſſet illius judicium, qui teſtem ſatis manifeſte mendacem, in unius Religioſæ Familiæ damnum aſſumeret?

O ſi iis omnibus adhærendum eſſet quæ de Angelico Doctore nonnulli fabulati ſunt; quam nimium credulos nos eſſe oporteret! Johannes Villanus *lib.* 9. *cap.* 28. *Florentinæ Hiſtoriæ* teſtatur rumorem divulgatum eſſe D. Thomam de Aquino bellariis veneno confectis necatum fuiſſe a quodam Medico Caroli Siciliæ Regis, qui gratam ſe Carolo rem facturum rebatur, quoniam hi qui proxime a Carolo eodem defecerant, ex Aquinatum genere erant, timebatque, ne ob inſignem virtutem, prudentiam, doctrinamve Cardinalis a Pontifice crearetur, Caroloque infenſus futurus eſſet. *Vivette al tempo di Carlo I. Re di Cicilia, & andando lui* (Tommaſo d'Aquino) *a Corte di Papa, a Concilio, a Leone, ſi dice che per uno Fiſitiano del detto Re*

Re per veleno li miſſe in confetti, il fece morire, credendone piacere al Re Carlo, però ch' era di Legnaggio de' Signori d'Aquino ſuoi Rubelli, dubitando che per lo ſuo ſenno, & virtù foſſe fatto Cardinale. Habes hic Villanum Florentinum Hiſtoricum, qui D. Thomam hominum nequitiâ ſublatum eſſe teſtatur: habes ſuperius Hiſtoricum alterum Florentinum, Malaſpinam, aſſerentem divina juſtaque vindicta morti adjudicatum quod Carmelitarum deſtructionem animo verſaret: uter vera narrat? Ego neutrum puto. In Vita Divi Thomæ a neſcio quo *Partenio Etiro* deſcripta *parte* 3. *pag. mihi* 385. Dantes Aligerius pariter Florentinus in medium adducitur, ut ejus teſtimonio confirmetur Sanctum Doctorem veneno confectum deceſſiſſe; ſed an hæc vera ſint, alii viderint. Mea intereſt oſtendere probabilitate deſtitutum eſſe Jacherti aſſertum, quo innuitur a Sanctiſſimo Viro Thoma Aquinate meditatam fuiſſe Carmeli Familiæ everſionem.

Vel leviter conſideranti, ac perlegenti Volumina, & Acta D. Thomæ, ſatis conſtat, quam validus Mendicantium Ordinum Propugnator fuerit ipſe a calumniis, & querelis Guillelmi potiſſimum a Sancto Amore; hinc nunquam ergo adducar ut putem pientiſſimo, ac modeſtiſſimo Doctori, & Egregio Evangelicæ Paupertatis vindici eam inſediſſe opinionem, conſultum eſſe, ut Ordo Carmelitarum de medio tolleretur. Tot inter præclaras animi dotes, quibus Angelicus Præceptor effulſit, ſingularem locum obtinet inſignis ea in dicendo modeſtia, qua neminem acerbe increpat, ſuamque ſententiam nunquam turgido, ac phalerato ſermone proponit, dignus plane qui a Jo. XXII. hoc elogio ornaretur. *Fidelis Servus, & prudens, non pertinax, non proprio ſenſui, aut prudentia innitens, & nulla de ſe ſcientia ſua opinione ſuperbus.* Eam, quam in ſcribendo tenuit humilitatem; conſtanter in humano convictu ſervavit, ut plurima evincunt ipſius facta. *Vir Dei*, ait de ipſo præfatus Johannes, *cibis Religioſorum, veſtimentiſque communibus contentus, converſatione mitis, benignitate ſuavis, pietate miſericors, humilitate ſubjectus, ceteraque virtutum varietate redimitus, honorum ſupercilium, mulierumque cautius conſortia ſpernebat, non elatus, non præminens, nec etiam diſputans (quod & interdum diſputanti ſolet eſſe commercium) jactator effectus.* Iſta ne judicate permittent, D. Thomam de ſe tam demiſſe ſentientem, voluiſſe ſe procacibus adjungere, atque expoſtulatorem conſtituere, ut Religioſam Familiam ſatis de Chriſtiana Republica benemerentem Pontifex Romanus deſtrueret? Non eſt cenſendum latuiſſe Sanctum Doctorem quanta interceſſerit amicitiæ neceſſitudo inter Sanctum Angelum Carmelitam, Divoſque Patriarchas Dominicum, & Franciſcum, de qua ſancta neceſſitudine Ipſi etiam extranei Scriptores teſtimonium dedere, ut Lucas Vadinghus Franciſcanus *Tomo* 1. *Annal. Minor. circa an.* 1216., & Bzovius Dominicanus *Tomo* 13. *Annal. Eccleſ. ad an.* 1220. Hinc in Martyrologio ad

In Pulla Canoniz. edita an. 1323. 18. Jul.

uſum Eccleſiæ Romanæ a Franciſco Maurolico Abbate Meſſanenſi edito, hæc habeo ex impreſſione Veneta apud Juntas an. 1568. peracta. *In Sicilia apud Oppidum Locbatam, ſive Acbatem S. Angeli ex Judæa, Carmelitani Monachi, ac Martyris, quem Sancti Dominicus, & Franciſcus admodum venerati ſunt. Hic illi martyrium; & ille huic ſtigmata prænunciavit &c.*, ſincero etiam dilectionis fœdere quod Beatum inter Jordanem Sacræ Prædicatorum Familiæ Generalem, & S. Simonem Stochium Carmelitarum tunc temporis Vicarium Generalem, interceſſit, agunt Scriptores noſtri Ordinis. Ad tollenda nonnulla dubia, quandamque in Regula noſtra inducendam moderationem, inſtituti fuerunt ab Innocentio IV. Judices, atque Examinatores Hugo a S. Caro S. R. E. Cardinalis, & Guillelmus Anteradenſis Epiſcopus. Munere ſuo uterque ſollicitè functus eſt, atque uterque anno 1247. literas dedit, quarum hoc erat initium. *Frater Hugo Divina miſeratione tituli S. Sabinæ Presb. Card., & Frater Guillelmus eadem miſeratione Anteradenſis Epiſcopus, cariſſimis in Chriſto Religioſis Priori Generali, & Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinum Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli ſalutem in omnium ſalutari.* Porro Hugonem hunc Cardinalem, Ordinis Prædicatorum alumnum fuiſſe, certiſſimum eſt, ſed & inſuper apud nonnullos lego ejuſdem Familiæ Profeſſorem extitiſſe Anteradenſem Epiſcopum. Siccine ergo a Parentibus, ac Prædeceſſoribus ſuis aberrabat D. Thomas, ut illi Carmelitas benigne amplexarentur, foverentque, hic verò eis adeo infenſus eſſet, ut eorum ſtuderet deſtructioni? Quis unquam hæc credet?

His accedit hujuſmodi infeſtum D. Thomæ Carmelitis animum quodam loco, ſeu quadam ratione a Malaſpina collocari, ut plane importune, & nonniſi ſummo falſitatis indicio recenſeatur. *Nota*, inquit ipſe, *che quando egli infermò in queſto camino, egli andava per far disfare i Frati del Carmino.* Iſtane itineris cauſa? Hic ſane non immerito clamaret Dialecticus a Malaſpina *non cauſam pro cauſa* aſſignari. Ego ſane non ſemel perlegi olim Acta D. Thomæ, & nunquam alia, initi ab ipſo itineris Lugdunum verſus, occurrit cauſa, quam Gregorii Papæ mandatum. Malaſpina verò alteram nobis obtrudit cauſam, præcipuamque, immo & unicam, & veram reticet; innuereque videtur ſponte, ac nemine vocante humillimum, ſanctiſſimumque Doctorem iter inſtituiſſe. Num hic igitur Hiſtorici partes rite complevit? Iſti ne ſunt Proceres, quibus fidit Muratorius ingeniorum Moderator, ſani judicii Inſtitutor, vitandæ ſuperſtitionis Author, ſanioris critices pluſquam Honoratus a S. Maria (ut ſibi oblanditur) Præceptor, veræ devotionis Reformator? Accipe quod modo ad manus occurrit D. Antonini *tit.*23. *cap.* 7. teſtimonium. *Anno Domini* 1274. *mandatum ſibi fuit a Gregorio Decimo, ut ad Concilium Lugdunenſe tunc celebrandum accederet propter eminentem ejus ſcientiam, ſecumque deferret librum, quem de mandato Urbani IV. fecerat contra errores Græcorum.* En ſincera

Z 2 ſuſce-

ſuſcepti itineris ratio. Proſequitur Antoninus, & ait: *Proſecutus eſt iter, & tranſiens juxta Monaſterium Foſſa Nova Ordinis Ciſtercienſis prope Pipernum Caſtrum, invitatus eſt devotè ab Abbate, & Monachis prædicti Monaſterii ad quieſcendum ibidem, donec perfectam recuperaret ſanitatem; quod & acceptavit.* Quid hic de ejus ad priſtinum Ordinem regreſſu?

Sed jam excipiamus firmiſſimam rationem, qua compulſus eſt Muratorius, ut Malaſpinæ effatum ambabus ulnis adoptaret, communiretque. *Fortaſſe Viro prudentiſſimo, & ſanctiſſimo Carmelitica Familia oneri potius, quam utilitati Chriſtianorum Reipublicæ futura videbatur, & potiſſimum cum nihil ultra præſtare hæc poſſet, quod a Prædicatoribus, & Minoribus jam antea abunde non præſtaretur.* Papæ? Tremendum Oraculum! Mirum quod Muratorio in mentem non venerit tentatam fuiſſe omnium Ordinum a D. Thoma deſtructionem, potiſſimum cum ultra eos, qui eo Seculo instituti fuere, quam plurimi alii duobus ſuperioribus Seculis XI., & XII. originem duxere, Cartuſiani, Grandimontenſes, Camaldulenſes, Ciſtercienſes, Valliſumbroſæ, S. Antonii Viennenſis, Præmonſtratenſes, aliique: eandem etenim objicere poterat rationem: *potiſſimum cum nihil ultra præſtare poſſent hæ Religioſæ Familiæ, quod a Prædicatoribus, & Minoribus jam antea abunde non præſtaretur.* Immo mirandum quod eandem non tulerit ſententiam non de Carmelitis modo, & Auguſtinenſibus, ſed de ipſis etiam Minoribus; ſiquidem idem præſto erat ſapientiſſimum argumentum: *cum nihil ultra hæc Minorum Familia præſtare poſſet, quod a Prædicatoribus abunde non præſtaretur.*

Ut D. Thomas de Aquino reputaret Carmeliticam Familiam oneri potius, quam utilitati Chriſtianorum Reipublicæ futuram, nonniſi duo compellere poterant: vel ſubtilis argumentatio ex eo quod tunc temporis Carmelitæ ducebant vitæ inſtitutum; vel propheticus ſpiritus quo futura præcognoſceret. Sane prophetico ſpiritu afflatum futuram Carmelitarum inutilitatem prævidiſſe, aſſeri nequit a Catholico Viro. Spiritus Dei non eſt ſpiritus mendacii. Jam prope quinque Secula effluxerunt a pretioſa Aquinatis morte, & ſatis apparuit tot annorum decurſu minime oneri potius, quam utilitati fuiſſe Carmeli Familiam Eccleſiæ Dei. Nolim Ordinis mei ornamenta ambitioſe recenſere: prætermittere autem haudquaquam poſſum eum in illa Conſtitutione comprehendi, quam S. Pius V. edidit 17. Kalend. Junii an. 1567. *in Bullar. Rom. tom. 2. Conſt.* 41. Quid porro in ea habet de Ordinibus Mendicantibus? *Sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non ceſſant famulatum .... Apoſtolicæ Sedis continue pacem, & dignitatem Ordines ipſi fortiter tutati ſunt .... Archiepiſcopi, & Epiſcopi eoſdem Ordines præcipue tamquam fructiferos in agro Domini palmites & colere, & adjuvare deberent.* Quomodo ergo prævidere potuit D. Thomas id quod nunquam contigit? non igitur prophetiæ dono excitatus cenſere potuit Ordinem Carmelitarum oneri potius quam utilitati Chriſtianæ Reipublicæ ceſſurum. Adde, non ſine injuria ſanctiſſimi, ac prudentiſſimi Viri aſſeri poſſe ipſum tentaſſe Carmelitarum Ordinem de medio tollere. Quamvis etenim concederemus tandem oneroſam factam eſſe Carmelitarum Familiam Chriſtianorum Conventui, idque ab Angelico Doctore prævisum; non inde tamen licebat huic Carmelitarum Cœtum abolere. Pœnam non ſubſequitur, ſed præcedit culpa; *Priuſquam humiliarer, ego deliqui*, ajebat Regius Pſaltes. Licuiſſet ne tunc Ordinem Fratrum Humiliatorum deſtruere, quia futurum erat, ut poſt tria Secula necem Divo Carolo intentarent? Minime gentium: potiſſimum ſi id curatum eſſet a viro privato, & cognitione non ex humanis, ſed peculiari, privatoque munere, eoque dubio, percepta.

Reſtat ut futuram Carmelitarum moleſtiam ſuſpicari potuerit D. Thomas ex eo quod tunc temporis ducebant vitæ, morumque inſtitutum. Sed proh quam magno in errore verſatum dicere deberemus Sanctiſſimum Præceptorem, ſi talia animo revolviſſet! Quid habes, quod a Carmelitis nequiter peractum opponas, ex quo vir adeo modeſtus, ac prudentia cœleſti cumulatus, futura ipſorum damna meditaretur? Plane nihil. Florebant in Carmeli Familia Seculo XIII. doctiſſimi, & quod magis eſt, Sanctiſſimi Viri. Ut omittam eos qui Beati titulo inſigniti ſunt, ritu ſacro in Divinis officiis ex reperita Romanæ Sedis approbatione coluntur tres Ordinis noſtri Sanctiſſimi Generales Moderatores, Brocardus Jeroſolymitanus, Cyrillus Conſtantinopolitanus, Simon Anglicus: inſuper Angelus Martyr, & Albertus Confeſſor Siciliæ Thaumaturgus. Hi omnes Seculo XIII. antequam D. Thomas e vivis migraret, florebant. D. Ludovicus IX. Francorum Rex, aliique Principes benigne Carmelitas complectebantur, Deipara ſupernis muneribus e cœlo delatis decorabat, Deus O. M. excitatis miraculis cohoneſtabat. Quæſo, quæ ratio inducere poterat D. Thomam ad tam male de nobis ſentiendum? Aliter profecto de Carmelitis ſentiebant Romani Pontifices, qui eodem quo D. Thom. vivebat Seculo, ad Petri clavum ſedebant. Miſſos faciam quamplures, atque duos tantum in medium adducam, qui paucis ante D. Thomæ obitum regnarunt. En quid proferat de Carmelitis Urbanus IV. in Bulla XXII. Februar. an. 1262. data. *Pietatis opus agi conſpicitur ſi dilectis filiis Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli ſuper iis quæ pertinent ad cultum divini nominis favor benevolus impendatur: maxime cum ipſi ſtudeant ſub extrema paupertate vivere, ac virtutum cultui deſudare, ipſorumque frequenter ad hoc aſpiret affectio, ut per eorum miniſterium ſalus Deo gratiſſima proveniat animarum.* In altera pariter, eodem anno 1262., data die 8. Maji: *Vobis ad hoc tota mente ſolicitis, ut æterno Regi per Religioſæ vitæ ſtudium placeatis, quæ animarum ſalutem paritura credimus, benigno concedere favore debemus.* Audiamus modo Clementem IV. in Diplomate 26. Septembris 1265. tradito. *Speciali gratia, & favore vos illa de cauſa dignos potiſſime reputamus, quia, ſicut acce-*

accepimus , toto cordis affectu ad hoc ſemper intenditis , ut per ſanctæ converſationis , & vitæ ſtudium in conſpectu Dei , & hominum placeatis . Adeo valida ſunt hæc , ut prorſus omnem Muratorii dicacitatem propulſent , omnemque viam ejuſdem defenſioni occludant.

Finem Diſſertationi huic ponam ipſius Muratorii documentis , quæ ſub Lamindi Pritanii nomine evulgavit in Libro quem inſcripſit : *Del buon guſto* , ſeu : *De ſano judicio part. 2. cap.* 15., quæ quidem præcepta utinam ipſe , ſicut aliis propoſuit , opere compleſſet ! *Nonniſi rarò magnum Criticum reperies , qui inſimul inſigniter modeſtiam proſequatur . . . . Tu igitur quoties in adducti ſupercilii Criticos offenderis , ſerio in armis eſto ; ideſt pervigil animum intende , ut attente omnes ſcruteris , quas ex tripode proferent , ſententias , ac definitiones , ne te nimia eorum , quæ tamquam infallibilia decernunt , confidentia decipiat , ut propterea quidquid ab eis venditatum fuerit , illud ſanum omnino , ac verum eſſe judices* .

Hæc ea ſunt quæ acerbe nimium protulit Muratorius de univerſo Carmelitarum Ordine : ad ea modo gradum faciamus , quæ non minus inepte de Sanctiſſimis Reformationis ejuſdem Parentibus , THERESIA A JESU , & JOHANNE A CRUCE , ſcriptitavit , quamvis auſus non ſit aperte veneranda ipſorum nomina laceſſere .

Quoniam verò Seraphicam Parentem Thereſiam mihi vindicaturo , de Viſionibus , Revelationibuſque præclaris . quibus largiſſime ditata fuit , inſtituendus eſt ſermo ; initio præmonitum volo candidum Lectorem , ne me injuriâ reprehendat , atque inter nimium faciles , creduloſque homines reponat . Non ego is ſum , qui pronus fidem præſtem omnibus , quæ vulgò venditantur , narrationibus , fœminarum præcipue , quæ ut corpore , ita & mente pariter imbeciles exiſtunt . Aliud ſane eſt , ut genuinas aſſerere , atque a Divino Spiritu enatas propugnare Divæ Thereſiæ Revelationes , atque aliud ſingulas hominum , nullo habito delectu amplecti , ac venerari . Novi *Eccli.* 19. 4. levem eſſe corde eum , qui cito credit . Me quoque non latet Apoſtoli monitum . 1. Jo. 4. *Nolite omni ſpiritui credere , ſed probate ſpiritus , ſi ex Deo ſint* . Sed inſuper me non fugit in Eccleſia Dei donum eſſe . *Diſcretionis ſpirituum* , quod certe non falſas ſolùm , ac inanes , ſed & aliquando veras , ſupernaturaleſque Revelationes , ſupponat , neceſſe eſt . Admonet inſuper D. Paulus 1. ad Theſſal. 5. v. 19. , & ſeqq. *Spiritum nolite extinguere . Prophetias nolite ſpernere . Omnia autem probate , quod bonum eſt tenete . Ab omni ſpecie mala abſtinete vos* . Meminiſſe etiam juvat longe ante ab Joele cap. 2. v. 28. de Evangelicis temporibus fuiſſe prophetatum , atque ab Apoſtolorum Principe Act. 2. v. 17. confirmatum : *Et erit in noviſſimis diebus , dicit Dominus : effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem , & prophetabunt filii veſtri , & filiæ veſtræ ; & juvenes veſtri viſiones videbunt ; & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt* . Nullo igitur pacto a Catholico Viro negari poteſt caute quidem incedendum eſſe , ubi quis divina colloquia enarrat , aut reve- A lationes exponit ; ſed neque damnabili licet Pirroniſmo adhærere , adeout ſingula ad pueriles nenias , anileſque fabulas amandentur . Separandum eſt pretioſum a vili , ſecernenda ſunt vera a falſis .

Porro ubinam vera potiſſimum reperiemus , niſi apud eas felices animas , quæ ſingulari ſanctitate floruerunt , ſincero , ardentiſſimoque in Deum flagrarunt amore ? Neque eſt quod reponas gratias , quas Theologi *gratis datas* appellant a Deo , vel ipſis Peccatoribus non ſemel conceſſas fuiſſe . Non inficior id contigiſſe , ac contingere poſſe ; verum fateri inſimul quiſque debet commu- B niter nonniſi amicis ſuis Deum ſecreta ſua revelare . Hinc D. Thomas 3. *p. quæſt.* 36. *art.* 3. non improbat id , quod in argumentatione ſecunda ſibi objecerat dicens : *Manifeſtatio divinæ veritatis præcipue debet fieri ad amicos ſecundùm illud Job* 36. *Annuntiat de ea amico ſuo* . Jam pridem verò 2. 2. *q.* 172. *art.* 4. inquirens : *Utrum bonitas morum requiratur ad prophetiam* ? poſtquam ſtatuit in corpore articuli , *quod prophetia poteſt eſſe ſine charitate , poteſt eſſe ſine gratia gratum faciente , & per conſequens ſine bonitate morum* , ſcitè animadvertit -- Si verò conſide- „ remus bonitatem morum ſecundùm paſſio- C „ nes animæ , & actiones exteriores , ſe- „ cundùm hoc impeditur aliquis a prophetia „ per morum malitiam . Nam ad prophe- „ tiam requiritur maxima mentis elevatio „ ad ſpiritualium contemplationem , quæ „ quidem impeditur per vehementiam paſ- „ ſionum , & per inordinatam occupatio- „ nem rerum exteriorum ; unde de filiis „ Prophetarum legitur 4. *Reg.* 4. , quod „ ſimul habitabant cum Eliſeo quaſi ſolita- „ riam vitam ducentes , ne mundanis occu- „ pationibus impedirentur a dono prophe- „ tiæ -- Atque *in reſp. ad* 1. non minus ſcite obſervavit *quod donum prophetiæ aliquando* D *datur homini , & propter utilitatem aliorum , & propter propriæ mentis illuſtrationem* (quod frequentiùs eſt , atque in Diva Thereſia apprime adimpletum) *& hi ſunt , in quorum animas Sapientia Divina per gratiam gratum facientem ſe transferens , amicos Dei , & Prophetas eos conſtituit* .

Experientia ipſa plane nos edocet plerumque nonniſi Sanctos Viros , eoſque pietate inſigniores , atque præcipuos hujuſcemodi divinis muneribus illuſtrari . Quæ cum perpenderent tres Eruditiſſimi Sacræ (ut vocant) Rotæ Auditores a Paulo V. R. P. delecti , ut Divæ Thereſiæ in Sanctorum album E referendæ , Acta , Virtuteſque ſumma diligentia , ac ſeveriori criterio examinarent , hæc habuerunt *tit. de Divinis Donis art.* 20. §. 5. -- Quod Deus tam familiariter per mo- „ dum Viſionum , & Revelationum cum „ ſuis fideliſſimis amicis loquatur , illiſque „ ſua ſecreta manifeſtet , non eſt novum , „ neque inuſitatum : Divina enim Majeſtas „ Civitates illas funditus everſura his verbis „ amico ſuo Abraham loquitur . Gen. c. 18. „ *Num celare potero Abraham , quæ geſturus* „ *ſum* ? Et in Amos Propheta cap. 3. ſic le- „ gitur : *Non facit Dominus Deus verbum* ,

„ niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos
„ ſuos Prophetas . Apoſtolos etiam Domi-
„ nus Jo. cap. 15. his verbis eſt affatus. *Jam*
„ *non dicam vos ſervos , quia ſervus neſcit*
„ *quid faciat Dominus ejus . Vos autem dixi*
„ *amicos , quia omnia quæcunque audivi a*
„ *Patre meo , nota feci vobis* . Et omnes fere
„ Sanctos , maxime Ordinum Fundatores ,
„ divinis viſionibus , & revelationibus illu-
„ ſtratos fuiſſe legimus . . . . . Abſque dubio
„ itaque Deus cum ſuis amicis familiariter
„ loquitur , & his maxime favere ſolet, quos
„ ad opera grandia eligit , qualis fuit Beata
„ Thereſia --

Hiſce præmiſſis Muratorium aggrediamur , qui in Tractatu Italice edito *De Viribus humanæ Phanthaſiæ cap. 9.* a D. Thereſiæ extaſibus, ac revelationibus omnem ſupernaturalem virtutem ſubdole (meo quidem videri) eliminare ſtudet , rejicitque in naturales intellectus contemplantis effectus . Utrum jure , aut immerito , prudens Lector ex his quæ paulò fuſius ſubnectam , judicabit . Audire præſtat quid ipſe ſtatuat principii loco -- Quoties piæ aliquæ inveniuntur
„ Virgines, aut quivis alius recte admodum
„ de Deo ſentiens , qui totis lacertis inten-
„ dant animum in jugi meditatione , aut
„ Chriſti Servatoris , aut aliarum fidei no-
„ ſtræ veritatum , eorum ita jam gravidam
„ mentem ſupponere debemus ſacris doctri-
„ nis , piiſque ideis , quas ex aſſidua lectio-
„ ne, aut auditione aſceticarum rerum hau-
„ ſerunt , ut facillimè ex præconceptis ſacris
„ phantaſmatibus ſtudioſa quædam colloquia
„ interius , eaque varia , & ad uniuſcujuſque
„ affectum, aut contemplationem magis apta
„ elaborare valeant , effingentes divina quæ-
„ dam opera , aut Angelorum, aut quorum-
„ libet ex Beatis , quæ omnia ſane & intra
„ naturæ vires , & ſine ullo peculiari Divi-
„ ni Numinis influxu accidere poſſe , quis
„ non videt ? Sufficit ipſa ſibi anima tot re-
„ ferta ideis , ſufficit talia ſibi comparare .
„ Nonne, ut palmari res firmetur exemplo,
„ nonne profani ipſi Creaturarum amatores
„ tot , tantaque ſecum ipſi animo agitantes,
„ plerumque mutuis ſe otiari confabulatio-
„ nibus , licet abſentes , arbitrantur , va-
„ rioſque jucundiſſimos fortunæ caſus effin-
„ gunt , ac ſi de facto ad invicem alloque-
„ rentur ? Cum verò mulieres , maximè
„ adoleſcentulæ ab excitatiſſimis corripian-
„ tur phantaſiis ; neceſſariò vehementes erga
„ Deum , ejuſque Sanctos inſunt animi ſen-
„ ſus Virginibus , aut Mulieribus ſingulari-
„ ter pietati addictis ; quo fit ut paulatim
„ meditandi vis apud illas ita intendatur ,
„ ut dimiſſa ſenſuum conſuetudine , ſola
„ tandem expatietur anima in tam jucunda ,
„ ac ſacra contemplandi ſegete, quam *Exſta-*
„ *ſim* vocitare malunt . Reſtituto denique
„ ſenſibus uſu ſi forte literis meditata con-
„ credantur , quot ſyllabis conſtet ſermo ,
„ mox veluti totidem Oracula Cœlituum ,
„ aut Deiparæ , aut Angelorum , excipiun-
„ tur -- Principium hocce Muratorii ingenio ſum plane eſt , atque ſi iis ſolùm accommodaret , qui nunquam divina paſſi ſunt , ac nunquam ſupernas experti revelationes , refragari non auderem : verum jure diſplicet , quod pag. 120. illud Seraphicæ Matris Thereſiæ Viſionibus adaptaverit . Poſtquam ſtatuiſſet non reprehendendas eſſe ſacras Virgines , quæ vividioris phantaſiæ exceſſus tanquam ſupernaturalia opera reputant , divinaque effata ; utpote quia , quamvis non aliud ſint ipſarum narrationes , quam ferventis imaginationis luſus , pios tamen continent conceptus , atque ad informandos Chriſtianorum mores conducere valent, ova tandem excluſit , ſubdens . *Propter quam laudem plurimi præ ceteris facienda ſunt ſcripta admirabilis Dei famulæ D. Thereſiæ a Jeſu , utpote ab perſpicaci parta ingenio , ſingularique Sancti Spiritus unctione referta* . En tota Muratorii textura , ut D. Thereſiæ revelationibus fucum faceret .

Si ita eſt , quot miſeros compellare poſſem , dignitate , eruditione , virtuteque inſignes Viros , qui Thereſiæ volumina admirati , non ea ſolum ratione tanti fecerunt, quia a perſpicaci parta ingenio , ſingularique Sancti Spiritus unctione referta , verùm etiam , quia myſticæ Theologiæ arcanis explicandis aptiſſima deprehenderunt . Tu ne Eminentiſſime Vir Johannes Cardinalis Bona , tuque præexcelſe , Summiſſimeque Vir Benedicte XIV. , qui modo ad Eccleſiæ clavum feliciter ſedes , qui de Revelationibus agentes (primus quidem in Tractatu de Diſcretione ſpirituum , alter libro 3. de Canoniz. SS.) eas , quas Thereſia paſſa eſt , propoſuiſtis , ut tanquam ad lydium lapidem ceteræ probentur , vel reprobentur , Muratorio Doctore indigebitis ? Quid de te dicam Sanctiſſime Vir Petre de Alcantara , qui dicere ſolebas : *Quod exceptis Catholicæ fidei aſſertionibus , nihil tibi certiùs , quam quod Thereſiæ ſpiritus eſſet divinus* ? Quid de vobis proferam o accuratiſſimi , ſapienteſque Romanæ Rotæ Auditores , qui non ſemel in ea verba erupiſtis : *D. Thereſiam cœleſtis doctrinæ Magiſtram a Deo Eccleſiæ fuiſſe datam* ? O cur non potuiſtis audire Muratorium arcanæ doctrinæ virum , ſubtilem adeo Philoſophum , qui potuerit ſinceram , eamque ex naturali ratione petitam , originem tradere tot Sanctæ Virginis Revelationum , quas vos ſingulari divinæ pietatis diſpenſationi adjudicatis !

Act. Canoniz. S. Ther. Rel. 2. art. 1.

Sed age , jurgia ſeponamus , ipſamque Thereſiam advocemus egregiè ſe ipſam defenſantem . Ipſam ſane non latuit Muratorii ſyſtema ; illud in medium protulit , reprobavitque quoties iis adaptetur , qui veras aliquando experti ſunt revelationes . Audiat quid in rem hanc diſerte ſatis docuerit *Fundat. cap. 8.* , *Ital. edit. cap. 13.* *Animadvertendum : ſatis infirmam eſſe naturæ habitudinem , maxime in Mulieribus , quod longe dignoſcitur in hoc orationis itinere . Quapropter opus eſt , ut caute incedamus , nec adeo facile exiſtimemus omne id quod nobis apparet , aut menti objicitur , illud viſionem eſſe* . En Muratorii ſyſtema ; accipe verò improbationem . *Quoties vera eſt viſio , credite mihi , optime ſe ipſam novit manifeſtare* . Proſequitur verò excellens Magiſtra : *Ubi quem melancolica infirmitate paululum laborantem of-*

fen-

ſenderis , majori animadverſione opus eſt ; ſiquidem ad me nonnulli acceſſerunt hujuſcemodi phantaſiæ illuſiones narraturi , ut non leviter admirata fuerim , qui fieri poſſit ut tam feriò quidam ſe cernere arbitreutur id , quod non vident. Patet ex his haud ignaram fuiſſe Sanctiſſimam Parentem multipliciter poſſe aliquem imaginationis æſtu corripi , ſimulque decipi : patet inſuper veras viſiones ſatis ſe ipſas prodere ; credibile ne eſt , hiſce non obſtantibus , voluiſſe humillimam Virginem nobis viſiones ſuas enarrare tanquam Deo authore prognatas , cum nonniſi nimium ferventis phantaſiæ partus exiſterent ? Cautos nos eſſe præcipit , ne aliquod nos cernere arbitremur , quod reapſe non videmus ; ipſa verò nihilominus nos illudet ſe vidiſſe certò affirmans , quod de facto non vidit ? Quæ alius ab errore , ipſâ teſte (ut patet ejus opera legenti) non ſemel ſubduxit , num dicere poterimus ita miſere deceptam , ut nequiverit ſe ipſam dignoſcere ?

Teſtimonium alterum expendamus , ex Manſione ſexta *capite 9. Caſtri interioris . Contingit nonnullos (novique hoc veriſſimum eſſe ; percepi ſiquidem non ex tribus , vel quatuor tantum teſtibus , ſed ex multis , qui mecum hac de re pertractarunt) debili adeo præditos eſſe imaginatione , vel adeo præpotenti intellectione , aut alia neſcio qua vi , adeoque imaginando efferveſcere , ut totum id quod cogitant , clare , ut ipſi putant , ſe videre aſſerant* . Quid clariùs , magiſque apposite ad Muratorianam Inſtitutionem ? Nativo hiſpanico Thereſiæ idiomate textum profero , ne videar falſa proferre . *Acaece à algunas perſonas (y sè que es verdad , que lo han tratado con migo , y no tres , o quatro , ſino muchas) ſer de tan flaca imaginacion , o el entendimiento tan efficaz , o no sè que es , que ſe embeven de manera en la imaginacion , que todo lo que pienſan , dizen claramente , que lo ven ſegun les parece* . Quid hic ſubneauit Seraphica Virgo ? Num ſemper igitur refellendas eſſe viſiones , num ſemper dubitandum ? Abſit . *Verum* , Inquit Ipſa , *ſi vera aliquando Viſione donati fuiſſent , errorem ſine ulla prorſus dubitatione* (ſin quedarles duda) *ſatis manifeſtè dignoſcerent : enimverò in hujuſcemodi luſibus ipſi illud componunt , quod ſibi imaginatione ſua perſpicere oblandiuntur ; nullum poſtmodum ſalutarem effectum percipiunt , magiſque divino amore ſe calere ſenſiſſent , ſi piam aliquam imaginem intuiti eſſent . Satis apparet hæc nihili ducenda eſſe , atque talia eſſe ut faciliùs ſomniis ipſis memoria elabantur . Ubi vera contingit viſio , diverſa ſane experimur . Cum anima longiſſime diſtet ab hac cogitatione , aut ſpe viſione fruendi , REPENTE TOTUM , JUNCTIMQUE ANTE MENTIS OCULOS HABET VISIONIS OBJECTUM cum magna potentiarum , ac ſenſuum perturbatione , ingentique timore ; poſt qua illico magna ſuccedit quies , felixque tranquillitas* . Hactenus nervosè ſatis D. Thereſia in ſui defenſionem : quibus poſitis ita pergo argumentari . Per ipſum Muratorium D. Thereſia aliquando veris donata fuit viſionibus (cum etenim ipſe ut unum inconcuſſum ſignum ſtatuerit contingentium rerum , vel futurarum , vel longe diſſitarum cognitionem ; Diva autem Thereſia inſignita non leviter fuerit hujuſcemodi cognitione , ut ipſa capite trigeſimo quarto Vitæ ſuæ , atque alibi faſſa eſt , neceſſariò conſequitur Viſionibus Authore Deo fuiſſe illuſtratam) atqui ipſa Thereſia firmiter aſſerit eos , qui veris fruuntur viſionibus *phantaſiæ errores ſine ulla prorſus dubitatione ſatis manifeſtè dignoſcere* , noviſque diſcrimen ſatis latum aſſignare , quod intercedit naturales inter , ac ſupernaturales viſiones ; ergo dubio-procul omnino eſt eam nunquam ita phantaſiæ illecebris , commentiſque deceptam fuiſſe , ut ea Divini Numinis colloquia , ſupernaque beneficia reputarit .

Ut quid mihi Muratorius obtrudit amatoria exempla profanorum hominum , qui jucundiſſimas aliquando confabulationes ſe conferre , cum tamen adſit nemo , arbitrantur ? Ita ne demiſſe de ſupernis donis ſentire licet ? Jure ne divinorum charismatum felicitatem , jucunditatemque cum terrenis voluptatibus comparabimus ? Adeo ne Sanctos Viros , qui cœleſtia bona guſtaverunt , Dei pace , quæ exuperat omnem ſenſum , inebriati ſunt , Beatorum Civium conſortio potiti ſunt , Paradiſi gaudia , obiter licet , contemplati ſunt , hebetes , rudeſque judicabimus , ut æquam putent reperiri ſimilitudinem a mundanis amatoribus deſumptam ? Sane D. Thereſia de ſe ipſa teſtata eſt ſibi cuncta viluiſſe , omnia arbitratam eſſe ut ſtercora , ut tenebras , ut inania , quæ in Mundo ſunt , licet ab hominibus tanti fiant , ut ſemel intueri licuit cœleſtis Sponſi pulcritudinem : non ergo fieri potuit , ut æſtuantis cerebri ludificationes tanquam Divina Oracula , ſupernaque ſpectacula venditarit . Audiatur ſalubre monitum Thomæ a Kempis *lib. 3. de imitat. Chriſt. cap.* 58. --
„ Taceant carnales , & animales homines
„ de Sanctorum ſtatu diſſerere , qui non no-
„ runt niſi privata gaudia diligere . Demunt ,
„ & addunt pro ſua inclinatione , non pro
„ ut placet æternæ veritati . In multis eſt
„ Ignorantia eorum maxime , qui parum il-
„ luminati rarò aliquem perfecta dilectione
„ ſpirituali diligere norunt . Multum adhuc
„ naturali affectu , & humana amicitia ad
„ hos , vel ad illos trahuntur : & ſicut in
„ inferioribus ſe habent , ita & de cœleſti-
„ bus imaginantur . Sed eſt diſtantia incom-
„ parabilis inter ea quæ imperfecti cogitant ,
„ & quæ illuminati Viri per revelationem
„ ſupernam ſpeculantur --

At enim , inquit Muratorius -- Quouſ-
„ que myſtici plene non probent haſce vi-
„ ſiones omnino phantaſiæ influxu , excita-
„ tiſque ab anima imaginibus eſſe expertes ,
„ eas ſemper ſuſpectæ fidei fore , quis pru-
„ dens non dubitaverit ? Nec plus movet ,
„ ſi dixeris haſce viſiones omnino ab intel-
„ lectu eſſe , ſecluſo omni corporearum ima-
„ ginum adminiculo ; ex quo novum non
„ eſt dari Sanctas Virgines , quæ cum ſubli-
„ miori ingenio magnam Theologicarum
„ rerum notitiam nactæ , in hac mentis ele-
„ vatione ſubtiliſſimos confingere cogitatus
„ poſſunt , præſertim ſi in ſublimi illo my-

„ ſti ex

„ ſticæ Theologiæ ſtudio aliquantulum pro-
„ fecerint — Reſpondeo Myſticos optime A
probare viſiones exiſtere omnino phantaſiæ
influxu expertes. Perpendantur extrema
D. Thereſiæ verba *ex cap. 9. Manſione ſexta*
Caſtri interioris ſuperiùs allata, patebitque
non vacuas eſſe ipſorum rationes. Sed rur-
ſus confirmare juvat altero ejuſdem D. The-
reſiæ, eoque validiſſimo teſtimonio, *ex cap.*
28. *ſua vita* deprompto — Hanc viſionem
„ eſſe luſum phantaſiæ inter impoſſibilia im-
„ poſſibilius eſt, nullamque obtinet proba-
„ bilitatem. Etenim ſola pulcritudo, & al-
„ bedo alterius ex manibus ejus (*ſcilicet hu-*
„ *manitatis Chriſti*, *quam ſibi narrat oſten-*
„ *ſam*) longè omnem imaginativè potentiæ B
„ vim exuperat. Abſque ullo memoriæ uſu,
„ abſque ullo ſtudio, aut cogitatione ob-
„ viam habentur tot, ac tanta uno ictu,
„ quæ neque per longum temporis interval-
„ lum imaginatione componere valeremus;
„ ergo impoſſibile eſt hanc ab imaginatione
„ poſſe produci. Sed dato etiam quod nos
„ aliquid huic viſioni adjicere per phanta-
„ ſiam poſſemus, ex altera ratione, quam
„ ſubjiciam, manifeſtè evincitur nullum hic
„ phantaſiæ opus poſſe intercedere. Etenim
„ ſi hæc viſio per intellectum fuiſſet efficta,
„ præterquamquod nullum ex magnis illis
„ effectibus produceret, qui tamen in hac C
„ viſione ſentiuntur, inſuper, qui hanc pa-
„ teretur, inſtar illius eſſet, qui neceſſi-
„ tate ſomni capiendi, ob capitis infirmita-
„ tem, correptus, cum nullo modo dor-
„ mire poſſet, vigilans tamen ſe dormire
„ effingeret. Hic ſane quoniam vere non
„ dormit, tantùm abeſt, ut levamen aliquod,
„ aut utilitatem ex efficto illo ſopore affer-
„ ret, quin potius aliquando longe vani-
„ dior, infirmiorque capite laboraret. Ita
„ ex parte accideret in caſu noſtro; ſiqui-
„ dem animæ nulla tunc virtus obveniret,
„ robur nullum, ſed potius infirmitas, &
„ amarities: cum ex adverſo tot divitiis lo- D
„ cupletetur, quas ſatis verba exponere non
„ ſufficiunt; & vel ipſum corpus ſanitatem,
„ & vigorem inde acquirat — Hucuſque Se-
raphica cœleſtis doctrinæ Magiſtra. Sepoſito
partium ſtudio ejuſdem rationum vis perpen-
datur, atque in ſpem adducor facile, vel ip-
ſos acutiores Philologos, mihi conceſſuros
egregie ab ipſa id propugnatum, quod ſcri-
ptis conſignavit.

Nondum verò Muratorius ſe victum fa-
tebitur — Duo unicè (inquit ipſe) certa
„ ſigna mihi eſſe videntur, quibus hujuſce-
„ modi extaſes authore Deo fuiſſe proben-
„ tur. Primum quidem ſi divina hæc pa- E
„ tiens, nedum mente, ſed corpore pariter
„ per idem tempus in ſublime ferri, ac ele-
„ vari ſe ſentiat; hoc enim virtutis genus,
„ quod naturæ vires omnino prætergreditur,
„ in Deum ipſum proximè erit refunden-
„ dum; cum aliàs optima vivendi ratio ip-
„ ſius perſonæ divina hæc patientis, omnem
„ diabolici influxus ſuſpicionem omnino
„ avellat. Alterum verò, ſi inde contigen-
„ tium rerum futurarum, aut longe diſſita-
„ rum hauriatur notitia, quam nonniſi ſum-
„ mum attigit principium illud, cui loco-
„ rum, ac temporum omnes proſtant inter-
„ capedines..... Demptis igitur duobus
„ hiſce indiciis, QUORUM PRIMUM
„ EGRE ADHUC NONNULLI AD-
„ MITTUNT, a quibuslibet aliis ventita-
„ tis viſionibus, aut revelationibus, in qui-
„ bus præterita aut attinguntur, aut Reli-
„ gionis myſteria explicantur, eædem dublæ
„ omnino fidei eſſe debent, quippe quia
„ prudens judicium non habet, unde evi-
„ denti decernat certitudine eas potius cœ-
„ leſti afflatu, quam naturali fuiſſe cauſa
„ excitatus — Principio reprehendendus eſt
Muratorius, quod eos non improbaverit,
qui imperitè dubitarunt, an naturali vi cor-
pus in aera ſine ullo fulcimento elevari, ac
diu ſubſiſtere non poſſit. Hoſce merito ir-
ridet Zachia *in qq. Medicolegalibus lib.* 4. *tit.*
1. *de miraculis quaſt. 6. n.* 10. inconcuſſa hac
ratione. *Sunt exſtatici, qui a terra in exſtaſi*
elevantur, ut quaſi in aere librati permaneant.
Hoc autem, quidquid conati fuerint nonnulli
affirmare in naturali exſtaſi, eſt ab omni veri-
tate alienum; *contra natura enim propenſio-*
nem omnino eſt corpus grave a centro propria
virtute ſublevari, & in aere ſuſtineri. Dein,
quod caput eſt, in judicium vocandus, quod
alterum, illudque præcipuum, genuinæ ſu-
pernaturalis viſionis indicium, prætermiſe-
rit. *Ab effectibus* D. Thereſia ſyncerae viſio-
nis characteres deducit, atque non ſemel de
iis ſermonem inſtituit, quos ne leviter qui-
dem Muratorius attigit. Porro quinam ſint
effectus iſti, quos *magnos* Diva Virgo ap-
pellat, ſcire licet ex Venerabili P. Johanne
a Jeſu Maria, qui *in Tractatu de Diſcretione*
ſpirituum n. 13. eos hauſit, recitavitque ex
ipſa Thereſia hiſce verbis — *Primum* eſt Dei
„ animam alloquentis potentia, ac impe-
„ rium, quia loquitur ſimul, ac operatur.
„ Unde exempli cauſa uno verbo (puta:
„ *Noli timere*) magnam nonnunquam per-
„ turbationem ipſe quietat, animaque hoc
„ auditu tranquillitatem ſummam experitur.
„ Signum hoc Sanctæ Matri noſtræ ceteris
„ viſum eſt ſecurius. *Secundum* eſt pax,
„ quies, & recollectio interior, devotio,
„ & magna in laudibus divinis promptitu-
„ do. *Tertium* ſi anima quando loquentem
„ Dominum audiit, longo verba ejus tem-
„ pore, & nonnulla etiam quoad vivat,
„ memoriæ ſculpta geſtet. *Quartum* eſt ma-
„ gna de futuro eventu impreſſa ſecuritas,
„ etſi illi de foris difficultates objiciantur.
„ Præter hæc ſigna, aliquot alia S. M. N.
„ annotavit, quæ in quodam Dei ad ani-
„ mam loquendi modo conſiſtunt, ut ſcili-
„ cet ei per aliquam viſionem intellectua-
„ lem in intimis ipſius animæ penetralibus
„ tam ſecreto loquatur, ut ne ipſe quidem
„ Diabolus hæc intelligat. Primum horum
„ ſignorum eſt ipſa verborum, & locutio-
„ num Dei claritas, quæ ſupra omnem cla-
„ ritatem mirabilis eſt: nec non tenacitas
„ memoriæ, qua anima verba illa compre-
„ hendit, & retinet, ut illorum etiam ſty-
„ lum, & voculas, & ſyllabas annotet. Al-
„ terum eſt ſi ſæpe nulla de illis rebus præ-
„ cedat cogitatio, divinaque verba ex tem-
„ pore efformata alicui cogitationi tunc per

„ men-

„ mentem magna velocitate tranſeunti, vel
„ alicui cuidam cogitationi ante illud tem-
„ pus habitæ, reſpondeant. Tertium, quod
„ hæc verba intimis auribus anima percipiat
„ ad differentiam illorum, quæ ipſa ſibi
„ imaginatur: cum imaginatio propriè ſit
„ quædam compoſitio. Quartum ſi ad ho-
„ rum verborum vel unum magna in anima
„ lux oboriatur, quod ſecus fit, quando vel
„ ipſamet operatur, vel Diabolus. Quin-
„ tum ſi una cum illis verbis ſublimiora
„ quædam animæ revelantur, quam verba
„ ipſa ſignificent --

Deficeret mihi dies, ac plus æquo eru-
ditum Lectorem fatigarem, ſi cuncta D.The-
reſiæ teſtimonia recenſere vellem, quibus
valido rationum pondere firmi principii loco
ſtatuit, veram diſcernendarum viſionum ra-
tionem ab effectibus potiſſimum repetendam
eſſe, ſcilicet a ſingulari, qui inde promanat,
in Deum amore, a generoſa paſſionum co-
hibitione, a mira animæ contemplantis quie-
te, ac ſecuritate divinæ in ſe operantis vir-
tutis &c. Legeſis Ambroſium Anſanum Tan-
tuccium Ord. Prædic. in Diſſertatione Cri-
tico-Dogmatica adverſus cenſuram, quam
Abbas Fleury inverecundè protulit de Divæ
Catharinæ Senenſis revelationibus; ac per-
ſpicuè deprehendes mirè Angelici Præcepto-
ris doctrinam cum D. Thereſiæ effatis con-
venire. Ab effectibus, quos ſane admirabi-
les in Thereſia deprehenderunt, rationem
deduxerunt, qua ipſius Thereſiæ Revelatio-
nes tutati ſunt D. Petrus de Alcantara, D.
Franciſcus Borgia, aliique Clariſſimi Viri;
neque reticendum eandem adhibitam eſſe
rationem a Romanæ Rotæ Auditoribus. Non
abs re erit in medium proferre Petri Niccole
authoritatem, qui in libro quem Gallice in-
ſcripſit: *Eſſait de Morale*, nos verò *Speci-
mina moralia* nuncupare poſſemus, poſtquam
Tractatu 4. de hominis finibus cap. 10. de qua-
dam D. Thereſiæ viſione ſermonem habuiſ-
ſet, hæc pronunciavit -- Illud audeo dicere
„ quod ſi quis ad hanc narrationem vehe-
„ menter non exterreatur, ſed potius in ſo-
„ lius imaginationis luſum illam refuderit,
„ meritò ille ſtolidioribus eſſet accenſendus.
„ Ut enim jure narratio illa contemni poſ-
„ ſet, opus eſſet, ut certi eſſemus de ipſius
„ vanitate, & fallacia. Porro longe admo-
„ dum ab hac certitudine habenda hic di-
„ ſtamus, relate ad viſiones quas illa refert:
„ quinimmo e regione libere fatendum eſt,
„ quod cum duo in dubium vocari poſſint
„ in viſionibus; primum quidem an perſo-
„ na, quæ illas enarrat, fidelis, ac ſyncera
„ ſit; alterum verò an phantaſiæ luſu pro-
„ ducantur; qui æquo judicio ad trutinam
„ vocaverit ſcripta hujus Sanctiſſimæ Fœmi-
„ næ, non poterunt non illico ſibi perſua-
„ dere de ſumma ſcribentis fide, ac ſynceri-
„ tate; multò verò minus judicabunt vim
„ tantam imaginibus, quæ phantaſiæ obve-
„ niunt, tribui poſſe, ut per ipſas animæ
„ provehantur ad elevatiſſimos Sanctitatis
„ gradus, in quibus conſtituit Deus There-
„ ſiam per eaſdem, quas refert, viſiones.
„ Quin abſonum omnino videtur Deum ip-
„ ſum tot prodigioſos effectus conjunxiſſe

„ commentitiis illuſionibus -- Hæc Nicco-
A lius, quæ ſi attentiùs perpendiſſet Murato-
rius, fortè cautior de myſticæ Theologiæ
inviis myſteriis ſententiam protuliſſet. Vi-
ſionum autem certitudinem ad duo tantùm,
vel, ut melius dicam, ad unicum ſignum
concludere, periculoſa res eſt, a veritate
aberrat, ac quodammodo divinæ beneficen-
tiæ minus æqua coarctatio.

Huculque audivimus ipſam Thereſiam
egregiè ſcriptis, doctriniſque ſuis ſe ipſam
propugnantem: aſt quid ſi nihil ipſa conclu-
ſiſſet, quid ſi nihil poſteritati tradidiſſet?
Anne liceret Revelationes ipſius contemne-
re, quia non omnes characteribus gaudent
B a Muratorio prædicatis? Nonne ſufficeret
tot Illuſtrium Præſulum, tot Clariſſimorum
Doctorum, tot Sanctiſſimorum Virorum cal-
culus, qui nihil non genuinum, nihil non
divinum, poſt accuratiſſimum examen in
ipſa deprehenderunt? *Conſtat quod inter alios
fuerunt triginta octo, a quibus fere omnibus
poſt factam cum eis confeſſionem diverſis in lo-
cis, & temporibus ſpiritus B. Thereſia divinus
fuit judicatus*: verba ſunt hæc Romanæ Rotæ
art. de Sanctitate in genere. Pluribus in locis
ipſamet Diva Parens teſtatur nullum non
motum lapidem reliquiſſe, ut apud Sapien-
tiores totius Hiſpaniæ Viros ſua vivendi ra-
C tio, & cœleſtia, quibus affluebat, dona
probarentur, an ex Deo eſſent: & nemo
eorum, poſt accuratiſſimam cenſoriam vir-
gam adhibitam, auſus eſt Thereſiæ dona re-
probare, aut in dubium revocare, aut alteri
quam authori Deo tribuere. Conſulat Le-
ctor epiſtolam quam Thereſia dedit ad P. Ro-
dericum Alvarez e Soc. Jeſu, quæ incipit,
ſuppreſſo nomine proprio: *Hæc Sanctimonia-
lis quadraginta ab hinc annis habitum ſumpſit*,
cujuſve authographum propria manu con-
ſcriptum Viterbii apud Carmelitas Diſcalcea-
tos aſſervatur. Ibi Sancta Mater longum in-
dicem retexit Theologorum doctrinà, ac pie-
D tate celeberrimorum, qui jam tum ejus pro-
baverant extaſes, ac viſiones. Eos inter re-
cenſentur duo Romanæ Eccleſiæ Decreto in-
ter Divos relati, Petrus ſcilicet de Alcanta-
ra, & Franciſcus Borgia: alii verò qui pu-
blici juris fecerunt egregia quædam Volu-
mina, ſcilicet Dominicus Bannez, & Bar-
tholomæus Medina, ambo ex inclyta Prædi-
catorum Familia, & Sacræ Theologiæ in
Salmanticenſi Univerſitate publici Profeſſo-
res: alii denique fuerunt ex his, qui onus
ſibi adjudicarunt etiam ſcripto Thereſiæ ſpi-
ritum, divinamque in ipſa operantem vir-
tutem, illuſtrandi, vindicandive, D. nem-
E pe Petrus de Alcantara, P. M. Petrus Iba-
gnez, Apoſtolicuſque Vir Johannes de Avi-
la. Quo tandem pacto tot inter ſublimes
cordatoſque Viros Muratorii dubitationes
ſtare poterunt? Ipſiuſne authoritas tantorum
hominum ſententiis, ac definitionibus præ-
valebit? Credendum ne eſt ipſis non inno-
tuiſſe eos characteres, quos præferre debent
genuinæ Revelationes?

Ignorabant ſane, reponit hic Murato-
rius: ſiquidem (ut ipſe putat) antiquitus
plus æquo homines ad credendum proni
erant; tanquam divinum cæco impetu ve-
nera-

nerabantur id quod unice humanam cauſam obtinebat; atque Theologi peripateticæ Scholæ addicti erant, quod idem apud ipſum eſt, ac indoctos fuiſſe, atque præjudiciis plurimis obnoxios. Perbellè ſane: tanquam ſi pervetuſta hominis definitio: *Animal rationale* nonniſi hoc Seculo adimpleta fuerit: donumque *diſcretionis ſpirituum* ad hæc uſque tempora Deus diſtulerit, ne Spiritus Sanctus ſe Peripateticum agere anteactis Seculis cogeretur. Ego, ut quid ſentiam, apertè proferam, homines ad credendum perdifficiles omnibus Seculis extitiſſe cenſeo; atque ex adverſo homines etiam nunquam defuturos, nimium ad credendum pronos. Legenti Hiſtoriam Vitæ D. Thereſiæ manifeſtè patebit, quantum eam initio homines divexarint, utpotè plus æquo neſcientes ipſi fidem præbere. Num phantaſiæ æſtus, ludificationes, atque ut ita dicam, mira, veteres latebant, atque a peripatus notitia exulabant? Num D. Bonaventura, num Card. Turrecremata, num Gerſon, num D. Jo. a Cruce, num Franciſcus de Soſa, Hieronymus Planes, Joannes a Jeſu Maria, Thomas a Jeſu, Antonius a Spiritu Sancto, aliique ſexcenti, qui de revelationibus ſermonem habuerunt, phantaſiæ vires ignorabant? Perlegantur ipſorum opera, veritaſque ſatis in aperto erit. Seculo etiam duodecimo D. Hildegardis revelationes ad inania phantaſmata, fœmineaque ſpectra amandabantur; aliter tamen D. Bernardus judicavit. En quid in rem hanc ſcripſerit Jo. Tritemius *Tom.* 1. *Annal. Hirſaugienſium ad an.* 1147. *pag. mihi* 415. -- Erat „ D. Bernardo Sancta Chriſti famula & ſcriptis nota, & relatione multorum in Domino comprobata; ad quam cum perveniſſet, poſt orationes conſuetas, & ſalutationis obſequia, præcepit ſibi volumina exhiberi quæ illa divinitus inſpirata conſcripſit, quibus diligenter ex parte reviſis, ultra quam dici poteſt, admirans, dixiſſe fertur ad ſocios: *Hæc ſcripta non ſunt humanitus adinventa, nec poteſt ea mortalis homo capere, niſi ad ſimilitudinem Dei intus, & in anima fuerit reformatus per amorem*. Ad hæc Præpoſitus Virginum Monachus devotus, & Sanctus nomine Heribertus viro Domini reſpondit: *Reverende Pater vera quidem ſunt quæ dixiſti, ſed multi homines docti, & indocti, Religioſi, & mundani animam famulæ Chriſti quotidianis oblocutionibus cruciant, dum cerebri phantaſmata, aut fallaciter per Dæmones indoctæ fœminæ garrulantur immiſſa*. „ Cui Vir Dei. *Non miramur*, inquit, *frater cariſſime ſi dormientes in peccatis divinas revelationes exiſtiment ſomnia, cum ſciamus verum dixiſſe Sanctum Apoſtolum: ANIMALIS HOMO NON PERCIPIT EA QUÆ SUNT SPIRITUS DEI*-- Abſit ut hanc Melliflui Doctoris cenſuram velim Muratorio plenius appingere, atque invidis anſam præbere, ut claram ejus famam dilacerent: teſtor unice mihi animo eſſe oſtendere non adeo rudes fuiſſe veteres homines, ut ipſe non ſatis modeſtè cenſuit. Propius accedam, hominemque perquam abunde peripateticis ſubtilitatibus paſtum in medium adducam. Is eſt Johannes Caramuel. Virum ne facillimæ credulitatis dicam, phantaſiæque imbecillitatis ignarum? Nihil ſane. Accipe quid de ſe teſtetur in prologo Vitæ V. Servi Dei Dominici a Jeſu Maria. Edit. Vienn. 1655. *Quo tempore Eminentiſſimi Principis Cardinalis ab Harrach Domini mei clementiſſimi nomine gubernavi Bohemiam, plurimas Exſtaſes, & Revelationes plurimas Numinis, Deiparæ, Angelorum, Divorum, & frequentius Animarum purgatoriis ignibus detentarum, apparitiones ex officio cognovi; univerſas rejeci, ne unam quidem tamquam veram, aut probabilem etiam, admittens*. Vides hic planè nimio non credulam indolem. Hiſce tamen nihil obſtantibus, Acta Venerabilis Dominici ſcribendi provinciam aggreſſus eſt; nihil territus tot viſionibus, quibus ejus Vita referta eſt: taleſque revelationum Dei famuli inſignes mirandoſque characteres deprehendit, ut in hæc verba erumpere non dubitaverit. *Si decredere criticus pergat, nec velit Illuſtrium Virorum teſtimoniis adquieſcere, paucis verbis me expediam. Dicam ſic. Hæreticis nec lineam ſcribo. Nihil viris odii, aut invidiæ præjudicio præventis ..... Et quid mea, ſi unus, aut alter impius, & indoctus rejiciet quæ eximia pientiſſimorum, & doctiſſimorum hominum approbat multitudo?*

Verùm quid opus eſt exempla emendicare? Habemus inter Viros D. Thereſiæ ſpiritum Seculo XVI. approbantes, qui certè uſque ab illis temporibus non minus Muratorio ſcrupuloſus erat in fide revelationibus adhibenda: Bartholomæum Medinam intelligo, qui in Commentariis *ad* 3. *par. ſummæ Theologicæ Angelici Doctoris q.* 25. *art.* 3. præter morem ſatis fusè calamum acuit in eos, qui paſſim ſe viſiones habere venditant. Statuit igitur prima concluſione *pag.* 324., & *ſeqq.* Edit. Venetæ 1602. *Nonnunquam iſtæ operationes ſunt veræ; nam Chriſtus Paulo apparuit Jeroſolymis*; ſed illico adjungit. *Veruntamen hujuſmodi veræ apparitiones ſunt rariſſimæ, ideoque ſunt admodum ſuſpectæ, & potius putandæ ſunt deluſoria Dæmonis apparentia, qui ſæpe ſe transfigurat in Angelum lucis*. Idem repetere non dubitavit *aſſert.* 5. hiſce verbis: *Regulariter, & communiter iſtæ apparitiones, & viſiones veræ non ſunt*; quod poſtquam multiplici probaverit ratione, ſubdit. *Idem probatur ex ſtrage horribili, quam fecit Dæmon in perſonis utriuſque ſexus, quæ his viſionibus fidem adhibuerunt, quæ ſine lacrymis referri non poteſt*. Quia verò cogebatur aliquas admittere ut veras, admodum caute pergit ſupra viginti regulas recenſere ad veras revelationes ab falſis diſtinguendas, præter eas quas ex Tractatu de Vita ſpirituali S. Vincentii Ferrerii recitat. Æque ſapienter animadvertit aliquando excitari viſiones poſſe ex ipſa corporis habitudine contemplantis perſonæ, dicens: *Ingenium, & judicium hominis diligentiſſime conſiderandum eſt ..... Æſtimanda eſt quoque corporis temperatura, ſanitas, judicium ..... in ſomno potiſſimum periculum eſt, ne his viſionibus decipiamur ..... Inſpiciendum eſt diligenter, an qui patitur viſiones ſit nigro humore*

more affectus , ideſt melancholico , vel nimium macie confectus . Ex his facile intelligere poteſt quilibet , Medinam hominem non fuiſſe aut ad credendum nimium præcipitem , aut ad omnes revelationes temerè excipiendas , proclivem : quin potius rigidiſſimum ſpirituum cenſorem. Porro quam ſententiam ipſe protulerit de Revelationibus D. Thereſiæ , audiamus ab Illuſtriſſimo Taraſonenſi Antiſtite Didaco de Jepes *in prol. ad V. S. Ther.* §. 2. -- P. M. F. Bartholomæus de Medina
„ jam Primæ Anteceſſor in Salmantina Uni-
„ verſitate , cum audiſſet tot tamque mira
„ de B. M. Thereſia narrari , FLOCCI
„ EAM FACIEBAT , NULLAMQUE
„ HIS ; QUÆ DE ILLA PRÆDICA-
„ BANTUR , FIDEM ADHIBEBAT .
„ Accidit autem ut Sancta Virgo Salmanti-
„ cam veniret , novum conditura Monaſte-
„ rium . Sedulo ipſa curavit illum conveni-
„ re : amabat enim præ ceteris illos alloqui ,
„ ſuaque eiſdem communicare , quos ſibi
„ magis adverſari intelligebat , ſuæque oran-
„ di rationi , ex ſpe qua incendebatur fore
„ ut illam magis magiſque examinarent ,
„ probarentque , an cum Deo ambularet .
„ Iniit igitur cum Medina colloquium , &
„ generali ſecum habita peccatorum confeſ-
„ ſione ſynceram reddidit rationem ſuæ Ora-
„ tionis, & omnium donorum in ea perce-
„ ptorum : inſuper oſtendit , quæ de ſe ipſa
„ ſcripſerat . Quibus omnibus ritè perpenſis
„ Medina animum mutavit; factus ipſi The-
„ reſiæ conjunctiſſimus eam certam reddidit
„ omnia quæ patiebatur divino muneri eſſe tri-
„ buenda ; profeſſus inpoſterum Thereſiæ in
„ Sanctitate parem in univerſo Orbe non exi-
„ ſtere -- Hanc ingenuam Medinæ confeſſionem refert vel ipſa Thereſia in ſuperius laudata Epiſtola (*) ad P. Rodericum Alvarez , quam exſcribere omitto , ut brevitati conſulam : ſatiſque mihi eſt concluſiſſe non incautos , indoctioreſque , minuſve acutos veteres fuiſſe ; ſed forte modeſtiores, minuſque graculorum ſectatores .

Aliud ſequitur in Muratorio caſtigandum . Pagina 125. pergit eas ſacras Virgines tanquam audaces carpere ; quæ viſiones , ac revelationes Commentariis tradidere. *Cum ipſi* (inquit) *Sanctiſſimo Gentium Apoſtolo Paulo , ex cæleſti munere , plurima fuerint reſerata myſteria , quæ tamen , ut ipſe teſtatur : NON LICET HOMINI LOQUI , percunctari libet quid juris ſit apud eos , qui myſticis incumbunt rebus , ut in medium paſſim adducant impervia pariter arcana ſibi revelata , ubi Paulus ipſe id ſibi ullatenus licere negavit ?* Ita Chriſtianæ pietatis Reformator . O plane fæſtivum delicati Philoſophi ſcrupulum ! Ita ne bone Muratori omnes revelationes , ac revelationes Sanctis Viris factæ idem obtinuere objectum , eandem attigere excellentiam , ſublimitatemque eorum , quæ Paulo Apoſtolo ad tertium uſque cœlum evecto , manifeſtata fuerunt ? Si Logices ſectari leges velimus , vana omnino eſt generalis conſequentia ex ſingulari propoſitione deducta . *Vidi arcana verba* , inquit Paulus , *quæ non licet homini loqui* ; ergo (proh amœnam illationem !) Omnia occulta ceteris Sanctis manifeſtata

(*) *Hanc Epiſtolam, ſuppreſſo, ut ſupra innuimus, proprio nomine, excripſit Thereſia.*

non licet exponere ? Placet autem paulo in-
A timius rimari , cur nam Apoſtolus ſe vidiſſe arcana verba aſſeruerit , quæ non licet homini loqui .

Diverſimodè hoc Apoſtoli effatum interpetrantur Theologi . Sunt , qui adſtruunt eum tam ſublimi donatum fuiſſe viſione , ut ad Divinam uſque contemplandam Eſſentiam, tranſeunter , ut ajunt , fuerit evectus . *Audivit arcana verba , ideſt* (explicat D. Th. in Ep. 2. ad Cor. 12. v. 4.) *percepit intima cognitione de ſecreta Dei eſſentia quaſi per verba , quæ ſcilicet verba non eſt licitum , ut homini dicantur* . Sunt etiam , qui nolint eum beatifica viſione donatum fuiſſe ; non ab-
B nuunt tamen Paulum excellentiſſima , ac præſtantiſſima myſteria vidiſſe , quæ verbis explicari nequeunt , aut expediens non eſt , ut omnibus innoteſcant , uti eſſet exempli gr. altiſſimum , ac impervium Prædeſtinationis myſterium , quod ſanè revelari non juvat hominibus , maxime ſuperbis , & carnalibus . Ita hunc locum illuſtrant Hugo Card., & Cajetanus . Hic quidem in præfatam Epiſt. *Dixit hoc ad manifeſtandum , quod ea quæ audivit , longe ſuperant quæcunque ipſe communicavit nobis , ut intelligamus , quod non omnia communicavit nobis , quæ audivit , ſed excellentiora ea ratione non communicavit quod non*
C *eſt fas mortali homini illa dicere* . Ille autem ; *Non licet homini loqui , carnali ſcilicet qui non poteſt capere , juxta illud* 1. *ad Cor.* 3. Nonne homines eſtis , & ſecundùm carnem ambulatis ? *Dicit autem Chryſoſtomus , quod Timotheo , & Tito , & illis majoribus revelavit* . Ex quibus omnibus attinguntur momenta , quibus adductus meritò D. Paulus viſionem illam exſcribere noluerit , aut nequiverit , liceat autem Sanctis Viris revelationes ſuas ſcripto conſignare . Si primæ , haud improbabili , adhæreas interpretationi , planè vides quam ridiculum eſt improbare eorum œconomiam , qui viſionum hiſtorias evulga-
D runt . Num adeo facilis es , ut credas homines ad divinam contuendam eſſentiam elevari ? Quod ſi elevarentur ; putas ne eos poſſe rem adeo grandem , atque incomprehenſam appoſitis verbis complecti , ac reſerare ? Si verò ſecundam , ſatis quoque probabilem , adoptare placeat interpretationem , quid inde ? Num omnia , quæ in viſionibus a Deo revelantur , ſunt eodem gradu impervia , recondita , ineffabilia ? Quædam dantur planiora , altera profundiora : quædam ſunt , quæ humana poteſt oratio complecti ; quædam , quibus explicandis hæret lingua , caligat mens , eloquentia deficit , quæque ,
E ſi apud indoctum vulgus ſpargerentur , potiſſimum verò ſi apud homines vitiis inquinatos pervenirent , ſcandalum , atque ſtultitia apparerent . Hoc ultimum ſanè Revelationum genus incongruum eſſet palam facere ; ſed inſuper addendum eſt Sanctos Viros neque palam feciſſe , neque de iis divulgandis cogitaſſe , utpote qui ſcirent rem & aleæ plenam eſſe , & plane impoſſibilem . Ipſa D. Thereſia , experientiâ abundè edocta , ita ediſſerit *cap. 6. Manſion. 6.* -- Quando anima in
„ hac ſuſpenſione reperitur , placet Deo
„ oſtendere illi arcana quædam cœleſtia , &

„ viſiones imaginarias, quas poſtea referr,
„ cum altè in ejus memoria defixæ remanſerint. Cum verò viſionibus fruitur intel-
„ lectualibus, EAS MINIME REFERRE
„ VALET PROPTER EMINENTIAM
„ COGNITORUM MYSTERIORUM,
„ QUÆ NON EXPEDIT, UT RELA-
„ TA ATTINGANTUR AB HOMINI-
„ BUS ADHUC MORTALIBUS....
„ Jacob quidem vidit Scalam; præter ipſam
„ tamen eum vidiſſe arbitror ſecretiora alia,
„ quæ referre non valuit. Etenim ex ſola
„ viſione Scalæ, per quam aſcendentes, &
„ deſcendentes Angelos vidit, nequaquam
„ potuiſſet tot tantaque Myſteria intelligere,
„ niſi illuſtriori luce fuiſſet donatus.... Ne-
„ que verò Moyſes ipſe omnia literis conſi-
„ gnavit ex his, quæ in rubo viderat, ſed
„ ea ſolùm quæ Deus voluit, ut ſcriberen-
„ tur. Quod ſi Deus longè plura non oſten-
„ diſſet ſecretiora myſteria, & quidem cer-
„ tiſſima, præter expoſita, ut facile perci-
„ pere poſſet Deum eſſe allocutum, in tot
„ ſane diſcrimina, & anguſtias minime ſe ſe
„ conjeciſſet -- Quid ad hæc inquiet Muratorius? Non vult ipſe (extorta Divi Pauli authoritate) arcana in viſione intellecta, literis concredi poſſe; habet Thereſiam, quæ hoc aliquando fieri poſſe adſtruit, aliquando non poſſe, nec expedire fatetur; ipſane reprehendenda? Si ipſa exſcripſit; concludendum potius eſt; ergo quæ exſcripſit, & poterat, & expediebat, ut exſcriberentur. Nonne quædam ſunt revelationes ad humanum captum accommodatæ, ad concutienda peccatorum corda aptiſſimæ, ad inſinuandam propriæ infirmitatis cognitionem, virtutiſque amorem ſatis efficaces? Quidnam igitur abſurdi eſſe poteſt, ſi manifeſtentur?

Re enim vera: ubinam reperies ipſum Doctorem Gentium omnes ſuas revelationes alto ſilentio obduxiſſe? Ipſo capite Epiſtolæ 2. ad Cor., quo de raptu ſuo ſermonem habens aſſeruit: *Non licet homini loqui*, ſtatim ſubdidit unius revelationis narrationem. *Ter Dominum*, inquit, *rogavi*, *ut diſcederet a me* (ſtimulus carnis meæ), *& dixit mihi*: *ſufficit tibi gratia mea*, Juxta Muratorium aperte in hoc capite reprehendit, ac prohibet Apoſtolus, ne quis revelationes deſcribat: ipſe verò ſine mora, revelationem ſubnectit. Carpendus igitur in primis eſt ipſe Paulus, quaſi legem a ſe latam primus, atque illicò violaverit, vel potius, genuina appoſita interpretatione, reliquos Sanctos, pioſque Viros „ revelata ſibi manifeſtantes, laceſſere deſinat; niſi velit ipſum quoque dilectum Chriſti Diſcipulum Jo. Evangeliſtam tanquam Apoſtolicæ legis violatorem criminari, qui Apocalypſeos volumen tot viſionibus refertum, ad annum reparatæ ſalutis nonageſimum ſeptimum, poſt Pauli mortem, deſcripſit.

Verùm, gratis etiam conceſſo incongruum eſſe, ut revelationum narrationes fiant, quamvis ex iis non ſint quæ ſublimiſſimo D. Pauli raptui valeant comparari; non video quo jure ſuccenſere poſſimus iis, qui eas experti, eas ſcripto reliquerunt; cum potius illi unicè corripiendi eſſent Præſides, atque animarum Rectores, quorum imperiis, ut fieret ſatis, ad revelationes conſcribendas compulſi ſunt. Sane de Sancta Thereſia indubiæ fidei eſt, quod nonniſi graviſſimis Superiorum mandatis adigi potuerit ad ſupernaturalia dona literis concredenda, cum è regione ab ipſis humillime expeteret, ut ſibi libera facultas fieret, veluti alteri Auguſtino, culparum ſuarum ampliſſimam texendi Hiſtoriam. Profectò, ſi quis locus objurgationi eſſet, num in eam refundendus eſſet, quæ, licet ſecus ſuaderet profundiſſima animi modeſtia, perfectiſſimam adhibuit erga Prælatos obedientiam? Abſit; ſed potius in præcipientium cervicem tota criminandi licentia erit rejicienda.

Quanquam, neque ipſis conſcientiæ Moderatoribus ulla, etſi minima imprudentiæ, aut levitatis nota inurenda eſt, ſi nonniſi perpenſis omnibus circumſtantiis, cauſaque ſeriò, cauteque examinata, vel peculiari Divini Spiritus afflatu adducuntur ad hujuſcemodi præcepta imponenda; quemadmodum Lopezius judicat de D. Thereſiæ Rectoribus. Hic, poſtquam efficaci oratione ſuaſiſſet omnes conſcientiarum moderatores ne qualibet prætenſa occaſione permittant, ut ab iis, quos dirigunt, literis commendentur ſupernaturalia dona a Deo recepta, Seraphicæ tamen Parentis noſtræ perpenſis, quæ occurrebant, argumentis, eximia præſertim animi demiſſione, quæ in limine ipſo enarrationis Vitæ ſuæ maximè elucet, ſubdidit *in Lucerna myſt. tract.* 5. *cap.* 31. *n.* 355. -- Hi ſunt veri ſpiritus fructus, ex
„ quibus dignoſcere poterunt Directores
„ non ſolùm utilitatem, quam Deus ex Vi-
„ ta, & ſcriptis hujus mirabilis Heroinæ,
„ & myſticæ Doctricis volebat comparare,
„ ſed etiam magnam rationem, qua ducti
„ ſunt ejus Prælati, & Directores, qui tale,
„ tamque ſtrictiſſimum ſcribendi mandatum
„ impoſuerunt: & quandoquidem (ut nefas
„ erit dubitare) divina inſpiratione ducti
„ ſunt; nihilominus magna penſatione, &
„ mora proceſſerunt, antequam Thereſiæ hoc
„ præceptum imponerent --

Neque hoc ſane a divina voluntate alienum eſſe pertimeſcendum; teſte enim Archangelo Raphaele, diſpar eſt ratio hominum inter, & Dei arcana. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*; *opera autem Dei revelare*, *& confiteri honorificum eſt*; quem Tob. 12. v. 7.
locum Menochius ſic illuſtrat. *Quemadmodum Regum myſteria*, *& arcana tegenda ſunt*, *nec in vulgus efferenda*: *ita e contrario opera Dei revelare*, *& confiteri honorificum eſt*. Quod ſi græci, & hebraici textus conſulantur, habetur inſuper, Raphaelem præcepiſſe utrique Tobiæ, ut ſcriberent viſionem ſibi factam, totque miraculis confirmatam: *Scribite in libro quacunque evenerunt*; ita legitur ubi habet vulgata editio: *Narrate omnia mirabilia ejus*; qua de cauſa fert multorum opinio utrumque Tobiam, Parentem ſcilicet, ac Filium Authores eſſe ejus libri, qui ipſorum nomen præſefert. Quæ cum ita ſint; ſi Deus complacet ſibi ut illuſtriora opera ſua hominibus manifeſtentur; eccur conſcientiarum Moderatoribus, Hiſtoricis per-

permittere nefas erit, ut in lucem aliquando prodeant ſplendida quædam Divinæ Beneficentiæ dona in fideliores ſuos effuſa, cum vel maxime ex eorum parta notitia tepidiores, & imbecilliores (ut ut ſit de maleſanis quibuſdam qui nimium terrena ſapiunt) excitari valeant ad bonorum omnium fontem appetendum ardentius, & prævaricantium corda ad meliorem frugem revocari ?

Sed jam ſatis ſuperque de Thereſia multa fecimus ; ad Johannem a Cruce veniamus, vindicataque Magiſtra, ac Parente, Diſcipulum, Natumque tueamur. Quid de Sanctiſſimi hujus Viri doctrina plane cœleſti ſenſerit Muratorius, perſpicere eſt ex immodeſta nimium cenſura, qua eum perſtrinxit *In Vita Pauli Segneri Junioris cap.* 14. En ejus verba -- Solebat autem (*P. Paulus*) quoties „ incideret in eos qui contemplationi vacarent, ab eorum manibus eripere cujuſdam Auctoris Libros, qui tamen tum Sanctitatis, tum myſticæ Theologiæ laude admodum celebratur ; utpote quia obſcurioris nimium ſermonis ſunt libri, quos, etiamſi attente perlegeris, nulla tibi tandem obventura erat utilitas (*non ſe ne cava un coſtrutto*) quemadmodum ſibi ipſi accidiſſe Pater Segneri fatebatur. Quod verò ab illo dictum accepimus de eo Authore, illud idem dicendum arbitramur de hujuſcemodi aliis non longe diſſimilibus, qui animas ſuper nubes nimium deducentes, prohibent ab ipſis aſſiduum Solis, terræque adſpectum -- Non eſt cur anxius quæras, Lector, nomen Authoris tum ſanctitate, tum myſticæ Theologiæ laude admodum celebris, cujus ſcripta paſſim eorum teruntur manibus, qui contemplationi dant operam. Cito dicam ; Divus eſt Johannes a Cruce ; tum quia vix ullus alius eſt præter ipſum, cui anonimi illius Authoris characteres accomodari facile poſſint ; tum etiam quia non ignoramus Muratorium non erubuiſſe tandem verbo, apud amicos, indicare Joannem a Cruce eum eſſe, quem ſcripto timuit, in vita Pauli Segneri, aperte ſugillare. Noſtra intereſt modo Sanctiſſimi Viri, quem *Eximii Doctoris* titulo quamplures non infimi ſubſellii homines condecorarunt, vindicias agere : neque verò multum laboris, temporiſque inſumendum ; adeo etenim abſona eſt Muratorii cenſura, ut confutatione non indigeat.

Ipſius Romanæ Eccleſiæ calculum appello. S. R. C. anno 1677. die 16. Januarii poſt maturam, ut aſſolet, diſcuſſionem lectiones approbavit, quæ die Feſto Divi (tunc Beati) Johannis a Cruce ab univerſo Carmelitarum Diſcalceatorum Ordine, recitarentur. In iis autem hæc habentur. *Libros CŒLESTI Sapientiâ refertos de myſtica Theologia conſcripſit, ADMIRABILES PLANE OMNIUM JUDICIO*. Benedictus XIII. *in Bulla Canoniz. §. IV.* de Sancto Viro elogium hoc pronunciavit. *Vir Deo percarus, Dæmoni formidatus, animi lenitate, conſtantia in adverſis, miraculorum, ac prophetiæ dono per totam Hiſpaniam illuſtris, inque myſtica Theologia arcanis ſcripto explicandis æquè, ac Thereſia DIVINITUS INSTRUCTUS*. Cum verò, regnante P. M. Clemente XII. novæ conditæ A fuerint lectiones Breviario Romano inſerendæ, atque in univerſo terrarum Orbe ab iis omnibus recitandæ, qui ad Canonicarum Horarum perſolvendum penſum obſtringuntur, S. R. C. anno 1738. 3. Octob. hæc approbavit : *In divinis explicandis arcanis æque, ac S. Thereſia, APOSTOLICÆ SEDIS JUDICIO, DIVINITUS INSTRUCTUS, libros de myſtica Theologia CŒLESTI SAPIENTIA REFERTOS, conſcripſit*. Addatur D. Thereſiæ authoritas, quæ, referentibus cunctis Actorum D. Johannis hiſtoricis, dicere ſolebat *Divinam Majeſtatem ingentes P. Johanni a Cruce lucis, ac CŒLESTIS SAPIENTIÆ theſauros* B *communicaſſe*. Haud omittam etiam Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Jo. Baptiſtæ Deti Sacræ Rituum Congregationis Præfecti, & De Torres, illuſtre teſtimonium, qui in Literis, quas *Remiſſoriales* vocant, ſic effati ſunt : *Libros de myſtica Theologia, qui per diverſa Regna circumferuntur, CŒLESTI ERUDITIONE FŒCUNDOS, ſublimi adeo, & admirabili ſtylo conſcripſit, ut talem ſcientiam DIVINITUS REVELATAM ESSE, NON HUMANO ACQUISITAM INGENIO EXISTIMENT OMNES, quorum lectio ad veras a falſis illuminationibus diſcernendas, animaſque in perfectionis via roborandas* C *PERUTILIS COMPROBATUR : unde doctrinæ S. Dionyſii Areopagitæ a legentibus comparata eſt*. Haud prætercam inſuper Cardinalem Ginettum anno 1655 Sacræ Rituum Congregationi obtuliſſe ſuffragium Jo. Baptiſtæ Lezanæ ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultoris, quo ſtatuebatur Johannis a Cruce doctrinam eſſe *ſublimiſſimam, ut præexcelſior vix niſi in ſacris Codicibus reperiri queat*. Quæ cum ita ſint, licebitne Muratorianam cenſuram adoptare ? Johannis a Cruce Libri *Sapientia cœleſti* referti ſunt ; fuit is Apoſtolicæ Sedis judicio, *divinitus inſtructus* ; hoc non obſtante, nihil inde emolumenti ex ejus D operum lectione percipitur ? O tempora ! o mores ! Quid expectandum ſupereſt, niſi ut impoſterum ex *terrena* ſapientia animarum profectum hauriamus, quoniam cœleſtis, Muratorio Judice nihil adjumenti præſefert ? *Admirabiles plane* ſunt Johannis a Cruce Libri, *omnium judicio* : ejus ſcientiam *divinitus revelatam eſſe, non humano acquiſitam ingenio exiſtimant omnes*. Unus eſt Muratorius cui non arrideat, cui non admirabilis, ſed deridenda apparet. O virum plane ſingularem ! Tu ne ergo unicus eris veritatis interpres, & oraculum ?

Proh quam plane oppoſitam protulere E cenſuram viri pietate, atque eruditione conſpicui ! Quam falsò protulit Muratorius nihil ex Operum D. Johannis a Cruce, lectione, utilitatis hauriri ! Philippus a SS. Trinitate *in Summa Theologia Myſtica tract. 1. diſ. 1. art. 2. pag. 178. edit. Lugdun.* hæc de ſe ipſo teſtatur -- Propria loquor experientia de libris B. Jo. a Cruce, & fateor quod plus quam duodecies integros perlegi, & ſæpius hinc inde tractatus mihi magis arridentes, quales ſunt *Noctis obſcura animæ*, ac *Viva flamma amoris* ; & aliquando (quod ad meam confuſionem de tam levi

„ profectu percepto, & ad aliorum inſtru-
„ ctionem dico) maximè dum eram in Per-
„ ſide externis liber occupationibus, ſic ſpi-
„ ritus colligebatur, quod attentus Deo nec
„ apertum librum legere, ſed tantum in-
„ tueri poteram, horis integris ſic perſeve-
„ rando; & aliàs legendo, ſæpe coactus
„ eram ſiſtere per aliquod ſpatium, donec
„ ſpiritus tali lectione collectus, rediret.
„ Hunc collectionis intimæ fructum plures
„ alii in his libris perceperunt, ut ab ipſiſmet
„ didici, quamvis non defuerint Cenſores
„ aliqui, ſed inimici Crucis, ac maximè
„ mortificationis in eis commendatæ, qui
„ eos reprobaverint -- Andreas a Matre Dei
in nuncup. tomi 4. *Theol. moral. edit. Lugd.*
1679. ſic Divum Patrem ſuum alloquitur --
„ Quid mirum quod ita ſapientes tuam ſa-
„ pientiam laudibus extollant, cum potius
„ fuerit, divinitus infuſa, quam humanis
„ viribus acquiſita? Hinc oritur illa ſecreta
„ vis, qua tui libri animos ad ſe rapiunt,
„ transmutant corda, voluntatemque ab
„ omni carnali affectu denudant, ad Deum
„ erigunt, ad cœleſtia ſublevant. Verè tua
„ doctrina cœleſtis, & divina eſt, quæ cœ-
„ leſtes, & divinos homines facit. O quan-
„ tas animas tua ſcripta lucrata ſunt! O quot
„ Religioſos Viros ad perfectionis culmen
„ ſublevarunt! --

Repones me ex domeſticis teſtimonia
producere: laudent igitur Johannem alieni.
En quid de ipſo ſenſerit Nicolaus Antonius
Eques Ord. S. Jacobi in Bibliotheca Hiſpana
Romæ edita 1672. verbo *F. Johannes de Cru-
ce* -- Scripta ejus altiſſimam cœleſtium bono-
„ rum cognitionem, ac perfectiſſimam ter-
„ renorum omnium, ſuique ipſius renuncia-
„ tionem, continent, ac præſeferunt; ea-
„ que ſpeciali quodam myſticæ Theologiæ
„ charactere notata miris modis pietatem
„ ſui Auctoris manifeſtant, aliorum promo-
„ vent -- Adde huic Johannem de Reyna,
ſeu a Regina Ordinis B. M. de Mercede, qui
ut refert Joſephus a S. M. *in Vita Divi Jo-
hannis noſtri lib.* 2. *cap.* 34. inter cetera, quæ
in Divi Johannis laudes effuſus juramento fir-
mavit, hæc protulit: *Como e experimentado
en mi tantas ganancias de ſu devocion, acon-
ſejo a almas eſpirituales que me comunican,
ſean muy devotas deſte bendito Santo, e lean
lo que eſcrivo, tenendole por Maeſtro, y pi-
diendole ſu favor, por parecerme que es uno
de los mas efficaces medios que les puedo dar
para ſu aprovechamiento, y veo que les va
bien con eſto.* Alios ex Religioſis Familiis lau-
datores legere eſt apud Hieronymum a S. Jo-
ſeph *lib.* 4. *cap.* 7. *hiſtor. D. Jo. a Cruce.*

Quid verò dicam de inſigni pietate Viro
Paulo Segneri Juniore? Quod e nonnullo-
rum manibus Opera Johannis noſtri eripue-
rit, haud negaverim: verùm, quod nullum
ex eorum lectione fructum perceperit, quod
in eadem Muratorii opinione verſatus fuerit,
quod eandem acerbam tulerit cenſuram, ad-
ducar nunquam ut credam: meque in pro-
movenda Segneri fama, æquiorem judico;
non etenim laudis eſſet, ſed dedecoris ipſi,
quod Divi Johannis a Cruce libros nihili
duxiſſet. Abſit, ut putem Patrem Segneri
longe fuiſſe ab ea ſententia, quæ animis
A ineſt tot laudatiſſimorum inclytæ Societatis
Jeſu Virorum, qui doctrinæ, & operibus
D. Johannis a Cruce impenſe vacant. Ut
multos prætercam, duos placet in medium
afferre ipſius Societatis Profeſſores. Occur-
rit primo Johannes de Vicugna Ubedenſis
Collegii Rector. Hic dum Ubedæ juridicæ
quæſtiones inſtituerentur pro D. Johannis
promovenda Apotheoſi, ſubjectum dedit fide
Religioſa, ac Sacerdotali munitum teſtimo-
nium -- Perlegi ego ſæpius ſcripta omnia
„ hujus Sancti Viri; exiſtimoque eorundem
„ doctrinam, myſticam verè eſſe Theolo-
B „ giam cœleſti ſapientiâ plenam. Clare de-
„ notant ſublimem, ac eminentem lucem,
„ qua ipſorum Author præditus erat; quam-
„ que Deo tenaciter unitus eſſet, oſtendunt.
„ Et quamvis non paucos Authores, qui de
„ myſtica Theologia ſcripſerunt, evolverim;
„ nullam nihilominus doctrinam ſolidiorem,
„ neque ſublimiorem me inveniſſe videor hac
„ quâ B. P. Jo. a Cruce ſcripſit, e cujus
„ lectione legentium animi in via ſpirituali
„ copioſum lumen experiuntur. Licet verò
„ ego hactenus parum profecerim, fateor
„ tamen me hoc experiri quoties illa lego,
„ tum etiam ardorem vehementem ſentio;
„ qui me ad Dei amorem incitat, ideoque
C „ in hunc finem ea mihi tranſcribi, curavi--
Accedat demum ex eadem Societate Jeſu
Pater Gaſpar de Fighera. Is *Summa ſpiri-
tuali*, quam edidit hiſpano idiomate, Tra-
ctatum *de ſpinis ſpiritus* adnexuit, qui
D. Johannem a Cruce, ipſo Fighera inſcio,
authorem habet. Juverit aliquid recitare ex
laudibus, quibus Fighera Tractatum hunc
cumulavit, ex italica verſione anno 1649.
jampridem facta, & denuo typis excuſſa
Venetiis anno 1747. -- La verità è che or-
„ dinariamente l'opinione dell' Autore ſuo-
„ le ingenerare in noi altri la ſtima, che
„ abbiamo delle opere ſue; ma non accade
D „ così in queſto CELESTE Trattato, il
„ quale ſopra quanti ſono uſciti alla luce in
„ queſti noſtri tempi è manco biſognoſo di
„ queſto credito dell' Autore, perchè la
„ ſimplicità dello ſtile, il peſo delle ragio-
„ ni, la maeſtà delle riſpoſte, la proprietà
„ delle parole, la diſpoſizione de' penſieri,
„ la comprenſione della materia, che trat-
„ ta, l'eminenza della dottrina, il magi-
„ ſterio con cui l'inſegna, il ſentimento
„ ſpirituale, e vivo, con cui diſcorre, la
„ piacevolezza grande del tratto, la rara
„ chiarezza con cui ſoddisfa alle domande,
„ e il fuoco che accende, in chi lo legge,
E „ la libertà con che penetra, la diſtinzione
„ con che propone, l'imperio col quale
„ sbandiſce tutti i vani timori, e finalmen-
„ te tanta aggiuſtatezza in tutto, perſuado-
„ no fortemente (atteſa la picciolezza dell'
„ umana cognizione incapace per ſe ſteſſa
„ di un parto sì fecondo) a credere; che
„ tutti queſti inſegnamenti non derivino
„ altronde che dal Cielo -- Itane ergo
deſipuit P. Segneri, vir divino ſpiritu im-
butus ſingularique prudentia præditus, ut
tam diverſa ſentiret ab iis quæ univerſa
Eccleſia, omnium piorum cœtus, clariſſi-
ma-

tuaque Societas ſua de Johanne noſtro ſenſerunt ? Apage nugas .

Sed cur e nonnullorum manibus potuerit Divi Johannis volumina ſubducere, paucis aperiendum eſt . Viguit ea tempeſtate impia Michaelis Milonoſii ſecta , quæ ſe, inique extortis Johannis noſtri ſententiis , tam ſummi viri patrocinio tutari geſtiebat . Quietiſtarum virus late ſerpebat , ac mulierculis etiam e trivio falſæ contemplationis dogma propinabatur . Meritò igitur eripere poterat e manibus nonnullorum Divi Johannis opera , eadem ſane œconomia , qua Eccleſia Sacrorum Bibliorum vernacula lingua editorum , lectionem interdicit . Nunquid, quia Eccleſia Divinæ Scripturæ libros vulgari lingua perlegere vetat , licebit aſſerere nihil ex ſacris literis ad nos emolumenti derivari (*non ſe ne cava un coſtrutto*) eaſque nos ſuper nubes nimium deducere , atque animabus prohibere aſſiduum Solis , terræque adſpectum ? His accedit carnalibus hominibus tenebras eſſe id quod revera lucidiſſimus Sol apparet iis , qui ſyncero corde ad cœleſtia anhelant . In Divi Johannis Operibus quædam ſunt ſublimia ſatis , & impervia , quæ certe nequeunt ad uniuſcujuſque captum accomodari . Num ii unitivæ, quam vocant *vitæ* , ſpirituales delicias recto ſenſu percipient , qui ne purgativam quidem viam ingreſſi ſunt ? *Vobis Fratres* , ajebat Bernardus ad Monachos ſuos ſermone 1. in Cant. *alia , quam aliis de ſeculo , aut certè aliter dicenda ſunt . Illis ſiquidem lac potum dat , & non eſcam , qui Apoſtoli formam tenet in docendo : nam ſpiritualibus ſolidiora apponenda eſſe , itidem ipſe ſuo docet exemplo* . Ipſe Johannes noſter *ad calcem præfat. in primum Librum Aſcenſus Montis Carmeli* mentem ſuam haud diſſimiliter aperuit , dicens : *Mea præcipua ſcribendi ratio non eſt , ut ad omnes indiſcriminatim dirigam ſermones meos , ſed ad nonnullos tantùm ex Fratribus , & Monialibus Ordinis primitivi de Monte Carmelo , ut eorum petitionibus morem geram : quos cum Deus providè nimis deduxerit in hunc montem ſanctum , fecerintque vere nudos , & alienos ab hoc ſeculo , facilius doctrinam nuditatis ſpiritus percepturos , ſpero* . Videatur Ricardus a S. Victore *in fine Tractatus de gradibus Charitatis* , & Doſitheus a S. Alexio *in Diſſert. in Opera S. Johan. a Cruce pag.* 403. *Veneta edit.* Poterat igitur P. Paulus Segneri , potiſſimum ſi diſcretionis ſpiritu pollebat , apprime dignoſcere eorum in quos offendebat , ſuperare captum hujuſcemodi librorum doctrinam : poterant illi occurrere viri haud inæquales iis quos allocutus eſt Gentium Apoſtolus cum ait . 1. Cor. cap. 3. v. 2. *Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi , non eſcam , nondum enim poteratis ; ſed nec nunc quidem poteſtis , adhuc enim carnales eſtis* . Verùm quid inde deduci valet ut cœleſtis Myſtici Doctoris noſtri ſapientia jure reprehendatur ?

Hæc eſſe potuit ratio , qua inductus P. Segneri , præfata volumina e nonnullorum manibus ſubducere ſatagebat . Muratorii verò , neſcio quo morbi animo , infecti, atque in Myſticos Doctores pudenda prurigine inſenſi , adducta argumenta , tantum abeſt ut aliquid laudis afferant prælaudato Patri , ut potius non leviter inſignem ejus pietatem , deprimant . Non inſuetus tamen fuit Muratorii mos Eroas ſuos dejicere , dum eos extollere ſibi oblandiebatur . In Vita Benedicti Jacobini Varallenſis Præpoſiti capite XIV. ut hujus præclariſſimi Sacerdotis orandi methodum, excellentiamque laudaret , hæc habuit . *Ejus mentalis oratio non tendebat ad altas contemplationes , abſtruſaſque Myſtica Theologia ſubtilitates : verùm in eo occupabatur , ut Evangelica axiomata meditaretur , Paſſionem Chriſti , Juſtitiam , Miſericordiam , Divinamque beneficentiam , ſingula poſtmodum ad vita ſua praxim deducens* . O mentem præjudiciis redundantem ! Olim præcipua laus erat Sanctorum Virorum ſublimi donatos fuiſſe contemplatione , myſticæque Theologiæ arcana felici conſuetudine penetraſſe : in poſterum (quis cachinnos cohibere poterit ?) ſi Muratorio fides adhibenda eſt , prorſus e diametro ipſorum excellentiam metiri fas erit , ſcilicet a contemplationis negligentia , a myſticæ Theologiæ ignorantia . Suſdeque vertantur Chriſtianæ perfectionis gradus : erupit tandem e latebris , quibus miſerandum in modum per tot Secula veritas detinebatur : novus tandem ſurrexit Doctor , qui ſemitas rectiores edoceat . Non jam amplius Sanctitatis apicem attigiſſe dicatur ille qui unitivam , quam vocant , vitam duxit ; is in infimo gradu collocetur ; atque ille unice efferatur , qui purgativæ , vel illuminativæ vitæ limitibus ſtetit . Porro , quis unquam e myſticis Scriptoribus ſtatuit minimè perpendendam eſſe Dominicam Paſſionem , Evangelii effata minimè animo revolvenda , Divinorumque attributorum meditationem excludendam ? Hæc ſane Contemplantes animæ non abjiciunt , ſed intimius intelligere contendunt , ferventiuſque amplexari ſatagunt . Ecquid aliud prædicant tot Sancti Patres , tot pientiſſimi Scriptores , qui de Myſtica Theologia egerunt , quoſque longo agmine recenſent Maximilianus Sandæus *lib.* 3. *Theolog. Myſt. Comment.* 5. , & Honoratus a S. Maria *in Opere inſcripto*: *Tradition des Peres ſur la Contemplation* , quid inquam aliud prædicant , niſi ſummam Dei dilectionem , ſummam Divinæ Majeſtatis venerationem , ſummumque creatarum rerum, noſtrique deſpectum ? *Gregorius conſtituit vitam contemplativam in Charitate Dei , in quantum ſcilicet aliquis ex Dilectione Dei inardeſcit ad ejus pulcritudinem conſpiciendam* : verba ſunt D. Th. 2. 2. *q.* 180. *art.* 1. *in corp.* , & *in reſp. ad* 2. addidit rurſus . *Ad viſionem primi principii , ſcilicet Dei , incitat amor ipſius . Unde Gregorius dicit ſuper Ezechielem , quod vita contemplativa eſt cum calcatis curis omnibus ad videndam faciem ſui Creatoris animus inardeſcit* . Sitire autem æternæ vitæ fontem inaniſne occupatio erit ? Deique amore inardeſcere ferventius , nihil ad vitæ praxim conducet ?

Sed , inquit Muratorius : D. Johannis a Cruce volumina obſcura nimium ſunt , Myſticorum eloquia non aliud ſunt , quam ab-

abſtruſæ difficultate. Eſto; verum quid inde ut eos ſugillare liceat ? Abſtruſa ſunt Geometriæ poſtulata , Mathematicorum dogmata , Aſtronomorum ſyſtemata ; mihi ne igitur licebit Euclidem , Galilæum , Neutonium &c. parvipendere , ſtatuereque nullam ex eorum ſcriptis utilitatem hauriri ? Nefas eſt librorum præſtantiam ex propriæ mentis imbecillitate metiri ; cum non ſemel id quod obſcurius apparet , præſtantius ſit , atque utilius eſſe poſſit . Id evenit in caſu noſtro : ſermo quidem obvolutus apparet ; verùm obſcuritatis ipſius , ipſa rerum ſublimitas in cauſa eſt ; eoque excellentius erit illud opus, quo aptius concluſeque magis noverit quis diſſerere ; eoque majorem frugem ille reportabit , qui ea intelligere merebitur . Contendamus non ponere in Cœlum os noſtrum , & in iis , quæ ignoramus , non blaſphemare , animum geramus modeſtiâ ſuffultum , qua ſapere ad ſobrietatem valeamus : tunc forte digni facti erimus , qui myſticæ Thologiæ arcana perſpicere poſſimus : multa enim ſunt quæ Deus a ſapientibus , & prudentibus hujus Seculi abſcondit , parvulis autem revelat . *Practica hic precedit theoricam* , ajebat D. Bonaventura in prologo Theologiæ myſticæ ; ut quid ergo nos miſeri , qui non novimus niſi noſtra quærere , nondum conati ſumus nos ipſos odiſſe , atque ab eo præcepto , quod adeo Johannes noſter urgebat , abnegandi ſerio noſmetipſos , carnemque noſtram cum vitiis , & concupiſcentiis crucifigendi , abhorremus ; ut quid , inquam , privilegium nobis arrogamus intrandi cellam vinariam , qua D. O. M. animas ſibi fideli charitate conjunctas inenarrabilibus replet bonis , ditat inæſtimabilibus divitiis ? Uno verbo , memoria non excidat ſaluberrima D. Bernardi animadverſio *ſermone 79. in Cant. in init.* -- In
„ Epitalamio hoc non verba penſanda ſunt ,
„ ſed affectus . Cur ita , niſi quod amor
„ ſanctus , quem totius hujus voluminis
„ unam conſtat eſſe materiam non verbo ſit
„ æſtimandus , aut lingua , ſed opere , &
„ veritate ? Amor ubique loquitur : & ſi
„ quis horum , quæ leguntur , cupit adipi-
„ ſci notitiam , amet . Alioquin fruſtra ad
„ audiendum , legendumque amoris carmen ,
„ qui non amat , accedet , quoniam omni-
„ no non poteſt capere ignitum eloquium
„ frigidum pectus . Quomodo enim græcè
„ loquentem non intelliget , qui græcum
„ non novit , nec latinè loquentem , qui la-
„ tinus non eſt , & ita de ceteris : ſic lingua
„ amoris ei , qui non amat , barbara erit ,
„ ſicut æs ſonans , aut cymbalum tinniens .

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

Numerus deſignat paginæ columnam; littera verò columnæ locum.

A

ABBATES.

ABBATES Regulares ad Concilia vocantur, habentque ex Privilegio jus ſuffragii. 509. A. Habent juriſdictionem exteriorem, Ibid.

ABDICATIO.

ABDICATIO rerum omnium ex virtutis amore laudabilis. 408. C. Convenit Religioſis. Ibid. Servanda ſunt neceſſaria ad ſtatum præſentaneum. 410. A. Hæc licite a Deo petere poſſumus. Ibid. C. Abdicatio temporalium alia realis, affectiva alia. 338. E. Hæc omnibus fidelibus ad ſalutem neceſſaria, ſecus illa. 339. A. D. Mire deſervit ad cœleſtium contemplationem. 346. B. In primitiva Eccleſia a fidelibus amplexata. Ibid. C. Fuit in Chriſto. 354. E. Abdicatio rerum temporalium in lege veteri. 585. B. Abdicatio rerum affectiva ſufficit ad ſtatus perfectionem, 180. A.

ABNEGATIO ſui neceſſaria ad Chriſti ſequelam. 120. A.

ABRAHÆ temporalia inſimul, & æterna fuerunt promiſſa. 675. B.

ABSTINENTIA a vino ſapientiæ deſervit, 585. A.

ABUSUS privilegii non reddit damnabile privilegium. 520. C.

ABYSSINI volunt legem veterem, paucis exceptis, nunc quoque obligare. 693. B.

ACCIDIA magno ſtudio pellenda. 148. D.

ACTIO ex ſe indifferens ex intentione connectitur cum effectu. 195. A. 197. E.

ACTUS INDIFFERENS.

ACTUS INDIFFERENS in individuo non datur. 115. C. Male dicitur hæc doctrina ab Alexandro VIII. proſcripta. Ibid. E. Explicatur Hieronymi ſententia. 116. B. Omnis actus dirigendus in finem honeſtum. Ibid. D.

ACTUS INTERNUS.

ACTUS INTERNI a Prælatis præcipi poſſunt. 439. D. Actus internus non ſufficit ad conſtituendum ſtatum coram Eccleſia. 128. C.

ACTUS RELIGIONIS non omnes in Chriſto fuere. 354. C.

ADEODATUS Pontifex Monachos S. Martini eximit ab Epiſcopali juriſdictione. 518. E.

ADJUTORIUM Dei ad opera virtutis præſto eſt. 165. B.

ADOLESCENTES in Seculo periculis expoſiti. 484. A. In Religione tutiores. Ibid. B.

ADOPTIO filialis duplex. 543. C.

ADVENA a Peregrino diſcriminatur. 540. E.

ADULTERI ſeparandi 310. D.

ÆMULATIO in Monachis, ſalva fide, & charitate. 18. E.

ÆTAS requiſita primis Eccleſiæ Seculis pro ſtatu Religioſo. 475. E.

ÆTERNUM in Scripturis varias habet temporis ſignificationes. 700. A., & ſeqq. 702. D.

ALEXANDER III. Rom. Pont. Carmelitarum Ordinem confirmavit. 708. C.

ALEXANDER IV. Rom. Pontifex anno 1256. declaravit Carmelitarum Ordinem ab Apoſtolica Sede approbatum. 707. D. Plures Eremitarum Congregationes in unam redegit, hancque S. Auguſtini nuncupavit. 711. D.

AMBITIO malorum omnium radix. 183. E.

S. AMBROSIUS aſſertor Virginitatis in lege veteri. 570. A. Refugit Epiſcopatum. 184. E.

AMICITIA mutua importat officia. 403. B.

AMMON.

AMMON cum Conjuge virgine in Monte Nitriæ ad tempus cohabitavit, dein ab illo receſſit. 316. E. Ne in Epiſcopum eligeretur ſibi aurem amputavit. 184. E.

AMORÆI.

AMORÆI volunt Monachos ſub præcepto teneri ad laborem manuum. 369. E. Pravus horum finis detegitur. 370. A. Negant Juniores ſive ætate, ſive converſione poſſe Religioſum ſtatum aſſumere. 478. A.

AMOR.

AMOR appretiativus, quo Deus diligendus eſt, explicatur. 33. E. Omnia ordinat in Deum. 34. A. Amor Dei in Patria omnem refrænat concupiſcentiam. 36. A. Importat prælationem Dei ſuper omnem creaturam. 37. E. Ad hunc tenemur ſub gravi. Ibid.

ANA-

ANACHORETÆ Eliæ imitatores. 8. C. A Cœnobitis exorti. 12. B. Anachoreticæ vitæ excellentia. Ibid.
ANDREAS Apoſtolus, Præcurſoris diſcipulus, paupertatem profitebatur. 678. D.
ANGLO-CALVINISTÆ, qui ſpirituales dicuntur, virtutis exercitium damnant. 81. E.

ANICETUS.

ANICETUS Pp. de Clericorum tonſura plura tradidit. 499. C. Ejus Epiſtola genuina. Ibid. D. Executionem tonſuræ in Clericis præcepit, 502. B. C. Quo pacto dici poteſt tonſuræ inſtitutor. Ibid. E.

ANIMA.

ANIMA, quæ Deo placere cupit, ad grandia aſpirare debet. 69. E. Anima dicitur vis appetitiva. 111. B. Secundum Deum regi debet. Ibid. Animæ immortalitas cognita in lege veteri. 675. A.

ANNANIAS.

ANNANIAS, & Sapphira paupertatis voto adſtricti. 9. E. 346. E. Ob ejuſdem violationem morte mulctati. Ibid. Mendacea dicuntur in Spiritum Sanctum ob voti paupertatis violationem. 347. D. Patres vocant eos ſacrilegos. Ibid. E.
ANTIDICOMARIANITÆ dicebant Virginem poſt Chriſti partum alios filios ex Joſeph ſuſcepiſſe. 261. C.

ANTONIUS ABBAS.

ANTONIUS ABBAS Eremiticæ vitæ illuſtrator. 12. A. Poſtpoſita ſolitudine, ad Urbem accedebat, ut Hæreticos confunderet. 512. D. Viſa Pauli ſanctitate, ſe peccatorem dicebat. 46. E.
APOLLINARII hæreſis a Monachis invictè impugnata. 512. E.
APOLLINARIS a Monachis impetitus. 532. A.
APOLLONIUS Monachus miraculis inſignis. 220. A.
APOSTATÆ apud Hæreticos confugientes de Religioſis male loquuntur. 20. C.
APOSTASIA aliquorum non debet retrahere a Religioſo ſtatu. 489. C.
APOSTOLATUS ſolummodo in lege nova, Monachatus verò in nova, & veteri. 658. B.
APOSTOLICA SEDES diſponere poteſt de Ordinibus Religioſis, ſive approbati ſint, ſive non. 713. A.
APOSTOLICI dicebant paupertatem, & cœlibatum a Chriſto præcepta. 94. A.

APOSTOLI.

APOSTOLI ſubſtantialiter Religioſi. 5. D. Paupertatem voverunt, Deo inſpirante. 395. E. Chriſto itidem declarante. 397. B. Ut Epiſcopi cogere poterant fideles ad miniſtranda ipſis neceſſaria. 399. C. Secus ut Apoſtoli. Ibid. Cur manuum labore quandoque vivebant. 413. C. Apoſtoli a Chriſto vocati indilata ipſum ſecuti ſunt. 488. A. Quidam Virgines, alii poſt ſuſceptam Chriſti ſequelam a conjugibus ſeparati. 330. A. Ex eleemoſynis vivebant. 364. C. Quandoque manibus laborabant. 380. D. Qui uxorati fuerant, emittendo ſolemnia vota a thoro ſeparati ſunt. 316. C. Doctrinam de Virginitate tradiderunt. 300. B. Inconſultis parentibus, Chriſtum ſecuti ſunt. 222. E. Aliqua reſervabant ad pauperum ſubſidium. 411. A. Maxime ſollicti erant ad bene inſtituendum in omnibus Chriſtifideles. 503. E. Quo pacto primi dicantur inter Monachos. 621. A. 625. B. Quovis tempore ad cœleſtia aſpirabant. 680. E. Declararunt legem veterem in nova non obligare. 696. E. Quædam prohibuerunt ad præcavendum peccatum. Ibid. Idolothyti prohibiti propter ſcandalum. 697. B. Apoſtolorum temporibus Monachi floruere. 8. A. 11. B.
APPETITUS inſatiabilis. 79. B.
AQUA ſæpe ſignificat tribulationes. 77. C.
ARGUMENTUM ab exemplo quomodo urgendum. 616. C. 617. B.
ARIANA hæreſis a Monachis invictè propugnata. 531. A., & ſeqq.
ARII hæreſis a S. Antonio Abbate fortiter impugnata. 512. D.
ARMENI fidei formulam ab Urbano VIII. adoptarunt. 696. C. Inanis eorundem excuſatio. 697. D.
ASCETÆ dicebantur Monachi. 3. A. 7. B.
ASCENSUS ad ſpiritualia ſupponit expurgatam concupiſcentiam. 481. A.
ASSIDÆI idem quod Eſſeni. 558. E.
ATHANASIUS auctor indubius vitæ S. Antonii Abbatis. 8. E. Nec interpolata. Ibid.

AUGUSTINIANI.

AUGUSTINIANI ex Pontificia diſpenſatione ad communem vitam non tenentur. 463. E. Auguſtiniani, & Carmelitæ præceſſerunt Ordines Prædicatorum, & Minorum. 711. E.

S. AUGUSTINUS.

AUGUSTINI ævo ex Canonicis Regularibus eligebantur, qui Eccleſias regerent. 523. E. Auguſtinus nolim Clericis non accenſebat, niſi qui in communi ſub votis vivere ſtatuiſſet. Ibid. Utriuſque ſexus Monaſteria inſtituit. 319. E. Monachorum Inſtitutor. 15. E. Num inſtituerit Clericorum Collegia. 16. A. Refugit Epiſcopatum. 184. E. Optabat, ut omnes Virgines eſſent. 330. D. Propugnat licere Monachis manuum labore victum acquirere. 363. C. Non præcipit Monachis laborem manuum. 378. E. Scribit adverſus eos, qui volunt vetitum eſſe Monachis laborare. 379. A. In Monaſtica diſciplina vivebat. 534. B. Acriter diſputavit cum S. Hieronymo circa legalium obſervantiam in lege gratiæ. 699. A.
AUCTORITAS a commendatione virtutis. 235.

235. A. Auctoritas Sanctorum Patrum veneranda. 681. B.
AULICI quidam relictis Sponſis, quas recenter duxerant, Religioſum ſtatum elegerunt. 317. C.
AUREOLA Virginitatis competit Deiparæ. 274. A.
AUSTERITATES Monachorum dulce ſapiunt. 216. E.
AXIOMA: *Nitimur in vetitum*, explicatur. 690. A. Axioma: *Votum eſt de meliori bono*, explicatur. 156. A.

B

BAPTISMUS a perfectiori Miniſtro collatus non eſt perfectior. 18. C. Non facit irrita vota, quæ ad ipſum ſubſequuntur. 149. B. Non importat rationem voti. 152. B. 158. B.
BARBA apud Orientales non tondebatur, ſecus apud Occidentales. 505. B.
BARONIUS Eſſenorum laudat Caſtitatem. 556. B.
BASILIDES dicebat dari præceptum nubendi iis, qui carnis tentatione vexantur. Hunc ſequuntur Novatores. 296. D.
BEATI licèt non habeant gloriam corporis, carent tamen habitu ſpei. 356. D.

BEATITUDO.

BEATITUDO formalis inæqualis, æqualis objectiva. 48. D. Illa eſt corona juſtitiæ. Ibid. Beatitudinis conſecutio non eſt incompoſſibilis cum ordinato divitiarum uſu. 337. C.
BEGUINI negabant Epiſcopalem ſtatum eſſe perfectum. 168. D.

BEGUARDI.

BEGUARDI, & Beguinæ in pluribus erraverunt. 43. E. Docuerunt impeccabiles fore homines in via, neque in gratia poſſe proficere. Ibid. Privilegium hoc ſolis juſtis perfectis tribuebant. 44. B. Sectatorem habuere Molinos. Ibid. D. Status, quem fingunt, pugnat cum vera Sanctitate. 47. A. Intendunt fovere vitioſam otioſitatem. 51. E. Nolunt gratiam poſſe deperdi. 74. E. Virtutis exercitium ad perfectionem nequaquam pertinere dicebant, immo eſſe hominis imperfecti. 81. C. Charitatem poſſe deperdi negabant. 489. B. Male dicunt bona in communi poſſeſſa de Evangelica paupertate minuere. 417. B. Damnati a Clemente V., & Urbano V. Ibid. Nulli hominum obediendum affirmant. 422. D.

BELLARMINUS.

BELLARMINUS Ordinem Carmelitarum ab Alexandro III. anno 1199. dicit confirmatum, & ab Honorio III. anno 1216., ſeu 1226. mitigatum, dein ab Innocentio IV. 708. C.
BENEDICTINI Monachi olim innumeras regebant Eccleſias. 524. A.
S. BENEDICTUS poſtquam inter ſpinas ſe volutavit, nullum carnis motum paſſus eſt. 52. D.
S. BONAVENTURA ſcripſit Apologiam adverſus Gyraldum de Abbatis Villa negantem Regularibus licitam eſſe mendicationem. 384. E.

BONA IN COMMUNI.

BONA in communi poſſeſſa non officiunt perfectioni, ſecus in particulari. 419. D. Quando poſſeſſio bonorum in communi timenda. Ibid., & 420. B. Mire deſervit ad perfectionem. 470. E. Bona Conventus per deputatos Miniſtros diſpenſanda. 454. D. Faciliùs negliguntur. 334. E.
BONA TEMPORALIA in veteri lege ſpiritualia novæ legis præfigurabant. 361. D.
BONA HOMINIS tria ſunt. 210. C. Deo offeruntur per vota Religioſorum. Ibid.
BONA CORPORIS ordinari debent ad animam. 331. C.
BONI ex malis hominibus non vitiantur. 19. D.
BONUM COMMUNE quando prævalet privato. 333. A.
BUCERUS nullum opus Deo gratum dicebat, niſi præceptum. 94. D.

C

CABBALA quandoque myſticum Scripturæ ſenſum ſignificat. 633. D. Auctores Moyſes, & Eſdras. Ibid.
S. CÆSARIUS refugiebat Epiſcopatum. 184. E.

CALVINUS.

CALVINUS antiquitùs Monachos extitiſſe fatetur, ſed alios a præſentibus. 2. B. Ejus calumniæ adverſus Monachos. 16. E. Negat gratiam poſſe deperdi. 74. E. Negat Conſilia. 94. E. Continentiæ hoſtis. 102. D. 244. B. Negat licere votum ob cultum Dei, bene verò ob alios fines. 136. C. Negat in Virgine Maria votum Virginitatis, ex quo uxorata fuerit. 248. A. Impie affirmat laudabiliter violari votum continentiæ. 289. E. Patientibus carnis aduſtionem aſſerit præceptum de conjugio. 292. A. Tres gradus aduſtionis explicat. Ibid. Pluribus impugnatur quoad votum paupertatis. 357. E. Ejus expoſitio de Juvene ad Chriſtum accedente, ut perfectionis ſemitam ediſceret, reprobatur. Ibid. Evangelicæ paupertatis hoſtis. 342. D. Reprobat Monachorum tonſuram. 491. D.
CALUMNIÆ adverſus Monachos. 219. B. 234. B. 235. B. Quando retundendæ. 237. D.
CANONICI Regulares jus habent ad Sacerdotium. 526. C.
CAPISUCCUS quoſdam male carpit Thomiſtas. 610. C. Perperam intellexit S. Thomam quoad ſtatum Religioſum in lege veteri. Ibid.

CARAMUEL quid ſenſerit de revelationibus. 736. A. Plura de Ven. Dominico a Jeſu Maria ſcripſit. Ibid.

CAROLSTADIUS primus ſolemni ritu nuptiali Cœlibatus votum fregit. 159. B.

CAUSÆ ſubordinatæ licèt plures eundem cauſare valent effectum. 326. D.

CARMELITANI.

CARMELITANI in terra Sancta degentes Martinum IV. deprecantur, ut Concilii Lugdunenſis Decretum male intellectum declaret. 714. C. Eadem ſuper re Petrus de Emiliano Prior Generalis ſcribit ad Eduardum I. Angliæ Regem. Ibid. D. Carmelitanos inter. & Prædicatores magna amicitiæ neceſſitudo. 721. E. Pluribus inſigniti favoribus tum a Pontificibus, tum a Principibus, tum potiſſime a Deo, ac B. V. 724. C., & ſeqq. Mitigationem Regulæ ſervant ex Apoſtolicæ Sedis facultate. 464. C.

CARMELITÆ DISCALCEATI.

CARMELITÆ DISCALCEATI obedire debent Superioribus præcipientibus Apoſtolicum munus apud Infideles. 440. E. Ex Inſtituto contemplationi vacare debent. 373. A.

CARMELITARUM ORDO.

CARMELITARUM ORDO, ejuſdemque Inſtauratores male a Muratorio traducti. 704. B. Pluribus favoribus, & privilegiis donatus eſt Ordo a Pontificibus, qui Gregorium X. præceſſerunt. 706. D. Ante Gregorium X. poterant verbum Dei prædicare, excipere confeſſiones, & hujuſmodi. Ibid. E. Ejuſdem Regula ſæpius a Rom. Pontificibus approbata. 707. A. Approbatus vel ante Innocentium III., vel ſaltem immediate poſt Lateranenſe Concilium ſub eodem Pontifice celebratum anno 1215. 709. B. C. Mire propagari cœpit per Europam Seculo XIII. Ibid. D. Antiquioris habitationis titulo Romæ in publicis ſupplicationibus Minores, & Eremitas S. Auguſtini præcedunt. 710. C. Seculo XIII. plures adverſus Carmelitanum Ordinem inſurrexerunt. 713. E. Quod eidem ſupererat, in ſubſidium terræ Sanctæ diſtribuebatur. 714. B. Dubia nonnulla circa Regulam ab Innocentio IV. dilucidata. 722. B. Male dixit Muratorius Carmelitanum Ordinem oneri potius, quam utilitati Eccleſiæ. 723. B. Ejuſdem levis argumentatio invicte refellitur. Ibid. C. Laudatur a Pio V. Ibid. E. Temporibus S. Thomæ Aquinatis florebat Ordo tum ſanctitate, tum doctrina. 724. C.

CASTITAS.

CASTITAS eſt donum Dei, ſed cadere poteſt ſub voto. 279. E. Quomodo hocce donum ſub poteſtate liberi arbitrii. 281. D. 282. C. 285. C. Quale ſit donum hujuſmodi. 283. E. Deus ſuaſor eſt caſtitatis. 284. E. Et adjutor ut obſervetur. 286. C. A Patribus commendatur. 290. D. 297. C. 329. D. Vigiliis, Orationibus cuſtodienda. 292. E. Propugnatur hac ſuper re Patrum doctrina. 303. A. Caſtitatis laudes non ſunt hyperbolicæ, ut male dicit Petrus Martyr. 329. D. Caſtitas præfertur conjugio. Ibid. Facilem ſternit viam ad Cœlum. Ibid. Virtus hujuſmodi rara eſt. 330. C. Optabile eſſet, ut omnes caſti eſſent. Ibid. D. Ob ſervandam caſtitatem fas eſt mortem ſubire. Ibid. E. Morbi, qui ob ſervatam caſtitatem ſuboriri poſſunt, in Religionibus facile evaneſcunt. 331. A. Caſtitas laudabiliter ordinatur contemplationi. Ibid. E. Votum a Chriſto commendatum. 276. E.

CASTITAS IN LEGE VETERI.

CASTITAS IN LEGE VETERI adoptata. 549. D. Servabatur perpetuò in pluribus ex voto. 551. E. 645. D. Connaturaliùs cum voto ſervatur. 552. B. Ad eam ſervandam quædam intrinſece, quædam extrinſece deſerviunt. 553. D. Ejuſdem obſervantia juxta dictamen rationis. 557. B. Ejus excellentia a ſanctioribus cognita. 567. C. Vide *Virginitas. Patres antiquæ legis*. Præfigurata in veteri lege. 570. C. Caſtitas vidualis inter Conſilia Evangelica. 572. D. A pluribus mulieribus in veteri lege adoptata. Ibid. Pluribus revelata. 579. D. Vide *Maria Virgo*. Facit Angelis æquales. 679. C.

CEREMONIÆ legis a Moyſe cœperunt. 129. E. Erant præfigurativæ. 684. E.

CEREMONIALIA.

CEREMONIALIA veteris legis ordinabantur tum ad Dei cultum, tum ad Chriſtum ſignificandum. 673. A. Involvebant iidem moralem, & anagogicum ſenſum. Ibid. Umbra futurorum Sacramentorum 694. B.

CERTITUDO alia metaphyſica, alia Theologica, alia Moralis. 601. D.

CHARITAS.

CHARITAS nos Deo unit. 82. A. Omnium virtutum forma, & perfectio eſt. Ibid. E. Virtutes reddit meritorias. 83. A. Movet virtutes ad operandum. 83. B. Perfecta charitas ſervat mandata. 84. D. Conſervatur mediis virtutibus. 86. C. Ad ipſam diſponunt. Ibid. E. Neceſſaria ut opera bona ſint meritoria. 87. B. Sine charitate nil Deo gratum. Ibid. C. Præcontinet virtutes directive, & imperative. 87. D. Semper operatur. 90. E. Minuit cupiditatem terrenorum. 91. D. Agere debet contra concupiſcentiam. Ibid. Ejuſdem dotes deſcribuntur. 113. A. Non ſemper meliora præcipit, ſed conſulit. Ibid. C. Ex charitatis lege plus debemus fratris animam diligere, quam corpus noſtrum. 124. D. Neceſſitas proveniens ex fervore charitatis auget meritum. 146. C. Vincula

cula ſertea facit aurea. 147. A. Opus præceptum magis connectitur cum charitate, quam opus Conſilii. 147. D. Tota perfectio in charitate conſiſtit. 169. D. Charitas tribus perficitur jejunio, oratione, & eleemoſyna. 218. B. Hæc omnem continent perfectionem. Ibid. Non eſt contra charitatem relinquere parentes, ut quia Religionem ingrediatur. 221. C. Charitas fortior naturali amicitia. 402. B. Charitas noſtris actibus effective non acquiritur. 49. C. Peccatum veniale non opponitur charitati, ſed fervori. Ibid. Non illam minuit. Ibid. Augetur a bonis operibus. Ibid. D. Diſcrimen inter charitatem viæ, & Patriæ. 50. B. Charitas viæ quomodo major eſſe poſſit charitate Patriæ. Ibid. C. In charitate ſita eſt Chriſtiana perfectio. 45. A. 75. B. Poteſt deperdi. Ibid. In pluribus refrigeſcit. 76. A. Unitor fidei. Ibid. D. Non poteſt tolli per aliquid exterius niſi accedente conſenſu. 77. C. Eſt forma, & radix omnium virtutum. Ibid. Recipitur in ſubjecto vertibili. 77. E. 78. C. Eadem charitas viæ, & Patriæ. 78. D. Per opera conſilii comprobatur charitas. 109. E. Qui habet charitatem ſervat mandata. 111. C. Charitas Patriæ appetenda. Ibid. D. Charitas omnes involvit virtutes. 112. E. Charitas denominat ſtatus Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. 167. A. Gradus charitatis diverſi. Ibid. E. Charitas animam Deo unit. 25. B. Eſt finis præcepti. Ibid. Vitam facit Chriſtianam. Ibid. D. Ad ipſam præcepta ordinantur. Ibid. C. Facit Chriſti Diſcipulum. 27. C. Facilem reddit legem Chriſti. 28. C. Charitas Patriæ omnem refrænat concupiſcentiam, 36. A. Charitas major majorem infert perfectionem. 39. D. Charitas finis præcepti. Ibid. E. Deſiderium majoris gratiæ teſtimonium charitatis præexiſtentis. 47. C. Charitas viæ poteſt augeri. 47. D. Appropinquat Deo. Ibid. Charitas proximi minus perfecta charitate Dei. 177. C. Quandoque perfectior. Ibid. Charitas latitudinem habet. 358. C. Perfectionis ſumma. 359. A. Ad eam acquirendam Evangelica paupertas deſervit. Ibid. Eſt forma virtutum. Ibid. E. Radix meriti. 360. A Poſſe deperdi negabant Beguardi. 489. B. Charitas eadem nunc, ac in lege veteri. 547. D.

CHERINTUS volebat legem veterem nunc quoque obligare. 693. B.

CHRISTUS.

CHRISTUS non omnia, quæ fecit, erant debita ex præcepto. 123. A. Erant juxta beneplacitum Patris. Ibid. Plurima egit ex conſilio. Ibid. B. Dilexit nos gratuite, efficaciter, & recte. 124. C. Nullum votum emiſit. 131. D. Chriſtum imitari perfectio eſt. 211. B. Chriſtus Religioſos facto inſtituit. 211. D. Eremiticum vivendi genus approbavit. 214. A. Chriſtus docuit parentes deſerere, ut ipſi ſerviamus. 222. B. Ad pœnitentiam ſuo exemplo invitat. 223. E. Chriſtus laudabilem Eremiticam vitam comprobavit. 228. C. Ex eleemoſynis vivebat. 364. C. Exemplum dedit vivendi ex fidelium eleemoſynis. Ibid. D. Chriſtus ſequendus non propter temporalia, ſed propter ſpiritualia. 366. C. Non reprobat corporalem laborem. Ibid. E. Servos ſuos paſcit, urgente neceſſitate, ſicut aves cœli, & lilia agri. 367. C. E. Non tamen vult homines otioſos. Ibid. Præfert contemplationem mechanico labori. 372. D. Vivebat ex mendicatione. 387. C. Nihil proprium habebat nec in communi. Ibid. D. Erat non ſolùm pauper, ſed mendicus. 388. A. Nullum proprium habebat domicilium. 387. D. 389. C. Chriſtus Inſtitutor Monachatus. 4. D. 6. B. Chriſtus nos liberavit a Maledicto. 29. A. Venit in ſalutem Populorum. Ibid. C. Odio habet peccatum. Ibid. E. Chriſtus cur noſter Advocatus. 76. C. Chriſti doctrina ad omnes extenditur. 100. E. Quomodo præcipit vendere, quæ poſſidentur. 104. B. Chriſtus cur percutienti alteram non præbuit maxillam. 117. C. Chriſtus mediator noſter. 43. B. Eo ſemper indigemus. Ibid. Chriſtus divitiarum poſſeſſionem approbavit. 336. B. 338. C. Uſum inordinatum damnat. Ibid Paupertatem præelegit. 342. E. In ipſo fuit præexcellens. 343 B. Pecunia, quam reſervabat Judas, ad pauperum levamen ſervabatur. Ibid. Chriſtus proprium non habebat hoſpitium. Ibid. D. Maxime pauper ad noſtrum exemplum. 344. A. B. 357. A. Evangelicam paupertatem plurimum commendavit. 344. D. Nullum emiſit votum. 351. D. Non habebat nec virtutem Pœnitentiæ, nec ſpem, nec fidem. 352. A. Ejus voluntas in bono firmata. Ibid. D. Capax erat præcepti, non voti. Ibid. E. Poterat ſe alteri homini per promiſſionem obligare, ſecus Deo. 353. B. In Chriſto fuerunt actus Religionis, qui connaturali ejuſdem ſtatui non adverſantur. 354. C. Fuerunt actus obedientiæ, ſicut quidam actus virtutum moralium. Ibid. C. Chriſtus ſeipſum Deo Patri obtulit in holocauſtum. 355. A. In ipſo non fuit fides. Ibid. B. Quandoque in Scripturis Chriſtus loquitur in propria, quandoque in perſona aliena. Ibid. C. In Chriſti intellectu multiplicantur virtutes, ſecus in voluntate. 356. B. Non poterat ejus voluntas firmari in bono per votum. 356. E. Chriſtus ſuator Evangelicæ paupertatis. 357. E. Chriſtus voluntarie pauper. 391. D. Servitutis ſtatum, qui mendicitate durior eſt, elegit. 392. B. Abdicavit a ſe jus dominii, Judicis &c. Ibid. Chriſti paupertas non ſemper fuit eadem. 394. E. 395. E. Perfecta paſſionis tempore. 395. B. Chriſtus ut caput communitatis Religioſæ caruit rerum dominio, ſed illud habebat ut Eccleſiæ caput. 396. A. Chriſtus paupertatem Apoſtolis conſuluit. Ibid. E. 397. A. Docuit omnibus pauperibus elargiendam eleemoſynam. 410. E. Habebat reſervatam pecuniam ad ſublevao-

levandos pauperes. 418. A. Chriſtus referebat perſonam perfectorum, & minus perfectorum. ibid. B. 419. B. Perfectum obedientiæ exemplar. 424. E. Non omnes Chriſti actiones fuere præceptæ. 425. B. Chriſtus ſuaſor eſt ad obediendum. Ibid. C. Ejus Sectatores ad id obligantur. Ibid. E. Chriſti doctrina pro quovis tempore. 432. C. Chriſtus parvulos ad ſe venire volebat. 473. B. Innuit Juvenes admittendos ad Religionem. Ibid. Chriſtus antiquorum Patrum caput. 547. B. E. Eſt initium, & fundamentum Eccleſiæ utriuſque Teſtamenti. 577. B. Primogenitus omnis creaturæ in genere cauſæ exemplaris. Ibid. C. Naſciturus ex Virgine fuit in veteri lege præfiguratus. 579. A. B. Poſt paſſionem conſummatum Virginitatis exemplar. 580. A. Auctor Eccleſiæ veteris Teſtamenti, ſicut etiam ſtatus Religioſi ejuſdem. 619. A. B. Chriſtus Virginitatem laudat verbis equivalentibus. 651. E Chriſtus Sponſus Virginum. 310. E. Chriſtus nuſquam Eſſenos reprehendit. 560. D. Chriſtus ad Virginitatem ſuaviter alliciebat. 679. E. Ejus nativitas cur ſub initio publice non enunciata. 680. B. Chriſtus legis veteris obſervantiam mandavit. 683. A. Finis ejuſdem. Ibid. C. Fuit præfiguratus in Sacrificiis legis. Ibid. D. Chriſti gratia. Vide *Gratia Chriſti*.

CHRISTIANI.

CHRISTIANI primis rei Chriſtianæ Seculis facile ab Ethnicis dignoſci poterant. 500. A. Debent quandoque opera conſilii exercere. 126. E. Quando. Ibid.

CHRISTIANUS Canonicus Bellovacenſis negabat licitam eſſe Regularibus mendicationem. 384. C.

CHRYSOSTOMUS haud negat Monachos temporibus Pauli. 11. C. Inter lacrymas conſecratus. 185. A. Monaſtici ſtatus commendator. 524. D. 534. D Aſſertor Virginitatis in veteri lege. 570. A. Monachos aptos agnoſcebat ad aliorum regimen. Ibid.

CIBORUM DELECTUS quando perfectioni officiat. 180. C.

CIRCUMCISIO figura Baptiſmi, ſed inſimul verum Sacramentum veteris legis. 668.E.

CLEMENS IV. pluribus favet Carmelitis. 724. E.

CLERICI Monachis poſteriores. 85. D. Conſiderari poſſunt ſecundùm ſtatum, ordinem, & officium; quoad ſtatum ſunt Seculares, quoad ordinem ſunt Sacerdotes, vel Diaconi, quoad officium curam habent animarum. 199. E. Clerici ad clauſtra deputati, ut pœnitentiam agant, & inſimul perfectionem diſcant. 248. A. Nimis extolluntur a Marco Antonio de Dominis. Ibid. C. Comam nutrientes reprobantur. 502. A. B. Clerici alii Seculares, Regulares alii. 510. A. Clerici ſic dicti, quia de ſorte Domini ſunt. Ibid. Non ſufficientes ad inſerviendum fidelibus Regulares adjutores habuerunt. 513. A. Arduviora Regularibus demandarunt. Ibid. B. Ex officio Eccleſiaſticis incumbere debent, Monachi, ſeu Regulares ex deputatione. 513. D. Succeſſores Diſcipulorum Chriſti, ſed non ipſi ſoli. Ibid. E. Clericorum faſtus reprehenſibilis. 515. A. Sua privilegia valida credunt, ſecus illa Regularium. 521. E. Clerici ex Monachis aſſumpti. 534. A.

CŒLIBATUS aliquibus convenit tum juxta naturæ leges, tum juxta ordinem elevationis. 324. A. C.

CŒNOBITÆ Apoſtolorum imitatores. 8. C. Quinam dicantur. 450. D. Vota emittebant apud Superiorem. 663. B.

COMA non eſt nutrienda. 492. C. In veteri lege myſticam habebat ſignificationem. Ibid. E.

COMMINATIONES in veteri, ac nova lege diverſæ. 546. C.

CONCILIA vitam communem Regularibus præcipiunt. 458. A.

CONCILIUM Epheſinum ab Hæreticorum fraudibus per Monachos propugnatum. 532. A.

CONCUPISCENTIA.

CONCUPISCENTIA cur dicatur peccatum. 33. B. Dupliciter rationi ſubditur, perfecte, & excludit venialia, non conſentiendo in id quod eſt ſimpliciter malum, & ſolum excludit mortalia. 35. E. Primò modo non refrænatur concupiſcentia niſi in Patria. 36. A. Carnalis concupiſcentia perinde dicitur de mortali, ac de veniali peccato. Ibid. B. Eſt origo cujuſcunque illicitæ ſuggeſtionis. Ibid. Motus concupiſcentiæ quinam prohibiti. 40. B. Quando in regeneratis eſt peccatum. Ibid. Vexat hominem volentem bene agere. 41. D. Paulus optat a concupiſcentia liberari. Ibid. In via ſemper remanet. Ibid. Non datur in via gratia perfecte extinguens, aut ligans concupiſcentiæ fomitem. 58. E. Ob concupiſcentiam venialiter peccant juſti. 61. B. Non ſanatur a gratia. 73. A. Concupiſcentia expurganda, ut ad ſpiritualia fiat aſcenſus. 481. A.

CONFORMITAS divinæ voluntati non habetur quieſcendo, ſed agendo. 92. A., & ſeqq. Exemplo res dilucidatur. Ibid.

CONGREGATIONES hominum ſimul viventium, cum libera facultate ab his recedendi non conſtituunt ſimpliciter ſtatum perfectionis. 128. D.

CONJUGES.

CONJUGES poſſunt Deo tradere jus utendi maritaliter perſonis. 325. C. Si in Religione profiteantur, non ſe totaliter Deo donant. 326. B.

CONJUGIUM ſpirituale Chriſti cum tota Eccleſia indiſſolubile, ſecus cum anima. 80. C.

CONSECRATIO VIRGINUM.

CONSECRATIO VIRGINUM alia major, minor alia dicebatur. 320. C. Vide *Velum*.

Vim

Virgines. Prima conſecratio habebatur per votum ſolemne, altera per votum ſimplex. Ibid. Apoſtolorum temporibus coæva. Ibid. Conſecratio per monaſticam ſolemnem profeſſionem explicatur. 327. E. Eadem non habetur per votum ſimplex. 328. C.

CONSENSUS.

CONSENSUS in matrimoniali contractu triplex. 264. D. Explicatur. Ibid. Conſenſus in uſum thori non eſt neceſſarius ad matrimonium. Ibid. E. Ad hoc ſufficit conſenſus in ipſum contractum, ſine expreſſa reflexione obligationis conjugalis. Ibid.

CONSILIA.

CONSILIA dari evincitur contra hoſtes Monachatus. 94. A. Qui nam hi fuerint. Ibid. Conſilia Evangelica, nempe Obedientia, Caſtitas, & Paupertas a Novatoribus acriter impugnata. 242. C. Conſilia in veteri lege non clare intellecta. 361. D. Conſilia quomodo dicantur propria novæ legis. 589. E. 626. A. D. Conſilia in veteri lege præcognita. 607. A. Conſilia poſitive, & directe non fuerunt in veteri lege propoſita, ſed exemplariter per fidem. 627. A. Quomodo tunc cognita. 633. A. 672. D. Tunc temporis obſervata licet modo imperfecto. 635. B. Vide *Lex vetus*. Cognita a pluribus interna illuſtratione. 638. E. Obſervantia Conſiliorum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ conſtituit eſſentiam ſtatus Religioſi. 641. A. Hæc fuit in veteri lege. Ibid. Deſerviunt ut media ad obſervantiam mandatorum. Ibid. D. Etiam ſine voto ſervari poſſunt. 676. D. Tunc non conſtituunt ſtatum Religioſum. Ibid.

CONSILIA hominum non exquirenda, ubi veritas patet. 488. E.

CONSILIUM.

CONSILIUM quid eſt, quomodo a præcepto diſtinguatur. 95. C. Datur in lege gratiæ. 96. C. Dabatur etiam in lege veteri. Ibid. Omnium abrenunciatio ad conſilium ſpectat. 99. A. Vetus conſiliorum doctrina. 108. C. Conſilium ad omne perfectionis opus extenditur. 114. B. Opus conſilii ſine culpa prætermitti poteſt. 117. A. Omiſſio illius non eſt peccaminoſa. 118. B. Opus conſilii quomodo cadat ſub præcepto. Ibid. C. Quando per accidens præcipitur. Ibid. E. Conſilia quo pacto ſunt partes legis gratiæ. 125. A. A Chriſto commendata, atque adimpleta. Ibid. Dantur perfectis. Ibid. Conſilii opera quandoque exercenda. 126. E. Conſiliorum exercitium aufert impedimenta perfectionis. 127. C. Quandoque opus conſilii poteſt præcipi. 128. B. Conſilium Dei immutabile. 353. E. Libertatis jura non violat. 489. B. Conſiliorum obſervantia removet impedimenta perfectionis. 25. E. Deſervit ad facilius adimplenda mandata. 481. C. 486. B. 487. B. Deſervit ad perfectiùs conſervandam ſpiritualem vitam. 486. C.

CONSTANTINUS Magnus preces S. Antonii poſtulavit. 230. C.

CONSUETUDO.

CONSUETUDO adverſus vitam communem non excuſat Regulares ab illius obſervantia, quando introduci velit a Prælatis. 467. D. Non tollit, aut minuit vim voti. 199. B. Contra legem, quando excuſat ab ejuſdem obligatione. 462. D.

CONTEMPLATIO.

CONTEMPLATIO non facit hominem impeccabilem. 44. C. Hunc errorem propugnavit Michael Molinos. Ibid. Vide *Molinos*. Status hujuſmodi pugnat cum vera ſanctitate. 47. A. Contemplatio ſeparationem a Secularibus curis prærequirit. 372. E. Qui vacat contemplationi ad laborandum non tenentur. 373. A. Præſupponit purgationem paſſionum. 480. E. Per laborem acquiritur. 482. D. Contemplatio divinæ veritatis tripliciter contingit. 673. E.

CONTEMPLATIVI idem, ac Monachi. 2. E.

CONTINENTIA.

CONTINENTIA ſub conſilio. 101. A. Eſt Dei donum. Ibid. B. Medium aptum ad æternam conſequendam felicitatem. Ibid. D. Opus valde bonum. 102. A. Petentibus datur a Deo. Ibid. E. Ejus laudes. 103. C. Ad eam Chriſtus hortatur. 104. A. Mire deſervit ad Divina. 225. D. Continentiæ votum laudabile, Deoque acceptum. 244. D.

CONTRARIA ſunt circa idem, explicatur. 49. E.

CONVENTUS ubi educantur Novitii, exemplares habeat Religioſos ex Decreto Clementis VIII. 456. B.

COR RECTUM non habetur ſine virtutibus. 86. C. E.

CORPUS in aere libratum naturaliter eſſe nequit. 732. B.

CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI. Gen. 1. Verba hæc vel non important præceptum. 563. D. vel ſingulos non afficit. 564. D. Auguſtinus vult importare benedictionem fœcunditatis. 563. D. Innuunt etiam ſpiritualem multiplicationem. 564. D. 566. A. Seu etiam præceptum pro aliqua temporis ratione. 564. E.

CRIMEN, & peccatum, in quo diſtinguantur. 56. D. 57. B. Crimen paucorum male omnibus impingitur. 521. A.

CRITICI raro modeſti. 725. B. Eorundem judicium caute adoptandum. Ibid.

CULTUS DEI.

CULTUS DEI velut per gradus ab imperfecto ad perfectius proceſſit. 642. C. Cultus quidam Dei idem tum in veteri, tum

in

in nova lege fuit. 625. C. Cultus interior triplex. 694 C.
CUPIDITAS rerum reprobata. 375. D.

CURATUS.

CURATUS non eſt in ſtato perfectionis. 199. E. Non importat perpetuam, ſolemnemque conſecrationem. 200. C. Non eſt perpetuò obligatus ad perfectionis opera. Ibid. Conſecratio Parochi diſtinguitur ab Epiſcopali. Ibid. E. Abſque crimine poteſt officium dimittere. 202. B. Poteſt tranſire ad ſtatum Monachalem tanquam ad perfectiorem. Ibid. C. Debet in hoc conſulere Epiſcopum. 203. B. Curati delinquentes in Monaſterium detruduntur ad agendam pœnitentiam. Ibid. E. Quoad curam animarum æquiparantur Epiſcopis, ſecus quoad perfectionem. 205. E. Non tenentur omnibus abrenunciare. 206. A. Eorum ſtatus non tam ſecurus, quam Religioſorum ſtatus. 207. A. Eſt periculoſior. Ibid. B.
CURATI, ſicut & Monachi de Eccleſiaſtica Hierarchia. 508. A.

D

DÆMON quandoque inſtrumentum ad homines perficiendos. 489. A.
DALMATIUS Monachus poſt 48. ſolitudinis exiit e Monaſterio, ut pro catholica fide adverſus Neſtorium pugnaret. 512. D.
DAMNUM ex Typographica arte. 703. B.
DARE perfectius, quam accipere abſolute, non tamen omni modo. 412. A.

DEBITUM.

DEBITUM aliud juſtitiæ, & ſtrictè juris, morale aliud. 399. B. Aliud voluntarium, aliud ſtrictæ obedientiæ. 125. C. Debitum gratitudinis plura expoſcit. Ibid. C. Debitum uno titulo poteſt alio titolo obligari. 150. E.
DECRETUM Apoſtolicæ Sedis ſilentium indicens circa quæſtionem de ſucceſſione Monachatus a veteri in novam legem. 682. C.
DEFENSIO ſui ipſius quandoque illicita eſſe poteſt. 197. A.
DELITIÆ, ſi abſque deſiderio percipiantur, perfectioni non officiunt. 180. C.
DENARIUS apud Matthæum ſignificat objectivam beatitudinem. 48. D.
DESIDERIUM majoris gratiæ teſtimonium præexiſtentis charitatis. 47. C.
DESPONSATIO Virginis ſapienter a Deo ordinata. 581. D.

DEUS.

DEUS ſincera voluntate vult omnes ſalvare. 30. C. Juſte reprobat peccatores. 31. A. Diligendus eſt amore appretiativo, ideſt ſuper omnia. 33. E. Affective, & effective omnibus præferendus. 34. C. Prohibet non ſolùm externum opus malum, ſed etiam internum affectum ad malum, 40. D. Non deſerit, niſi deſeratur. 49. D. Quo pacto dicitur omnia feciſſe in numero, pondere, & menſura. 51. D. Amat animas ad grandia aſpirantes. 69. E. Finis ultimus hominis. 82. A. Deo omnia ſubdi debent. 111. A. Quomodo diligatur ex toto corde, ex tota mente &c. 110. C. Deus non omnia præcepit. 108. A. Omnia ſuaviter, & efficaciter diſpoſuit. 109. A. Nulla re noſtra indiget. 131. E. Superſtitioſos ritus miraculis non comprobat. 220. B. Suaſor eſt caſtitatis. 284. E. Non eſt tentandus ad miracula. 368. A. Dei opera quandoque ex humana infirmitate, vel malitia diſſolvuntur. 489. A. Deus ſacrarum Religionum inſtitutor. 529. D. Ad ipſum ſpectat, ut plures eam vivendi rationem aſſumant. Ibid. Per viſiones, & revelationes amicus alloquitur, eiſque myſteria revelat. 726. E. Quomodo ceſſavit ab opere, & inſimul uſque modo operatur. 686. B. Judæis locutus eſt. Ibid. E.

DIABOLUS.

DIABOLUS non agnovit dilucide Chriſtum fore Dei filium. 254. E. A Deo fuit impeditus ne dignoſceret Virginis partum eſſe a Deo. 255. A. Hoc quodammodo connaturaliter factum dicitur. Ibid. E.
DIES in Scriptura ſæpe ſignificat ſtatum Beatificum. 51. B.
DIFFICULTAS in ſpiritualibus alia ex operis magnitudine, alia ex imperfectione ſubjecti. 485. B. In voti executione duplex. 166. A. Quando liberat a voto. Ibid.

DILECTIO DEI.

DILECTIO DEI conjunctam habet præceptorum adimpletionem. 34. D. In idem redit diligere Deum ex toto corde, ac ejus mandata ſervare, ſeu mortalia vitare. 34. D. Dilectio inchoata explicatur. 35. C. 110. E. Quæ ſufficiens ad adimplendum præceptum dilectionis Dei ex toto corde &c. Ibid. Dilectio Dei in Patria omnem refrænat concupiſcentiam, ſecus in via. 36. A. Dilectionis intenſio quomodo cadat ſub præcepto. 36. D. Ad eam non obligamur in via. Ibid. Gradus dilectionis infimus quinam ſit. 36. E. 37. E. Eo adimpletur præceptum diligendi Deum ex toto corde. 36. E. Gradus perfectæ dilectionis nequit attingi in via. 37. A. Quomodo eſt præceptus. 38. A. C. Dilectio Dei, & proximi omnium præceptorum finis. 486. A. Vide *Charitas*. Dilectio Dei inchoata dat eſſe ſpirituale, perfecta finis eſt ſpiritualis vitæ. 486. C.

DILECTIO PROXIMI.

DILECTIO PROXIMI infert mandatorum adimpletionem. 27. D. Immo ip ipſa eſt adimpletio legis. Ibid. Quomodo juſtificet. Ibid. E. Dilectio Dei appretiativa, ideſt ſuper omnia. 33. E. Hæc præcipitur in via. Ibid. Dilectio ex toto corde
dicit

dicit prælationem affectivam, & effectivam Dei ſuper omnem Creaturam. 34. C. 37. E. Dilectio proximi debet eſſe gratuita, efficax, & ordinata, 124. C. Diligenda eſt magis fratris anima, quam proprium corpus. Ibid. D. Dilectio, quæ ad æternam ducit felicitatem, Judæis promiſſa. 540. B.
DIONYSII AREOPAGITÆ opera genuina. 7. E. De Monachis ſermonem habet. Ibid.

DIRECTOR.

DIRECTOR, cui præſtanda eſt obedientia, qualis eſſe debet. 444. E. Sedulo debet ſpiritum ſpiritualis filii exquirere. 445. B.
DISCIPLINA ECCLESIASTICA abſque notabili mutationem patitur. 516. B. 654. D.
DISCIPULI CHRISTI proprium non habebant hoſpitium. 389. C. D. Pauperes erant. 390. A.
DISCIPULATUS CHRISTI duplex, unus communis, peculiaris alter. 338. D. Ille omnibus eſt neceſſarius, ſecus iſte. Ibid. E.
DISCRETIO ſpirituum donum Dei. 725. E.

DISPENSATIO.

DISPENSATIO ſine cauſa in Regulari obſervantia nulla eſt. 435. A. B. Per frequentes diſpenſationes Regularis diſciplina evertitur. Ibid. E. Damnabilis. 519. C.

DIVISIO RERUM.

DIVISIO RERUM naturæ congruit. 334. D. Primò facta inter Abelem, & Cainum. 335. B. Facta eſt inter Tribus Iſrael ex mandato Dei. Ibid. D.

DIVITES.

DIVITES cum difficultate ſalvantur. 337. D. Plures Sanctorum albo adſcriptos. 341. B. Eleemoſynas largiantur. 360. C. Non tenentur omnia pauperibus diſtribuere. Ibid. Eſt tamen laudabile. Ibid. D. Licite vovere poſſunt paupertatem. 362. B. Tenentur pauperibus ſubvenire. 404. E. 605. E.

DIVITIÆ.

DIVITIÆ abdicandæ ab Epiſcopis potiſſimùm affective. 179. D. Inſtrumentum iniquitatis. 100. B. Expendendæ ſive in obſequium Dei, ſive in pauperum ſolatium. 278. A. Si inordinato affectu proſequantur, ſaluti animarum adverſantur. 335. E. 336. E. 337. C. Sunt impedimenta ad acquirendam perfectionem. Ibid. D. 348. E. Sunt cujuſcunque criminis inſtrumenta. 337. E. 340. E. 341. C. Congregari poſſunt vel ex avaritia, vel ex providentiæ affectu, illud execratur, hoc laudatur. 339. E. Non reprobantur, ſi cœleſtibus ſubordinentur. 340. C. Componuntur cum ſtatu ſalutis. Ibid. E. 361. A. Ordinatus earundem uſus difficilis. 348. E. Convertunt animum ad temporalia. Ibid. Alliciunt ad terrena. Ibid. Non ſunt proxima occaſio avaritiæ. 358. D. Divitiæ non ſunt præferendæ paupertati, ut contendebat Jovinianus. 384. B. Deteriores paupertate. Ibid. 407. D. Tria potiſſimum habent, quæ perfectioni adverſantur, ſi in particulari, ſecus ſi in communi poſſideantur. 417. D. E. Divitiæ male congregatæ facile deperduntur. 479. B. Retrahunt a ſtudio ſapientiæ. 585. A.
DOCTOR a Paſtore diſcretus. 511. A.
DOMINIUM rerum apud aliquem eſſe debet. 395. E.

DONATI.

DONATI FRATRES in noſtra Religione votum emittunt non aſcendendi ad altiorem gradum, nec quærendi mutationem habitus. 192. C. Explicatur hoc votum. Ibid. Quid velit Religio per tale votum. 193. B. Obligat ad mentem Religionis. Ibid. D.
DONO DEI quando utendum eſt. 126. B. Donum Dei aliud gratum faciens, aliud gratis datum. 136. A. Donum Dei in triplici differentia. 283. E.
DULCINUS Princeps hæreſis Beguardorum. 43. E. Paupertatis Evangelicæ hoſtis. 334. B.

E

EBION volebat legem veterem nunc quoque obligare. 693. B.
EBIONITÆ impie dicebant B. V. conveniſſe cum S. Joſeph. 258. D.

ECCLESIA.

ECCLESIA quomodo immaculata. 32. E. Comparatur corpori naturali. 108. D. Diverſos ſtatus habere debet. 123. E. Cuique ſalutis media accomodat. Ibid. Non eadem omnibus præcipit. Ibid. Nullum modo approbat Religioſum inſtitutum, niſi explicite tria vota emittantur. 243. A. Neminem cogit ad cœlibatum. 306. D. Poteſtatem habet ſolemnia vota acceptandi, unde matrimonium ratum diſſolvitur. 316. D. Humanæ Reipublicæ aſſimilatur. 372. A. Nullum Monaſticum Ordinem approbavit ſine obbligatione vitæ communis. 467. A. Injungit arduiora peccatoribus. 485. C. Eccleſia Bethlehemitica S. Hieronymi diſcreta a Parochia. 523. A. In ea ſacra operabatur Paulinianus a S. Epiphanio ad hoc inauguratus. Ibid. Eccleſia in iis quæ ſpectant ad diſciplinam laudabiliter mutationem ſubire poteſt. 524. B. Quomodo vetus differat a nova. 666. A. Eccleſiæ feliciter a Monachis gubernatæ. 535. B. 536. A. Eccleſia Catholica a Monachis propugnata. 531. A., & ſeqq. Approbavit ſententiam aſſerentium in veteri lege fuiſſe virginitatis cultores. 569. E. Eccleſia veteris legis a Christo Auctore. 619. A. Non erat

reduc-

reduplicative Evangelica . 622. E. Eccleſiæ diſciplina quoad ſuſceptionem Monaſtici ſtatus primis rei Chriſtianæ Seculis . 476. A., & 477. B. Aliter nunc diſpoſuit . Ibid. E. Eccleſiæ doctrina de Virginitate certa . 299. E. Eccleſiæ exemptæ magis Apoſtolicæ Sedi deſerviunt. 517. B. Eccleſiæ antiquitus in quatuor claſſes diſtinctæ . 523. B. Singulæ ſuos habebant Presbyteros . Ibid.

ECCLESIÆ PICTAVIENSIS Capitulum exemptum ab Epiſcopo . 521. E.

ECCLESIÆ PARISIENSIS Capitulum . Vide *Pariſienſe Capitulum* .

ELEEMOSYNA.

ELEEMOSYNA facta Chriſti ſervis ſpiritualia bona producit . 400. E. Laudatur a Scriptura. 401. E. 402. C. In largienda eleemoſyna non attenditur perſonæ meritum . Ibid. B. Omnibus pauperibus elargienda . 410. D. In largienda eleemoſyna non perſona recipientis , ſed paupertas ſpectanda eſt . 414. E. Peccatori non eſt deneganda . 415. B. Monachis non eſt deneganda . Ibid. C. Eleemoſyna a prudentia regulari debet . 360. C. Eleemoſynæ ſacrificium Deo gratum . 137. B.

ELIAS.

ELIAS Monachorum Princeps . 7. C. Elias , & Moyſes ob caſtitatis excellentiam teſtes Transfigurationis Chriſti . 550. E. Caſtitatem ſervabat ex voto . 551. C. D. Elias præcipuus inter Prophetas . 590. D. Primus paupertatem ex voto adoptavit . Ibid. E. 592. D. Veritum eſt aſſerere Eliam ex Dei mandato Religionem fundaſſe in veteri lege. 600. C. Secus ex Dei inſtinctu . Ibid. Elias voluntarie pauper . 585. C. Caput omnium Prophetarum . 586. E. Elias vere Monachus . 614. A. Eliæ tempore publice viſi ſunt Religioſi . 642. B. Quo tempore in Carmelo cœpit morari . 642. E. Dicitur a Patribus exemplar Religioſæ vitæ . 644. A. Vere Monachus . 648. E. Votis Deo ſacratus. 649. A. Subdebatur Summo Pontifici . 656. D. Par Angelis ob Virginitatem . 679. C.

ELISEUS.

ELISEUS perfectam adoptavit paupertatem ſecuturus Eliam . 589. A. Et quidem ex voto . Ibid. B. Imitatus in paupertate Eliam . 590. E. 585. E. Eam profitebatur . 593. E. 643. B. Præluſit in obedientiæ voto Apoſtolis . 598. A. Cum iiſdem comparatur . 598. D. Immobiliter Eliam ſecutus eſt . Ibid. E. Eliæ raptum flevit . 599. B. Religioſæ diſciplinæ Præpoſitus . 600. A. Eliæ ſubſtitutus . Ibid. B. Eliſeus ex D. Thoma vere Religioſus . 615. C. Eliæ ſubditus . 617. D. Poſt Eliam in Carmelo Religioſæ vitæ Magiſter . 643. C. Subdebatur Summo Pontifici . 655. D. Angelis æqualem dicit Chryſoſtomus ob Virginitatem . 679. C.

ENCRATITÆ volebant Chriſtianos ex præcepto cœlibes . 94. A.

ENOS ſpeciali cultu Deum colere inſtituit . 653. A.

EPISCOPALE VINCULUM cum Eccleſia unde deſumendum . 174. E. Num juris divini . Ibid.

EPISCOPALIS STATUS.

EPISCOPALIS STATUS eſt perfectionis exercendæ . 108. E. Ex ipſo dimanare debet perfectio ad alios . 169. B. Non eſt ſtatus dominationis , ſed humilitatis . 172. C. Non eſt ſtatus hujuſmodi inquirendus. Ibid. D. Angelicis humeris formidandus. 173. A. Epiſcopatus eſt primus gradus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ . Ibid. C. Ordinatur ad aliorum ſalutem . 174. C. Non eſt ſimplex miniſterium , nec unice gratia gratis data . Ibid. Eſt gradus in Eccleſia permanens . Ibid. Indiſſolubilitas Epiſcopum inter , & Eccleſiam unde habeatur . 176. A. Epiſcopalis ſtatus perfectior ſtatu Regulari . 177. D. Ordinatur ad vitam activam velut ex redundantia vitæ contemplativæ . 178. D. Eſt periculis obnoxius . 185. E.

EPISCOPATUS diſtinguitur a Sacerdotio . 201. D. Nomen eſt operis , non honoris . 177. A.

EPISCOPI.

EPISCOPI dicuntur perfectores aliorum . 166. E. 171. A. Se totaliter devovent ad exercenda perfectionis opera . 169. A. Dicuntur ſal , lux , civitas , & lucerna . 169. C. Debent perfectiora amplecti , ut aliis proſint . Ibid. D. Ad proximi dilectionem ſpecialiter tenentur . 170. B. Gregis cura , quam perfectionem exquirit . Ibid. Sunt Paſtores , qui animam dare debent pro ovibus . Ibid. C. Sunt mediatores Deum inter , & homines . Ibid. D. Temporalibus non debent incumbere . Ibid. E. Debent eſſe perfecti in Magiſterio . 171. A. Sunt aliorum exemplar . 171. E. Apoſtolorum ſunt ſucceſſores . 172. A. Epiſcoporum munia . Ibid. B. Virtutes . Ibid. D. De ovibus rationem reddere debent . 173. A. Quandoque Dii , quandoque Angeli vocantur . Ibid. D. Epiſcopi ſeipſos , alioſque perficere debent . 174. C. Quo jure diſpenſari poſſunt a ſua Eccleſia . 175. E. Alios ad perfectionem adducunt . 177. A. Ex abundantia divinæ charitatis proximorum ſaluti incumbere debent . Ibid. C. E munere Epiſcoporum eſt prædicare . 178. C. Aliis ſanctitate præcellere debent. Ibid. E. Epiſcopi poſſident redditus ut diſpenſatores . 179. D. Omnia relinquere debent pro ovibus . Ibid. Saltem affective . Ibid. E. Quod ipſis supereſt , pauperibus elargiendum . 181. A. Epiſcopi non debent acquieſcere carni , & ſanguini . 186. B. Olim conciliariter eligebantur . 524. B. Epiſcopi ex Monachis aſſumpti . 534. B., & ſeqq. Feliciter Eccleſiam gubernarunt . 535. B. Eorum laudes . Ibid. C. 536. A. Anti-

Digitized by Google

Antiquitùs Religioſam vitam in communi peragebant. 517. C. Poterant tunc Monachos dirigere. Ibid. Plerique e Monaſterio ad Epiſcopatum aſſumpti. Ibid. E. Quandoque injuſte Monachos vexabant. 518. A.

EPISCOPUS.

EPISCOPUS duo habet, & curam animarum, & obligationem perpetuam ad opera perfectionis. 205. E. Nequit ad Religionem tranſire ratione officii. 203. B. Epiſcopus Sponſus Eccleſiæ, ſed diverſus a Sponſo carnali. 175. E.

S. EPIPHANIUS quaſi per vim conſecratus. 185. A.

ERASMI irriſiones adverſus virginitatem reprobantur. 333. D.

EREMI laudes. 229. A. B. Qui in ea degunt utiles Reipublicæ. 230. C.

EREMITÆ.

EREMITÆ, & Cœnobitæ Monachi nuncupabantur. 3. B. Eremitæ laudabiles. 226. B. Ad ſolitudinem vocantur, ut divinis incumbant. Ibid. Nonnulli paupertatem ſervaverunt ſine voto. 593. B. Eremitæ ſine poſitiva Superioris acceptatione Monachi. 663. B. In hoc diſtinguebantur a Cœnobitis. Ibid. Quidam vota emittebant in manu Confeſſarii. Ibid. D. In duplici differentia. 649. E. Quidam veri Religioſi. Ibid. Cum voto paupertatis aliquarum rerum dominium habere poterant. 650. D. Veriùs oppoſitum. Ibid. E.

EREMITÆ S. AUGUSTINI in unum congregati ab Alexandro IV. Pontifice. 711. D.

EREMITICUM vivendi genus a Chriſto approbatum. 214. A.

ESSENI.

ESSENI in lege veteri caſtitatem ex voto ſervabant. 555. C. Ab Ethnicis laudati. Ibid. Spectabant ad legem veterem. 557. E. Eorum exemplum urget S. Hieronymus adverſus Jovinianum. 558. C. Non omnes perpetuam ſervabant caſtitatem. 558. E. Dicebantur quandoque Aſſidæi. Ibid. Aliqui hæreſis labe infecti. 560. A. 561. C. D. Alii vocati Hæretici ob ſpecialem vivendi rationem. 561. A. Eorum vita laudabilis, ſicut & doctrina. Ibid. A. B. Diſtinguebantur ab Oſſenis. Ibid. B. Errores quidam eis perperam affinguntur. Ibid. E. Rite Deo ſacrificia offerebant. Ibid. Bis in die preces fundebant, nempe oriente Sole, & in veſperis. 562. B. Eorum ſtudia. 563. A. Eſſeni pauperes in communi vivebant. 586. C. Sub uno Magiſtro vivebant, eique obtemperabant. Ibid. C. Obedientiam jurabant. 596. A. Eſſeni laudabiles. 215. A.

ETHNICI in mortuorum exequiis capillos tondebant, atque ſuper cadavera projiciebant. 500. D.

EVANGELIUM, divina operante virtute adoptatum. 604. A. D. Prædicatum per univerſum Orbem. 701. B.

EVANGELIZATIO.

EVANGELIZATIO non eſt prætermittenda, ut quis manuum labore vivat. 374. E. Prætermittenda potius quædam pietatis opera, quam Evangelizatio. 375. A. B. Utilior, & dignior inter Eccleſiaſtica munia. 376. A.

EUNOMIANA hæreſis a Monachis impugnata. 531. E.

EUNOMIUS negabat virginitatem majoris eſſe meriti, quam conjugium. 243. E.

EUNUCHI.

EUNUCHI voluntarii a Chriſto commendati. 276. E. In illis præfiguratur voluntaria caſtitas. Ibid. Eunuchi reales in lege veteri ignobiles, a templo, a publicis officiis, & miniſteriis arcebantur. 549. E. Eunuchi ſpirituales in lege veteri. 549. D. Habebant votum caſtitatis. Ibid. Eorum nomen celebre. Ibid. Caſtitatem ſervabant ex Chriſti gratia. 550. C.

EUPHEMITÆ. Vide *Maſſaliani*.

EUTICHES, dum catholice ſentiebat Neſtorium impugnavit. 532. B. In hæreſim lapſus a Monachis impugnatus. Ibid. C.

EUSTACHIANI inuſitatum habitum deferebant, eumque etiam fœminis communem faciebant. 528. E. Reprobantur a Concilio Gangrenſi. Ibid. Privata celebrabant conventicula. Ibid.

EXECUTIO rei præceptæ utpote libera poteſt eſſe ex voto. 151. D.

EXEMPLAR perfectionis ſtatus Religioſi in veteri lege. 643. E.

EXEMPTIONES Regularibus conceſſæ Apoſtolicæ Eccleſiæ jura propugnant. 517. A. Congrue ipſis conceſſæ. Ibid. D. Laudabiles ſi juſta adſit cauſa. 519. B.

F.

FATUM quandoque dicitur divina providentia. 562. C. D. Caute tamen hoc vocabulo utendum. Ibid.

FELICITAS temporalis floci facienda. 540. C.

FERVOR immoderatus ad perfectionem non deſervit. 479. C. Facile evaneſcit. Ibid.

FIDELES.

FIDELES debent evangelizantes paſcere. 364. E. In primitiva Eccleſia vivebant ex bonis in commune collatis. 384. A. Fideles plerique temporibus Apoſtolorum Monachatum profitebantur. 10. D. E.

FIDES.

FIDES inæqualis quoad intenſionem, ſecus quoad obſcuritatem. 48. E. Habet gradus, ſicut charitas. 49. A. Fides non ficta dicit rectitudinem circa cultum Dei. 86. D.

Non habetur ſine adimpletione præceptorum Dei. Ibid. Alia ſpeculativa, alia practica; & hæc eſt proxima regula morum. 140. E. Fides a Monachis propugnata. 531. A., & ſeqq. Eadem nunc, ac in lege veteri. 547. D. Sed tunc occulta, nunc revelata. 667. C. Fides antiquorum Patrum quoad ſubſtantiam eadem, ac noſtra. 624. A. Eadem quovis tempore quoad ſubſtantiam articulorum, licèt diverſa quoad explicitum. 671. A. Fides Chriſti venturi latebat in figuris. 673. C.

FIGURA.

FIGURA definit ad conſpectum figurati. 694. B. Quomodo ſimilis figurato. 587. E. Quandoque eandem ſervare debet identitatem, præciſive a perfectione. Ibid. 592. E. 623. C. Non ſemper innuit ſenſum allegoricum, ſed quandoque exemplum. 637. B. Figura componitur cum rei identitate quoad ſubſtantiam. 618. A. 668. D. Figuræ ſpiritualem ſenſum referebant, ſi ſeriò ſpectabantur. 633. C. In veteri lege fundatæ in rerum veritate. 593. B.

FILIATIO adoptiva duplex. 543. C. Componitur cum imperfecta ſervitute. 545. A.

FILIUS.

FILIUS poteſt parentes deſerere, ut Religionem ingrediatur. 221. A. Ob hoc ipſos relinquere pium eſt. 222. A. Hoc docuit Chriſtus. Ibid. B. Eſt ſui juris. 223. B. Orando pro ipſis colit parentes. Ibid. Filius in Scripturis tripliciter uſurpatur. 686. C.

FILII.

FILII non ſemper parentibus obedire tenentur. 424. D. Differunt a Servis. Ibid. Filii Prophetarum dicebantur, qui in communi viventes Superiori obtemperabant. 586. D. Profitebantur paupertatem. 591. A. 594. A. Monachi dicebantur. Ibid. B. Quidam Filii lucis ſunt hi, qui fidei lumine diriguntur. 602. D.

FINIS ultimus hominis Deus. 82. A.

FŒCUNDITAS in veteri lege præmium virtutis. 565. B.

FOMES concupiſcentiæ origo peccatorum. 58. E. In nullo, quantumvis juſto, exceptâ Deiparâ, extinguitur, aut perfectè ligatur. Ibid. Origo innumerabilium motuum adverſus rationem. Ibid. Dicitur lex peccati. 121. E.

FORMA quælibet ſi primarium non præſtat effectum, non poteſt præſtare ſecundarium. 356. D.

FORNICATIO quandoque in veteri lege lapidatione mulctata. 256. C. A Gentilibus nihili fiebat. 697. A.

FORTE non ſemper particula dubitantis eſt. 393. E.

FORTITUDO potiſſimum reſpicit opera conſilii. 108. E. Vis executiva dicitur fortitudo. 111. B.

S. FRANCISCUS ob humilitatem ad Sacerdotium non aſcendit. 187. B.

FRANCISCUS HALLIER Regularibus infenſus. 529. C. 530. D. Incohærenter argumentatur. 529. C.

FRATICELLI volebant Evangelicam paupertatem excludere bona quælibet etiam in communi. 334. B.

FRATER ſuſcitare poterat ſemen fratris, vel huic juri cedere. 566. B.

FRATRES Apoſtolorum pauperis vitæ Seculo XV. Ordini S. Auguſtini ſubjecti. 717. D. Horum ſocietas, quæ etiam dicebatur S. Barnabæ, & Apoſtolinorum adjuncta eſt Congregationi Fratrum S. Ambroſii *ad Nemus*, quæ Mediolani florebat. Ibid. E.

FRATRES PAUPERIS VITÆ qui nam fuerint, incertum. 717. B. Incertum itidem, quo tempore floruerint. 718. A. Forſan Fratres Minores ſic nuncupati. Ibid. E.

FURTUM ſupponit rerum diviſionem. 335. C.

G

GALIANUS SPUCHA.

GALIANUS SPUCHA inſurgit contra perfectionem ſtatus Religioſi quoad ſubſtantiam in lege veteri. 538. B. Negat in lege veteri promiſſam, & revelatam fuiſſe cœleſtis Patriæ hereditatem. 539. E. Falſa refert de Eliano inſtituto. 609. B. Aliena affingit Salmanticenſibus. 622. A. Perſonarum acceptator. 634. B. Galiani liber proſcriptus. 646. A. Effugium Galiani quoad Bullas Pontificum, & narrationes, quæ in Sanctorum Officiis habentur, viam ſternit ad ſacra monumenta evertenda. 651. B. C. Galianus modum arguendi Magdeburgenſium imitatur. 651. E. Perperam Patrum ſenſa interpretatur. 665. B., & ſeq. Falſa Salmanticenſibus affingit. 667. B. Allucinatur in errore Pſeudo-Apoſtolorum. 668. A. Perpetua laborat æquivocatione, contendens ſtatum figurativum non poſſe habere verum Monachatum. Ibid. D. Inanis Galiani conatus adverſus ſententiam Salmanticenſium. 680. E.

GAUDIUM de bonis operibus in ordine ad Deus laudabile. 235. E.

GENEALOGIA S. Joſeph ab Evangeliſtis deſcripta verum ejuſdem conjugium cum Maria innuit. 251. A.

GENERALES Ordinum Regularium ad Concilia vocantur, habentque ex Privilegio jus ſuffragii. 509. A. Habent exteriorem juriſdictionem. Ibid.

GENERATIO ſpiritualis in triplici differentia. 601. E.

GENTILES.

GENTILES ſueverunt vota emittere. 129. E. Damnabant violatores votorum. 164. C. Gentilium teſtimonia ſæpe uſurpari poſſunt

ſunt ad veritatem comprobandam. 556.E.

GERARDUS SEGARELLUS volebant neminem poſſe ſalvari niſi pauperem. 334. B.

GESTA Sanctorum quæ imitanda. 68. E.

GIEZI paupertatis violator ab Eliſeo punitor. 592. B. Non erat uxoratus. 595. A.

GLOSSA ad Conſtitutionem Gregorii de falſitate revincit Muratorium ſcribentem adverſus Carmelitarum Ordinem. 711. C.

GNOSTICI irridebant continentes, 243. C.

GRADUALITAS alia ſtatus ad ſtatum, alia imperfecti ad perfectum; prima non dicit connexionem, bene verò ſecunda. 481.E.

GRAMMATICI conſulendi, ut vocum ſignificatio habeatur. 556. E.

GRATIA.

GRATIA Chriſti quomodo comparetur gratiæ alterius hominis. 50. A. Nunquam æquari poteſt a gratia hominis. Ibid. Eſt ordinis ſuperioris ad noſtros charitatis actus. 51. A. Gratia viæ, & patriæ diſcriminatur. 50. B. Gratia non datur in via perfecte extinguens, vel ligans concupiſcentiæ fomitem. 58. E. Mobiliter recipitur in homine viatore. 65. A. Gratia non ſanat concupiſcentiæ morbum, & naturæ corruptionem. 73. A. Sanat ſubſtantialiter naturam. 74. A. In via poteſt deperdi. Ibid. E. Unitur fidei. 76. D. Charitatis præceptum ſeparabile ab aliis. 119. C.

GRATIA GRATIS DATA etiam peccatoribus donatur. 726. B. Præcipue tamen juſtis largitur. Ibid. B. E. Quomodo peccatum eam impedit. Ibid. C.

GRÆCI non niſi Monachos ad Epiſcopatum aſſumunt. 524. A.

S. GREGORIUS MAGNUS refugit Epiſcopatum. 185. A.

GREGORIUS IX. Romanus Pontifex approbavit Regulam Carmelitarum. 707. B.

GREGORIUS X. Pontifex ſua Conſtitutione non favet Muratorio adverſus Carmelitarum Ordinem infenſo. 710. E. Ejuſdem Conſtitutio explicatur. Ibid. Ordinem prædictum iterum confirmavit. 711. A. Sua Conſtitutio æqualiter afficit Mendicantes, ac non Mendicantes. 712. C. D. Nullum inde detrimentum Carmelitis. 714. B. A pluribus tamen male intellecta. Ibid. E. 715. A. B. Vocavit S. Thomam Aquinatem ad Lugdunenſe Concilium. 722. E. Qua de cauſa. Ibid.

GREGORIUS DATTAVIENSIS Armenorum ſeductor vult legem veterem nunc obligare. 693. C.

GUILLELMUS ANTUERPIENSIS docet paupertatem omnia delere peccata. 334. C.

GUILLELMUS EPISCOPUS PARISIENSIS urget Parentes, qui filios in Clauſtro degentes privant hereditate. 386. E.

GUILLELMUS DE SANCTO AMORE contendebat adverſus Monachos Mendicantes actualem paupertatem non eſſe licitam. 342. A. Primus propugnavit Monachos teneri ſub præcepto ad laborandum manibus. 369. E. Pravus ipſius finis detegitur. 370. B. Negavit licitum eſſe Religioſis ex Mendicatione vivere. 384. C.

GIRALDUS DE ABBATIS VILLA negabat licitum eſſe Regularibus mendicare. 384. E. Adverſus ipſum Apologiam ſcripſit S. Bonaventura. Ibid.

H

H*ABITUS* Religioſorum. Vide *Veſtes*.

HÆRESIS.

HÆRESES omnes vel fautores, vel auctores habuiſſe Monachos perverſe dicitur. 533. A. B. Hæreſis Ariana a Monachis fortiter impugnata. 531. A., & ſeqq. Hæreſis idem eſt quod optio, vel electio. 560.E. Dicit ſpecialem vivendi rationem. 561. A.

HÆRETICI.

HÆRETICI adverſus antiquitatem ſtatus Religioſi inſurgunt. 1. E. Hæretici ex unius delicto omnes male criminantur. 19. B. Tonſuram, & Monachorum veſtes reprobant. 491. A. Falſa proclamant, quæ ipſis adverſantur. 504. C. Hæretici quidam ſic vocati non ob errorem in fide, ſed ob ſpecialem vivendi modum. 561. A. Non a nomine, ſed a doctrina dignoſcuntur. Ibid. B. Hæreticorum teſtimonia ſæpe ad catholicam fidem comprobandam aſſumuntur. 556. E.

HEBRÆIS prohibitum erat caput radere, atque lacertos incidere in exequiis defunctorum. 500. E.

HEBRÆORUM RITUS in conjugiis. 250. D.

HELVIDIANI impie dicebant B. V. a partu Filii Dei alios filios habuiſſe. 258. D.

HELIOTUS Scriptor Gallus, infenſus licèt adverſus Carmelitanum Ordinem, vult ejuſdem Regulam approbatam ab Honorio III., & Innocentio IV. 708. E.

HENOCH Deo placuit per ſupernaturalem fidem. 676. A.

HIERARCHIA.

HIERARCHIA Eccleſiaſtica ex Clericis, Monachiſque componitur. 506. B. Ejus definitio refertur. Ibid. C. Hierarchia idem eſt, ac principatus ſacer. Ibid. D. Tres habet actiones, nempe purgare, illuminare, & perficere. Ibid. E. Monachis, & Clericis conveniunt. 507. A. Exigit juriſdictionem in populos, hacque gaudent Monachi. 508. E. Ordinatur ad perficiendos fideles, media charitate, & ſcientia. 511. B. Gradus Hierarchici ab Apoſtolo deſcribuntur. Ibid. Qui ſunt de Hierarchia regere, & regi poſſunt. 516. A. Jus habent ſacra peragendi. 525. B. Non eſt neceſſe quod omnes de Hierarchia eadem munia exerceant. Ibid. Sunt de Hierarchia, qui Hierarchis deſerviunt. Ibid. C. Non omnes actiones Hierarchicæ

ſtatui Monaſtico adverſantur . 526. E. Monachi licet non ſint Paſtores, plures Hierarchicas actiones valent exercere. 527. A.

S. HIERONYMUS.

S. HIERONYMUS candidus Monaſtici ſtatus commendator . 220. D. Pauli tunicam optabat potius, quam Regum purpuram. Ibid. In Monaſterio obiit . Ibid. E. Caſtitatis propugnator egregius . 292. E. 330. A. Monaſtici ſtatus commendator . 533. E. Principes ſtatus Monaſtici agnoſcit Eliam, & Eliſeum. 646. D. E. Acriter diſputavit cum S. Auguſtino circa legalium obſervantiam in lege gratiæ. 699. A.

HOLOCAUSTUM non ſemper conjungitur voto . 354. E. In eo nulla pars victimæ reſervatur . 355. A.

HOMO.

HOMINES mali non officiunt bonis . 19. D. Homines ad Dei imaginem per naturam, & per ſpiritualem reformationem . 686. C. Homo peccator Diaboli imago . Ibid. Homines terrenis deditì, non recte de ſpiritualibus ſentiunt . 730. D. Homo quomodo poſſit eſſe perfectus, ſicut Deus. 27. A. In via non eſt impeccabilis. 43. E. Hoc docuerunt Beguardi . Ibid. Debet ſemper creſcere in ſanctitate . 47. A., & ſeqq. Cur dicatur viator . 47. C. Semper proficere debet . Ibid. E. Abſolute ſui juris eſt . 163. D. Particeps dominii Dei . 335. A.

HONORIUS III. Carmelitarum Ordinem confirmavit . 708. A. C.

HUMILITAS non opponitur veritati . 54. B.

HYMNI antiquitùs in Eccleſia . 4. A.

HYPOCRITÆ damnabiles . 409. B.

I

JACHETTUS MALASPINA. Vide *Malaſpina*. Plura fingit de S. Thoma Aquinate. 715. E. Itidem de Carmelitis . Ibid.

ICONOMACHI a Monachis impugnati . 532. B.

IDEA rei peragendæ ſufficit, quod ſit in mente principalis . 578. D. E.

JEREMIAS caſtitatis cultor . 568. E.

ILLUMINATI Hæretici virtutis exercitium damnabant in viris perfectis . 81. D.

IMAGINES Sanctorum primis rei Chriſtianæ Seculis a Fidelibus veneratæ. 557. B.

IMPECCABILITAS in via non habetur de lege ordinaria . 52. B.

IMPEDIMENTUM dirimens, aut impediens antiquitus diverſis phraſibus exprimebatur . 315. E.

IMPERFECTUM, adveniente perfecto, non ſemper eſſe definit . 623. D.

IMPOTENTIA.

IMPOTENTIA ad evitanda omnia venialia oritur a concupiſcentia, atque a naturæ corruptione . 73. A. Eſt impotentia moralis antecedens. 74. B. Explicatur. Ibid.

IMPOSSIBILE præcipi nequit . 31. A.

INCLINATIO naturalis ad generationem rationi ſubdi debet . 331. C.

INCIPIENTES ſunt inſtruendi . 486. E.

INDIFFERENTIA ex bono fine bonitatem habent . 442. A. B.

INDIGNI quovis tempore a ſacris repulſi. 526. C.

INIMICI nuſquam licite odio habiti . 688. B. Oppoſitum male ſancitum a Scribis . Ibid.

INNOCENTIANA CONSTITUTIO.

INNOCENTIANA CONSTITUTIO de communi vita in Religione ſervanda obligatoria eſt . 448. C., & ſeqq. Conſonat decretis præcedentium Pontificum . 450. E. Conſonat Conciliorum decretis . 451. A., & ſeqq. Contra prædictam Conſtitutionem nulla eſt præſcriptio . 264. E.

INNOCENTIUS PAPA.

INNOCENTIUS IV. Pp. mandat Elyenſi Epiſcopo, ut Carmelitarum Inſectatores pœnis coerceat . 706. E. Eorum Regulam mitigavit. Ibid. C. Ordinem confirmavit. Ibid. D.

INSTITUTORES Ordinum Regularium communis vitæ leges tradiderunt . 449. D.

INTELLECTUS Deo ſubdi debet . 111. B.

INTENTIO.

INTENTIO noſtra debet in Deum ferri . 111. B. Quæ neceſſaria, ut opus in Deum dirigatur . 117. E. Unit ea, quæ ſunt ſeparata . 195. A.

S. JOANNES A CRUCE.

S. JOANNES A CRUCE male impetitus a Muratorio . 741. B. *Eximii Doctoris* titulo condecoratus . Ibid. D. Ejus doctrina vindicatur . Ibid., & ſeqq. Ejus libri dicuntur Admirabiles . Ibid. E. Elogium Benedicti XIII. Ibid. Doctrina tanti Doctoris perutilis legentibus . 742. C. Comparata doctrinæ S. Dionyſii Areopagitæ . Ibid. A PP. Societatis Jeſu commendata . 744. A. B. Non omnibus pervia . 745. C. Joannis doctrina licèt obſcura multum tamen æſtimanda . 747. A.

S. JOANNES BAPTISTA.

S. JOANNES BAPTISTA nuſquam peccavit peccato linguæ . 52. D. Eremiticam vitam profeſſus eſt . 226. C. Quidam volunt ipſum in infantili ætate ab Angelo enutritum . 227. B. Vere fuit in deſerto. Ibid. C. Inſolitum deferebat habitum . Ibid. E. Ejus vivendi ratio in Eremo . 228. A. Exi-

Exibat ad prædicandum. 227. E. Quali uſus veſtimento . 232. C. Quove cibo . Ibid. D. 233. A. Monaſtici ſtatus non inſtitutor, ſed reſtaurator . 657. E. Fuit terminus veteris, & novæ legis initium . Ibid. Ob virginitatem ipſum facit Angelis æqualem Chryſoſtomus . 679. C. Voto ſervabat caſtitatem. 551. B. 552. B. 648. A. Fuit vere Monachus . 647. D. Eliæ ſectator. 648. B. A pueritia ſtatum amplexus eſt Religionis . 610. E. Fuit ſub veteri, & nova lege . 612. C. Monachorum forma . 613. C. D. In ſpiritu , & virtute Elias . Ibid. E. Vere Monachus . 648. E. Votis Deo ſacratus . 649. A. Primus in lege gratiæ . Deceſſorem habuit Eliam . 656. E.

JOANNES EVANGELISTA , ut pluribus placet , relicta uxore , Chriſtum ſecutus eſt. 316. A. Fuit virgo . 330. A.

S. JOSEPH.

S.JOSEPH nec veniale detrimentum caſtitatis paſſus eſt . 52. D. Verus Virginis Sponſus. 249. B., & ſeqq. Cur Virginem voluit occulte dimittere. 250. A. Unde Pater Chriſti dictus . 251. E. Jus habuit imponendi nomen Chriſto . 252. D. Ipſius teſtimonio probata Deiparæ Virginitas . 254. A. Datus eſt in Sponſum Virgini ad illius ſolatium . Ibid. C. Ad nomen , decuſque Mariæ ſervandum . 259. A. E. Cur non maritus , ſed ſæpe dicatur Sponſus Virginis . 260. D. Cur dictus ſolo nomine maritus . 261. D. S. Joſeph ab initio deſponſationis fuit cum Deipara , eamque in Montana ſecutus eſt . 275. D.

JOSEPHUS laudat in veteri lege Eſſenorum caſtitatem . 555. C. Eorum laudabile inſtitutum deſcribit . Ibid. E. Sicut eorundem obedientiam . 596. A.

JOVINIANUS.

JOVINIANUS ſanctitatem ſemel adeptam deperdi non poſſe dicebat . 43. E. Nec juſtum ultra venialiter peccare . Ibid. Negabat in homine viatore augeri juſtitiam, & charitatem , ſicut & diverſitatem gloriæ in cœlis . 44. B. Damnatur in Concilio Romano ſub Siricio , & in Concilio Mediolan. ſub Ambroſio . 44. B. Monaſticæ diſciplinæ deſertor . Ibid. Sectatorem habuit Molinos. Ibid. D. Status , quem fingit , pugnat cum vera ſanctitate . 47. A. Negat gratiam ſemel habitam poſſe deperdi . 75. A. Adverſus ipſum pugnavit S. Hieronymus . Ibid. Nullum diſcrimen agnoſcebat cœlibatum inter , & conjugium , dicebatque continentiam non eſſe ex conſilio . 94. B. Cœlibem vitam matrimonio æquabat . 243. D. Evangelicæ paupertatis hoſtis . 384. B. Meritum paupertatis æquabat divitiis . Ibid. Succeſſorem habuit Vigilantium . Ibid.

JUDAS ISCHARIOTES fuit aliquando juſtus . 76. E.

JUDAS furti reus . 394. E.

JUDÆI.

JUDÆI in lege veteri filiis Dei accenſebantur . 543. C. Erant filii Dei adoptivi . Ibid. C. Diſtincti tamen a filiis adoptivis in lege gratiæ . Ibid. Non erant aliqui ſimpliciter ſervi , ſed vere filii , & heredes . 545. A. Quomodo dicebantur in ſtatu ſervitutis . 546. E. Vide *Patres antiquæ legis* . Plures ignorabant Jeſum ex Virgine natum . 583. D. Sciebant ex Virgine Meſſiam naſciturum , ſed peculiarem Perſonam ignorabant . Ibid. E. Vide *Lex vetus* . Promiſſiones Judæis factæ , quæ . 605. B. Quidam ex ipſis Deo perpetuò conſecrati . 608. C. Sub lege veteri comparati heredi ſub tutore . 544. E. Pertinebant ad æternam felicitatem . Ibid. Adoptati ad gloriam ex futuris Chriſti meritis . 544. A. Juſtificati per fidem in Chriſtum venturum ſpectabant ad legem gratiæ . 541. E. Operatores miſſi in vineam uſque ad horam nonam . 542. D. Dicuntur filii Regni . 543. B. Præordinati ad gloriam . Ibid. Quomodo Chriſtum non audierunt . 686. E. Ingrati Deo in pœnam permiſſi ſunt abominationes Idolorum ſequi . 687. C. Ipſis haud licitum erat odio proſequi inimicos , aut alienis fœnerari . 688. B. C. Judæi feri in vindicandis injuriis . Ibid. E. Male intelligebant præcepta moralia . 692. E. Inexcuſabiles Chriſto prædicante . 698. E. Judæorum ritus non ſemper mali fuere . 699. D. Quidam nunc etiam aſſumi poſſunt ob motivum pietatis . Ibid. E. Judæis promiſſum Regnum Cœlorum Doctorum auctoritatibus evincitur . 674. E. Legem bonam habebant . 681. E. , & ſeqq. Male abſtinebant ab omni opere die Sabbati . 686. B. Judaiſmus ſpiritualis quinam eſt . 215. A. Nunc prodeſſe poteſt . Ibid.

JUGUM Chriſti leve . 28. E. Jugum Chriſti ſuave etiam in Religioſo ſtatu . 488. B.

JUNIORES.

JUNIORES amplecti poſſunt Monaſticum Inſtitutum . 471. A. Hæretici hoc reprobant . Ibid. Juniores in triplici ſtatu conſiderari poſſunt . Ibid. D. Facilius ſe accommodanr ad Monaſticæ vitæ obſervantiam . 471. A. B. Non ſtatim omnia Religionis onera olim portabant . 473. C. Juniores tum in veteri , tum in nova lege perfectiora amplecti non dubitarunt . 474. E. 475. A. Ad perfectionem per gradus dirigendi ſunt . 479. D. Quinam gradus ſervandi . 481. E. 483. C. Juniores , ut pericula evitent , citius e Seculi illecebris exire debent . 484. A. In Religione tutiores . Ibid. Prævaricatio quorundam Religioſorum non debet ipſos a ſtatu Religioſo retrahere . 489. C. Laudabiliter invitari poſſunt ad Religionem . 490. A. Itidem munuſculis allici . Ibid. B.

JURAMENTUM.

JURAMENTUM diſcriminatur a voto. 129. A. 142. B. Eſt licitum 129. A. Aſſumitur ex neceſſitate. 142. B. Per ſe non ordinatur ad Dei cultum; Finis directus eſt humana veritas confirmanda. Ibid. C. Jurare non ſemper laudabile. Ibid. D. Juramentum, & votum quoad vinculum ſunt idem. 149. D. Juramentum laudabiliter cadit ſupra rem præceptam. Ibid. Juramentum in Deo ad quid ordinetur. 354. A. Juramentum, votum, & Profeſſio in ordine ad ſtatum Religioſum idem ſignificant. 595. E. Juramenti violator dicitur Deum tentare. 347. E.

JUS COMMUNITATIS non ſemper omnes afficit. 323. C. Quandoque privata auctoritate præteriri poſſunt. Ibid.

JUS ECCLESIASTICUM nequit conſummatum matrimonium diſſolvere. 324. E.

JUS DIVINUM a quo poſſit diſpenſari. 174. E.

JUS SPECIEI CONSERVANDÆ non diſtributivum, ſed collectivum eſt. 323. E.

JUSTIFICATIO in lege veteri non ex vi legis, ſed ex Chriſto. 548. B.

JUSTIFICATI in veteri lege ſpectabant ad legem gratiæ. 541. E.

JUSTIFICATUS dicitur natus ex Deo. 31. D. Qui ex Deo natus eſt, non habet peccatum. Ibid.

JUSTITIA creata relate ad increatam nullius momenti eſt. 121. A.

JUSTI.

JUSTI ſemper debent proficere. 45. D. E. Ire debent de virtute in virtutem. 46. A. Sanctiores in dies evadere poſſunt. Ibid. Scriptura ad hoc eos hortatur. Ibid. B. Virtutes periculoſe cuſtodiunt, niſi proficiant. Ibid. D. Debent eorum oblivisci, quæ peregerunt. 46. E. Ad meliora debent contendere. Ibid. Demiſſe de ſeipſis ſentiunt. Ibid. Proficere cupiunt. 47. C. Non proficere periculoſum eſt. Ibid. E. Ipſis præmium inæquale. 48. C. Venialia omnia ad lungum tempus nequeunt evitare. 53. B. Se vere dicunt peccatores. Ibid. E. Orant, ut propria peccata dimittat Deus. 54. D. Poſſunt eſſe in via ſine crimine, ſecus ſine peccato. 57. B. Frequenter in venialia labuntur. 58. C. Nullus ex Juſtis, excepta Virgine, gratiam habuit perfecte ligantem, aut extinguentem concupiſcentiæ fomitem. Ibid. E. Ex quadam neceſſitate labuntur in venialia. 60. A.

JUSTUS.

JUSTUS non peccat venialiter ut filius Dei, ſed ut filius hujus Seculi, ideſt ob concupiſcentiam. 61. B. Quomodo dicatur eſſe ſine querela. Ibid. E. Prius orare debet, ut ſibi dimittantur peccata, quam aliis. Ibid. E. Quomodo tenetur in nullo deficere. 62. E. Quæ vitari poſſunt. Ibid. Non niſi in Patria ſine ullo peccato vivit. 63. C. Neceſſitatur ad aliquod veniale indeterminate. 73. E. Neceſſitas hæc eſt moralis. 74. B. Poteſt in via amittere charitatem, quæ eſt vitæ Chriſtianæ perfectio. 75. A. Deo adhærere debet, ne cadat. Ibid. B. Non eſt certus de perſeverantia. 76. A. A fide cadere poteſt. Ibid. D. Per omnes actus bonos meretur. 87. B. Semper proficere ſtudet. 91. B. Negligentiam in operibus virtutis refugit. 120. C. Plures ex juſtis ſine labe. Ibid. E. Non peccat juſtus in omni opere. 121. A. Frequenter cadit. 121. C. Cur dicatur ſervus inutilis. 122. A. Juſtus in Eccleſia in duplici differentia. 210. E. Nuſquam a Deo derelictus. 406. E. Temporarie quandoque, ſed non finaliter derelinquitur. 407. A.

JUVENTUS quam maxime apta ad Religionis onera. 471. A., & ſeqq.

L

LABOR CORPORALIS.

LABOR CORPORALIS quandoque neceſſarius ad otium evitandum. 365. C. Non reprobatur a Chriſto. 366. E. 368. A. Non impedit perfectionem. Ibid. E. Spiritu ſanctitatis poteſt aſſumi. 369. C. Ad modicum valet. 373. B. Spiritualis labor longe præſtat corporali. Ibid. C. Corporalis labor ad plura ordinatur. 377. E. Non eſt medium neceſſarium ad plura mala evitanda. 378. A. Monachis indecens, & impoſſibile. 381. E. Immo periculis expoſitus. 382. C. Satius eſt Sacris vacare, quam laborare. Ibid. D. Qui labor in Monachis laudabilis. Ibid. E.

LAICI HOMINES juxta Apoſtolum non debent comam nutrire. 499. B.

LAMPETIANI conſilium obedientiæ ablegabant. 94. B. Monaſticæ obedientiæ hoſtes. 422. C.

LANGELOTUS negavit Eliam, & Joannem Bapt. fuiſſe Monachos ſub votis ſolemnibus. 649. B. Erravit circa ſtatum Eremitarum. Ibid. D.

LAUS propria, ſi ad aliorum profectum ordinetur, non eſt reprehenſibilis. 234. D. Secus ſi jactantiam involvat. Ibid. Quandoque auctoritatem conciliat. 235. A.

LEGALES OBSERVANTIÆ in lege nova non obligant. 133. E. Inanes ſunt. 134. A.

LEGALIA, ET CEREMONIALIA in ſola Judæa obligabant. 700. C.

LEGES.

LEGES etiam Eccleſiaſticæ laudabiliter ſubeunt mutationem. 516. B. Non dependent a Populi acceptatione. 452. D. Leges rem eandem ſub eodem motivo præcipientes non conſtituunt illam in diverſa ſpecie. 155. C.

LEGISLATOR ſive divinus, ſive humanus nequit

quit impoſſibilia præcipere, 31. A.

LEVITÆ inſervientes Tabernaculo in veteri lege viginti duo millia octingenti octoginta, 526. C.

LEX,

LEX alia carnis, ſpiritus altera. 29. B. Lex divina internum affectum ad malum vetat. 40. D. Lex non concupiſcendi ſervari poteſt, 40. E. Lex Dei non eſt impoſſibilis obſervantiæ. 26. C. Impletur, & perficitur per dilectionem. 28. A. Lex generalis ad omnes extenditur. 53. D. Lex gratiæ eſt lex libertatis. 125. A. A Chriſti incarnatione non fuit perfecta, 612. E. Influebat tanquam exemplar in omnes virtutes tunc temporis exercitas. 613. A. E. Ipſi proprie conveniunt conſilia, quia lex libertatis. 628. A. Perfectior veteri lege, 691. B. Ex ſuis gratiam cauſat. Ibid. E. Diſcrimen inter novam, & veterem legem. Ibid. Pauca explicita præcepta, atque levia in ea habentur, 692. B. Ipſa adveniente lex vetus ceſſavit. 693. E. Eſt ſcripta in cordibus. 694. A. Cum veteri incompoſſibilis. Ibid. E. Illa omnes obligat, ſecus altera. 695. A. Quando cœpit obligare, 698. E. Lex naturalis dictat vota fore ſervanda. 164. E. Lex peccati eſt concupiſcentia. 121. E.

LEX NOVA.

LEX NOVA habet majorem difficultatem præ veteri, ſed etiam majorem gratiam. 216. C. Gratia eam facit levem. Ibid. D. Revelata habet myſteria, quæ in figuris præſignata fuerunt in veteri lege. 539. A. Veteri excellentior. 361. D. Lex nova in Religione quandoque poteſt condi. 440. D. Lex quælibet cur moveat ad illius fractionem. 690. A., & ſeqq.

LEX VETUS.

LEX VETUS erat de externis, nova de internis actibus. 216. B. Divitias ut bonum amplectebatur, ſecus lex gratiæ, 345. C. Myſteria novæ legis ſub velamento continebat, 539. A. Habuit Sacramenta, Ibid. C. Promiſſam habebat æternam felicitatem, eamque expectabant antiqui Patres opportuno tempore conferendam. 540. D. Nunc non obligant præcepta legalia, & ceremonialia, bene verò moralia, 692. D. In ea non fuit perfecta conſecratio, nec cum ea ſolemnitate, qua nunc Religioſi Deo conſecrantur. 609. A. 659. C. Traditio Perſonarum, quæ Deo fiebat, ſtatum Religioſum conſtituebat quoad eſſentiam. 609. E. 610. B. Lex vetus uſque ad annum Chriſti 30. vigebat, Ibid. D. Tunc temporis fuere veri Religioſi. Ibid. Ibi fuere obſervata conſilia, 625. E. 626. D. Lex vetus novam præcontinebat, 626. D. Ex ſe vim non habebat adducendi ad perfectionem. 628. C. D. Ad juſtificationem ordinabatur. 630. E. 683. B. Eundem finem reſpiciebat, ac lex gratiæ. 630. E. Per terrena ad cœleſtia dirigebat. Ibid. Cœleſtia promittebat. 631. A. Pluries in ea promittebatur vita æterna. Ibid. B. C. In ea cur non habeatur mentio Regni Cœlorum? Ibid. D. Veterem legem damnabant Manichæi. Ibid. E. 685. D. Lex vetus ut in Sapientialibus deſcripta æternorum bonorum mentionem facit. 633. A. Conſiliorum cognitio a piis viris habebatur. 633. E. 634. C. Rudioribus tradebatur. Ibid. D. 635. E. In ea fuit ſtatus Religioſus quoad eſſentiam. 641. A. Fuerunt in ea figuræ rerum futurarum. Ibid. E. In lege naturæ ſpecialis aliquis cultus fuit. In lege ſcripta adhuc perfectior, 653. A., & ſeqq. In ea vota emittebantur ab aliquibus in manu Superioris. 663. D. Vera Religio, verum Sacrificium, vera Sacramenta in dicta lege. 668. E. Legem veterem non bonam dicebant Manichæi, 670. C. In ea plures juſti. Ibid. E. Non habebat ex ſe vim juſtificativam, ſed ex meritis Chriſti futuri. 671. B. Quomodo in dicta lege Conſilia Evangelica dignoſci potuerunt, 672. D. Finis ultimus hujuſce legis erat ſpiritualis, & ſupernaturalis, 674. E. Virtutes tunc temporis imperfectæ relate ad eas legis gratiæ. 678. C. Rarum in ea ſtudium Virginitatis. 679. E. Lex vetus a Deo, 681. E. Ejuſdem legis præcepta bona. 682. D. A Chriſto approbata. Ibid. E. Ordinabatur ad Chriſtum. 683. C. Utilis erat Judæis. Ibid. E. Retrahebat a peccato. 684. B. Conſona rationi præcipiebat. Ibid. C. Legis veteris præcepta declarantur. Ibid. Non permittebat odio proſequi inimicos, ſicut nec alienis fœnerari. 688. B. C. Quomodo per legem peccatum revixit. 689. C., & ſeqq. Quomodo per eandem ſuperabundavit delictum. Ibid. E. Imperfecta non abſolute, ſed comparative. 691. A. Radix imperfectionis exponitur, Ibid. C. Adfuit in illa adjuvans, & juſtificans gratia. Ibid. D. E. Diſcrimen inter veterem, & novam legem. Ibid. E. Numerus præceptorum legis veteris, 692. A. Ad ſolos Hebræos extendebatur. Ibid. C. Vide *Præcepta legis veteris*. Non habebat perfectam myſteriorum intelligentiam. 545. E. Promiſſiones in ea proxime ſpectabant temporalia, remote æterna. 546. A. Gravabat Judæos. Ibid. C. D. Illius Sacrificia, & Sacramenta in rerum temporalium oblatione conſtituebantur. Ibid. E. Ex propriis non juſtificabat. 541. D. 548. B. Eſſentialiter futura præfigurabat. Ibid. C. Habebat viros ex voto caſtitatem ſervantes, 551. B. Egregia virtutis opera plures in ea exercuerunt. 553. B. Præceptum multiplicationis non omnes afficiebat. 568. A. Vide *Patres antiquæ legis*, *Creſcite, & multiplicamini*. *Multiplicationis præceptum*. *Caſtitas in lege veteri*. *Judæi*. Plures ſive maſculi, ſive fœminæ virginitatem voverunt. 572. B., & ſeqq. Cum hoc componitur Excellentia Virginitatis in B. V., & quod meritò prima dicatur. Ibid. In ea dignoſcebatur optimum eſſe Virginitatis votum, 581. E. In

ea

ea aliqui obedientiam, & paupertatem voverunt, 584. E. 585. A. B. Vita communis apud nonnullos ſervabatur. 586. C. 591. C. In lege veteri figura ſubſtantialiter referebat figuratum. 588. D. In ea dabatur notio votorum, 590. B. C. Ab aliquibus ſervabatur paupertas ex voto. 592. C. Sicut & obedientia. 596. C. Temporalia promittebat in ordine ad æterna. 603. C. D. Lex vetus non obligat in lege gratiæ. 693. E. Erat ſervitutis, ſecus lex gratiæ. 694. A. Incompoſſibilis cum lege gratiæ. Ibid. E. Quando ceſſavit. 698. E. Lex vetus triplicem habuit ſtatum, primò nec mortua, nec mortifera erat; ſecundò mortua, ſed non mortifera; tertiò mortifera. 699. C. Lex vetus quomodo in æternum dicitur in ſcripturis duratura. 700. A.

LIA laborem innuit in acquirendis virtutibus, Rachel verò contemplationis quietem refert. 482. D.

LIBER dicitur, qui vitat mala, quia mala. 86. A.

LIBRI SAPIENTIALES continent doctrinam pro quolibet tempore. 550. E.

LIBERTAS.

LIBERTAS quæ ubi ſpiritus Domini. 85. E. Libertas ad venialiter peccandum, quæ. 63. D. E. Libertas Evangelica eſt libertas ſpiritus. 134. D. Libertas alia phyſica, moralis altera. 163. C. Præcepta phyſicam non tollunt libertatem. Ibid. Libertas in ſuſceptione Religioſi ſtatus ab Eccleſia præcepta. 223. D.

LIBERUM ARBITRIUM, quia facile mutatur, occaſio labendi. 58. D.

LITURGIA S. Jacobi legitima. 11. A.

LOCUSTÆ quas comedebat Præcurſor, num animalia, aut ruſticanæ herbæ genus quoddam. 233. B.

LOCUTIO eadem ex circumſtantiis diverſimode intelligitur. 257. C.

LUTHERUS.

LUTHERUS negavit Conſilia in lege gratiæ. 94. C. Sicut & præcepta. 95. E. Hoſtis continentiæ. 102. D. Monaſticorum votorum hoſtis infenſiſſimus. 159. A. Explotibus execratur. Ibid. Primus inter Monachos tentavit conjugium cum Sanctimoniali. Ibid. C. Plures habuit Sectatores. Ibid. Mendicantium hoſtis. 384. E. Injurius adverſus S. Hieronymum volens ad Pelagianiſmum declinaſſe. 292. C. Refellitur. Ibid. Indulſit Landgravio, ut duas haberet Uxores. 294. B. Monaſticæ obedientiæ hoſtis. 422. E. Affirmat mulieres non niſi ad conjugium procreatas. 549. C. Negat licere votum ad cultum Dei, bene verò ob alios fines. 136. C. Male explicat textum Pauli, ubi de Viduis Eccleſiæ miniſtrantibus. 289. A. Dicebat homines creatos ad generandum, hacque de re dari præceptum. 243. E. Neceſſariam dicebat copulam, ſicut comeſtionem. Ibid. Dei irriſorem volebat, qui continentiam vovebat. 244. A. Evangelicæ paupertatis hoſtis. 342. B. Tonſuram, & veſtes Monachorum carpit. 491. C. Vult non niſi ſenes ſeptuagenarios, aut octogenarios amplecti poſſe Regulare Inſtitutum. 471. B.

LUDOVICUS IX. Francorum Rex pluribus Carmelitanum Ordinem beneficentiæ ſignis proſecutus eſt. 710. C.

S. LUDOVICUS Toloſanus Epiſcopus filius Regis Siciliæ. 717. A. A Fratribus Minoribus in ſcientiis eruditus. 718. E. Voluit Religioſum ſtatum amplecti. Ibid. Ordini prædicto adſcribitur. 719. B.

LUGDUNENSE CONCILIUM ſecundum cum Eremitis S. Auguſtini æquiparat Carmelitas. 711. D. In eo pugnatum eſt contra Regulares. 715. C.

M

S. MACARIUS Monachorum videndo ſanctitatem ſe non eſſe Monachum dicebat. 46. E.

MACEDONIANI a Monachis impugnati. 531. E.

MAGDEBURGENSES.

MAGDEBURGENSES audacter de Origine Monachatus ſcribunt. 1. E. A Seculo IV. ejus repetunt originem. 2. A. Monachorum hoſtes. 219. A. Eorundem dicteria adverſus Monachos. Ibid. Admittunt inviti ſtatus Monaſtici antiquitatem. Ibid. E. Mira quæ de Monachis loquuntur, ad ſuperſtitionem revocant. Ibid. Hiſtoriarum fidem perperam negant. 220. C. Decalogi præcepta per Monachatum everti falsò dicunt. 219. B. Male dicunt peccare uxorati, ſi continenter vivant. 224. E. Adverſantur Eremitis. 226. B. Male negant Præcurſorem in Deſerto fuiſſe. Ibid. D. Ut ſuperſtitioſas reprobant Monachorum veſtes. 491. C.

MAGNANIMITAS ad grandia aſpirat. 69. E.

MALASPINA RICORDANUS vult Carmelitanum Ordinem a Gregorio X. confirmatum. 711. A. Jachettus Malaſpina malæ fidei Scriptor. 715. D. Malaſpinæ teſtimonium flocci faciendum. 717. A. Ejuſdem antilogia, dum ſcribit de S. Ludovico Toloſano Epiſcopo. Ibid. Spurium ipſius teſtimonium. 718. D. Perperam D. Thomam Aquinatem Fratrem Ordinis Prædicatorum negavit. 719. D. Malaſpinæ dicta mendis ſcatent. 720. C. D. Falsò aſſerit S. Thomam iter inſtituiſſe ad Lugdunenſe Concilium, ut deſtructionem Carmelitani Ordinis intentaret. 722. D. Verum reticet cauſam. Ibid.

MALEDICTUM legis quid ſit. 29. A. Chriſtus ab eo nos liberavit. Ibid.

MALIGNANTES paucorum defectus ad omnes extendunt. 239. A.

MALI non debent bonis officere. 520. E.

MALUM quandoque intrinſecum operi, quandoque extrinſecum, aut etiam ex ſubjecto. Quando vitandum. 489. C. Malum unius

non

non debet omnes afficere. 530. E. 532. D.

MANDATORUM obſervantia compatitur cum divitiarum poſſeſſione. 336. C.

MANICHÆI veterem legem damnabant. 631. E. Manichæi adverſus Monachos. 17. A.

MARCELLINA S. Ambroſii Soror a Liberio Rom. Pontifice die Paſchæ ſolemniter conſecrata. 318. E.

S. *MARCUS* ne Sacerdotio inauguraretur digitum ſibi amputavit. 184. E.

MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS.

MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS male negat Chriſtum Monachatus Inſtitutorem. 6. E. Negat Conſilia in lege gratiæ. 95. B. Vult Monachos eſſe viros laicos pœnitentiæ addictos. 240. E. Carpit votum continentiæ ſive in Monachis, ſive in Laicis, minoriſque meriti dicit, quam conjugium. 244. B. Perperam dicit Clericos eſſe in ſtatu perfectionis, ſecus Monachos. 241. C. Contra votum caſtitatis inſurgit. 303. E. Male Patrum ſenſa explicat. 306. E., & ſeqq. Contendit Religioſam Profeſſionem ſubſequens non irritare matrimonium. 309. B., & ſeqq.

MARIA VIRGO.

MARIA VIRGO nullum, nec leve peccatum commiſit. 52. B. Quomodo verba Dominicæ Orationis dicebat: *Dimitte nobis debita noſtra*. 54. E. Maria Virgo virginitatis votum emiſit. 130. D. 244. D. 571. C. Angelo annuncianti Incarnationem votum innuit. Ibid. E. Carnem ſuam intactam Deo ſervare volebat. 245. B. Non dubitavit de partu, ſed de modo. Ibid. D. Admiratio in Virgine non ex excellentia partus, ſed ex modo concipiendi. 246. A. Maternitatis Privilegio ſe indignam credebat. 247. B. Prima virginitatis votum emiſit quoad excellentiam. Ibid. D. Quo tempore illud emiſerit, diverſa ſunt Doctorum placita. 248. B. Verum contraxit matrimonium cum S. Joſeph. Ibid., & ſeqq. Vide *Matrimonium*. Maria in Templo ab hominum aſpectu ſecreta. 249. E. Exiens a Templo tradita fuit Joſeph. Ibid. Deſponſata eſt, ut ejuſdem honori conſultum eſſet. 250. B. Deſponſata fuit Joſeph, ut partus ejus celaretur Diabolo. 254. D. Hujuſmodi congruentia defenditur contra Scotum. Ibid. Aliæ referuntur congruentiæ. Ibid., & ſeqq. Maria de linea Sacerdotali. 256. E. Subjecta S. Joſeph. 259. C. Cur ſæpe dicatur Sponſa S. Joſeph, non uxor. 260. D. Cur a Chriſto Joanni commendata. 262. B. Votum habuit nuſquam utendi cohabitatione thori. 265. D. Hoc vero conjugio non adverſatur. Ibid. Explicatur. 266. E. Conſenſus in conjugium non officit perfectiſſimæ virginitati B. V. 267. A. In Deipara votum virginitatis juxta Thomiſtas conditionatum, juxta alios abſolutum. Ibid. A. B. 269. C. Votum conditionatum non derogat perfectiſſimæ virginitati. 267. E. Parum confert excellentiæ ejuſdem, quod in hoc prima fuerit, nec ne. Ibid. Ejuſdem excellentia virginitatis relucet, ut vis alii prius voverint virginitatem. Ibid. D. Prima in charitate, humilitate, aliiſque virtutibus, licèt plures earundem virtutum cultores proceſſerint. Ibid. E. Dicitur prima virginitatem voviſſe ſpectata lege gratiæ. 575. C. Itidem ratione excellentiæ. Ibid. E., & ſeqq. In Mariæ virginitate præfulgebat fervor charitatis, firma immobilitas, ſumma puritatis intentio. Ibid. Caruit omni contrario. 576. A. Prima ſimiliter dici debet in genere cauſæ finalis, & exemplaris. Ibid. D. E. Hæc prioritas in maximum Virginis decus cedit. Ibid., & 577. A., & ſeqq. Bonorum omnium cauſa. Ibid. E. Exemplar ſanctitatis, & virginitatis. Ibid., & 578. B. Pluribus præfigurata in veteri lege ejuſdem virginitas. 579. B. Itidem pluribus revelata. Ibid. D. B. V. excellens in divinorum cognitione. 580. D. Votum virginitatis num fuerit emiſſum abſolute, an conditionate. Ibid. Sapienter Joſepho deſponſata. 581. B. Ejuſdem virginitatis votum a Sacerdotibus honeſtum fuit judicatum. 582. A. Sciebat Meſſiam ex Virgine naſciturum. 584. B. Mariæ virginitas quâlibet excellentior. 269. E. Excellentia hujuſmodi ſtat cum vero conjugio. Ibid. Difficilis objectio. Ibid. Puritas Virginis major præ ceteris. 270. D. Unde deſumenda eſt excellentia virginitatis Deiparæ. 273. C. Habuit aureolam virginitatis. 274. A.

S. *MARIA MAGDALENA DE PAZZIS*, dum divino beneplacito conformabatur, adverſus Dæmones pugnabat. 93. A.

S. *MARTINUS* refugiebat Epiſcopatum. 184. E.

MARTYRES.

MARTYRES in veteri teſtamento. 571. D. Martyres novæ legis in veteri Teſtamento præfigurati. 593. A. In veteri lege veri Martyres. 604. C. Perfectiores in nova. 607. C.

MARTYRIUM qaundoque cadit ſub conſilio. 119. A.

MASSALIANI negabant Monachos poſſe manuum labore victum acquirere. 363. B.

MATERIA voti quæ. 156. D.

MATRIMONIUM.

MATRIMONIUM quandoque poteſt cadere ſub voto. 157. B. In his laudabile, qui mutuo conſenſu abſtinent a copula. 225. B. Non ſolùm ad tempus, ſed toto vitæ tempore. Ibid. C. Matrimonium Deiparæ cum S. Joſeph. 248. B., & ſeqq. Ex tali matrimonio Maria, & Joſeph vocantur Parentes Chriſti. 249. D. In eo adeſt omne bonum nuptiarum. 251. D. Congruentiæ pro tali conjugio. 253. E. Matrimonium vere tale Mariam inter, & Joſeph. 248. E. Quomodo hoc componitur cum voto virginitatis Marianæ. Ibid. 265. D. 267. B. Stat verum matrimonium cum

pacto explicito nuſquam cohabitandi. ibid. Juxta Hugonem non habet pro fine primario propagationem. 271. E. 267. B. Rejicitur hæc opinio. 273. A. Matrimonium verum ſine maritali commercio. 252. E. Cooſiſtit io indiviſibili animorum conjunctione. ibid. Hæc onio eſt velut forma matrimonii. ibid. 259. A. Finis verò eſt generatio, & educatio prolis. 253. A. Sine hoc fine ſalvatur vera ratio Matrimonii. ibid. In vulgari intelligentia ſupponitur conſummatum. 258. C. Triplex conſenſus io contracto conjugali. 264. D. Quinam neceſſarius ad validum conjugium. 265. A. Matrimonium aliqui debent contrahere. 332. E. In veteri lege in Scripturis commendatum, ſed non omnibus præceptum. 568. B. Vide *Creſcite, & multiplicamini*. *Multiplicationis præceptum*. Matrimonium a Religioſis profeſſis intentatum ex natura ſua nullum. 312. D. Matrimonium ratum per Religioſam Profeſſionem diſſolvitur. 309. B., & ſeqq. Matrimonium ratum difficiliùs diſſolvitur, quam impediatur. 315. D. Matrimonium ſive ratum, ſive conſummatum antiquitùs diverſis exprimebatur nominibos. Ibid. E. Diſſolvi conjogiom ratum per votom ſolemne innuitur a Christo. 316. B. 320. E. Matrimonium ratum non diſſolvitur per ſubſequens iotentatum matrimonium conſummatum. 327. C.

MEDINÆ judicium de revelationibus. 736. D. Primùm adverſabatur S. Thereſiæ, hinc ejuſdem commendator eximius. 737. A., & ſeqq.

MEDITANTES divina ad Myſteriorum cognitionem deveniunt. 673. B.

MEDITATIO eſt medium ad contemplationem. 87. A. Ceſſat illâ habitâ. Ibid. Contemplatio eſt finis meditationis, illâ habitâ hæc ceſſat. Ibid. Explicatur per motum circularem. 88. D. Vita contemplativa melior activâ. Ibid. A. Activa non impedit contemplationem. Ibid. C. Conſiſtit in operatione. 89. C.

MELANCTHON.

MELANCTHON Seculo IV., & V. Monachos extitiſſe fatetur, ſed alios a præſentibus. 2. A. Negavit conſilia in lege gratiæ. 94. D. Evangelicæ paupertatis hoſtis. 342. C.

MELIUS quandoque juvat prætermittere. 480. E.

MENDACIUM in Spiritum Sanctum ex violatione voti. 347. D.

MENDICANTES.

MENDICANTES fraudolenter, ſicut non adimplentes promiſſa pernicioſo mendacio peccant. 409. C. Qui fingunt ſe aliter, ac ſunt, ut habeant eleemoſynas, tenentur ad reſtitutionem, ſicut qui alios divites proclamant, aut inobſervantes. Ibid. D. Mendicantes pro temporalibus dant meliora, nempe ſpiritualia. 412. B. Quando reprobandi ſunt. 416. A.

MENDICARE charitati non adverſatur. 362. H.

MENDICATIO.

MENDICATIO Regularibus licita eſt. 384. C. Vivere ex mendicatione eſt ex aliena miſericordia ſuſtentari. 387. C. Laudabilis. 390. C. A Christo exemplata. Ibid. Et ab Apoſtolis. 396. D. Suadetur ab Apoſtolo. 401. E. Mire deſervit ad perfectionem. 402. E. Nullum præceptum vetat mendicare. 404. E.

MENDICITAS ex occaſione peccati. 405. B. Non inde tamen a Diabolo eſt. ibid.

MICHAEL BAJUS male ſenſit de directione humanorum actuom. 115. E. Ejoſdem propoſitiones hac ſuper re proſcriptæ. Ibid.

MICHAEL MOLINOS. Vide *Molinos*.

MINISTER EVANGELICUS non debet evangeliſare, ut inde vivat. 367. D. Ex Eleemoſynis poteſt vivere. 370. D.

MINISTER quando publicus cenſendus eſt. 457. A.

MITELLA.

MITELLA, ſeu Mitrella dicebatur velum, quo Virgioes Deo ſacræ ab aliis dignoſcebantur. 317. E. Fiebat ex laoa purpurei coloris. 318. A. Deſcribitur ſtructura. Ibid. B.

MOLINOS.

MOLINOS virtutis exercitium damnabat. 81. D. Reprobandus in ſua conformitate ad divinum beneplacitum. 93. B. Doctrina quoad obedientiam Prælatis præſtandam reprobatur. 440. B. Hæreſim Beguardorum, Joviniani, & Pelagii extumulavit. 44. C. Ejus patria, officium, errores. ibid. Ab Innocentio XI. damnatus, perpetuo carceri traditur. Ibid. D. Status, quem fingit, pugnat cum vera ſanctitate. 47. A. Iotendit fovere vitioſam otioſitatem. 51. E. Monaſticæ obedientiæ hoſtis. 422. D.

MONASTERIA.

MONASTERIA unde exorta. 8. C. Nooooll temporibus Apoſtolorum extitere. 11. B. Non ſunt Seminaria Clericorum. 13. E. Ante ipſa fuere. 15. B. Monaſteria magnifice conſtructa a Principibus. 22. D. Monaſteria ſive virorum, ſive mulierum, ſcientibus Prælatis, inſtituebantur. 320. D.

MONASTICUM INSTITUTUM facilius juvenibus, quam provectis ætate. 472. B.

MONACHATUS.

MONACHATUS antiquitas laudabiliter propugnatur. 1. C. Monachatus ante Seculum IV. 2. B. Non diſcriminatur a præſenti. 17. A. Quovis tempore tria vota involvit. Ibid. B. Monachatus a Christo Inſtitutus. 4. D. Eſt ſtatus perfectionis acquirendæ. 207. E. In eo peculiariter Deo ſervitur. 208. C. 209. A. Io Monachatu tolluntur impedimenta, quæ chari-

ratis

Digitized by Google

tatis perfectionem retardant. 209. D. Perficitur charitas. Ibid. E. Felicitas Monachatus deſcribitur. 210. A. Non impedit obſervantiam mandatorum Dei. Ibid. Deſervit ad Eccleſiæ pulchritudinem. 211. A. A Chriſto inſtitutus. Ibid. D. 213. E. Eſt quoddam Martyrii genus. 212. C. Eſt ſtatus continui meriti, & perfectionis. Ibid. Hujus ſtatus laudes ex Patribus. Ibid. D. Eſt ſtatus perfectior aliis. 218. A. Monachatus irriſores primis Eccleſiæ Seculis fuere. 220. D. Vide *Wicleſus*, *Magdeburgenſes*. Calumniæ adverſus Monachatum. 219. B. 234. B. 235. B. Non importat omnium conſiliorum obſervantiam. 240. D. Eſt velut ſtatus generalis, ſub quo alii inter ſe diverſi continentur. 240. B. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ accenſetur. 506. B. Definitio Hierarchiæ apte eidem accommodatur. Ibid. C. Monachatus habet Hierarchicas actiones, purgandi ſcilicet, illuminandi, & perficiendi fideles. 507. A. Refert ſtatum Apoſtolicæ perfectionis. Ibid. B. C. Juxta Canonum Sanctiones ad opitulandum Epiſcopis ordinatur. 511. E. Eſt ſtatus ſpecialis ſolitudinis, & ſtudii ad divina. 523. E. Eſt conſiliorum profeſſio. 524. E. Monachatus ex Apoſtolica approbatione ordinatus ad Fidelium adjutorium. 526. B. Actiones aliquæ Hierarchicæ Monachatui adverſantur. Ibid. E. Monachatus Seminarium Epiſcoporum. 535. C. Secundùm ſubſtantiam non convenit unice legi gratiæ. 658. C. Bene verò ſecundùm perfectionem. Ibid. Ad veram rationem Monachatus non requiritur votorum ſolemnitas. 659. C. Sufficit ſtabilitas per vota. Ibid. D. Non eſt neceſſaria perfecta immobilitas. 660. D. 661. E. Si ſpectetur ſecundùm omnem perfectionem prædicta requiruntur. 662. D. Monachatus ſubſiſtit per vota. 663. C.

MONACHI.

MONACHI antiquitùs varie nuncupati. 2. C. D. E. 3. A. In Monachis aliud eſſentiale, accidentale aliud. 17. B. Inter ſe accidentaliter diſcreti. Ibid. C. Tribus primis Eccleſiæ Seculis floruerunt. 7. B. Impræſentiarum non alii ab antiquis. 19. A. Monachi apti ad Epiſcopatum. 186. A. Monachi mali caſtigati, ac reprobati. 19. E. Poſt lapſum aliis pejores. 20. B. Monachi nunc docti, ſicut antiqui. 22. A. Cur dicantur in ſtatu ſervitutis. 24. B. Plures ſanctitate celebres. 221. A. Reipublicæ utiles. 230. C. Calumniæ adverſus ipſos. 219. B. 234. B. 235. B. Ob publicam utilitatem plura peragunt. 235. A. Student placere hominibus, ut in ſpiritualibus eos adjuvent. 235. E. Gaudent de bonis operibus in ordine ad Deum. 236. B. Monachorum defectus ab Inſtituto non dimanant, ut male dicit Calvinus. 237. B. Debent quandoque reſiſtere redarguentibus. Ibid. C. Monachi debent ſæpe inſurgere adverſus detractores. 237. E. Eorum ſilentium damnabile. Ibid. Ex charitate debent redarguere detrahentes. 238. B. Debent bona Monaſterii defendere. Ibid. C. Quando ſumenda injuriarum vindicta. Ibid. D. In Monachis quidam defectus alte reprehenduntur a Laicis. 239. B. Alimenta meritò quærunt. 239. B. Non ſunt criminandi, ſi peregrinantur. Ibid. C. Magnatum adeunt palatia ob ſalutem animarum. Ibid. Non debent omnia Conſiliorum opera exercere. 240. B. Monachi a Laicis per ſolemnem profeſſionem diſcreti. 241. B. Horum ſtatus ſupra ſtatum Clericorum. Ibid. D. Quidam vivunt labore manuum, alii ex communibus Monaſterii bonis, alii ex bonis fidelium ſponte oblatis, alii demum mendicando. 362. D. E. Licite poſſunt Monachi manuum labore victum acquirere. 363. B. 379. A. Reprobantur otioſi, potiſſimum ſi pauperem in Seculo vitam agebant. 369. A. 380. E. Monachi non tenentur ſub præcepto ad laborem manuum. 370. C. Succeſſores ſunt Diſcipulorum Chriſti. 371. B. Evangelizare poſſunt. Ibid. Ex fructu prædicationis poſſunt vivere. Ibid. B. C. Aſſumuntur ab Eccleſia ad laborandum in vinea Domini. Ibid. D. Ex jure delegato competit ipſis ſacra peragendi. Ibid. E. Monachi militant in bonum publicum orationibus, ſacrificiis, jejuniis &c. 372. B. Jure optimo ſubſidia a Fidelibus recipiunt. Ibid. B. C. Qui contemplationi incumbunt ad laborem manuum non tenentur. 373. A. Itidem qui prædicant, vel Altari miniſtrant, aut Sacræ Scripturæ vacant. 374. B. C. D. Monachi non debent a propriis abſtinere exercitiis, ut victum labore ſibi comparent. 375. D. Aſſumenda potius ſpiritualia exercitia, quam labor manuum. Ibid. D. Non adeſt univerſale abſolutum præceptum laborandi, ſed quandoque conditionatum. 376. C. E. Monachi potius laborare debent, quam otioſe, & inquiete vivere. 377. B. Auguſtinus non præcipit Monachis laborem manuum. 378. E. Qui nam Monachi laborare tenentur. 380. A. Quandonam tenentur laborare, ut imitentur Apoſtolos. Ibid. D. Monachi S. Benedicti ſectatores non tenentur ad manuum laborem. 381. C. Non niſi ad vitandum otium præcipitur labor corporis. Ibid. Ruſticanum exercitium Monachis indecens, & impoſſibile. Ibid. E. Periculoſum. 382. C. Qui labor laudabilis in Monachis. Ibid. E. Licite poſſunt vivere ex bonis in commune collatis. 384. E. Sub Eccleſiæ primordiis opportune manibus laborabant. 383. A. Hoc tamen non omnibus commune erat. Ibid. B. Plures ſoli orationi vacabant. Ibid. C. S. Auguſtinus quibuſdam Monachis ſuaſor eſt, ut laborent. Ibid. E. 385. B. Licite vivere poſſunt ex eleemoſynis ſponte oblatis. 387. B. Laudabiliter vivunt ex mendicatione. Ibid. C. De Tonſura, & veſtibus vide *Tonſura*. *Veſtes Religioſorum*. Monachi antiquitùs ſecum aliqua pro communi ſuſtentatione afferrebant. 385. A. Cur laudabiliter poterant temporalia poſſidere. 386. B. Poterant

rerant Seculo V., & VI. de bonis, quæ horum nomine Monaſt... um poſſidebat, per teſtamentum diſponere. Ibid. C. Debent eſſe parati ad amplectendam vitam communem. 465. B. Quandoque excuſantur. Ibid. Damnabiles, dum in ſuperfluos uſus expendunt pecunias. 470. D. Licite vivere poſſunt ex bonis in communi poſſeſſis. 417. A. Hoc non officit paupertati Evangelicæ. 418. B. Si Superioribus careant, per accidens obedire non tenentur. 430. B. Monachi ſive Apoſtolorum, ſive ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Succeſſores. 507. E. Ex hoc meritò Eccleſiaſticæ Hierarchiæ accenſentur. Ibid. Monachi auxiliares Epiſcoporum. Ibid. E. Ad populorum ſalutem adoptati. 508. C. Ad hoc ſufficientem habent juriſdictionem. Ibid. E. Monachi, qui ſolitudinem profitentur, non docentis, ſed plangentis habent officium. 512. B. Catholicam fidem Invicte propugnarunt. 512. D. E. Apollinarii hæreſis ope Monachorum non prævaluit. Ibid. E. Neſtorii, & Arii deliramenta a Monachis impugnata. Ibid. D.E. Intra Urbes admiſſi ut Fidelibus in ſpiritualibus deſervirent. 513. A. Per ipſos Catholica fides aucta, atque corroborata. Ibid. Arduiora ipſis injuncta. Ibid. B. Non debent ſine cauſa e clauſtro egredi. Ibid. C. Quomodo de aliena ſalute ſolliciti eſſe debent. Ibid. D. Succeſſores Diſcipulorum Chriſti. Ibid. E. Sunt Apoſtolorum auxiliarii. 514. A. Eorundem ſucceſſio ab Apoſtolis cœpta, atque continuata. Ibid. B. Miſſionem habent ab habente legitimam poteſtatem. Ibid. E. Licèt primitus Epiſcopis ſubjecti, nunc meritò ab ipſis exempti. 516. B. Non omnes antiquitus Epiſcopis ſubordinati. Ibid. C. Poterant temporibus D. Hieronymi ſolemniter baptizare. Ibid. Unde ab Epiſcopis exemptio. Ibid. D. Jure ſubduntur Immediate Rom. Pontifici. Ibid. E. E re Pontificia eſt ſubditos ſibi habere Monachos. Ibid. Cur quidam Monachi antiquitus ſub Epiſcoporum diſciplina. 517. C. Nunc Monachorum vivendi ratio alia eſt ab illa Epiſcoporum. Ibid. D. Congrue ab eorum juriſdictione abſtracti. Ibid. Sæpe ab Epiſcopis vexati. 518. A. Abnuentes exemptionibus criminandi. 520. A. Monachi mali non debent bonis officere. Ibid. E. A Parochorum juriſdictione ſemper exempti. 522. B. Parochiam non adibant ad ſacra peragenda, ſed in propriis Eccleſiis Eccleſiaſtica operabantur. Ibid. C. Nonnulli antiquitus inter Presbyteros cooptati. Ibid. D. Monachi in ſolitudinibus huc, illucque habitantes, ſtatutis diebus ad propriam Eccleſiam accurrebant. Ibid. E. Monachi Sacris inaugurati D. Hieronymi ævo. 523. A. Sub temporibus D. Gregorii Sacerdotio Initiati non niſi in propria Eccleſia Sacra peragere poterant. Ibid. C. Sacris aſſiſtebant non In Parochia, ſed in propriis Monaſteriis, a Sacerdote Monacho celebratis. Ibid. Plures primis rei Chriſtianæ Seculis ad Parochiale munus aſſumpti. Ibid. E. Licet olim Epiſcopis ſubjecti fuiſſent, nunc meritò exempti. 524. B. Ab ipſis nullum Parochis damnum, multa verò utilitas ad populos derivat. Ibid. C. Qui digni ſunt, a Superioribus Sacris deputantur. 526. D. E. Studio humilitatis quandoque aliqui Sacris non erant inaugurati. Ibid. Monachi licèt non ſint Paſtores animarum, quaſdam valent exercere Hierarchicas actiones. 527. A. Alii ſolitarii, alii cœnobitæ, illis Sacerdotium periculoſum eſſe poteſt, ſecus iſtis. Ibid. B. In Conciliis Eccleſiaſtica peragebant negotia. Ibid. D. Primis Eccleſiæ Seculis in ſubſidium Paſtorum miſſi fuerunt. Ibid. Monachi Angelis comparati. 530. E. Eorum laudes. 531. A. Propugnatores Catholicæ Fidei. Ibid. B. Hæreſes a Monachis fortiter impugnatæ. Ibid., & ſeqq. Monachi hæretici a Monachis ſanæ fidei profligati. 532. B., & ſeqq. Monachi ad Eccleſiæ munia præ Clericis maxime idonei. 533. C. D. Ex Monachis Clerici aſſumebantur. 534. A. Gaudent latitare, niſi ad populorum ſalutem excitentur. Ibid. D. Paupertatem adoptarunt ab Elia, & Eliſeo. 585. D. Monachi vitare debent Regum Palatia, niſi ob pias cauſas. 615. C. Monachi in veteri lege diverſis nuncupabantur nominibus. 648. E. Subdebantur Summo Pontifici. 655. D. Eorundem Inſtitutum innoteſcebat. Ibid. E. Monachi quo tempore ingredi poſſunt Religionem. Vide *Juniores*.

MONACHORUM GENUS triplex, nempe Cœnobitarum, Anachoretarum, & eorum qui ſine Præſide, & regula vivebant. 12. A.

MONACHORUM FERVOR Tyrannorum diſquiſitionem elidebat. 12. D. Secretiora loca eligebant ad habitandum. Ibid. E. Eorum numerus primis Eccleſiæ Seculis. 13. B. C. Seculo abrenunciant, ut Deo famulentur. Ibid. E. Eccleſiaſticas dignitates refugiebant. 14. A. B. Plerumque eligebantur ad Sacra munia. Ibid. D. Proprias habebant Eccleſias. 18. A.

MONACHORUM DISCRIMEN quoad accidentalia, nempe ciborum, veſtium &c. 17. D. 18. E. Monachorum magna multitudo S. Hieronymi tempeſtate. 320. B.

MONACHUS.

MONACHUS comparative ad Parochum eſt in ſtatu perfectiori. 200. A. Quoad aliqua poteſt eſſe dignitate minor. Ibid. Monachus tranſire nequit ad officium Curati. 202. D. Perfectiſſimo modo proximorum ſaluti incumbit. 206. C. In Monacho eſt ſpecialis profeſſio operum virtutis pro acquirenda charitatis perfectione. 209. A. Debet perfecte vivere in Monaſterio. Ibid. C. Debet mortificationem amplecti. Ibid. E. Monachi ſacrificium eſt holocauſtum. 210. C. Monachus Chriſtum imitatur ſpecialius. 211. B. Incumbit perfectioni. 212. A. Inter homines Angelus eſt. 213. A. Monachus auſteritates non refugit. 216. E. Illi dulce ſapiunt. 217. A. Eſt de Religione Chriſti, ſed modo excellentiori.

tiori. 218. E. Monachus Eccleſiæ mire deſervit. 223. A. Monachus non eſt ſui Interfector. 223. E. Inter aſperitates in longum ſenium vivit. Ibid. Monachus quomodo Reipublicæ utilis? 230. C. 235. A. Parentibus orationibus ſuccurrit, 230. E. 231. B. Si ſolus cum muliere ſupereſſet, non poſſet cum illa nubere. 330. D.

MORBI, ſi qui ob ſervatam caſtitatem ſuboriri poſſunt, in Religionibus facile reparantur. 331. A.

MORTIFICATIO carnis mire ſpiritui deſervit, 232. B.

MOTUS prævenientes rationem non ſunt peccaminoſi. 40. B.

MOTUS in imaginem, ut eſt imago, ac in rem per imaginem expreſſam idem eſt, 674. B.

MOYSES, ET ELIAS ob caſtitatis excellentiam teſtes Transfigurationis Chriſti. 550. E.

MULIERES.

MULIERES aſſumptæ ad miniſterium Apoſtolorum caſtitatis voto obſtrictæ erant. 131. B. Mulieres piæ Chriſtum comitabantur, eique miniſtrabant. 364. C.

MULTIPLICATIONIS præceptum non habetur Gen. 1. per illa verba *Creſcite, & multiplicamini*. 563. D., vel ſi habetur non afficit ſingulos. 564. D. Multiplicatio etiam ſpiritualis ibi innuitur. Ibid. D.

MURATORIUS.

MURATORIUS LUDOVICUS ANTONIUS Carmelitarum Ordini, atque ejuſdem Inſtauratoribus infenſus. 704. B. Ejuſdem injuriæ, & falſitates referuntur. Ibid. C. Muratorii allucinationes. 706. C. De Carmelitano Ordine male ſcripſit ſine cauſæ examine. 707. E. Conſtitutio Gregorii X. Muratorii ſententiæ nullas fert ſuppetias. 710. E. Decretum Concilii Lugdunenſis a Muratorio relatum non concordat cum eodem Decreto relato in Decretalibus. 711. B. Non ſibi conſtans in dictis ſuis. 716. C. Dum Carmelitas inſectatur etiam Prædicatores ferit. Ibid. E. Inter plura falſa unum pro libito vult fore verum. 720. D. Falſis ſe fidit Hiſtoricis. 722. E. Arbitrariam, & Carmelitano Ordini injuriam finxit interpretationem. 723. B. Muratorii documenta ſibi perquam utilia. 725. B. Infenſus S. Thereſiæ, & S. Joanni a Cruce Carmeli Reformatoribus. Ibid. C. Subdole, & inſcite extaſes, & revelationes S. Thereſiæ ſopernaturales negat. 727. B. Confutatur Sanctorum, atque Eruditorum teſtimonio. 728. C. D. Inepte, atque demiſſe de ſupernis ſentit. 730. B. Regulæ Muratorii ad veras dignoſcendas viſiones deficientes. 732. B. Ejuſdem authoritas flocci facienda, utpotequæ contraria viris ſanctitate, & doctrina præcipuis. 734. E. Inane ejuſdem effugium refellitur. 735. A. Male inſurgit contra Veteres Doctores. Ibid. Male itidem argumentatur. 737. E. S. Thereſiæ doctrinâ revincitur. 739. A., & ſeqq. Immodeſte ſcripſit de doctrina S. Joannis a Cruce. 741. B. Ejus cenſura unica, & ſingularis. 742. D. Myſticis Doctoribus infenſus. 746. A. Inſcite ſuos Eroas commendat. Ibid. Suſdeque vertit perfectionis gradus. Ibid. C.

MUSCULUS inſurgit adverſus Religioſorum veſtes. 491. C.

MYSTERIA.

MYSTERIA FIDEI Prophetis, & Patriarchis revelata. 635. A. Non ſemper expreſſe declarantur in Scripturis. 651. E. Congrue occultantur. 581. B.

MYSTICI de viſionibus aliter ſentiunt, ac Muratorius. 731. A.

N

NATALIS ALEXANDER affirmat Carmelitarum Ordinem ab Honorio III., & Innocentio IV. confirmatum. 708. D.

NATIVITAS ſpiritualis in aliquibus corporali æquiparatur, 485. A.

NAZARÆI.

NAZARÆI, completo Nazaræatus tempore, tondebantur. 492. D. 500. D. Nonnulli voverunt caſtitatem. 553. E. In ipſis Religioſi referuntur. 554. B. Alii temporariam, perpetuam alii vovebant caſtitatem. Ibid. E. In lege gratiæ quidam hæretici. 555. B. In Nazaræorum votis quædam ſolemnitas. 664. C. Quidam Deo perpetuò conſecrari. 608. D.

NECESSARIUM quodnam excludat votum. 151. C.

NECESSITAS.

NECESSITAS eliciendi actum indeterminatum non tollit actum fieri ex conſilio. 117. D. Neceſſitas alia a principio extrinſeco, alia ab intrinſeco, illa minuit perfectionem actus, hæc perficit, ſi voluntarie fuerit inducta. 145. D. Commendatur a Patribus. Ibid. E. Comparatur neceſſitati Beatorum. 146. A. Neceſſitas coactionis involuntarium facit. Ibid. D. Neceſſitas ex voto proveniens habet non ferrea, ſed aurea vincula. Ibid. E. Quæ neceſſitas votum impedit. 151. C.

NESTORII hæreſis viriliter a Monachis impugnata. 512. D.

NICOLAUS DECANUS negabat licitam mendicationem Regularibus. 384. C.

NICOLAUS ex ſeptem primis Diaconis continentiæ hoſtis. 243. C.

NICOLAUS IV. Pontifex declarat Carmelitanum Ordinem approbatum fuiſſe. 713. C.

NOVATORES execrantur Religioſos ut judaizantes, ſi ciborum habeant delectum. 693. D.

NUPTÆ ſteriles in veteri lege in opprobrium,

brium, ſecus Virgines. 565. D.
NUPTIÆ non ſunt pro ſingulis hominum. 324. A, Sunt communitati neceſſariæ. 332. E.

O

OBEDIENTIA.

OBEDIENTIA Monaſtica Deo placet, & meritorie vovetur. 423. B., & ſeqq. Obedientiæ ſpeciale præmium. Ibid. E. Chriſtus hujuſce virtutis exemplar. 424. E. Hanc Ipſe ſuadet. 425. C. Alteri obedire prudentis eſt. 426. A. Plurimum deſervit obedientia ad perfectionem. 426. D. A Patribus commendatur. Ibid. E. Speciale obedientiæ exemplum. 428. D. Quomodo omnibus obtemperandum ſit. 429. C. Neceſſitas ex obedientia voluntaria. 431. D. Præſtanda eſt etiam Superioribus malis. 432. A. In hoc meritum augetur. Ibid. E. Obedientiæ votum obligat ad vitam communem. 467. C. Obedientia certam ſternit viam ad perfectionem. 433. E. Non niſi honeſta poteſt præcipere. 434. C. Quod Regulæ adverſatur nequit imperare. Ibid. D. Obedientia in his, quæ Monaſticæ obſervantiæ adverſantur, culpabilis eſt. 435. E. Triplex obedientia. 436. B. Obligat juxta Regulam. Ibid. Perfecta obedientia ad omnia laudabilia extenditur. Ibid. E. Obedientia in Monaſticis Inſtitutis limitata. 437. E. Quo ſenſu S. Bonaventura illam Minoritarum vult univerſalem. Ibid. Obedientiæ votum quoad latitudinem diſcriminatur a voto Caſtitatis. 438. A. Obedientia licèt limitata habet rationem holocauſti. Ibid. C. In obedientia ordo ſervandus. 439. B. Obedientia Monaſtica ad interiores actus extenditur. Ibid. D. Falſa Molinos doctrina reprobatur. 440. B. Obedientia extenditur ad novas leges. 440. D. Obedientia privatæ perſonæ licite præſtatur. 441. E. Obedientia maxima virtus. 444. D. Ceteras virtutes cuſtodit. Ibid. Obedientia Evangelica extenditur ad ea quæ ſunt præcepti, & conſilii, ad primam omnes tenentur, ſecus ad ſecundam. 437. C. Obedientia ab aliquibus voto adoptata in lege veteri. 584. E. 585. A. 586. C. 645. E. Hoc innuit Angelicus. 595. D. Obedientia ſine vinculo rarò ſervatur. 599. E. Quæ obedientia neceſſaria ad ſtatum Monaſticum. 653. E. 654. A., & ſeqq. Obedientia alia actualis, alia in animi promptitudine. Ibid. B. Superiorum obedientia quæ. 656. C.
OBEDIRE parentibus a ſtatu Religioſo retrahentibus non debemus. 221. D.
OBLATA a fidelibus, quibus ſacra miniſtrantur, licite recipi poſſunt. 106. E. Obligatio ex pluribus titulis conſurgere poteſt. 151. A.
ODO DE DUACO negabat licitum eſſe Regularibus mendicare. 384. C.

OPERA.

OPERA noſtra laudabiliter Deo vovemus. 135. A. Plura libera ſunt. 136. A. Opera Dei ex humana infirmitate, vel malitia ſæpe fruſtrantur. 489. A. Opera legis veteris ex ſe non poterant juſtificare. 544. C.
OPORTET non ſemper ſignificat neceſſitatem, ſed ſæpe innuit congruitatem. 564. A.
OPUS MELIUS, & optimum cadit ſub conſilio. 114. D.
OPUS SUPEREROGATIONIS datur, eſtque meritorium. 117. B. Opus ſupererogationis idem eſt, ac opus conſilii. Ibid. E. Probatur ex Patribus diſtingui ab opere præcepto. Ibid. Opus bonum eſt ſacrificium Deo acceptum. 137. C. Factum ex voto melius eſt, quam ſine illo. 139. E. Ad virtutem Religionis elevatur. Ibid. C. Melius eſt opus factum ex præcepto, quam ex conſilio. Quare. 147. C. Operi promiſſo ex voto quando officit pœnitudo. 148. B. Opus præceptum quomodo eſſe poſſit ſupererogationis. 255. E. Opus Dei aliud rerum productivum, aliud earundem adminiſtrativum. 686. B.
ORATIO non jam continua, ſed ad tempus præcepta. 106. D.
ORDINES MONASTICI, qui nunc florent, a primis non ſunt adæquate exemplati. 381. B. Plerique manuum laborem prætermiſerunt. Ibid.
ORDINES REGULARES undenam mitiores, aut rigidiores habeantur. 467. D.
ORDO INFERIOR nuſquam ſuperiorem æquat in perfectione. 271. B.
ORDO NATURALIS ſubordinatus ſupernaturali. 578. E.
ORDO RERUM ad naturam pertinet. 334. D.
OSSENI alii ab Eſſenis. 561. B. Genus hominum hypocritarum. Ibid.
OTIOSITAS vitioſa intenta a Beguardis. 51. E.

P

PANVINUS Onuphrius ab Honorio III. dicit Regulam Carmelitarum approbatam. 708. C.
PAPA cenſetur omnia jura ſcire. 713. C.
PARABOLÆ in quo debent verificari. 277. B. Plenæ myſteriis. Ibid. E.

PARENTES.

PARENTES obediendi non ſunt, ſi ſtatum Religioſum impediant. 221. D. Ipſos deſerere ob motivum Religionis non crudelitas, ſed pietas eſt. 222. A. E. Hoc docuit Chriſtus. Ibid. B. Damnantur, qui filias cogunt ad Religionem ſuſcipiendam. 223. D. Paulò æqui, immo inhumani cenſebantur Sæculo V., qui filios Monaſticen profeſſos patrimonii portione, & hereditate fraudabant. 385. C. Maxime ſolliciti ſint in puerorum educatione. 472. D. Devovebant Monaſticæ vitæ filios in puerili ætate. 476. B. Poterant filios in

Digitized by Google

in iofantili ætate Monaſticæ vitæ devotos revocare, Ibid. D. Srcns ſi ipſis ſcientibus ad Monaſterium confugerint . Ibid. Magna Parentum poteſtas per ſeptingentos annos erga filios . 477. A.

PARISIENSE CAPITULUM a proprii Epiſcopi Juriſdictione eſemptum . 521. E.

PARITATES io eadem linea ſunt inſtituendæ . 483. C.

PAROCHIALIS Eccleſia ubi populi frequentia . 523. A.

PAROCHI a Regularibus nullum babent in proventibus detrimentum . 524. C.

PARTICULARIA faciliùs cuſtodiuntur . 334. E.

PASSIONUM PURGATIO præcedit contemplationem . 480. E.

PASTOR animarum debet eſſe Doctor, non e contra . 511. A.

PATER æternus omnia per Verbum creavit . 686. A.

PATRES.

PATRES communiter docent juſtum in via non poſſe omnia vitare venialia . 55. D. & ſeq. Patres commendant continentiam . 104. A. Eliam, & Eliſæum agnoſcunt Principes vitæ Religioſæ. 644. A. 646. D. Ex hoc arguunt contra Hæreticos pro ſtatu Religioſo novæ legis . 649. A. Patrum ſenſa ex loquendi modo intelligenda . 590. D. E. Patres in lege veteri deſcribunt vota a pluribus adoptata . Ibid. Patrum auctoritas veneranda . 681. B.

PATRES ANTIQUÆ LEGIS.

PATRES ANTIQUÆ LEGIS Chriſtum venturum venerabantur . 540. D. Æternam expectabant hereditatem . Ibid. Tanquam hoſpites, & peregrini ad illam tendebant. 541. A. Scrutantes Scripturas æternam agnoſcere poterant felicitatem . Ibid. C. Juſtificabantur per fidem in Chriſtum venturum . Ibid. D. Qui juſtificabantur, ſpectabant ad legem gratiæ . ibid. E. 619. C. Suſceperunt Dei miſericordiam . 542. E. Non peragebant opera legis in ipſis ſpem reponentes . 544. D. Dicebantur in ſtatu ſervitutis . 546. E. Vide *Judæi*. Cum hoc componebatur eorum adoptiva filiatio . Ibid. Erant ex myſticis membris Chriſti . Ibid. Salvati per fidem Chriſti . 547. C. 673. E. In ipſum venturum credebant . 547. D. Pertinebant ad Chriſti Eccleſiam . 548. B. Plures perpetuam ex voto ſervaverunt caſtitatem . 551. E. Egregia virtutis opera elicuerunt . 553. B. In ea fuerunt voventes . Ibid. E. Quidam noverunt Chriſtum ex Virgine naſciturum . 565. B. 568. C. Plures laudantur ex filiis, & nepotibus . 567. A. Sanctiores noverunt Virginitatis excellentiam . Ibid. C. 578. D. Aliqui paupertatem, & obedientiam voverunt . 584. E. 589. A. Aliqui dati in exemplum virtutum . 590. A. Agnoverunt conſilia . 607. A. Deo perpetuò conſecrati . 608. C. D. Ardua plura peregerunt . 658. E. Ferebantur in Chriſtum per fidem, & dilectionem eandem, qua & nos dirigimur . 674. B. Quidam explicite credebant Myſteria ad Chriſtum ſpectantia . Ibid. C. Sperabant æternam felicitatem . 675. A. Noverant animæ immortalitatem . Ibid.

PAULA Romana paupertatem maxime coluit . 403. E.

PAULUS APOSTOLUS.

PAULUS APOSTOLUS labore manuum ſibi victum acquirebat . 363. D. Ad ſui imitationem alios provocabat . ibid. E. Poterat ex fidelium eleemoſynis vivere . 364. B. Corporaliter, non myſtice laborabat . 365. E. Quandoque ex eleemoſynis ſuſtentabatur . 366. A. Optat liberari a concupiſcentia . 41. D. Ex charitate cupit anathema eſſe pro fratribus . 107. D. Fuit Virgo . 330. A. Suaſor eſt, ut fiat eleemoſyna ſervis Dei . 401. E. Omnibus omnia pietatis opera ſuadet . 524. D. Reſtitit Petro circa ejuſdem cum Gentibus converſationem . 699. B. Cur quædam non revelavit arcana . 738. B.

PAULUS EREMITA Anachoretarum auctor in nova lege ex S. Hieronymo . 12. A.

PAUPER.

PAUPER poteſt meritoriè vovere paupertatem . 362. A. Pauperes voluntarii ſpeciali præmio donantur . 97. D. Pauperes Evangelici imitatores Chriſti, & Apoſtolorum . 350. C. Angelis æquales . ibid. Chriſtus ſua paupertate conſolatur . 388. C. Pauperes, quibus phraſibus mendicant . 392. D. In protectione Dei commorantur . 407. B. Voluntarii non dicuntur tentare Deum. Ibid. Reprobantur, ſi de populorum ſubſtantia volunt ditteſcere . 409. B. Pauperibus quibuſcunque facienda eſt eleemoſyna . 410. E. Pauperes in primitiva Eccleſia erant nonnulli . 411. D. Paucis contenti . 413. A. Sine adulatione Evangelium enunciant . 413. E.

PAUPERES DE LUGDUNO Hæretici . 717. B.

PAUPERES CATHOLICI ſub initium Seculi XIII. inſtituti in Hiſpania . 717. C. Eremitis S. Auguſtini adjuncti . Ibid.

PAUPERTAS EVANGELICA.

PAUPERTAS EVANGELICA non eſt perfecta ſine caſtitate, & obedientia . 4. E. A Chriſto commendata . 97. A. Ad perfectionem acquirendam ordinatur . Ibid. Non eſt præcepta . Ibid. D. Realis paupertas voluntaria non eſt ad ſalutem neceſſaria, benè verò affectiva . 98. A. Ab Hæreticis impugnatur . 334. A. 342. A. Non eſt neceſſaria ad ſalutem . 334. D. Non adverſatur juri naturali, aut divino . 335. A., & ſeqq. Nec legi Evangelicæ . 336. A. Paupertas alia realis, affectiva alia, prima non eſt ad ſalutem neceſſaria, bene verò ſecunda . 339. A. D. Actualis paupertas licita . 342. A. Vovere paupertatem honeſtum eſt, Deo gratum, atque me-

Digitized by Google

meritorium . 342. E., & ſeqq. Paupertatem pluribus docuit Chriſtus . 343. A., & ſeqq. Eandem commendavit . 344. D. Paupertas realis inter Beatitudines enumeratur . Ibid. Paupertas realis , cum affectiva debet eſſe conjuncta . 345. E. Mire deſervit ad cœleſtium contemplationem . 346. B. In primitiva Eccleſia deſcripta . Ibid. C. Paupertatis violatores morte mulctati . Ibid. E. Dicuntur mendacea in Spiritum Sanctum . 347. D. Tentare Deum . Ibid. E. Paupertas ad perfectionis conſecutionem deſervit . 348. D. Eſt primum fundamentum ad perfectionem charitatis acquirendam . 349. B. Evangelicæ paupertatis commendatio . Ibid. D. In primitiva Eccleſia a Fidelibus adoptata . Ibid. E. Ejuſdem laudes a Patribus . Ibid. Per paupertatem omnia diſſenſio tollitur . 350. B. Ipſa facit perfectos . Ibid. E. Non tamen dicit formalem perfectionem , ſed ad eam conſequendam deſervit . 359. A. Virtutes progerminat . Ibid. B. Dicitur quandoque perfectionis ſumma . Ibid. C. Sine charitate meritorie non deſervit ad Beatitudinem . Ibid. E. Sine paupertate quis perfectus eſſe poteſt . 361. A. Ipſa tamen multa confert bona nempe peccatorum recognitionem , virtutum conſervationem , quietem cordis , deſiderii adimpletionem , divinam dulcedinem , exaltationem , atque æternam felicitatem . Ibid. B. 403. A. Melior divitiis . 384. B. 407. D. Paupertas Chriſti non ſemper fuit ejuſdem rationis . 394. E. 395. D. Paupertas non excludit dominium in communi . 395. C. Habet latitudinem . Ibid. Laudabilis ex Patribus . 403. C. Involuntaria quandoque mala . 405. C. D. 407. D. 412. E. Periculoſa . 349. C. Paupertas Religioſa ſine communi vita difficiliter ſervatur . 457. E. 465. A. Paupertas in melius commutat divitias . 407. B. Paupertas ſecura . Ibid. Quando timenda . Ibid. E. Paupertas non eſt ipſa perfectio , ſed medium ad illam . 417. D. Ea eſt perfectior , quæ proprio Religionum ſtatui congruit . 418. B. Compatitur cum poſſeſſione bonorum in communi . Ibid. Non debet omnibus carere . Ibid. E. Ad ſapientiam acquirendam perutilia . 585. A.

PAUPERTAS.

PAUPERTAS adoptata in lege veteri . 584. E. 585. B. 604. E. Erat ex voto . 587. A. 645. E. Paupertatis conſilium cur dicitur proprium novæ legis . 589. E. Paupertatis exemplum ab antiquis Patribus ad nos derivatum . 590. E. Illa , quæ ſtatum conſtituit , debet eſſe voto firmata . 592. B. C. Paupertas voluntaria nequaquam in lege veteri prohibita . 605. E. Paupertatis plures gradus . 650. A. Stat cum aliqua proprietate . Ibid. B. C. Summa in Apoſtolis . 679. A.

PECCATA VENIALIA.

PECCATA VENIALIA per aliquod breve tempus omnia vitari poſſunt . 52. E. Quale ſit hoc breve tempus . 53. A. Juſtus quilibet venialibus inquinatus . Ibid. B., & ſeq. Unde oriatur eorundem frequentia etiam in ſanctioribus . 58. D. 72. B. Non dicuntur querela . 61. E. Singula vitare poſſumus , ſecus omnia collective . 62. D. Tenemur ipſa evitare ; quomodo . Ibid. Nonniſi in Patria omnia vitantur . 63. C. Quæ libertas ad venialiter peccandum . Ibid. D. E. Ex corruptione naturæ habentur . 72. B. Etiam a concupiſcentia . 73. A.

PECCATA MORTALIA omnia vitari poſſunt , ſecus venialia . 42. E. 43. E.

PECCATOR.

PECCATOR imago Diaboli per doctrinam , & imitationem . 686. D. Peccatores recenter converſi ad Religionem poſſunt admitti . 474. B. Peccatori non eſt deneganda eleemoſyna . 415. B.

PECCATUM.

PECCATUM veniale dici poteſt carnalis concupiſcentia . 36. B. Genus aliquod venialium omnimode vitari poteſt . 52. D. Non opponitur charitati , ſed fervori . 49. C. Diſponit ad corruptionem ejuſdem . Ibid. D. Peccatum , & crimen , in quo diſtinguantur . 56. D. Peccatum grave in Scripturis dicitur querela . 61. E. Peccatum occaſio boni . 405. B.

PECULIUM haberi poteſt a Religioſis juxta Apoſtolicæ Sedis indultum . 449. B. Peculium privatum in Religioſis ſapit proprietatis vitium . 457. D.

PELAGIUS volebat juſtos in via non poſſe peccare . 44. A. Damnatur in Concilio Carthaginenſi . Ibid.

PELAGIANI.

PELAGIANI volebant Chriſtianos omnibus debere renunciare . 94. B. Volebant neminem niſi pauperem poſſe ſalvari . 334. A. Volebant veterem legem dediſſe gratiam , atque eo tempore Regnum Cœlorum apertum fuiſſe . 632. A. 639. A., & ſeqq. Negabant Chriſtum Mediatorem hominum legis veteris . 674. E.

PEREGRINI ab Advenis diſcriminantur . 540. E.

PERFECTIO CHRISTIANA.

PERFECTIO CHRISTIANA quid ſit . 25. B. Perfectio rei conſecutio finis . Ibid. Verſatur inter charitatem Dei , & proximi . Ibid. C. Conſiſtit in præceptorum adimpletione . Ibid. D. Quibus retardetur impedimentis . Ibid. E. Promovetur obſervantiâ Conſiliorum . Ibid. Eſt conſequibilis in via . 26. B. Perfectio Creaturæ per imitationem divinæ perfectionis . 27. B.

B. Perfectio dilectionis triplex. 33. D. E. Perfectio major ex majori charitate. 39. D. Perfectio vitæ Chriſtianæ non habet in via terminum augmentari. 45. A., & ſeqq. Conſiſtit in charitate. Ibid. Impellit ad proficiendum. Ibid. Poteſt amitti. 75. B., & ſeqq. Dupliciter dicitur conſiſtere in charitate. 81. B. Eſſentialiter conſiſtit in charitate, ſecus totaliter. Ibid. E. Perfectio alia viæ, alia Patriæ. 59. E. Cum illa ſtat quædam neceſſitas venialiter peccandi, ſecus cum iſta. 60. A. In via ſemel habita poteſt deperdi. 74. E. Perfectio completa ex charitate unà cum aliis virtutibus habetur. 84. C. Perfectio vera ſemper ad ulteriora contendit. 90. E. Eſſentialiter dicit rectitudinem in ordine ad ſe, ad Deum, & ad proximum. 114. C. Genus perfectionis duplex, aliud utile, aliud neceſſarium. 122. B. Status perfectionis importat Evangelicam paupertatem. 361. D. Perfectioni officit potiſſimum affectus pravus. 180. C. Perfectio ſita eſt in puritate cordis, ſicut & in virtutum incrementis. 212. B. Perfectio eſſentialis ſita eſt in mandatorum obſervantia, inſtrumentalis in obſervantia Conſiliorum. 687. B.

PERFECTIO EVANGELICA præfigurata in veritate ſtatus paupertatis. 593. B. Exigit Evangelicam paupertatem. 344. C.

PERFECTUM illud eſt, quod proprium finem attingit. 25. B. 82. A.

PERFECTUS quis eſſe poteſt extra ſtatum perfectionis. 93. C.

PERFECTIS convenit obedientia. 433. C.

PERICULA vitare ſpectat ad magnitudinem virtutis. 614. E.

PERIPATETICI quo in honore apud Muratorium. 735. A.

PERSEVERANTIA in juſtis neceſſaria. 79. E.

PETRUS AURELIUS Regularibus infenſus. 529. C. 530. D. Inchoærenter argumentatur. 529. C.

PETRUS DE FOROSEMPRONIO Princeps Fraticellorum. 334. C. Vide *Fraticelli*.

PETRUS DE MACERATA Princeps Fraticellorum. 334. C. Vide *Fraticelli*.

PETRUS MARTYR.

PETRUS MARTYR continentiæ hoſtis. 102. D. Male Paulum explicat. Ibid. Negat vota licere in nova lege. 129. B. Fatetur veteres Patres doctrinam tradidiſſe de virginitate, ſed eos male reprobat. 299. C. Impugnatur. Ibid. 305. D.

PHANTASIÆ allucinationes non rarò contingunt. 729. A. B. Facile dignoſcuntur ab iis, qui divina patiuntur. Ibid. D.

S. PHILIPPI NERII Sectatores non vocantur Religioſi, aut Monachi. 594. B.

PHILIPPUS A SS. TRINITATE teſtatur de utilitate librorum S. Joannis a Cruce. 742. E. Alii in eandem confluunt ſententiam. 743. C.

PHILIPPUS LANDGRAVIUS Haſſiæ, vivente adhuc Uxore, aliam duxit, permittente Luthero. 294. B.

PHILO Eccleſiaſticis Scriptoribus cur adſcriptus. 7. D.

PHILOSOPHI.

PHILOSOPHI idem ac Monachi. 2. E. Philoſophi, ut ſtudiis vacarent, ſolitudinem elegerunt. 228. E. Agnoverunt caſtitatis excellentia. 557. B.

PIAMMON in Ægypto ſanctitate floruit. 220. A.

PICTAVIENSE CAPITULUM a proprii Epiſcopi juriſdictione exemptum. 521. E.

PLACERE hominibus quando laudabile. 235. D.

PLATO caſtitatem ſervavit, ut expeditiùs veritatem contemplaretur. 557. C.

PLATUS refert ex Religioſis Ordinibus Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos. & Epiſcopos aſſumptos. 536. B.

PLINIUS Eſſenorum laudat caſtimoniam, 555. D.

PŒNA talionis æqualitatem ſtatuit pro delicto. 688. E.

PŒNITERE de opere promiſſo malum eſt, pœnitere de actione promiſſiva imperfectionem ſapit, 148. B. Immo aliquod involvit peccatum. Ibid. D.

POLYGAMIA in lege nova reprobata. 294. D.

PONTIFEX.

PONTIFICES vitam communem Regularibus præcipiunt. 455. E. Pontifices arduiora Monachis commendarunt, videlicet infidelium converſionem. 513. B. Ob eorundem labores pluribus donati fuere privilegiis. Ibid. Poteſtatem habent eximendi Monachos ab Epiſcopali juriſdictione. 521. B. Pontifices ante Gregorium X. pluribus beneficiis Carmelitarum Ordinem cumularunt. 706. D. E. 724. E. Pontifex auctoritatem habet diſpenſandi in ædificationem, non in deſtructionem. 199. A. Vult ſtatum Monaſticum vigere. Ibid.

POSSESSIO bonorum nulli præcepto adverſatur. 334. D.

POTENTIA ad evitanda omnia venialia non datur in juſto. 73. A.

PRÆDESTINATIO de lege ordinaria omnibus incognita. 67. A.

PRÆDICATORES Evangelii paupertatem colere debent. 343. E. Id docuit exemplo ſuo Chriſtus. Ibid. Prædicatores ex eleemoſynis viventes nullâ Simoniæ labe vitiantur. 414. B.

PRÆCEPTUM.

PRÆCEPTA obſervari poſſunt. 26. C. Non ſunt gravia. 28. C. Plures illa obſervarunt. 31. E. Præcepta ceremonialia difficilis obſervantiæ in lege. 41. B. De his controverſia inter Antiochenos. Ibid. Præcepta ſervari poſſunt omnia viribus gratiæ. 42. B. Non ſunt impoſſibilia. 33. A., & ſeqq. Quomodo homini gravia. 42. C. Amanti ſuavia. Ibid. Præcepta referuntur ad charitatem. 25. C. 82. D. Non

obſervantur ſine virtutibus . 84. C. Dei præcepta ſunt regula voluntatis humanæ . 85. E. Quam libertatem relinquant in homine 163. C. Moralem imponunt neceſſitatem . Ibid. Præcepta legis veteris deſcribuntur . 684. C. , & ſeqq. Cur dicantur non bona . 687. A. Legalia gravia quidem , ſed non impoſſibilia . 689. A. Cur ab Apoſtolis non fuerunt confirmata . Ibid. Affirmativa præcepta n. 365. , negativa n. 600. 692. A. Nunc legalia , & ceremonialia non obligant , bene verò moralia . Ibid. D. , & ſeqq. Chriſtus moralia præcepta a Judæis depravata reſtauravit . Ibid. E. Quando ceſſarunt . 698. B. Legalia, & ceremonialia in ſola Judæa obligabant . 700. C. Præcepta a Deo immediata nequeunt diſpenſari . 697. D. Præceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima &c. quomodo in via impletur . 33. D. Adimpletur omnia mortalia evitando . 34. C. Præceptum vitandi omnia venialia collective non datur. 64. D. Præceptum quid eſt . 95. C. Dantur præcepta in lege gratiæ . Ibid. E. Diſtinguuntur a Conſiliis . 94. A. 97. C. Eſt de neceſſariis ad ſalutem. 104. D. Præceptum quodlibet vel affirmativum , vel negativum . 109. D. Præceptum diligendi Deum ex toto corde , ex tota mente &c. explicatur. 110. C. Eſt negativum , & affirmativum . 111. E. Admittit opera ſupererogationis . Ibid. Præceptum quodlibet adimpleri poteſt ſecundùm majorem , vel minorem perfectionem . 112. A. In hoc habetur ratio conſilii . 117. E. Præceptum adverſatur libertati carnis . 119. D. Præcepta omnibus dantur, ſecus conſilia . 125. A. Præceptum , & votum diverſam important obligationem . 154. C. Præceptum de comeſtione , & præceptum de generatione diſcriminantur. 332. C. Præceptum abſolutum laborandi non datur omnibus . 376. C. E. Præceptum eſt ab extrinſeco . 352. E. Præcepti capax Chriſtus . 352. E.

PRÆLATIO a ſubjectione deſumenda . 482. B.

PRÆLATI.

PRÆLATI utpote Apoſtolorum ſucceſſores tenentur verbo divino incumbere . 371. A. Prælati Regulares poſſunt internos actus præcipere . 439. D. Incumbere debent ſpirituali ſubditorum profectui . Ibid. E. Nova præcipere quandoque poſſunt . 440. D. Nequeunt impedire tranſitum ad perfectius Inſtitutum . 441. A Solliciti eſſe debent, ut congrua ſubditis miniſtrentur . 448. B. De infirmis ſint maxime ſolliciti. Ibid. E. Singulorum neceſſitates, non perſonas inſpicere debent . Ibid. B. A ſuperfluis abſtineant . Ibid. Tenentur inducere, ſeu conſervare vitam communem in Religione . 465. A. Nullum timeant ſcandalum . 468. A. B.

PRÆMIUM juſtis inæquale . 48. C.

PRISCILLIANISTÆ temere uſurpabant prædicandi munus . 529. A.

PROBATIO ſpiritus ubi veritas incerta . 488. E.

PROFESSIO RELIGIOSA.

PROFESSIO Monaſtica non delet *ex opere operato* culpam , & pœnam ; bene verò *ex opere operantis* omnem relaxat pœnam ; ſi culpa ſit deleta . 21. B. Quo pacto dicatur Baptiſmus . Ibid. C. Pravas animi affectiones coercet . 209. D. Eſt holocauſtum . 210. C. Olim ſub unico expreſſo obedientiæ voto emittebatur . 242. E. Diſcriminatur a Sponſalibus quoad obligationem . 322. D. Convenit in aliquibus . Ibid. Sicut etiam convenit cum matrimonio conſummato . 328. E. Profeſſio , juramentum , & votum in ordine ad ſtatum Religioſum idem ſignificant . 595. E. Tacita Profeſſio quæ . 655. E.

PROFICERE ſemper debet homo in via . 91. E.

PROHIBITIO cur ad agendum contra legem fortius excitet . 690. A. , & ſeqq.

PROMISSIO.

PROMISSIO boni ad bonum excitat . 150. E. Quæ fit in Baptiſmo non eſt votum . 152. B. Hominibus facta obligat . 162. C. Promiſſio declarat voluntatem . 353. B.

PROMULGATIO neceſſaria ad vim legis . 612. D.

PROPAGATIO.

PROPAGATIO humani generis ſub ſtatu innocentiæ juxta veteres quoſdam ſine carnali commercio . 272. A. Propagatio carnalis , ſicut & ſpiritualis quovis tempore præcepta . 653. B.

PROPHETÆ.

PROPHETÆ viſibilia populo miniſtrabant , ut ad æterna allicerent . 637. C. Nonnulli cœlibes . Ibid. E. Aliqui ſimul vivebant . Ibid. Ob rerum contemptum inſani credebantur . 638. C. Divinis vacabant . Ibid. Eorum vivendi ratio , atque indumentum ab aliis diſcreta . Ibid. D. Eorum Inſtitutum innoteſcebat . Ibid. 655. E.

PROPHETIA.

PROPHETIA alia comminationis , prædeſtinationis alia ; illa quandoque mutatur , ſecus iſta . 353. E. Sine charitate eſſe poteſt . 726. B. Quomodo peccatum eam impedit . Ibid. C. Ad ipſam requiritur maxima mentis elevatio , quæ ab externis occupationibus impeditur . Ibid. Prophetia tum ad aliorum utilitatem , tum propriæ mentis illuſtrationem . Ibid. D.

PROPOSITUM virginitatis ſæpe diverſum a voto . 308. B. 352. C.

PROVIDENTIA.

PROVIDENTIA DEI omnia diſponit juxta cujuſque naturam . 64. E. Optima eſt quoad juſtos quandam permittens neceſſitatem

tatem labendi in venialia . 65. A. Suaviter , & efficaciter omnia ordinat . 109. A. Ad hanc ſpectat non omnia fore præcepta. Ibid. Non vult homines otioſos . 367. E. Providentia Divina quandoque fatum dicitur , 562. C. D. Caute hac voce utendum. Ibid.

PROXIMUS diligendus gratuite , efficaciter , & ordinate . 124. C.

PSEUDO-APOSTOLI legem Moyſis ſervandam dicebant. 668. A.

PUERI.

PUERI antiquitus admiſſi ad Monaſteria. 22. B. Admiſſi ad Religionem non ſtatim inter fratres connumerati . 473. C. Pueri in prima ætate vel ſe ultro Monaſticæ vitæ devovere poterant , vel etiam Parentum oblatione . 476. A. Quondam permanere debebant in propoſito. Ibid. B. Antiqua Eccleſiæ diſciplina hac ſuper re . 477. B.

PURGATIO paſſionum ante contemplationem. 480. E.

Q

QUERELÆ nomine in Scripturis venit grave peccatum . 61. E.

QUIES vera in viatore eſt tendentia in Deum . 91. C.

QUIETISMUS verus a falſo quomodo dignoſcatur . 89. D. Falſi Quietiſmi fraudes . Ibid. Voluptuoſa amplexatur. Ibid. E. Sacra refugit . Ibid.

R

RACHEL quietem contemplationis refert ; Lia verò laborem in acquirendis virtutibus . 482. D.

RASURA omnium capillorum ſignificat rerum omnium abdicationem . 494. B. Cum ſpe futurorum . Ibid. D. Vide *Tonſura* .

RECHABITÆ.

RECHABITÆ ſub obedientiæ voto . 596. D. A Deo ſpecialiter remunerati . Ibid. E. Eorundem obedientia in exemplum . 597. B. Promiſſerunt obedientiam , & paupertatem . Ibid. C. Erant veteris legis Religioſi . Ibid. E.

REDEMPTIO in paſſione completa . 698. B.

REFORMATIO Regularium apud Seculares laudabilis . 468. E.

REGULARES.

REGULARES unde dicti . 3. D. Circa proximum jure delegato operantur . 179. B. Sunt Coadjutores Epiſcoporum . 371. B. Vide *Monachi* . Licite vivere poſſunt ex mendicatione . 384. C. Chriſtum imitantur laudabiliter ſic vivendo . 387. C. &c. Ex Apoſtolis didicerunt . 396. D. Jus habent æquitatis ad mendicandum . 399. E. Hoc omnibus etiam ſubditis competit . 400. C. D. In ipſis non ſpectatur meritum. 402. B. Sed ſanctitas miniſterii . 402. B. Mendicantes fraudolenter. Vide *Mendicantes* . Otioſi redarguendi . 413. D. Mendicando non ſunt proximis graves . 414. C. Spiritualia pro temporalibus compenſant . Ibid. Non ſunt Simoniaci . Ibid. B. Ipſis largienda eſt eleemoſyna. 415. C. His potius , quam aliis tribuenda . 416. C. Pauperes non defraudant . Ibid. Lege miſericordiæ ipſis debetur ſuſtentatio . Ibid. D. Tenentur proximorum ſaluti ſtudere. 420. C. Jure recipere poſſunt ſuſtentationem a fidelibus , non minus ac Clerici , qui Sacramenta miniſtrant . 420. D. E. Si oſcitanter divinis incumbant , ad reſtituendas eleemoſynas non tenentur . 421. A. Non debent in ſuperfluos uſus eleemoſynas diſtrahere . Ibid. C. Vid. *Eleemoſyna* . Tenentur ſub gravi ad vitam communem . 465. B. Quandonam excuſentur . Ibid. Non excuſantur , ex quo profeſſionis tempore non eſſet in uſu . 466. E. Quorundam prævaricatio non debet alios a Religione retrahere . 489. C. Regulares nullâ inſigniti præeminentia gaudent juriſdictione 509. B. Ob evidentem Eccleſiæ utilitatem Privilegiis condecorati . Ibid. C. Ab Epiſcopali , & Parochiali juriſdictione exempti . Ibid. Secundum proprium ſtatum Clericis adſcribuntur . Ibid. D. E. In ſortem Domini vocati , ſicut Clerici . 510. A. B. Ad opitulandum Epiſcopis inſtituti . 511. E. Hierarchicas actiones , media charitate, & ſcientia exercent . Ibid. Ipſis Infidelium converſionem commendata . 513. B. In ipſis ſimplex rerum uſus . 515. A. Ab ultimis Seculis Regulares omnes immediate Rom. Pontifici ſubduntur . 519. D.

RELIGIO.

RELIGIO Chriſtiana eſt una unitate myſtica . 214. B. Sub ſe plures peculiares Religiones continet . Ibid. Num perfectior Monachali ? 217. C. Habet latitudinem perfectionis. Ibid. E. Importat Dei cultum. 208. C. Religio Clauſtralis deſervit ad excellentiora charitatis opera exercenda . 210. A. Ejus felicitas deſcribitur . Ibid. Religio quælibet ſervat Conſilia Evangelica . 215. C.

RELIGIO MONASTICA.

RELIGIONEM ingredi licet invitis parentibus . 221. A. Religio eſt ſtatus acquirendæ perfectionis . 483. E. Religio Monaſtica a quolibet ante Chalcedonenſe Concilium inſtitui poterat . Dein requiſita fuit Epiſcopi licentia ; poſtmodum ſub Innocentio III. ſancitum eſt , ut nova Religio non inſtitueretur . 654. E. 655. A. Religiones quædam ex Pontificia diſpenſatione

 ne

ne vitam Communem non ſervant. 463. E.
RELIGIOSA PROFESSIO nullum reddit ex natura ſua ſubſequens Matrimonium. 309. B., & ſeqq. 312. D. Diſſolvit ratum. 315. D. 317. C.

RELIGIOSI.

RELIGIOSI unde dicti. 3. D. Rara habebant in Oppidis Monaſteria primis Eccleſiæ Seculis. 18. B. Aſſumuntur ab Epiſcopis ad opera perfectionis. 204. E. In Cantico Danielis deſcripti. 642. A. Religioſus delicate vivere non debet. 449. B. Nihil proprium habere debet. 450. A. Communia ſint menſa, veſtes, & reliqua. Ibid. B. Miniſtri neceſſaria tribuant. 451. D. Religioſus Apoſtolicæ vitæ poſt Spiritus Sancti adventum conſummatæ imitator. 461. B. Ad vitam communem ex duplici momento tenetur. Ibid. E. Congrue Tonſurâ utitur, & veſtium diverſitate. 493. A., & ſeqq. Vide *Tonſura*, *Veſtes Religioſorum*.

RELIGIOSUS STATUS.

RELIGIOSUS STATUS cum Epiſcopali gradu componibilis. 6. D. In ſe poſitive bonus. 479. A. Peccatores ab eo non ſunt arcendi. 480. B. A juvenibus amplectendus. Ibid. Meritò conſulendus. 489. E. Ad ipſum laudabiliter invitari poſſunt homines. 490. A. Iiſdem trahi muneribus. Ibid. B. Reprobandi, qui juvenes retrahunt a Religione. Ibid. C. Aſſimilantur Pharaoni. Ibid. D.
RENUNCIATIO Epiſcopalis dignitatis non adverſatur juri divino. 175. D.
RES eadem diverſis temporibus diverſimode explicata. 315. E. Res uni perfecte tradita nequit tradi alteri. 321. C. 322. D.
RESPUBLICA bene ſe habebit, ſi Monachi pro ea oraverint, dicebat Juſtinianus Imp. 230. E.
RETRIBUTIO Dei æterna felicitas. 540. C.

REVELATIONES.

REVELATIONES mulierum potiſſimum perpendendæ ſedulo. 725. D. Non omnibus fides præſtanda, nec omnes rejiciendæ. Ibid., & 727. C., & ſeq. Quæ veræ ſunt, facile ſe produnt. 729. A. In veris revelationibus non eſt opus phantaſſæ. 731. B. Ex effectibus apte dignoſcuntur. Ibid. Certa regula ad veras dignoſcendas viſiones. 732. B. Effectus veræ revelationis deſcribuntur. Ibid. C. 733. B. A viris ſanctitate, & doctrina præcipuis adoptati. 733. C. S. Hildergardis revelationes ſcriptis ab ipſa commendatas probavit S. Bernardus. 735. C. Veritas revelationum difficile creditur ab hominibus, qui terrena ſapiunt. Ibid. E. Judicium Caramuelis de revelationibus. 736. A. Iiſdem Medinæ. Ibid. D. Non omnes revelationes manifeſtandæ. 737. E. Plures, Deo approbante, manifeſtantur. 740. D. Ex earundem manifeſtatione plura ſpiritualia bona eveniunt. 741. A.
RIBOTTI PHILIPPUS Carmelita a Seculo XIV. Muratorii ratiunculas enervavit. 712. D., & ſeqq. Invicte probat Ordinem Carmelitanum ante ſecundum Lugdunenſe Concilium confirmatum. Ibid.
RICORDANUS MALASPINA. Vide *Malaſpina*.
RITUS, & ceremoniæ ſacræ non vitiant Religionem. 215. B.
RITUS JUDAICI quando reprobandi. 492. B.
RITUS GENTILIUM ſemper mali, ſecus Judæorum. 699. D.
ROMA temporibus S. Hieronymi Jeroſolymam æmulata eſt in conſtruendis Virginum Monaſteriis. 320. B.

S

SABBATI FESTUM partim morale, partim ceremoniale. 701. E. Ut morale perſeverat in lege gratiæ, ſecus ut ceremoniale, niſi in figurato. 702. A.
SACERDOTES quidam Deorum totum corpus radebant. 498. E. 500. D. Sacerdotibus Hebræorum vetitum erat caput radere, & carnes incidere in Defunctorum exequiis. 500. E.
SACERDOTIUM VETERIS LEGIS longe diverſum a Sacerdotio legis gratiæ. 666. C. Figura noſtri Sacerdotii, ſed inſimul vera ceremonia conſecrans homines ad Sacrificia offerenda. 669. A.
SACRIFICIA VETERIS LEGIS figuræ Sacrificii noſtri, ſed inſimul ex ſe vera ſacrificia inſtituta ad cultum Dei. 669. B. Sacrificium dicitur opus bonum. 137. C.
SADUCÆORUM SECTA a Chriſto reprobata, ſecus Monachatus. 214. E.

SALMANTICENSES.

SALMANTICENSES propugnant in lege veteri quoſdam Monaſtica vota Deo voviſſe. 538. B. Impugnantur a Galiano Spucha. Ibid., & ſeqq. Salmanticenſes male a Galiano traducuntur. 610. C. 615. B. Falsò criminantur. 639. E. Perperam dicit Galianus ipſos adverſari decreto Inquiſitionis Hiſpanæ. 645. B. Salmanticenſes nuſquam dixerunt in veteri lege ſtatum fuiſſe Religioſum quoad perfectiones Evangelicas. 665. E. 667. B. Nuſquam verbis ambiguis utuntur. Ibid. Male traducuntur a Galiano. 670. A. B. 672. C.
SALVIANUS Epiſcopus acriter inſurgit adverſus Parentes, qui Religioſos filios privant hereditate. 385. D.
SAMARITANI in quatuor ſectas diſcreti. 560. C.
SAMUEL Religioſum Conventum Prophetarum inſtituit. 642. B.

SANCTI.

SANCTI apologeticos libros ad ſe defendendos conſcripſere. 237. E. Avibus aſſimilan-

lantur . 373. D. Plerique votis adſtricti . 132. A. Aſſumuntur in exemplum virtutis . Ibid. D. Ipſos veneratur Eccleſia . Ibid. Sanctis licitum eſt vota nuncupare . 143. A. Ipſi pro nobis Deum exorant . Ibid. Explicatur votum, quod fit Sanctis. Ibid. C.

SANCTITAS CREATA relate ad increatam, quid immundum cenſetur . 121. B. Sanctitas viæ eſt in augmento . 47. A.

SANCTIMONIALIS.

SANCTIMONIALIS ſi ſola cum homine ſupereſſet , non poſſet cum illo nubere . 330. D. Sanctimoniales tondebantur ad oſtendendum mundi contemptum . 494. C. Ligato capite incedebant . ibid. Diſcreto ab aliis habitu utebantur . 496. E.

SAPIENS ille eſt , qui Dei legem implet . 85. A.

SAPIENTIA eligibilior divitiis . 406. C. Melior cum paupertate Evangelica , quam cum divitiis . Ibid.

SCANDALUM non eſt timendum , dum vitæ communis rationem in Religionibus reformare ſtudent Superiores . 468. A.

SCIENTIA infuſa , & naturalis in Chriſto . 356. B.

SCHISMA non eſt timendum ex privilegiis Regularibus conceſſis . 529. D.

SCOTUS vult B. Virginem abſolutum votum emiſiſſe ante deſponſationem . 248. C.

SCRIPTURA.

SCRIPTURA in ſenſu proprio intelligenda , niſi ſequatur abſurdum . 249. B. In ſenſu litterali intelligenda. 393. B. Non eſt reſtrictive , ſed ampliative intelligenda . 400. A. Viam docet ad ſalutem . 541. C. Senſum habet litteralem , & myſticum . 568. A. Non ſemper ſub terminis generalibus omnes comprehendit . Ibid. Scriptura Sacra dividitur in legalem , & ſapientialem, ſeu prophetalem . 632. E. Quandoque comparative intelligenda . 637. E. Speculum mentis . 665. C. Potiſſimum intelligenda ſecundùm ſenſum . 690. E.

SECULARIA contemplationem impediunt . 482. E.

SECULARES opera conſilii exercentes cur non ſint in ſtatu perfectionis . 240. C.

SECULARIS vivendi ratio periculoſa . 484. A.

SEGNERI PAULUS male intellectus a Muratorio . 743. E. Cur libros S. Joannis a Cruce e legentium manibus eripere ſolebat . 745. A.

SENSUS LITTERALIS Scripturæ fundamentum ſenſus myſtici , allegorici &c. Ibid.

SEQUELA Chriſti ſpecialem exigit obedientiam . 425. E.

SERMO privatim fit , prædicatio in communi . 379. E.

SERVITUS magis adverſatur dominio , quam paupertas . 392. B. Servitus alia timoris, amoris alia . Illa ad veterem , hæc ad novam legem ſpectat . 408. B. Servitus imperfecta componitur cum filiatione . 545. A.

SERVUS , qui ſupererogationis opera facit , laudatur . 104. E. Qui ſola præcepta ſervat , dicitur Servus inutilis . 105. D.

SEVERUS SULPITIUS Monachorum Commendator . 534. E.

SEXUS varietas non inducit obligationem nubendi . 331. B.

SILENTIUM quandoque damnabile . 237. E.

SIMEONES STILITA admirabilis . 224. A. In columna ad plures annos vixit . ibid. Mira ejuſdem obedientia . Ibid. C. Ejus vivendi ratio a Patribus approbata . Ibid. Miracula poſt mortem . Ibid. D.

SIMILITUDO hominis ad Deum in participatione dominii . 335. A.

SOLEMNITAS.

SOLEMNITAS Conſecrationis conſtituit ſtatum Monaſticum. 320. C. In quo conſiſtit hæc ſolemnitas . Ibid. , & 327. E. Solemnitas votorum humani juris . 623. D. Non eſt neceſſaria ad conſtituendum ſtatum Religioſum , 659. C. Solemnitas alia intrinſeca , alia extrinſeca ; utraque in Monachatu legis veteris . 664. A. B.

SOLINUS Eſſenorum caſtimoniam refert . 556. B.

SOLITUDO mire deſervit ad divina . 228. C. A Philoſophis electa . Ibid. E. Laudes . 229. C.

SPECIES RERUM quando moraliter multiplicantur . 155. C.

SPIRITUALIA ad æterna conducunt . 78. E.

SPIRITUS SANCTI Divinitas a Monachis propugnata . 531. E.

SPUCHA GALIANUS . Vide *Galianus* .

STATUS.

STATUS quid ſit . 23. A. Importat perfectionem conſummatam in ſua linea , immobilitatem , & quietem . Ibid. B. , & 24. C. Ad libertatem pertinet , vel ſervitutem . 23. C. Status moralis involvit aliquam obligationem . Ibid. D. Explicatur ſtatus gratiæ , & peccati . Ibid. E. Status Virginum , & Viduarum eſt libertatis . 24. A. Clericus , & Monachus cur in ſtatu ſervitutis. 24. B. Status ordinem dicit ad obligationem . 24. C. Status principium habet , medium , & terminum . 24. D. Status Chriſtianæ vitæ quid ſit . 24. E. Eſt conſequibilis ab hominibus in via. 26. B. Status gloriæ quoad perfectionem ſuperior ad actus vitæ præſentis , ſecus quoad valorem . 50. E. Status perfectionis peculiaris exigit Conſiliorum obſervantiam . 127. B. Non eadem eſt omnibus . Ibid. D. Status perfectionis importat immobilitatem . Ibid. E. Hæc non debet eſſe ab extrinſeco præcipiente , ſed a libero conſenſu . 128. A. Eſt ex conſilio . Ibid. Status perfectionis dicit ea ſe perpetuitatem . Ibid. D. A Chriſto approbatus . 135. E. Status perfectionis melior ſi involvat præceptorum , & conſiliorum obſervantiam . 147. D. Status alius perfectionis acquirendæ , alius exercendæ . 166. E. Uterque deſcribitur . Ibid. Status acqui-

rendæ perfectionis dividitur in ſtatum Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Ibid. Denominatio horum ſtatuum eſt a charitate. 167. A. Status iſti deſcribuntur multipliciter. Ibid. C. Perfectio ſtatus unde deſumenda. 176. E. 240. C. Non ex majori merito, ſed ex perpetua obligatione. 205. B. Ad ſtatum perfectionis non requiritur obſervantia omnium conſiliorum. 239. E. Non omnes facit perfectos. 93. C. Deſcribitur a S. Thoma. Ibid. D. Ad ſtatum perfectionis Religioſæ requiritur aliqua ſolemnitas. Ibid. Conſiſtit in obſervantia præceptorum, & conſiliorum. Ibid. E. Status ſecundùm myſticum diſcrimen Incipientium, Proficientum, & Perfectorum ſignificat principale ſtudium tripliciter proficiendi in via ſalutis. 51. D. Hoc explicatur. Ibid. Status quilibet magis, magiſque perfici poteſt. Ibid. E. Non eſt poſſibilis ſtatus, in quo aliqui omnia evitent venialia. 52. C. Status viatoris idem eſt in lege gratiæ, ac in lege Moyſis. 75. C. In hoc ſtatu gratia ſæpe deperditur. Ibid. Status perfectionis dicit perpetuam ſolemnem conſecrationem. 200. C. Quædam requirit formaliter, quædam efficienter, quædam materialiter. 507. D. Status meriti, & perfectionis diſtinguitur. 201. B. Status politicus impetitur ab Hæreticis. 237. B. Status quilibet ſtatutis ab initio regulis non ſemper adhæret. 524. A. Jus habet finem proprium conſequendi. 526. A. Status veteris legis imperfectus reſpective ad legem gratiæ. 543. E.

STATUS RELIGIOSUS.

STATUS RELIGIOSUS quoad eſſentiam conſiſtit in profeſſione trium Conſiliorum cum traditione. 5. C. Plura habet ſupra ſtatum Epiſcopalem. 189. D. Status iſte eſt diverſæ rationis ab illo. Ibid. E. Maxime deſervit ad vitia refrænanda. 485. C. Vide *Religioſus ſtatus*. Firmatur voto. 593. B. 594. C. Quoad ſubſtantiam in lege veteri. 610. B., & ſeqq. Hanc docet ſententiam Angelicus. Ibid. C. Status Religioſus perfectior Epiſcopali, ſecus Presbyterali. 614. B. E. Status Religioſus veteris legis a Chriſto inſtitutus. 619. A. 620. A. Non fuit reduplicative in dicta lege ut Evangelicus. 622 E. Quomodo dicatur ab Apoſtolis. 625. B. Status Religioſus in veteri lege publicus publicitate facti. 637. C. D. Pluribus dignoſci poterat. 639. E. Conſtituitur per caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ obſervantiam. 641. A. Decretum Inquiſitionis Hiſpanæ probat ſtatum Religioſum in veteri lege quoad ſubſtantiam. 645. D. Si ſtatus Religioſus in veteri lege non conſtaret ex Scriptura, abunde innoteſceret ex Traditione. 652. C. Ejuſdem ſtatus quædam ſpecies extitit in lege naturæ. Ibid. E. Status Religioſus ſub Eccleſiæ primordiis inſtitui poterat ſine Epiſcopi dependentia. 655. B. 662. B. Ad ſtatum Religioſum in veteri lege non erat neceſſaria revelatio. 658. E. Nec ſolemnitas votorum. 659. D. Nec perfecta immobilitas. 660. D. 661. E. Status Religioſus veteris legis quomodo verus inſimul, & figurativus. 670. B. Sententia de ſtatu Religioſo in lege veteri non infert ſucceſſionem in aliqua determinata Religione. 682. B. Status Monachalis præeminet officio Parochi. 200. B.

STERILITAS neceſſarius naturæ effectus. 565. C.

STUDIUM placendi hominibus laudabile eſſe poteſt. 235. D. Studium privatum nuſquam prævalere debet adverſus Catholicam fidem. 681. C.

SUBDITUS non tenetur obedire Prælatis præcipientibus, ſeu diſpenſantibus in his, quæ Regulari Obſervantiæ adverſantur. 434. E. Subditus nequit abſque Superioris facultate dignitatem extra Religionem aſſumere. 441. A.

SUPEREROGATIONIS opera quandoque exercenda. 126. E. Qui nollet illa exercere quando peccat. Ibid.

SUPERIORES Regulares. Vide *Prælati Regulares*.

SUPPLICES idem, ac Monachi. 2. E.

SYNAGOGA.

SYNAGOGA figura Eccleſiæ novæ legis. 539. A. Ipſi promiſſum Regnum Cœlorum. Ibid. E. In lege veteri vera Chriſti Eccleſia. 548. A. Male dicitur Concubina. Ibid. Non tantùm carnaliter, ſed etiam ſpiritualiter propaganda. 568. B.

T

TABERNACULO in veteri Teſtamento viginti duo millia octingenti octoginta Levitæ deſerviebant. 526. C.

TANTUCCIUS ex Ordine Prædic. adverſus Abbatem Fleury male audientem de revelationibus D. Catharinæ Senenſis doctrinam refert Angelici Doctoris, quæ mire cohæret cum illa S. Matris Thereſiæ. 733. C.

TALENTI nomine quid venit in Scripturis. 125. E.

TEMPORALIA.

TEMPORALIA cum ſubordinatione ad cœleſtia quærere non eſt damnabile. 340. C. Eorum dominium componitur cum ſtatu ſalutis. Ibid. Non ſunt proxima occaſio avaritiæ. 358. D. In lege veteri præfigurabant æterna. 545. B. Promiſſa in ordine ad æterna. 605. B.

TENTATIO.

TENTATIO in ordine ad bonum. 230. A. Tentationes quædam fugiendo potius, quam pugnando vincuntur. 241. E. Diſſipantur per recurſum ad prudentem Directorem. 444. A.

TEN-

TENTAT Deum, qui miraculis vult ab eo adjuvari. 408. E.

TEPIDIS in via ſpiritus omnia ardua videntur. 68. E.

TERRA PROMISSIONIS in veteri lege præfigurabat æternam felicitatem. 545. D.

TERTULLIANUS in ſignum Chriſtianæ ſimplicitatis humilem veſtem deferebat. 500. A.

TESTAMENTUM VETUS.

TESTAMENTUM VETUS figurale, & typicum, ſanguine confirmatum. 548. E. Meritò apud nos in honore. 702. E. Per ipſum comprobatur novum. 703. A. In eo plura moralia documenta. Ibid. Vide *Lex vetus*.

THECLA caſtitatis voto ſolemniter Deo conſecrata a nuptiis liberata eſt. 316. D.

THEODOSIUS preces Joannis Eremitæ expoſtulavir. 230. C.

THERAPEUTÆ idem quod Monachi. 2. D.

S. M. THERESIA.

S. M. THERESIA ab impuris Phantaſmatibus immunis. 52. E. Imperfectionum gravitatem declarat. 57. D. S. M. Thereſiæ votum ſemper agendi perfectius pluribus explicatur. 65. D., & ſeqq. Quidam volunt illud obſervaſſe ex ſpeciali privilegio. Ibid. Seraphicam Sanctitatem expoſcebat. 66. A. Quomodo dicatur non eſſe imitandum. 67. C. Ejus univerſalitas. Ibid. D. Cum limitationibus fieri laudabiliter poteſt. 68. B. Aſſignantur quinque principaliores. Ibid. Sine limitationibus non eſt imitabile. 69. B. Male dicunt quidam tale votum non obſervatum a S. Thereſia. 70. E. Sub clariori forma, additiſque tribus circumſtantiis iterum fuit emiſſum. 71. B. Per hoc non fuit imminuta excellentia voti. 71. D. Quomodo cum hoc voto venialiter peccare poterat. Ibid. E. Quantæ fuerit perfectionis. 73. C. A Dæmonibus vexata illos devicit. 92. E. S. Thereſia ad grandia fuit a Deo electa. 727. A. De illius revelationibus, atque extaſibus male loquitur Muratorius. Ibid. B., & ſeq. 728. A. Ejuſdem revelationes, & doctrina Sanctorum, atque Eruditorum judicio velut regula cenſentur, ut aliarum veritas deprehendatur. Ibid. C. Ejus ſpiritus dicitur divinus, ejus doctrina cœleſtis. Ibid. D. Magiſtra a Deo data Eccleſiæ. Ibid. Ejus doctrina Muratorium ferit. Ibid. E. Vel Muratorio invito compertum eſt ex ejuſdem doctrina paſſam eſſe divina. 729. E. Egregia ejuſdem doctrina pro veris dignoſcendis revelationibus. 731. B. C. 732. B. C. 733. B. Ejuſdem doctrina affabre cohæret cum doctrina S. Thomæ. 733. C. A viris ſanctitate, & doctrina inſignibus adoptata. Ibid. Ejuſdem revelationes ab iiſdem ut genuinæ creditæ. Ibid. 734. B. In diſcuſſione ejuſdem ſanctitatis maxime divexata. 735. B. Quid de ea ſenſerit Medina. 737. A. Aſſerit non omnes revelationes eſſe manifeſtandas. 739. A. Revelationes ſcripſit ex Superiorum mandato. 740. A. Commendat ſublimem S. Joannis a Cruce ſpiritum. 742. B.

S. THOMAS DE AQUINO.

S. THOMAS immunis a ſtimulis carnis. 52. D. Acriter pugnavit pro Religioſis Ordinibus. 243. B. 379. B. Vult B. Virginem emiſiſſe votum abſolutum continentiæ poſt deſponſationem; conditionatum verò ante matrimonium. 248. C. 263. C. 264. A. Aſtruit ſtatum Religioſum quoad ſubſtantiam in lege veteri. 610. D., & ſeqq. Supponit Eliam vere Monachum. 614. B. Propugnat conſilia in veteri lege fuiſſe ſervata. 625. E. Male aſſumitur a Galiano pro ſua ſententia. Ibid. S. Thomas Aquinas nequaquam ad Concilium Lugdunenſe pergebat animo deſtruendi Carmelitarum Ordinem. 716. D. Nequaquam Monachus fuit, ſed ex Ordine Prædicatorum. 719. D., & ſeqq. Obiit apud Monachos, ſed non profeſſione Monachus. 720. B. Plura falſa ſcripta ſunt de S. Thoma. 720. E. Quidam dicunt veneno ſublatum. Ibid., & 711. B. Validus Mendicantium Propugnator. Ibid. C. Egregie humilis. Ibid. C. D. Ejus elogium. Ibid. D. Vocatus ad Concil. Lugdunenſe, & quare. 722. E.

THOMAS A JESU vir pietate, & doctrina conſpicuus plures extraneos refert Auctores, qui laudabiliter de Carmelitarum Ordine ſcripſere. 708. A.

TONSURA.

TONSURA Religioſorum laudabilis. 491. E. Eâ uſus eſt Paulus. 492. A. Myſtica ſignificatio. Ibid. E. Uſus tonſuræ ob laudabiles fines antiquitus inſtitutus. 493. B. Tonſura ſignificat revelata myſteria, quæ ſub velamine tegebantur. Ibid. Innuit Chriſti humilitatem, & ignominiam. Ibid. Exprimit ſpineam Chriſti coronam. Ibid. C. Innuit inanes cogitationes rejiciendas. Ibid. D. Significat peculiarem ſervitutem in Dei obſequium. Ibid. E. Tonſuræ in modum coronæ ſignificatio. 494. B. Fuit in uſu ſub primordiis Eccleſiæ. Ibid. 497. B. 498. D. Deprecabantur Epiſcopi per eam, quam habebant coronam. 497. B. Coronæ nomen in Clericis capillorum tonſuram in circulum deductam apud Patres proprie ſignificabat. Ibid. D. Tonſura in capite cur defertur? 498. B. Eâ uſus eſt S. Petrus. 498. A. Ab ipſo uſus Tonſuræ dimanat. Ibid. D. Ubique Gentium Clerici eâ utebantur. Ibid. Tonſura Gentilium alia ab illa Clericorum. Ibid. E. Tonſura Clericorum alia eſt ab illa, quam omnibus præcipit Apoſtolus. 499. B. Per tonſuram Clerici a Gentilibus dignoſci poterant. Ibid. E. Tonſura Clericorum diſcreta ab illa Monachorum. 500. B. Quæ tonſura in lege veteri Judæis prohibita. Ibid. D. 501. B.

Tonſura alia apud Græcos, ac apud Latinos. 503. C. Ejuſdem uſus certo innititur fundamento. 504. C. Quandoque per abraſionem, quandoque per tonſionem fiebat. Ibid. E.

TRADITIO actualis ſolvit ſimplicem præcedentem traditionem. 327. B.

TRADITIO ſive in nova, ſive in veteri lege admittenda. 652. B.

TRIBVLATIONES.

TRIBVLATIONES a Patribus nomine aquarum explicantur. 77. C. In Sanctis non inclinant ad malum. Ibid. Tribulationes ad ſpiritualem ducunt conſolationem. 119. E. A Deo immiſſæ, ſi lubenter acceptentur, fiunt meritoriæ. 151. E.

TRIDENTINUM præcipiens Regularibus communem vivendi rationem jus novum inſtituit. 454. C. Eidem conſonat Sacra Congregatio. 455. A.

TIPOGRAPHIA in rem litterariam damnoſa. 703. D.

V

VALLA LAVRENTIUS Dionyſii Areopagitæ opera ſuppoſita affirmat. 7. E.

VALERIUS vir Conſularis paupertatis cultor. 403. D.

VALESIUS perperam adverſatur Philoni. 3. E.

VAMBA Hiſpaniarum Rex in delirio Monaſtico habitu indutus ex Eccleſiæ diſciplina tunc temporis vigente Monaſticæ vitæ adſtrictus. 477. B.

VARIATIO rerum quandoque eſt perfectiva, 523. A.

VARIETAS accidentalis veritati non officit. 503. C.

VARTANUS Armenorum Pſeudomagiſter legem veterem vult nunc quoque obligare, 793. B.

VASQUEZ ſentit D. Thomam voluiſſe Deiparam ante deſponſationem habuiſſe quidem deſiderium virginitatis, non verò propoſitum, aut votum. 263. D. Impugnatur. 264. A.

VELVM.

VELUM quo antiquitùs velabantur Virgines Deo ſacratæ dicebatur Mitrella, Mitella, Mitra, Cidaris. 317. E. Mitrella fiebat ex lana purpurei coloris. 318. A. Deſcribitur ſtructura. Ibid. B. Velum conſecrationis non jam Viduis, ſed ſolis Virginibus concedebatur. Ibid. C. Velum hujuſmodi dicebatur flammeum. 319. B. Statutis diebus imponebatur. Ibid. A.

VERITAS quandoque explicite, quandoque implicite tradita. 651. E.

VESTES.

VESTES nigræ antiquitùs ſignum continentiæ. 309. E. Veſtes Religioſorum ut indumenta Hypocritarum reprobantur a Wicleſo. 491. B. Congruunt uſui laudabiliter a Scripturis commendato. Ibid. E. Uſus veſtium in Monachis ob laudabiles fines antiquitus inſtitutus. 493. A. Innuunt mundi contemptum. 494. E. Aſſumuntur in ſignum pœnitentiæ. Ibid. Mutatio veſtium ſignificat morum mutationem. 495. A. Referuntur aliæ ſignificationes. Ibid., & ſeqq. Diverſitas veſtimentorum inter Religioſos meritò aſſumpta. Ibid. C. Humilitas veſtimentorum a Chriſto commendata. Ibid. E. In primitiva Eccleſia adoptata. 496. A. A Patribus laudata. Ibid. C. Seculi renunciationem innuebat. Ibid. D. Abuſus Monaſtici veſtimenti non officit ejuſdem ſanctitati. 505. D.

VETERES DOCTORES male criminantur a Muratorio. 735. A.

VEXATIO Dæmonum quomodo vincenda. 92. E.

VIA SALVTIS quo pacto arcta dicitur. 119. D. Via carnis ubi eſt libertas. Ibid. E. Ducit ad perditionem. Ibid.

VIATOR cur dicatur homo. 47. C. Semper proficere debet. Ibid. E.

VIDVÆ.

VIDVÆ, quæ Eccleſiæ deſerviebant, caſtitatis voto ligatæ. 289. A. Violantes votum damnatæ. Ibid. Non ſunt cogendæ ad continentiam ſervandam. 308. C. Continentiæ laudes ipſis declarandæ. Ibid.

VIGILANTIVS.

VIGILANTIUS continentiæ hoſtis. 243. D. Sicut & Evangelicæ paupertatis. 341. E. 384. B. Divitias paupertate Evangelica meliores dicebat. Ibid.

VINDICTA quæ laudabilis, quæ damnanda. 238. D.

VIOLATIO voti novam addit malitiam peccato. 150. B.

VIOLATORES votorum graviter puniti. 346. E. 347. B., & ſeqq.

VIRGINES.

VIRGINES Deo ſacræ Tertulliani ævo. 9. A. Virgines nobilioris notæ, S. Hieronymi ævo, ancillas ad famulatum aſſumebant, Virgines quidem, ſed nequaquam caſtitatis voto obſtrictas. 307. E. Virgines ſolemniter Deo ſacratæ velabantur antiquitus a Sacerdote. 317. D. E. Varium erat velamen, quo utebantur. Ibid. Dicebatur Mitrella, Mitella, Mitra, Cidaris. Ibid. Fiebat ex lana purpurei coloris. 318. A. Deſcribitur ſtructura. Ibid. B. Conſecrabantur ab Epiſcopo. Quomodo. Ibid. B. Virgines primis Eccleſiæ Seculis fuſcam veſtem induebant. Ibid. D. Quædam privatim, ſolemniter aliæ. Ibid. E. Determinatis diebus talis ſolemnitas peragebatur. Ibid. E. Poterant in paterna domo habitare. 319. C. Plures in Monaſteriis vita agebant. Ibid. Nonnullæ ſolitariam vitam ducebant. 320. A. Virginum Monaſte-

naſteria antiquitus in magno numero. Ibid. Virgines apte Angelis comparantur. 329. E. Virgines in veteri lege Deo famulabantur. 573. C. Erant perpetuo voto Virginitatis obligatæ. Ibid. E. Erat irritabile votum. Ibid.

VIRGINITAS.

VIRGINITAS ſub conſilio. 101. A. Laudabilis. 102. B. Ejus laudes referuntur. 103. C. Ad eam Chriſtus hortatur. 104. A. Deſumit perfectionem per acceſſum ad terminum, & per receſſum a contrario. 273. C. Virginitas definitur. 274. B. Virginitas ſecundùm formale eſt virtus. 333. B. Nuſquam opprobrioſa fuit credita. 565. B. In lege veteri ejus excellentia a ſanctioribus cognita. 567. C. Vide *Caſtitas in lege veteri*.

VIRGINITAS in lege gratiæ faciliùs quam in veteri ſervatur. 580. C. Carnalibus gravis. 679. E. Studium hujuſce virtutis in veteri lege rarum. Ibid. Virginitatis votum non eſt laqueus animarum. 144. B. Sub primordiis Eccleſiæ in uſu. 162. B.

VIRTUS.

VIRTUS quælibet ſuam habet perfectionem. 360. A. Sine charitate caret merito. Ibid. Evangelica paupertate conſervatur. 361. B. Virtutes facile deperduntur, niſi exerceantur, augeanturque. 46. C. D. Virtutes deſiderantur ad perfectionem Chriſtianæ vitæ. 81. E. In charitate fundantur. 82. E. Ex charitate ſunt meritoriæ. 83. A., & ſeqq. Virtutes morales moderantur ſenſus. 84. B. Debemus illas acquirere. Ibid. Non ſunt pura media ad acquirendam charitatem. 86. C. Sunt neceſſariæ ad conſervandam charitatem. Ibid. Moderantur paſſiones. 86. C. Prævie ad charitatem ad eam diſponunt, eâ habitâ conſervant. Ibid. E. Exercitium virtutum animam Deo unit. 88. A. Virtutes ad præceptum affirmativum revocantur. 112. E. Poſſunt exerceri ex conſilio. 117. E. Quæ intentio neceſſaria, ut dirigantur in Deum. Ibid. Exercitium virtutum poſſibile. 120. C. Virtutes in Deum ordinantur. 137. A. Per votum promoventur. 150. E. Per intentionem ad diverſas ſpecies trahuntur. 151. D. Virtutes quælibet habent gradus. 167. B. Licet figurativæ ſunt tamen veræ virtutes. 637. B. Quandoque perfectæ ſine voto. 676. D. Eædem ſive in veteri, ſive in nova lege quoad ſubſtantiam, ſecus quoad perfectionem. 657. E. Ex Chriſti adventu perfectæ. 678. C.

VIS APPETITIVA ſecundùm Deum regi debet. 111. C. Alia ſuperior, inferior alia. Ibid.

VISIONES. Vide *Revelationes*.

VITA CONTEMPLATIVA.

VITA CONTEMPLATIVA perfectior activa. 177. E. Securior, & melior activâ. 204. D. Ex abundantia charitatis deſcendit ad proximorum ſalutem. Ibid. E. Activa ordinatur ad contemplativam. 331. D.

VITA COMMUNIS.

VITA COMMUNIS præcepta a S. Auguſtino Sanctimonialibus in Monaſterio degentibus. 351. A. Vita, quæ communis dicitur, nihil proprium ſibi vendicat; congruam tamen habere debet ſuſtentationem ex bonis communibus. 447. A. B. Promovet Regularem perfectionem. 449. D. 457. E. A Patribus commendata. 449. E. Apoſtolicis Regulis conſonat. 451. A. 461. A. Decretis Pontificum, & Conciliorum. 451. A. Sine vita communi periclitatur non ſolùm Religioſa paupertas, ſed etiam ipſa Religio. 458. E. Communis vita fovet virtutes. 460. C. Non eſt abrogata lex eam præcipiens per oppoſitam conſuetudinem. 463. A. Vita communis obligat Religioſos ſub gravi. 465. B. Illam amplecti tenentur Religioſi, quamvis, dum profeſſi ſunt, non eſſet in uſu. 466. E. Ex vita communi nulla timenda ſunt mala. 468. E. Ad eam cogi poſſunt Religioſi. 470. E. Apud nonnullos in lege veteri. 586. C. Potiſſimum apud Filios Prophetarum in veteri lege. 591. C. D. Vide *Filii Prophetarum*. 594. A.

VITA EREMITICA laudabilis. 226. B. Deſervit ad divina contemplanda. 228. C. Ad cordis puritatem. 229. A.

VITA PRIVATA.

VITA PRIVATA abſolute inſpecta bona eſt in Religione, ſecus ſpectatis Pontificiis Sanctionibus. 461. E. Quandoque ex neceſſitate adoptata. 464. E. In Religionibus contentionum occaſio. 469. A. Non eſt probabilis opinio de vita privata ſervanda poſt Conſtitutionem Innocentianam. 470. A. Vita privata, ut permitti poſſit, plures involvit conditiones. Ibid.

VITA SOLITARIA ſecurior, quam vita Miniſtrorum Eccleſiæ. 207. A.

VITIUM quorundam non debet omnibus obeſſe. 416. E.

VOCATIO Religioſa ſtatim amplectenda. 488. A. Etiam in juvenili ætate. Ibid. Seriò perpendenda. Ibid. C.

VOLITUM directe, & indirecte explicatur. 193. E.

VOLUNTARIUM neceſſarium ad peccandum. 63. E. 64. A.

VOLUNTAS.

VOLUNTAS libera quoad præcepta. 64. E. Non habet vires ad evitanda omnia venialia. 65. A. Voluntas quomodo dicitur operari motu circulari. 89. C. Omnium motuum ſpiritualium principium. 111. A.

VOTUM.

VOTA Religioſorum retrahunt a Seculi Illecebris. 209. D. Quæ in Religionibus emittuntur, dicuntur ab Hæreticis impia, & ſacrilega. 241. C. Eſſentialia pro Religioſo ſtatu. 594. D. Vota ſimplicia minuunt perfectionem traditionis. 609. A. Emiſſa in manu Conſeſſarii quondam conſtituebant Religioſum. 663. D. Vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ reſpiciunt Cœleſtis Patriæ hereditatem. 539. E. Fuerunt in veteri lege. 645. D. Vota ſolemnia obligant juxta mentem Fundatorum, particularia verò juxta intentionem voventis. 466. E. Votum perficit virtutes. 70. B. Votum perfectius ſemper agendi quando viro ſeculari concedendum. Ibid. Laudabile pro aliqua determinata virtute acquirenda, vel vitio extirpando. Ibid. C. Definitur, & explicatur. 128. E. Eſt lex particularis. 129. A. A juramento in quo diſcriminetur. Ibid. Eſt licitum in lege nova. Ibid. C. Non enumeratur inter ceremonias legis. Ibid. E. Ante Moyſem dabatur. Ibid. In nova lege excellentius. 130. C. Firmat voluntatem in bono. 131. D. Obſequium præſtat Deo. 131. E. Sub Eccleſiæ primordiis in uſu. 132. B. Executio voti eſt ex virtute fidelitatis. 133. B. Spectat ad præcepta moralia. Ibid. C. Convenit Evangelicæ libertati. 134. D. Laudabiliter opera noſtra Deo conſecrat. 135. A. Ordinatur ad Dei cultum. 136. D. A Deo commendatur, ac remuneratur. 137. E. De re libera placet Deo. 138. E. Votum idem, quod promiſſio. 141. C. Diſtinguitur a deſiderio. Ibid. D. Deus exigit voti executionem. Ibid. Votum quandoque ſumitur improprie. Ibid. E. Explicatur votum, quod fit Sanctis. 143. C. Non involvit morale periculum peccandi. 144. D. Ut ſit laudabile, penſandæ ſunt circumſtantiæ. Ibid. E. Opus factum ex voto melius eſt, quam ſine illo. 139. E. Ad virtutem Religionis elevatur. Ibid. C. Prudenter vovendum. 145. A. Vires gratiæ ſpectandæ. Ibid. B. Votum eſſe poteſt de rebus præceptis. 149. B. Quale votum admittant Novatores. Ibid. Votum, & juramentum quoad vinculum ſunt idem. Ibid. D. Si violetur votum de re præcepta, nova habetur malitia. 150. B. Votum de re præcepta virtutem promovet. Ibid. E. Non poteſt fieri de re abſolute neceſſaria. 151. C. Non eſt votum illa promiſſio, quæ fit in Baptiſmo. 152. B. Per votum nulla irrogatur injuria legi divinæ. 153. E. De eadem re quando novum votum dari poteſt. 154. B. Votum, & præceptum diverſam dicunt obligationem. Ibid. C. Axioma illud: *Votum eſt de meliori bono*, explicatur. 156. A. Quæ materia voti. Ibid. D. Votum aliud proprium, aliud improprium. 158. B. Votum adimplendum eſt. 159. E. In lege veteri ſemper adimpletum. 160. E. Obligat votum nedum temporarium, ſed etiam perpetuum. 161. C. Votum perpetuum Chriſtianam non evertit libertatem. Ibid. D. Sacrilegus qui votum violat. Ibid. E. Adimpletio voti ad Laicſam ſpectat. 163. C. Votum libere emittitur, ſed ejuſdem obſervatio ex præcepto. 163. E. Non eſt proprie lex. 164. E. Firmitatem habet a lege naturali. 165. A. Dei adjutorio adimpleri poteſt. Ibid. C. Gravis difficultas in voti adimpletione quandoque liberat a voto. 166. A. Votum ſolemne quo pacto diſſolvat matrimonium ratum. 321. A., & ſeqq. Voti violator dicitur mendax in Spiritum Sanctum. 347. D. Itidem tentare Deum. Ibid. E. Nullum votum emiſit Chriſtus. 351. D. Votum diſtinguitur a propoſito. 352. C. Votum firmat voluntatem in bono. 552. B. Etiam in veteri lege Deo acceptum. 553. E. Tria importat, nempe propoſitum voluntatis, deliberationem, & promiſſionem. 352. C. Diſcrimen votum inter, & præceptum. 352. E. Votum habet rationem holocauſti. 354. E. Quandoque ſignificat deſiderium. 355. E. Solemne promiſſionem dicit cum traditione, ſecus votum ſimplex. 321. C. Per votum ſolemne homo perfecte ſeipſum tradit Deo, ſecus per votum ſimplex. Ibid. C. D. Nequit alteri ſeipſum tradere. 322. D. Votum ſolemne ſolvit matrimonium ratum, impeditque ſubſequens celebrandum, ſecus poteſt ſolvere conſummatum. 325. B. Votum caſtitatis, & matrimonium comparari non poſſunt, ſi adæquate ſpectentur. 326. D. Votum firmat voluntatem in bono. 356. E. Votum paupertatis laudabile ſive in divitibus, ſive in pauperibus. 362. A. In primitiva Eccleſia. 9. E. Votum paupertatis. Vide *Paupertas Evangelica*. Votum caſtitatis tanquam excellens commendatur a Chriſto. 276. D. Hujus prærogativa a carnalibus ignoratur. 278. C. Habet ſpirituale præmium. Ibid. 286. D. Dei auxilio adimpleri poteſt. 279. E. Licitum eſt, etſi quis neſciat illud poſſe ſervare. Ibid. Ante votum cur vires explorandæ. 281. A. Violatio voti damnabilis. 288. B. Votum a Patribus commendatur. 290. D. 297. C. Vigiliis, orationibus &c. cuſtodiendum. 292. E. Ejus antiquitas. 298. C. Delinquentes graviter mulctabantur. Ibid. Dicuntur inceſtuoſi. 303. C. In Eccleſiam non admittebantur. Ibid. E. Propugnatur hac ſuper re Patrum doctrina. Ibid. A. Habentes votum ſi connubium intentent, aut quovis modo cum muliere cohabitent, omnino ſeparandi ſunt. 309. D. Dicuntur Adulteri. 311. B. Votum ſimplex, & ſolemne aliis phraſibus declarabatur antiquitus. 315. E. Primis Eccleſiæ Seculis talia vota diſtinguebantur. 317. D. Votum ſolemne impedit matrimonium, & diſſolvit ratum. 321. A. Votum caſtitatis diſcriminatur quoad extenſionem a voto obedientiæ. 438. A. Votum caſtitatis in antiquis Monachis. 21. E. Votum virginitatis in lege veteri irritari poterat. 573. E. Idem ſubſtantialiter, ac nunc. 588. C. Notio voti

in

in dicta lege. 590. B. C. Votum obedientiæ factum privatæ perſonæ ilicitum eſt. 441. E. Explicatur. Ibid., & ſeqq. Prudens eſſe debet. 444. E. Votum Religionis non adimpletur per aſſumptionem ad Epiſcopatum. 189. C. Votum Religionis prævalet conjugio. 190. A. Habens votum Religionis peccat, ſi Epiſcopatum aſſumat, huneque dimittere debet. Ibid. B. Si ſit confirmatus quid agere debet. Ibid. Votum debet eſſe de meliori bono comparative. 190. E. Votum non aſcendendi ad altiorem gradum a Religioſis Laicis emiſſum eſt de meliori bono. Ibid. Quid dicendum ſi indirecte, & per alium curent aſcendere ad gradum altiorem. 192. D. Votum naturali, & ſupernaturali jure obligat. 199. B. Votum habens non acceptandi dignitatem ſine præcepto, non poteſt ſine illo illam aſſumere, etſi conferatur a ſciente tale votum. 199. C. Votum, juramentum, & Profeſſio in ordine ad ſtatum Religioſum idem ſignificant. 595. E. Votum in lege gratiæ a veteri lege exemplatum. 587. C. Votum non aſcendendi ad Sacerdotium eſt validum. 187. A. Votum de non ambiendo, aut acceptando Prælationes defenditur. 181. E. Votum hujuſmodi perfectioni deſervit. 182. C. 189. A. 195. E. Evellit malorum radicem. 183. E. A ſanctiſſimis viris emiſſum. 184. E. Eſt actus excellentiſſimus perfectionis. 185. B. Non debet eſſe omnino abſolutum. 186. D. Laudabiliter dependet a præcepto. 187. E. Eſt de meliori bono. 190. E. Explicatur votum de non ambiendo. 191. C. Votum non ambiendi Carmelit. Diſcalceatorum refertur. Ibid. D. Peccaret, qui interne ſtatueret agere contra hoc votum, etſi poſtea animum mutaret. Ibid. E. Explicatur quoad particulas *directe, vel indirecte &c.* 192. C. Procuratio directa quænam eſt. 193. E. Quæ indirecta. 194. B. Exemplis illuſtratur. Ibid. C. Quando quis tenetur obſtare, ne alter Prælationem ſibi procuret. 196. D. Habens hoc votum, probabiliter non violatur, dum curat conſervare Prælationem. 197. C. Illud violat, qui Prælationes procurat, ut Religionis ſpiritum promoveat. 198. B. Votum quando commutari poteſt in melius. 189. E. Votum S. M. Thereſiæ peragendi perfectius explicatur pluribus. 65. D., & ſeqq. Sine ſpeciali Spiritus Sancti motione elicitum foret audax, temerarium, & imprudens. 66. A. Votum hocce alii etiam Deo nuncuparunt. 66. E. Votum quandoque ſignificat deſiderium. 600. E.

URBANUS II. prohibuit Canonicis Regularibus accedere ad Monaſticum inſtitutum ſine Superioris licentia. 241. A. In Concilio Claremontano confirmat privilegium Exemptionis Monachis S. Martini. 519. A.

URBANUS IV. pluribus commendat Carmelitas. 724. E.

USTIO per Apoſtolum quid ſignificet. 295. C.

USURA haud licita Judæis. 688. C.

W*ALDENSES* nulli hominum eſſe obediendum dixerunt. 422. B.

W*ALDENSIS THOMAS* Wicleſiſtarum impugnator. 532. E.

W*ICLEFUS*.

W*ICLEFUS* inſurgit adverſus ſtatum Religioſum, quem a Diabolo inductum dicit. 1. E. Monachorum hoſtis. 211. E. Quatuor ſectas dicit exterminandas in Eccleſia, nempe Clericorum, Monachorum, Canonicorum, & Religioſorum. 213. C. Ejuſdem dicteria contra Monachos. Ibid. Falsò dicit Hieronymum clauſtrum deſeruiſſe. 220. E. Religioſos pauperes fatuos dicebat. 342. A. Errorem adoptavit Gullielmi de Sancto Amore contendentis Monachos teneri ſub præcepto ad laborem manuum. 369. E. Pravus ipſius finis detegitur. 370. A. Damnatur a Concilio Conſtantienſi. Ibid. C. Wiclefus inſurgit adverſus ſtatum Monaſticum. 208. A. Hoſtis Regularium Mendicantium. 384. E. Inſurgit adverſus tonſuram, & veſtes Monachorum. 491. B. Male damnat Monachos habentes bona in communi. 417. B. Inſurgit contra Monachorum veſtes. 491. B. Contendit impios non eſſe Sacerdotes. 528. D.

W*ICLEFISTÆ* hoſtes Monachorum. 491. E.

W*OLFANGUS* Muſculus. Vide *Muſculus*.

UXOR.

UXOR aſſumenda ab eo, qui ſe continere non valet. 103. B. Uxor quandoque ſumitur in lata ſignificatione. 309. D. Uxor quando deſerenda a marito. 686. E.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google